collationné



Angelo Rocca 1545-1620. 1614 founder Biblioteca Angelica

THESAURUS
PONTIFICIARUM
SACRARUMQUE ANTIQUITATUM
NECNON
RITUUM, PRAXIUM
AC CÆREMONIARUM

Additis pluribus Quæstionibus ac Resolutionibus supra Dubia nonnulla insigniora ex Sacra Scriptura desumpta, & Chronhistoria, ejusque Supplemento Sacrarii Apostolici unâ cum illius Præfectis ac Bibliothecariis, Custodibus, atque novis inscriptionibus usque ad præsens Bibliothecæ Vaticanæ

AUCTORE

FR. ANGELO ROCCA CAMERTE

ORDINIS S. AUGUSTINI

Sacrarii Apostolici Præfecto, ac Episcopo Tegasten.

Accedunt in principio Primi, & Secundi Tomi Index Tractatuum, ac duo Indices Generales rerum notabilium.

EDITIO SECUNDA ROMANA CUM PLURIBUS ÆNEIS FIGURIS.

TOMUS PRIMUS.

Scrafferi Vitellianus Ambierat fam 1962

BIBLIOTHÈQUE DES P.P. FRANCISCAINS PARIS

1745

ROMÆ MDCCXLV.

Sumptibus FAUSTI AMIDEI Bibliopolæ in Via Cursus.

Typis Bernabò; & Lazzarini. ✠ *Superiorum permissu.*

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/thesauruspontifi01rocc

Eminentissimo, ac Reverendissimo

PRINCIPI

NICOLAO SPINULÆ

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO.

ALOYSIUS CONTI FELICITATEM.

Ultæ quidèm, eæque magni, ac non vulgaris momenti causæ me, PRINCEPS EMINENTISSIME, impulerunt, ut Primum hunc Operum Angeli Rocchæ Tomum, dum prodit, amplissimo

Tuo Patrocinio honeſtatum optaverim. Licèt enim Scriptoris undequàque doctiſſimi, ac famâ inter eruditiores meritò commendati nomen per ſe ſatis illuſtre ſit, majori tamen gloriæ acceſſione illuſtrius erit, ſi præfixum Libro Nomen Tuum legetur, quo decus Operi augeatur. Non ægrè hanc ſpem Te laturum, qua mihi blandior fore, ut ex Te Rocchæ, & mihi tantus obveniat honor, Tuâ fretus jam ſatis comperta in me humanitate, confido. Vota me conſecuturum non dubito, quòd licèt eò Te demiſeris, ut mihi Tuum Patrocinium impertias, nihil ex Tua gloria Tibi decreſcere ignoras, imò aliquid potiùs incrementi eam capere non obſcurè intelligis, quod tantum gloriæ Tibi ſit, ut ſine illius decremento ex illa ſibi alios partem decerpere pati poſſis. Sic Sol cætera quæque ſuâ luce perfundens, adeò lucem non amittit, quam reliquis corporibus impertit, ut potiùs eamdem ſplendidiorem oſtendat. Non diſpar virorum Tui ſimilium conditio, quibus tantum meritorum, ac laudum ſit, ut ornamentorum acceſſione cum aliis comunicent, quæ ipſos meritò colendos, atque ſuſpiciendos prodant. Nec me quidquam hæc dicen-

tem

tem assentationis causa comminisci quis dicet, qui noverit præclara, quibus affatìm abundas, ornamenta. Si enim eximiâ cognoscitur dignus laude, qui illustriora ex publicis muneribus, omnium prædicatione commendatus gessit, Is es, qui Romæ illustriora præ cæteris munera sic obiisti, ut ex iis meritorum ductu ad alia Te digniora gradum feceris, à Tuis Majoribus Joanne Dominico Spinula, & Joanne Baptista ambobus S. R. E. Presbyt. Cardinalibus Tit. S. Cæciliæ nullâ ex parte degener, quos præclarè imitatus, eorumque vestigiis laudabiliter insistens, illorum gloriam æquasti: immò, nisi Tuæ modestiæ negotium exhiberem, eosdem à Te laudum meritò superatos prædicarem. Singula non recenseo, ne nimis diligenter conquirere videar quæ Tuæ fortassè modestiæ minus placeant; Silentio tamen tantùm indulgere nequeo, ut Florentinam, atque Polonicam Legationem, utramque pro Sede Apostolicâ quàm splendidissimè à Te obitam, taceam; Sed hæc quamvìs in aliis maximifacienda, in Te fortassè non maxima sunt, cùm alia commendatiora possideas, quibus decentiùs ornaris. Non

enìm ego ſolus Tuas virtutes, Tuamque doctrinam, & eruditionem perſpectas habeo, ſed hæc ipſa ii omnes cognoſcunt, ad quos ſincera Tuorum meritorum pervenit cognitio; Quæ cùm ita eſſe non ignorem, Operibus Angeli Rocchæ præclarum illud gratulor decus, quod ex Te iis afferetur: Mihique ſummoperè placeo, quòd meâ in Te obſervantiâ, quæ ſumma eſt, magis, magisque obſtringar, ut ſim qui debeo, quemque obſequium, quo Te meritò colo, ac veneror, expoſcit.

ALOY-

ALOYSIUS DE COMITIBUS LECTORI BENEVOLO

S A L U T E M.

PAucis Te volo, Lector humaniſſime, ut Typis dandi Opera omnia Angeli Rocca Tibi conſilium meum aperiam. Et utilitas tua, & noſtræ decor Typographiæ me in illud impulerunt. Cum tempus inſtaret, quo munus Typographi Rev. Cameræ Apoſtolicæ dimitterem, volui ſummos labores, quos per duodeviginti annos eo in officio impendi, aliquâ celebri Editione coronare. Id quidèm me aſſecutum arbitror; is enim eſt Angelus Rocca, ut, cum apud omnes Literarum Cultores Operum ſuorum multitudine, in quibus omnium ſcientiarum, & eruditionum genera eluceſcunt, famam acquiſiverit immortalem, non dubitem, quin ex tanti Viri Nomine Typographiæ noſtræ ſplendor accedat. At ita decori meo conſului, ut ſimul in commodum tuum reſpicerem. Angeli Rocca Opera olim Typis data, quamvìs magno ſtudio conquiſita, haud venalia inveniuntur apud Bibliopolas. Unum, vel alterum ex illis fortaſſis reperies: omnia reperire, fruſtrà conaberis. En illa omnia in unum collecta Tibi offero, quæ loco Tibi magnæ Bibliothecæ eſſe poterunt; eo vel maximè, quod inter jam edita, multa quoque antea inedita invenies, quæ exſcribi curavi ex Autographis in Bibliotheca Angelica S. Auguſtini de Urbe aſſervatis. Iſta omnia in duos Tomos diſtribui, ſervatâ, quantum fieri potuit, rerum tractandarum cohærentiâ, quæ adeò variæ ſunt, ut vix, & ne vix quidèm, aliquam inter ſemetipſas connexionem admittant.

Quò

Quò verò aliquarum rerum, quæ ab Angelo Rocca deſcribuntur, uberiorem, completamque notitiam accipias, Bibliothecæ Apoſtolicæ Vaticanæ novam Appendicem attexui, quæ plura manifeſtat, quæ poſt ipſius Bibliothecæ per Auctorem factam Editionem addita ſunt; Angelus Rocca etenim Bibliothecam Vaticanam deſcripſit, qualis à Sixto V. Pont. Max. inſtructa fuerat. At Succeſſores Summi Pontifices, Paulus V. Urbanus VIII. Alexander VII. Alexander VIII. & feliciter nunc Regnans CLEMENS XI. eandem Bibliothecam quà Codicibus, quà Ædificiis, quà ornamentis inſigniter adauxerunt. Additamenta iſta, poſt Sixtinam inſtructionem facta, Appendix, quam addidi, Te docebit. Adjunxi etiam Nomina Bibliothecariorum, & Cuſtodum laudatæ Bibliothecæ, qui poſt Auctoris obitum floruerunt. Illa invenies Tom. II. Pag. 198. Similiter Chronhiſtoriam de Apoſtolico Sacrario Auctor noſter uſque ad Annum 1605. perduxerat, quo tempore ipſemet præfati Apoſtolici Sacrarii Præfecturam tenebat. Poſt ejus obitum Novem alii Sacriſtæ numerantur; quorum Vitam deſcripſi, ut Sacriſtarum Seriem ad noſtra uſque tempora continuatam intuearis. Duos inſuper Indices appoſui, unum Titulorum Operum, materiarum alterum; & ut cognoſcas, quæ nunc primùm edita ſunt, in Operum Indice ſingulis antea ineditis adjungitur Nota *Inedi-tum*.

Quantis autem impenſis iſta omnia præſtiterim, Tu per temetipſum cogita, & ex multis Figuris ære inciſis, ex innumeris Characteribus Exoticis, atque ex Amanuenſium labore, qui tot Manuſcripta exſcripſerunt, perpende. Neque diligentiæ peperci, ut Editio undequàque concinna conficeretur. *At fieri haudqua-*

quam

quam poteſt, inquit Auctor noſter in ſua Biblioth. Vatic. Tom. II. Pag. 354. *ut liber ullus abſque mendis in lucem prodeat*, tunc vel maximè quando exemplaria nimis confusè conſcripta ſunt, ſicuti Autographa ſunt, Auctoris manu exarata, lituris, & poſtillis repleta; quibus perturbati Amanuenſium oculi, aliqua exſcripſerunt, quæ Auctoris forſitan mentem, & eruditionem non ſapiunt.

Monitum Te tandèm volo, ſi aliqua iſtis in Operibus inſpexeris, quæ accurato horum temporum Criterio non conveniunt, id, non Auctoris inſcitiæ, ſed temporum infelicitati, in quibus ſcribebat, attribue; etenim, cum deficerent ejuſdem Ævo tot præclaræ notitiæ, quas poſtea Orbis Literarius, novis luminibus exortis, ſuppeditavit, auſim dicere, modernos Scriptores utique feliciores eſſe, neutiquam verò antiquis ſapientiores. Quamvis, ut verum fatear, judicium Angeli Rocca in Auctorum Libris, & ſententiis recenſendis, adeò æquum apparet, limatumque, ut facem illis prætuliſſe videatur, qui poſtea in Criticæ Artis ſtudium ex profeſſo incubuerunt. Luculenter id manifeſtat Index Bibliothecæ Theologicæ, & Scripturalis, in quo Operum Sanctorum Patrum, & præcipuorum Theologorum Cenſum egit. His adde: ex Opuſculis, quæ nunc primùm à me edita ſunt, aliqua non fuiſſe ab Auctore abſoluta, aliis extremam manum non impoſuiſſe, vel quia ad proprium dumtaxàt uſum illa ſcripſerat, vel quia, morte ſuperveniente, ea perficere nequivit, & ad Incudem reformare. Illa nihilominus, utì conſcripta reperiuntur, Typis dedi, ut magis, atque magis Auctoris ſapientiam, ac eruditionem etiam in Operibus, à ſe neque abſolutis, neque limâ politis, admireris. Aliorum Opera, quæ vel recognovit,

vit, vel emendavit, vel Scholiis, Notis, Obſervationibus, & Commentariis auxit, ac illuſtravit, vide in ipſorum Auctoribus. Principaliora ſunt, Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ Dilucidationes in quatuor Libros Sententiarum; Auguſtini Triumphi Summa de Poteſtate Eccleſiaſtica, & Commentarii in Salutationem Angelicam, in Canticum B. Mariæ Virginis, atque Orationem Dominicam; Ægidii Columnæ ſecundus Liber Sententiarum; Laurentii Vallæ Elegantiarum Latinæ Linguæ Libri ſex; Catonis Libellus de præceptis vitæ humanæ; Stellarum Coronæ Glorioſiſſimæ Virginis Pelbarti de Themeſwar; Sermones in Evangelia Aurelii Filucci. Qui labores, aliis à me editis adjuncti, meruerunt, ut in Angeli Rocca laudes ſe effuderint Literati Synchroni, & poſteriores, Janus Nicius Erithræus in Pinacotheca, Philippus Elſſius in Encomiaſt. Auguſt. Thomas Herrera in Alphab. Auguſt. Aloyſius Torellus in Sœculis Auguſt. Joannes Ciampinus in Catalogo S. R. E. Bibliothecariorum, Ludovicus Morerius in Magno Dictionario Hiſtorico Gallicè edito, Bonciarius, Cardinalis Oſſatius, Cornelius Curtius, Pompejus Ugonius, Antonius Boſſius, & alii permulti.

Habes itaque, Lector benigniſſime, conſilii mei cauſas in edendis Operibus Angeli Rocca. Tu benè utere, quod tuum in commodum præſtiti. Ego quidèm mihi videor non mediocrem ſplendorem Typographiæ noſtræ attuliſſe ex eo, quòd tanti Viri Opera omnia ediderim. Vale.

Animadvertas Lector, quòd Editionem incœpimus quidem in Typographia Rev. Cam. Apoſtol. ſed eam terminavimus in Typographia S. Michaëlis ad Ripam.

IN-

MONITUM LECTORI
EDITORIS PRIMÆ EDITIONIS.

Aucis Te volo, Lector humaniſſime, ut Typis dandi Opera omnia Angeli Rocca Tibi conſilium meum aperiam. Et utilitas tua, & noſtræ decor Typographiæ me in illud impulerunt. Cum tempus inſtaret, quo munus Typographi Rev. Cameræ Apoſtolicæ dimitterem, volui ſummos labores, quos per duodeviginti annos eo in officio impendi, aliquâ celebri Editione coronare. Id quidèm me aſſecutum arbitror; is enim eſt Angelus Rocca, ut, cum apud omnes Literarum Cultores Operum ſuorum multitudine, in quibus omnium ſcientiarum, & eruditionum genera eluceſcunt, famam acquiſiverit immortalem, non dubitem, quin ex tanti Viri Nomine Typographiæ noſtræ ſplendor accedat. At ita decori meo conſului, ut ſimul in commodum tuum reſpicerem. Angeli Rocca Opera olim Typis data, quamvis magno ſtudio conquiſita, haud venalia inveniuntur apud Bibliopolas. Unum, vel alterum ex illis fortaſſis reperies: omnia reperire, fruſtrà conaberis. En illa omnia in unum collecta Tibi offero, quæ loco Tibi magnæ Bibliothecæ eſſe poterunt; eo vel maximè, quod inter jam edita, multa quoque antea inedita invenies, quæ exſcribi curavi ex Autographis in Bibliotheca Angelica Sancti Auguſtini de Urbe aſſervatis. Iſta omnia in duos Tomos diſtribui, ſervatâ, quantum fieri potuit, rerum tractandarum cohærentiâ, quæ adeò variæ ſunt, ut vix, & ne vix quidèm, aliquam inter ſemetipſas connexionem admittant.

Quò verò aliquarum rerum, quæ ab Angelo Rocca deſcribuntur, uberiorem, completamque notitiam accipias, Bibliothecæ Apoſtolicæ Vaticanæ novam Appendicem attexui, quæ plura manifeſtat, quæ poſt ipſius Bibliothecæ per Auctorem factam Editionem addita ſunt; Angelus Rocca etenim Bibliothecam Vaticanam deſcripſit, qualis à Sixto V. Pont. Max. inſtructa fuerat. At Succeſſores Summi Pontifices, Paulus V. Urbanus VIII. Alexander VII. Alexander VIII. & feliciter nunc Regnans CLEMENS XI. eandem Bibliothecam quà Codicibus, quà Ædificiis, quà ornamentis inſigniter adauxerunt. Additamen-

menta iſta, poſt Sixtinam inſtructionem facta, Appendix, quam addidi, Te docebit. Adjunxi etiam Nomina Bibliothecariorum, & Cuſtodum laudatæ Bibliothecæ, qui poſt Auctoris obitum floruerunt. Illa invenies in Tom. II. Similiter Chronhiſtoriam de Apoſtolico Sacrario Auctor noſter uſque ad Annum 1605. perduxerat, quo tempore ipſemet præfati Apoſtolici Sacrarii Præfecturam tenebat. Poſt ejus obitum Novem alii Sacriſtæ numerantur; quorum Vitam deſcripſi, ut Sacriſtarum Seriem ad noſtra uſque tempora continuatam intuearis. Duos inſuper Indices appoſui, unum Titulorum Operum, materiarum alterum; & ut cognoſcas, quæ nunc primùm edita ſunt, in Operum Indice ſingulis antea ineditis adjungitur Nota *Ineditum*.

Quantis autem impenſis iſta omnia præſtiterim, Tu per temetipſum cogita, & ex multis Figuris ære inciſis, ex innumeris Characteribus Exoticis, atque ex Amanuenſium labore, qui tot Manuſcripta exſcripſerunt, perpende. Neque diligentiæ peperci, ut Editio undequàque concinna conficeretur. *At fieri haudquaquam poteſt*, inquit Auctor noſter in ſua Biblioth. Vatic. Tom. II. *ut liber ullus abſque mendis in lucem prodeat*, tunc vel maximè quando exemplaria nimis confusè conſcripta ſunt, ſicuti Autographa ſunt, Auctoris manu exarata, lituris, & poſtillis repleta; quibus perturbati Amanuenſium oculi, aliqua exſcripſerunt, quæ Auctoris forſitan mentem, & eruditionem non ſapiunt.

Monitum Te tandèm volo, ſi aliqua iſtis in Operibus inſpexeris, quæ accurato horum temporum Criterio non conveniunt, id, non Auctoris inſcitiæ, ſed temporum infelicitati, in quibus ſcribebat, attribue; etenim, cum deficerent ejuſdem Ævo tot præclaræ notitiæ, quas poſtea Orbis Literarius, novis luminibus exortis, ſuppeditavit, auſim dicere, modernos Scriptores utique feliciores eſſe, neutiquam verò antiquis ſapientiores. Quamvis, ut verum fatear, judicium Angeli Rocca in Auctorum Libris, & ſententiis recenſendis, adeò æquum apparet, limatu nque, ut facem illis prætuliſſe videatur, qui poſtea in Criticæ Artis ſtudium ex profeſſo incubuerunt. Luculenter id manifeſtat Index Bibliothecæ Theologicæ, & Scripturalis, in quo Operum Sanctorum Patrum, & præcipuorum Theologorum Cenſum egit. His adde: ex Opuſculis, quæ nunc primùm à me edita ſunt, aliqua non fuiſſe ab Auctore abſoluta, aliis extremam manum non impoſuiſſe, vel quia ad proprium dumtaxàt uſum illa ſcripſerat, vel quia, morte ſuperveniente, ea perficere

ficere nequivit, & ad Incudem reformare. Illa nihilominus, uti conscripta reperiuntur, Typis dedi, ut magis, atque magis Auctoris sapientiam, ac eruditionem etiam in Operibus, à se neque absolutis, neque limâ politis, admireris. Aliorum Opera, quæ vel recognovit, vel emendavit, vel Scholiis, Notis, Observationibus, & Commentariis auxit, ac illustravit, vide in ipsorum Auctoribus. Principaliora sunt, Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ Dilucidationes in quatuor Libros Sententiarum; Augustini Triumphi Summa de Potestate Ecclesiastica, & Commentarii in Salutationem Angelicam, in Canticum B. Mariæ Virginis, atque Orationem Dominicam; Ægidii Columnæ secundus Liber Sententiarum; Laurentii Vallæ Elegantiarum Latinæ Linguæ Libri sex; Catonis Libellus de præceptis vitæ humanæ; Stellarum Coronæ Glorioſissimæ Virginis Pelbarti de Themeswar; Sermones in Evangelia Aurelii Filucci. Qui labores, aliis à me editis adjuncti, meruerunt, ut in Angeli Rocca laudes se effuderint Literati Synchroni, & posteriores, Janus Nicius Erithræus in Pinacotheca, Philippus Elssius in Encomiast. August. Thomas Herrera in Alphab. August. Aloysius Torellus in Sœculis August. Joannes Ciampinus in Catalogo S. R. E. Bibliothecariorum, Ludovicus Morerius in Magno Dictionario Historico Gallicè edito, Bonciarius, Cardinalis Ossatius, Cornelius Curtius, Pompejus Ugonius, Antonius Bossius, & alii permulti.

Habes itaque, Lector benignissime, consilii mei causas in edendis Operibus Angeli Rocca. Tu benè utere, quod tuum in commodum præstiti. Ego quidèm mihi videor non mediocrem splendorem Typographiæ nostræ attulisse ex eo, quòd tanti Viri Opera omnia ediderim. Vale.

Animadvertas Lector, quòd Editionem incœpimus quidem in Typographia Rev. Cam. Apostol. sed eam terminavimus in Typographia S. Michaelis ad Ripam.

RE-

REIMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Fr. Maria de Rubeis Archiepiſcopus Tarſi Vicesgerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici.

INDEX OPERUM

Quæ continentur in Primo Tomo.

I.

DE Romani Pontificis Nomenclatura, Commentarius. Pag. 1. *Ined.*

II.

De Tiaræ Pontificiæ, quam *Regnum Mundi* vulgò appellant, Origine, Significatu, & Usu. Pag. 7. *Ined.*

III.

De Sacra Summi Pontificis Communione Sacrosanctam Missam celebrantis Commentarius. Pag. 9.

IV.

De Sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo Commentarius. Pag. 33.

V.

An Summo Pontifici Sacrum facienti conveniat uti Sacris Vestibus colore viridi affectis? *Ined.* Pag. 75.

VI.

De Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Prælatione, sive Imaginibus, Utra scilicet inter eas collocandas præferenda sit? Commentarius. *Ined.* Pag. 81.

VII.

De Canonizatione Sanctorum Commentarius. Pag. 101.

VIII.

Cœremoniæ in ipsa Canonizatione observari consuetæ describuntur, & declarantur. *Ined.* Pag. 142.

IX.

De Campanis Commentarius. Pag. 151.

X.

De Sacrosancto Jubileo Anno 1600. Commentarius. *Ined.* Pag. 197.

Aurea Rosa, Ensis, & Pileum, quæ Regibus, ac Magnatibus à Summo Pontifice benedicta in donum mittuntur, quod sibi velint? *Ined.* Pag. 207.

XII.

Reginaldi Card. Poli Epistola desuper ad Philippum Regem, & Mariam Reginam Angliæ. *Ined.* Pag. 210.

XIII.

Dubia septem, sacros Ritus concernentia, resoluta, & declarata; videlicet: Cur Sanctorum, & Sanctarum Obitus, *Dies Natalis*, vel *Dormitio* in Sancta Dei Ecclesia vocitetur? *Ined.* Pag. 212.

XIV.

De Origine, & Institutione Benedictionis Candelarum, vel Cereorum in Festivitate Purificationis B. Mariæ semper Virginis. *Ined.* Pag. 214.

XV.

Unde Cineres super caput spargendi usus originem trahat, & quæ sibi velit? *Ined.* Pag. 217.

XVI.

De Precatione, qua Lectiones in Matutino prævenimus, necnon de fine, quo eas concludimus, ac definimus. *Ined.* Pag. 219.

XVII.

Feria quidnam sit, & cur Dies ab Ecclesiasticis Viris *Feriarum* nominibus in Ecclesia nuncupetur. *Ined.* Pag. 222.

XVIII.

An Reliquiæ novæ ab Ecclesia nondum approbatæ, absque expressa Summi Pontificis concessione, publicè, vel privatim venerari queant? *Ined.* Pag. 224.

XIX.

De Salutatione Sacerdotis in Missa, & in Divinis Officiis, necnon de Ministri, vel Chori Responsione. *Ined.* Pag. 236.

XX.

De Sanguine à Christo Domino in Resurrectione reassumpto Commentarius. *Ined.* Pag. 240.

XXI.

De Præputio Christi Domini in Resurrectione reassumpto, & in Basilica Lateranensi asservato. *Ined.* Pag. 247.

XXII.

De Particula ex pretioso, & vivifico Sacratissimæ Crucis Salvatoris J. C. desumpta, Sacris

Sacris Imaginibus, & Elogiis eodem Ligno inciſis inſignita, & in Apoſtolico Sacrario aſſervata, Commentarius. Pag. 253.

XXIII.

Dubia quatuor, Sacram Scripturam concernentia, reſoluta, & explicata, ſcilicet, *An Chriſtus Dominus poſt Cœnam cum Diſcipulis factam Vinum tantùm, vel Vinum aquâ mixtum in Calice potaverit? Ined.* Pag. 266.

XXIV.

Quinam fuerint illi Magi, qui Stella moniti, Chriſtum Infantem adoraverunt. *Ined.* Pag. 269.

XXV.

An Salomon ſit Salvus? *Ined.* Pag. 272.

XXVI.

Quid ſignificet Dictum illud S. Ambroſii: *Pro octava multi inſcribuntur Pſalmi? Ined.* Pag. 275.

XXVII.

Sacrorum Bibliorum Emendationes juxtà Concilii Tridentini Decretum. *Ined.* Pag. 276.

XXVIII.

Chronhiſtoria de Apoſtolico Sacrario. Pag. 318.

XXIX.

Sacriſtarum Series, qui poſt Angelum Rocca floruerunt. *Ined.* Pag. 355.

XXX.

Oſſervazioni intorno alle Bellezze della Lingua Latina. Pag. 365.

XXXI.

Commentarius contra Ludum Alearum, Pag. 465.

XXXII.

An Carniſprivii mala conſuetudo ab Ethnicorum Lupercalium ſuperſtitione originem trahat? *Ined.* Pag. 483.

XXXIII.

Commentarius de Nuce, Stemma Gentilitium Innocentii IX. P. O. M. Pag. 487.

XXXIV.

Diſcorſo intorno alla Virtù della Pazienza. Pag. 491.

XXXV.

Explicatio Inſcriptionis: *Semoni, Sanco Deo Fidio Sacrum, &c. Ined.* Pag. 505.

XXXVI.

De Dictione illa *Palea* in Decretis Pontificiis paſſim reperta. *Ined.* Pag. 507.

XXXVII.

Supplementum ad Chronhiſtoriam de Apoſtolico Sacrario. Pag. 509.

DE
ROMANI
PONTIFICIS
NOMENCLATURA
Variis muneribus refertâ
COMMENTARIUS.

S. Augustin. lib. 6. de Civit. cap. XI. tom. 5. Et in hunc locum Ludovic. Vives. Cic. de Nat. Deorum. Lact. Firm. de falſ. Relig. Macrob. in Saturnalib. Cœl. Rhodig. l. 15. cap. 18.

ULTIPLEX, variaque ejuſdem rei nomenclatura non niſi ipſiuſmet rei præſtantiam, aut multiplicem vim, ſive varias virtutes, variaque officiorum genera præſeferre ſolet. Id quod [exemplis, & permultis quidem ſilentio prætermiſſis, quæ in prophanis exterarum, ſive Ethnicarum Nationum litteris de falsâ Religione confictis, vaniſque nominibus paſſim inveniuntur, atque à probatiſſimis Auctoribus, præſertim verò à ſancto Auguſtino ad hujus generis falſitatem patefaciendam recenſentur] cuique planum profectò fit, ſi luculentiſſima ſacrarum Scripturarum teſtimonia in memoriam revocentur, in quibus ſacroſancta conſpicitur Religio, admiranda panduntur myſteria, & veritas ipſa ſplendidior Sole ſplendeſcit. Deus namque appellatur Ens, ſive qui eſt, & ſuper omne Ens, & ſubſiſtentiam, ut ita dicam, Entitas. Antiquus dierum, ſive ſeculum, & Æternitas, ante omne tempus juvenis, ideſt inſeneſcibilis; Semper vivens, ſemper ſapiens, à quo vita, & ſapientia omnis; Motus, ideſt immobilis, dans cuncta moveri; Status, quia in ſe ipſo Deus manet, in ſuâ ſcilicet immobili, ut ajunt, identitate immobiliter fixus, vel omnium ſtatus, in quo omne quieſcit; Latitudo divina, ideſt ampliſſima Dei ad omnia progreſſio; Longitudo, ideſt Virtus pervagans omnia: Profunditas, ideſt Virtus abdita, & omnibus incomprehenſibilis; Æqualitas ad omnia, & per omnia æquè pergens juſtitia. Illuminator, vel totius illuminationis principium; Cauſa omnium; Initium omnium; Subſtantia omnium; Erector cadentium; Renovator, & reformator corruptorum; Confirmator rectè actorum; Corroborator ſtantium; Actor ſurſum ad ſe accedentium, quaſi porrectâ manu ſublevator; Illuminatio illuminatorum; Perfectio perfectorum; Divinitas, vel ſumma in eo aſſumptorum divinitas; Simplicitas ſimplicium; Unitas unitorum; Principium, ideſt principii totius univerſi ſubſtantiale principium; Occulti propagator, hoc eſt ſui occulti, quantum fas eſt, conſortium tradens; Vita viventium, ideſt cauſa omnis vitæ, & ſubſtantiæ cauſa; Bonitas, à quâ omne bonum, & omne pulchrum, ſine quâ nullum bonum, & pulchrum nihil. Hæc ſanctus Dionyſius Areopagita, multoque plura ſe ex divinorum Eloquiorum fontibus hauſiſſe ait: quę brevitatis causâ omittuntur. Id quod etiam de Chriſto Deo, & Homine, ex Scripturis ſanctis depromi poteſt, ipſius videlicet Admirabilis nomenclaturæ. Nam Chriſtus Dominus, & Salvator noſter, qui ob ſuam ipſius veram, & inenarrabilem excellentiam, ineffabilem virtutem, immenſam poteſtatem, innumerabiliumque munerum functionem variis & glorioſis, accommodatiſſimiſque nominibus in divinis Literis vocitatus eſt. Ipſe enim non adoptivè, ſicut & cæteri juſti ac ſancti, ſed ſuaptè naturâ Dei filius, ſive Deus ipſe nuncupatur, & eſt. Appellatur item Verbum Domini, Germen Domini, ac Germen Juſtitiæ, Facies Dei, Brachium Domini, Mons Dei, & Mons domûs Domini. Paſtor bonus, Sponſus Eccleſiæ, Rex Regum, & Dominus Dominantium; Via, Veritas, & Vita; Lux Mundi, & Sol oriens ex alto; Redemptor Mundi, Mediator Dei, & hominum, Homo, Chriſtus, Jeſus, Salvator; Magiſter, item, ac Dominus; Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſęculi; Princeps Pacis, Sanctus Sanctorum, Propheta magnus, Oſtium, Sacerdos & Pontifex, Alpha & Omega, Primus & noviſſimus, Principium & finis. Hæc & alia complura ſunt Chriſti nomina, quæ in ſacris Literis inveniuntur. Eorum autem explicationem prolixa oratione indigentem hoc loco ſubticendam eſſe duximus, ut noſtrum de Romani Pontificis nominibus & muneribus aggrediamur Inſtitutum.

Chriſti Nomina.

Romanus itaque Pontifex, qui Chriſti uicem hiſce in terris divinâ gerit providen-

tiâ, iisdem de causis paulò superiùs allatis jure sibi optimo variam sortitur nomenclaturam. Mirum autem id nobis haud quaquam esse debet, summum scilicet Pontificem variis insigniri nominibus, cui divinam potestatem, variorumque munerum functionem cœlitùs commissam esse non ignoramus.

Romani Pontificis nomina.

Ipse igitur appellatur Papa, & Pater Patrum, Pontifex summus, sivè Romanus Pontifex, vel Pontifex maximus, summus Sacerdos, vel Princeps Sacerdotum, summus Patriarcha, summus Archiepiscopus, summus Metropolitanus, summus Episcopus, vel Episcopus universalis, Romanus Episcopus, vel Episcopus Lateranensis, custos vineæ Dei, Pater, & Doctor omnium fidelium, supremus Pastor, vel Pastor ovilis Domini, caput, vel fundamentum Ecclesiæ, Christi Vicarius, Ecclesiæ Sponsus, successor Petri, Sanctissimus Dominus noster, Pater Beatissimus, & Sanctissimus, & Servus Servorum Dei.

His item nominibus sua respondent officia, nec non ministeria, & obsequia eidem Romano Pontifici præstanda, quæ hisce in vocibus explicandis declarabuntur. Ut autem à voce usitatiori, magisque tritâ, sed minùs fortassè notâ, tamquam magis recondita (quamvis vocabulum ipsum in ore omnium versetur) exordiamur, initium sumendum hunc in modum visum est.

Papæ Nomen undè originem traxerit.

Papa quid.

ROmani Pontificis nomen, quod in frequentissimo usu apud omnes habetur, est Papa. Quod quidem vocabulum non rarò in dubium revocari animadverti, quid scilicet sibi ipsum velit, cum satis non constet, undè originem ducat. Hinc factum est, ut in suam quisque trahatur opinionem, dùm diversi diversa sentiunt. Nonnulli opinantur Papam dictum esse ab Aphacæ, sivè carduorum oleris flore, qui citò marcescit, & abit in lanuginem, quam Pappum vocant. Hinc Lucretius lib. 3. de natur. rerum, Pappos vocat volantes. A conterraneis meis hos ille, qui tribus, aut quatuor constat foliis latis quidem, purpurascentibus Rosæ figuram habens, Papata nuncupatur; à Venetis, sed impropriè quidèm, Papavero; à Gallis Pavò; ab Hispanis Amapola: & nascitur spontè in Pratis, & in Campis intèr frumenta. Ad hujus vocis similitudinem Papam nuncupatum volunt, detorquentes hujus generis Etymologiam ad vitæ Summorum Pontificum brevitatem. Dici enim solet, ac re ipsâ, longâque observatione compertum est, nullum ad hanc usque diem è Romanis Pontificibus tàm robustum, aut Juvenem, sivè tàm vitalem fuisse, qui annos Petri Protopapæ attigerit. Hinc fortassè dùm Papa ad Cappellam S. Petri ducitur antè coronationem intèr eundum coram eo, antequam celebret missam, stuppa exuritur, cum hac verborum enunciatione: *Sic transit gloria Mundi*. Hæc enim est tamquam nubecula, fumus, aut ventus, & umbra, vel Araneæ tela, atque instar flammæ, quæ ex stuppâ conficitur, citòque evanescit.

Opinio 1. Jo: Coras. lib. 5 Miscell. c. 15.

Sunt qui velint Papam à papilla mammarum, sive uberum apice, unde lac extrahitur, dictum esse, ut hac voce Summus Pontifex intelligat, suum ipsius esse munus, illud scilicet suave, ac mellifluum verbi divini lac fidelibus submini strare, eosque per prædicationem Evangelii ad Christi ducere cognitionem, ut fusiùs loco suo dicetur.

Opinio 3. Jo: Coras. ubi sup. & Carolus Paschalis.

Alii volunt hoc nomen Gothorum incursione fuisse corruptum. Ajunt enim Papam Patrem Patrum, & quidem non immeritò fuisse nuncupatum, ut infrà dicemus. Id quod duabus hisce literis PP. scribi solebat, more Romanorum antiquòrum, qui aliquem Imperatorem, sivè virum quempiam ob egregium aliquod facinus in Rempublicam gestum Patrem Patriæ his notis PP. abbreviatè nuncupabant, ut in inscriptionibus antiquorum videre est. Ex duabus autem dictionibus, quæ sunt Pater Patrum, his videlicet notis PP. vel Papa, ut nonnulli affirmant, ab imperitis unam factam, Papa scilicèt, opinantur. Hunc etiam in modum notas hasce S. ✠ P.Q. R. quas laminis aureis ad Christi vaticinium insculptas Sybilla reliquisse perhibetur, in hanc verborum formam: Salva Crux Populum Quem Redemisti, ut Petrus Diaconus rectè exponit, corruptas fuisse dicunt. Antiquitùs enim, Senatus Populusque Romanus literis hisce S. P. Q. R. scribebatur. Hunc item in modum, ut Alciatus ait allegatio Digestorum corrupta videtur. Nàm Justinianus quinquaginta libros Digestorum, Pandectas Græco Titulo insignivit à πᾶν, omne, & δέχομαι, comprehendo, quod omnes ferè leges capiant. Hinc à Latinis Græco vocabulo per primam literam Pandectarum Π cùm accentu circumflexo allegabantur. Librarii verò literarum ignari hunc characterem Π, duplicis ff. notam esse putantes, hanc allegationem, sivè Græcam notam depravarunt. Quarè adeò usus invaluit, ut libri Digestorum non nisi per duplex ff. passim, & quidem perperam citentur: eodem modo hanc vocem PAPA ad nos perveniisse contendunt. Ego autem, quamvis hujus generis depravationem ex Librariorum inscitia facillimè fieri posse credam, Gotthorum tamen incursione factam esse non dicerem, cum hæc vox, Papa, non modo veriorem habeat etymologiam, sed etiam antè Gotthorum in Italiam adventum fuerit in usu, atque olim Episcopis omnibus, deindè solum Summis Pontificibus, jure optimo sit attributa, ut fusiùs infrà dicetur.

De Notis Roman. ad Conradum Imp.

Alciatus Dispunct. 3. c. 6.

Opinio 2. Coras. ubi sup.

Sunt denique qui Papam à voce Pappus nuncupatum esse contendant, mutuato à Græcis vocabulo, Πάππος, quo Avum significari constat, ut videre est apud Ausonium, qui ad Neptem suam scribens ait in hanc verborum formam.

Qui refugit Matrem, Pappos, Aviasq; tremètes,
Anteferunt Patribus seri nova cura nepotes.

Ausonius.

Mos antè coronationem Papæ.

Hinc

Hinc ſicut latinè Avus, Græcè verò Πάππος, Pappus; ità Παππῶος, Pappous dicitur.

Huic loquendi modo conſonat ſermo Gallorum, à quibus Avus dicitur Pere grand, à Germanis Groſoatter, ab Anglis Agrandfather, ideſt magnus Pater, Germanicè enim Vatter, Anglis Pather, Gallicè verò Pere nuncupatur Pater: Avus enim eſt antiquior, ac dignior Patre ab ævo nominatus, & eſt Pater Patris. Summus itaque Pontifex non immeritò Papa, hoc eſt Pater Patrum, vel omnium Pater nuncupatur & eſt.

Quamvis autem Pappus, ſivè Pappa, infantilis ſit item cibus, à pane deductus, & pappare edere ſit, [quod etiam, ut ſecunda docet opinio, ad Papam referri poteſt, qui Evangelii pabulum ſubminiſtrare debet] & lallare vox Nutricis infantes ad lac ſugendum prolectans, ut videre eſt apud Perſium dicentem.

Perſius ſatyr. 3.

Cur ſimilis Regum pueris pappare minutum
Poſcis, & iratus mammæ lallare recuſas?

Et Plautus in Epidico.

Plautus.

Novo liberto opus eſt, quod pappet P. Dabitur, præbebo cibum.

Sumitur tamèn Pappus, ſivè Pappas, vel Pappa pro Patre vel pro eo, qui puerum alit. Hinc Juvenalis de alente infantem ait:

Juvenal.

Mordeat antè aliquis quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit, timidus præguſtet pocula pappas.

Alitèr, Pappos, vel Pappus. Pappare autem eſt minutis, ſeù blandiuſculis verbis patrem appellare. Πᾶς enim, Pas, ſivè Pa, infantili allocutione Pater appellatur, ut experientia ipſa docet: deindè per Anadiplaſiaſmum, ideſt reduplicationem, ut Rhodiginus, & alii ſcriptores teſtantur, Papa, ſivè Πάππα dicitur Pater, ut ma, ma, dicitur mater: undè mamia. Quare παππάζειν, ut eſt apud Homerum, vel παπτίζειν, ideſt papiſſare, quod Comicis arridet ampliùs, eſt infantium more, blandèque ſivè balbutientèr Patrem appellare, ut Rhodiginus, & alii affirmant. Hinc ab hac voce πάππας, quæ Græcis pater eſt, ut Suidas etiam teſtatur unicâ propter meliorem conſonantiam, quam Euphoniam vocant, detractâ literâ P, Papa latinè dicitur, Germanicè Bapſt, vel Pfaff: Germani enim ſicut hanc linguam callentes, adnotarunt, in vocibus A P incipientibus adjiciunt F, mutare ſolent. Fuit hoc Papę nomen apud Ethnicos honoris gratia datum Jovi, quem Bithynos minoris Aſię Populos eo vocabulo vocitare ſolitos compertum eſt, Arriano Hiſtorico Teſte, qui in Bithyniacis ait conſueviſſe Bithynos montium cacumina conſcendere, & Jovem Pappam conſalutare, atque item Attin. Herodotus etiam Halicarnaſſeus à Scythis regionis Septemtrionalis Gentibus Jovem Pappæum fuiſſe nominatum ſcribit. Nam poſt Scytharum Deos enarratos hunc ait in modum: *Scythæ appellant veſtam lingua ſua Labiti, Jovem Papæum, meâ ſententiâ rectiſſimè.* Ex quibus elicitur omnibus, non ſolum honoris, aut venerationis, ſed divini etiam nominis quippiam huic ineſſe verbo. Hinc ego, tametſi cæteras opiniones de Papæ Etymologiâ non contemno, hanc tamen poſtremam veriorem eſſe reor: hoc enim nomen, ſi ea, quæ nupèr dicta ſunt, perpendantur, non ſolum apud Latinos, & Græcos, ſed etiam apud alias Nationes antiquum eſſe, necnon veneratione dignum, & divinitate quâdam inſignitum dicas oportet.

Rhodig. to. 2. lib. 11. cap. 21. in fin.

Arrian. hiſt. in Bithyniacis.

Herodotus lib. 4. Melp.

Quamvis autem præſens in tempus Papæ nomen ſummo tantùm Pontifici non immeritò tribuatur, olim tamen priſcis videlicet temporibus, tàm Romanis, quàm aliis Epiſcopis quibuſcumque accommodatum fuiſſe conſtat, ut videre eſt in Epiſtolis Sancti Patris Auguſtini, & Beati Hieronymi. Nàm Hieronymus ad Auguſtinum ſcribens eum Sanctum, ac beatiſſimum Papam ſemper appellat in hanc verborum formam: *Domino, verè Sancto, & Beatiſſimo Papæ Auguſtino Hieronymus in Chriſto ſalutem*, vel *in Domino ſalutem*. Auguſtinus item S. Ambroſium Epiſcopum appellat Papam, dùm ad Paulinum ſcribit dicens: *Libros Beatiſſimi Papæ Ambroſii credo habere Sanctitatem tuam*. Ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem ſcribit hunc in modum. *Domino beatiſſimo, & debitâ obſervantiâ venerabili, ſinceriterque clariſſimo fratri, & conſacerdoti Papæ Aurelio Auguſtinus in Domino ſalutem*. Hunc etiam beatiſſimum ac verè Sanctum Papam nominare ſolet. Ità etiam alios Epiſcopos, quos etiam Coepiſcopos frequentèr appellat. Cyprianus item Epiſcopus Carthaginenſis, & Martyr vocitatus eſt Papa à Clero Romano ad Clerum Carthaginenſem ſcribente de ſeceſſu ejuſdem ab Epiſcopatu in ipsâ perſecutione hunc in modum: *Didicimus feceſſiſſe Benedictum Papam Cyprianum &c.* Confeſſorum etiam univerſorum ad Cyprianum de pace lapſis data extat Epiſtola, in qua hæc legitur inſcriptio, ſivè ſalutatio: *Univerſi Confeſſores Cypriano Papæ ſalutem*. Martinus etiam Epiſcopus Bracarenſis Papa, & frequentèr quidem in decreto vocatur, ut patet ex inſcriptione, quæ non rarò legitur hiſce verbis: *Ex Synodo, vel Concilio Martini Papæ*. Hic enim librum aliquem ex variis Conciliis collegit, cum nullum Summum Pontificem conſtet nuncupatum fuiſſe Martinum, qui Concilium celebraverit. Dioſcorus item Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha vocitatus eſt Papa, ut videre eſt in V. Synodo Actione primâ, quam in Decreto recitat Gratianus in hæc verba: *Romanorum etiam Eccleſia antè annos paucos Dioſcorum, qui fuit Papa ejuſdem Eccleſiæ, & poſt mortem anathematizavit cum nec in fide peccaſſet*. Hæc Gratianus; Romanorum autem Eccleſia eo in loco pro Conſtantinopolitanâ ſumitur: Conſtantinopolis enim nova Roma appellari cæpit poſt Imperium à Conſtantino Magno Conſtantinopolim translatum. Hinc in eadem actione dictæ Synodi hæc leguntur verba. *Vigilius religioſiſſimus Papa antiquioris Romæ*. Id quod ad differentiam novæ Romæ dictum

Ex epiſt. Aug. tom. 2. cap. 13. 17. 18. 25.

Epiſt. 34. circà fin.

Epiſt. 77.

Cyp. epiſt. 3. tom. 1.

Epiſt. 17.

Decr. part. 1. diſt. 24. cap. 31 32. diſt. 44. c. 12 d. 92. cap. 3. & cauſa 1. q. 1. c. 67. & 8. q. 1. cap. 4.

Syn. 5. Decr. p. 2. 24. q. 2. c. 6

Ephes. Synod. cap. 1. est: Ephesina item Synodus Cyrillum Episcopum Alexandrinum Papam nominavit. Idem in aliis Conciliis Græcis, eorumque Interpretibus observatum fuit. Summus verò Pontifex Urbis, vel antiquioris Romę Papa dicebatur. Et quamvis unusquisque Episcopus Pontifex, vel summus Sacerdos, sivè Papa dici olim poterat, nunc tamen hæc nomina nonnisi Romano Pontifici tribui possunt: alii enim Patriarchæ scilicet, Archiepiscopi, & Episcopi, non in plenitudinem potestatis, sed in partem sollicitudinis sunt vocati. Quarè in Concilio Carthaginensi III. decretum fuit, ut nonnisi Romanus Episcopus summus Sacerdos, vel summus Pontifex, vel Papa vocitari possit, quasi omnium credentium Pater. Patriarchæ cæteri præter Romanum Pontificem, Primæ Sedis, idest Patriarchalis, ut ait Glossa, Episcopus, non item. Id quod non solùm apud Ethnicos Firmiano Teste, verùm etiam apud Hebræos observatum fuisse constat. Erant enim apud Gentiles maximi, & minores Pontifices, ut infrà dicetur: Et apud Hebræos minores Sacerdotes, & unus Sacerdos summus; quin ipse Christus in novo Testamento majores, & minores Sacerdotes instituit, duodecim scilicet Apostolos, & 72. Discipulos. Quam rem Innocentius III. optimè explicuit, & hujus generis doctrinâ Anastasius Germonius, vir sanè eruditissimus in suis animadversionibus concinnè usus est. Romanus Pontifex igitur, ut huic quæsito finem imponam, non immeritò, & solus quidèm tempus in præsens Papa nuncupatur.

Cap. ad honorem de usu Pallii. Carthag. 3. c. 26. & dist. 99. c. 3.

Lact. l. 5. c. 20.

Innoc. III. de Myst. Missæ lib. 1. c. 6.

De Papæ Muneribus per duplicem Potestatem explicatis.

DUÆ in summo Pontificatu Potestates sese mihi offerunt considerandæ, ac distinguendæ, quibus Papæ officia distinctè noscuntur, & declarantur. Alia est enim in Papâ Potestas Ordinis, alia verò Jurisdictionis. Potestas Ordinis, qui est signaculum Ecclesiæ quoddam, per quod spiritualis potestas traditur ordinato, respicit Corpus Christi verum: quia ipsum Christi Corpus conficere potest, quantum ad Sacerdotalem potestatem: vel Christifideles potest ordinare, ut verum Christi corpus conficere valeant, quantum ad Episcopalem potestatem. Potestas autem Jurisdictionis respicit Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, cujus caput est ipse Christus, ut S. Paulus testatur dicens: *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in Carne mea pro Corpore ejus, quod est Ecclesia*, quæ Corpus Christi mysticum appellatur, quia mysticè, vel mysteriosè Ecclesiæ Corpus significat, cujus Sponsus est Christus per matrimonium illud, *Sacramentum magnum*, quod Teste Apostolo Christi, & Ecclesiæ conjunctionem repræsentat. Hinc Executio potestatis hujusce in ipsos Christifideles eos ligando, vel eos solvendo convenit alicui per Jurisdictionis potestatem. Potestas item Ordinis, quantùm ad Corpus Christi verum, sicuti non est major in uno Sacerdote, quam in alio, quatenùs respicit impressionem characteris, qui est potestas ad aliquid spirituale; ità & omnes Episcopi sunt æquales in Episcopatu, quatenùs hæc eadem ordinis potestas respicit perfectionem characteris. Potestas verò Jurisdictionis, sicut major esse potest in uno Sacerdote, quam in alio, ità unus Episcopus per Jurisdictionis potestatem major alio esse valet. Quarè qui in ordine Episcoporum est supremus, indefinitam habet Jurisdictionem, quam aliis omnibus definitè, ac determinatè præfigit. Potestas intereà ordinis est immobilis; Jurisdictionis autem mobilis. Ea immobilitèr post animæ separationem à corpore remanet, non quantum ad impressionem characteris, qui est usus characteris Sacerdotalis, & in vero Christi Corpore præsertim conficiendo consistit; nec quantum ad perfectionem characteris, qui est usus perfectionis characteris Episcopalis in Sacerdotibus ordinandis; Sed quantum ad usum, qui est decor, & gloria, quantùm ad salvatos; vel qui est vituperium, & confusio quantum ad damnatos: Potestas enim ordinis sine injuriâ Sacramenti auferri haudquaquam posset ab ipso ordinato, cujus animæ à corpore separatæ tàm characteris impressio, quam perfectio indelebilitèr inest. Hinc Sacerdos ut ait S. Thomas, si degradetur, vel Episcopus deponatur, ille celebrando conficeret Sacramentum; Hic si Sacerdotes ordinaret, reordinandi non essent. Potestas Jurisdictionis mobilis, & transitoria est, quia hæc ab homine auferri potest ex sui arbitrii libertate, cum quisque suo Juri renunciare queat: Hinc Papa, ut Papa est, Papatui renunciare potest, etiamsi non renunciare juravisset, cùm adest causa rationabilis, ut ajunt Canonistæ, ac Teologi, sicut fecit Cyriacus Papa, & alii ut ait Archidiaconus Flor. Idem refert Alvarus de Planctu Ecclesiæ, asserens renunciationem Cœlestini, qui fuit Petrus de Morron, in quo erat Sanctitas, sed non scientia, & industria, ut ipse ait. In eadem sententia est *Augustinus Triumphus*.

Eph. 1. & Col. 1.

S. Thom. 3. p. q. 82. art. 7. 8.

Papa Papatui renunciare potest.

Archid. 3. p. tit. 23. Eccl. renunc. lib. 6. c. 1 Armil. tit. Papa num. 8. Alvarus lib. 2 cap. 10.

De renunciatione Papæ, & fusissimè quidèm, validisque fundamentis docet etiam Ægidius Romanus Columna Doctor ex Instituto Ordinis Eremit. Sancti Augustini fundamentarius. Ut autem pro hac re dilucidanda multa silentio prætermittam, quæ Codicem non parvum conficerent, unam tantùm rationem pro renunciatione comprobandâ in medium afferam, quâ Papam Papatui renunciare posse constat. Si enim aliquid huic rei impedimento esset, id in primis characteris foret impressio. Quod esse non potest, cum character, nec quantùm ad impressionem, nec quantùm ad perfectionem in Papatu imprimatur. Hinc propter illam, sicut Sacerdos impressione characteris Sacerdotalis receptâ, Sacerdotio, quod in Christi Corpore conficiendo consistit, renunciare non potest; ità etiam Episcopus facere nullo

Ægidius Rom. de renunc. Papæ.

modo

modo poteſt, ut Epiſcopus non ſit, perfectione characteris receptâ, per quam fideles ordinare poteſt, ut Corpus Chriſti verum conficere queant. Nàm quæ ad poteſtatem, vel perfectionem ordinis pertinent, auferri, aut relinqui nullo modo poſſunt: Sed quæ ad Juriſdictionem attinent, amoveri valent.

Papa non Sacerdos poteſt eſſe Papa. Hinc aliquis in Papam eligi poteſt, & erit verus Papa quantum ad Juriſdictionem, non autèm quantùm ad ordinis poteſtatem etiamſi Epiſcopus non ſit, neque Sacerdos, ut omnes Theologi, & Canoniſtæ affirmant: aliquis autem fieri Epiſcopus non poteſt, niſi Sacerdos exiſtat: quia in Epiſcopatu alius character ab Ordine Presbyterii diſtinctus, non imprimitur, ut in Decr. adnotatum eſt: quia ſi in Epiſcopatu imprimeretur à ſeptem ordinibus diſtinctus, aliquis fieri poſſet Epiſcopus per ſaltum, hoc eſt Epiſcopus non factus Sacerdos, ſicut aliquis non factus Diaconus, Presbyter per ſaltum fieri poteſt, quia in omni ordine diſtinctus imprimitur character. Epiſcopatus enim per ſe non eſt ordo, ut ait Magiſter Sententiarum, ſed eſt dignitas, & officium, quamvis juxtà Canoniſtarum Doctrinam ſit ordo, quatenùs characteris imprimit perfectionem, ut infrà loco ſuo fuſiùs dicetur. Nec valet, quod in oppoſitum afferri poteſt, Papatum ſcilicet à ſolo Deo eſſe, & quæ à Deo ſunt, à nullo removeri poſſe: cum ratio hæc falſitatem in materiâ, & fallaciam in formâ, ut Logici ajunt, admittat. Ad hanc rem explicandam duo exempla dari poſſunt: quorum unum eſt in naturalibus de anima rationis compote, quæ eſt à Deo ſolo, eſt tamen in corpore, vt naturales docent, per operationem naturæ, ut per operationem virtutis, quæ eſt in ſemine formantis membra, & depurantis humidum radicale: Et hunc in modum corpus diſponitur ad Animæ ſuſceptionem. Humidum deindè, ſi fiat impurum ſeparationem Animæ à Corpore, hoc eſt, mortem diſponit. Quia calor naturalis humidum Radicale depaſcit, carnemque noſtram conſumit. Idem probari poteſt in gratuitis exemplo gratiæ divinæ, quæ quamvis à ſolo Deo animæ noſtræ infundatur per cooperationem voluntatis noſtræ, quæ ſe à Deo avertit per culpam, & peccatum, quæ non ſunt à Deo, juxtà illud Joannis, *ſine ipſo factum eſt nihil*, ideſt *peccatum*, ut Auguſtinus, & Origenes exponunt: abſque Deo ab Animâ noſtrâ removetur. Hunc in modum de Papatu dicendum eſt: qui quamvis à ſolo Deo ſit, quantum ad poteſtatem ligandi, ac ſolvendi, cum nemo eam poſſit dare poteſtatem, quod ſcilicet ligatus in Terris, ſit ligatus in Cœlis, & è converſo, niſi ſolus Deus; Eſt tamen in hac perſonâ, vel in illâ per cooperationem, vel electionem humanam: Et quia ad hujus generis poteſtatem habendam opus intercedit humanum, hinc opere humano deſinere poteſt. etſi à Deo confirmatum vel acceptum, factâ in aliquem legitimâ electione: Et ſicut eſt in ejus poteſtate aſſenſus in illam electionem, ità in ejuſdem facultate eſt, ut illud opus, vel onus deponat, vel per divinam operationem, vel ſaltem permiſſionem: quia ſi utilis eſſet ad regendum propter noſtra peccata Papatui renunciaret ex divina permiſſione: Si autem è contrario ſe haberet, ex divino Inſtinctu, ſeù divina operatione renunciaret. Poteſtas igitur Juriſdictionis mobilis eſt, & hæc ſinè poteſtate Ordinis, ſicut poteſtas Ordinis, ſine ea conferri poteſt, ut patet de Religioſis ordinatis in Sacerdotes, quibus datur Ordinis poteſtas abſque Juriſdictionis poteſtate: his enim de Jure communi cura animarum non datur.

Dist. 51. cap. Sollicitudo.

Ordines per Saltum ſuſcepti.

Dist. 24. lib. 4.

Ægid. de renunc. Papæ p. 1. cap. 6. Triumphus q. 4. art. 3. in arg. 1. & 2. in contr. & per tot. art.

Joan. 1.

Animarum cura Religioſis de Jure cõmuni non datur.

Ex his conſtat Papatum Juriſdictionis nomen eſſe, non ordinis: quia Papatus eſt mobilis non habens Poteſtatem ſuprà Corpus Chriſti verum, nam carere poteſt poteſtate Ordinis, plenitudine poteſtatis ad Papam pertinente inſignitus: nemo tamèn hac in re, quantùm ſcilicet ad Juriſdictionem eſt ei adſimilis, aut æqualis.

Quod Papatus ſit non ordinis, ſed Juriſdictionis nomen, id luce clarius patet ex iis præſertim muneribus, quæ à laico legitimè tamen, hoc eſt à duobus Cardinalium partibus in Papam electo, ſed non dùm ordine Sacerdotali, nec Epiſcopali dignitate inſignito exerceri ſolent. Ea verò munera inter alia ad Papam, quatenùs Papam, hoc eſt nondum Epiſcopum, nec Sacerdotem effectum pertinent, ſunt quæ ſequuntur.

Indulgentias elargiri.
Cenſuras ferre.
Diſpenſare.
Canonizare.
Condere legem, ac deſtruere.
Coronare Reges, & Imperatores, eoſque Regno, & Imperio privare.
Creare Epiſcopos, & Cardinales, omnemque dignitatem Eccleſiaſticam, tàmque Sæculare, quàm Regulare beneficium elargiri, congregareque tandèm Concilia, ipſaque peracta confirmare.

De Indulgentiis.

QUod autèm cuncta hæc, quæ recenſuimus, munera, ad juriſdictionem pertineant, id rationi conſentaneum eſſe, poſſumus demonſtrare ab ipſis indulgentiis elargiendis initium ſumentes hunc in modum.

Indulgentia ſit ex Eccleſiæ Catholicæ Theſauro, qui ex meritorum, & paſſionum Chriſti, & Sanctorum ſuperabundantia conflatus conſtat. Nam non ſolùm infinita Chriſti merita, ſed nec item magna ſanctorum merita fuerunt remunerata. Chriſtus namque pro ſuis membris, pro quibus paſſus eſt, ſuperabundantèr ſatisfecit. Sancti verò plus ſatisfecerunt, quam demeruerint; Imò ipſorum merita, quatenùs ſatisfactoria ſunt pro pœna temporali peccatis actualibus debita, remunerari non poſſunt in ipſo Sancto, qui pœnæ Debitor nullius eſt: Quamvis enim Sanctorum merita, quantùm ad præmium

Armil. dict. Indul. n. 5.

tàm essentiale quàm accidentale remunerata esse jure dicantur; Tamèn quantùm ad pœnæ solutionem irremunerata quodam modo esse dicuntur; quia prima remuneratio vim satisfactivam auferre, vel minuere non potest, ut Bartholomæus Fumus in summâ, & alii affirmant. Hùc spectat illud Job de Christo in Cruce pendente, atque de Sanctis Martyribus insinuatum: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera; quasi arena Maris hæc gravior appareret.* Hæc Job. Sanctos enim pro aliis passos fuisse Sanctus Paulus in hanc testatur verborum formam. *Adimpleo ea, quæ desunt, passionum Christi in Carne mea pro Corpore ejus, quod est Ecclesia*: Omnes nàmque fideles, qui sunt Christi membra, de Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, & esse dicuntur, & reipsâ sunt. Indulgentia itaque ex Ecclesiæ Catholicæ Thesauro, infinitis, & Christi, & Sanctorum meritis refertissimo emanans, est non culpæ, sed pœnæ temporalis pro actuali peccato debita remissio, aut solutio, quæ sine Sacramentis dari potest, quià, ut Doctori placet Angelico, non est Sacramentalis, nec ad clavem ordinis, sed ad clavem Jurisdictionis pertinet: Hinc ut idem Doctor ait, Indulgentia à non Sacerdote Jurisdictionem tamen, vel commissam habente, quatenus legato; vel ordinariam, tamquam in Episcopum, vel in Papam electo, ordine Sacerdotali, vel Episcopali dignitate insignito dari potest.

Armil. dict. Indul. n. 8.

Coloss. 1.

Indulgentia quid sit?

S. Thom. Quol. 2. art. 16 ad 2. & l. 4. sent. dist. 20. art. 4. ad 2.

De Censuris Ferendis.

CEnsuræ Ecclesiasticæ, quæ suspensionis, Interdicti, Excommunicationisque nomine intelliguntur, quæque ad homines peccatores sanandos, & contumaces reprimendos tamquam medicinæ inventæ sunt, ad clavem item Jurisdictionis pertinent. Hinc, ut Doctor Angelicus ait, non Sacerdotes, dummodò jurisdictionem habeant, excommunicare possunt: Immò Secundùm Archidiaconum cuilibet laico, & mulieri demandari potest à Papa, ut excommunicent, cùm excommunicatio sit de Jure positivo ad meram pertinens Jurisdictionem. Idem sentiunt Abbas, Panor., Hugo, & Paludanus, quia hæc potestas, ut Doctori Angelico placet, est ex simplici hominis jurisdictione: ideò, cui vult Papa ipsam facultatem excommunicandi, & absolvendi demandare potest.

S. Thom. 4. sent. d. 18. q. 2. art. 2. ad 2. Archidiacon. flor. 3. p.

Pan. c. decernimus de Iud. Paludan. 4. d. 18. q. 2. art. 3.

De Dispensatione.

DIspensatio, quæ juxtà Canonistarum Doctrinam est Juris relaxatio, & vulnus nuncupatur, quia Jus commune quodam modo per eam vulneratur; ad multa se extendit, quorum dispensatio non ordinem, sed solam jurisdictionis potestatem requirit, ac jure postulat, veluti sunt præsertim ea, quæ ad Jus humanum, & positivum pertinent. In his enim Ecclesia Sancta plenitudinem potestatis habet, ut ait S. Thomas.

S. Thom. quol. 4. art. 13.

Hìc terminat hoccè Opusculum in Autographo, quod licèt mutilum, & imperfectum, Typis dare voluimus, ut omnia Authoris scripta, quæ extant, publicæ inserviant utilitati.

DE

DE TIARÆ PONTIFICIÆ,

Quam Regnum Mundi vulgò appellant,

Origine, Significatu, & Usu.

DE Tiarâ, sive Coronâ Beato Sylvestro à Constantino datâ fit expressa mentio in primâ Decreti parte, dist. 96. cap. 13. & 14. Constantinus. Integrum privilegium, seu Decretum ferè integrum recitat Leo IX. lib. adversùs inauditas Michaelis præsumptiones, ac Theodorus Balsamon in Photii nomocanonem tit. 9. cap. 1.; Partem quoque Decreti refert Adrianus in Epist. ad Constantinum Magnum Imperatorem. Hanc eandem donationem antè Gratianum recitarunt Anselmus, & Deusdedit. De hac item re scribunt Ado Viennensis, Gotfredus Viterbiensis in Chronicis, necnon Petrus Damianus, ac Genebrardus, & postremò Augustinus Eugubinus lib. 1, contrà Laurentii Vallæ temeritatem, & alii non pauci. Extat etiam hæc donatio vetustissimis characteribus conscripta in Bibliothecâ Vaticanâ. Non desunt autem, qui hujus Coronæ, aut Tiaræ Pontificiæ originem Clodoveo acceptam referant: Nam Sigebertus ad annos Dom. DL., & Aimoinus, sive Annonius Monachus in historiâ Francorum lib. 1. cap. 28., necnon Stephanus Durantus de ritibus lib. 2. cap. 9. num. 36., scriptum reliquerunt Anastasium Imperatorem Clodoveo Francorum Regi coronam auream cum gemmis dono misisse, eamque deindè Clodoveum S. Petro sponte obtulisse. Legi tamen apud Anastasium Bibliothecarium, & alios, qui Annales Romanorum Pontificum scriptis mandarunt, multos ex antiquioribus Pontificibus antè Clodoveum fuisse coronatos, Papalique Coronâ, sive Tiarâ, quam Regnum Mundi vulgò appellant, insignitos.

De Tiara, quam Coronam, vel Diadema, & Regnum Mundi vulgò appellant, non semper, nec ubique à Romano Pontifice gestari consueta, deque ejus significatu.

INnocentius hujus nominis III. serm. 3. in Consecratione Pontificis Maximi, de Tiaræ, quam Coronam vocant, significatu, post multa in hanc loquitur verborum formam. *In signum Spiritualium contulit mihi Mitram, in signum temporalium dedit mihi Coronam: Mitram quoque pro Sacerdotio, Coronam pro Regno, illius me constituens Vicarium, qui habet in vestimento, & in fœmore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium:* Apoc. 19. *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech,* Psal. 19.

Hæc Innocentius, qui propterea in sermone primo de sancto Sylvestro Romanum Pontificem, Sacerdotem, ac Regem appellat, dum à Constantino Tiaram, sive Coronam ex auro, & margaritis S. Sylvestro datam fuisse ait. Hanc tamen Coronam, vel Tiaram, pro Clericalis Coronæ, seu Tonsuræ veneratione, vel magis humilitatis causa gestare noluit, ut Innocentius inibi refert. Serm. 13.

De Tiaræ tandem usu, & significatu, idem Innocentius eodem in sermone primo loquitur hisce verbis: *Romanus itaque Pontifex in signum imperii utitur Regno; & in signum Pontificii utitur Mitrâ; sed Mitrâ semper utitur & ubique; Regnô autem, nec ubique, nec semper; quia Pontificalis auctoritas & prior est, & dignior, & diffusior, quàm Imperialis. Sacerdotium enim in Populo Dei Regnum præcessit; Cùm Aaron primus Pontifex Saulem primum Regem præcesserit; Noe quoque Nemroth.* Hæc Innocentius. Exod. 28. Gen. 8.

Auctor libri Cœremoniarum de usu Tiaræ hunc ait in modum: *Hac Tiarâ utitur Pontifex in magnis solemnitatibus eundo ad Ecclesiam, & redeundo; sed nunquam illâ utitur in divinis.* Hæc in lib. Cœrem. Guillelmus tamen Durandus, recitatis Innocentii Papæ verbis, nupèr enarratis, hæc pauca addens ait: *Regno quidem non utitur, nisi certis diebus, & locis, nunquàm intrà Ecclesiam, sed extrà.* Hùcusque Durandus. Ego verò, cur Summo Pontifici Tiaram, sive Regnum intrà Ecclesiam gestare non liceat, non satis video, etiamsi hujus generis ornamentum imperialem, ac temporalem potestatem præseferat; nisi Durandum non de Regno intrà Ecclesiam gestando, sed de ejus usu in rebus sacris loquutum fuisse dicamus: quamvis enim in eundo, ac redeundo, Regnum intrà Eccle- Lib. 3. sect. 59. cap. 9. Lib. 3. cap. 13. n. 8.

siam

ſiam geſtetur; uſus tamen in divinis officijs celebrandis, aut in ſacris faciendis admitti nunquàm ſolet, ſed tantùm Mitra, ad Sacerdotalem aut Pontificiam pertinens poteſtatem. Adde etiam, quod Regnum tribus conſtat coronis, tres, ut ajunt poteſtates, hoc eſt Imperialem, Regiam, & Sacerdotalem, ſeù Pontificiam Auctoritatem repræſentantibus. Ad quam rem (ut fama eſt) expreſſiùs indicandam, Bonifacius VIII. tribus coronis Regnum decorandum curavit: antè nâmque Bonifacium, Tiaram unâ tantùm coronâ iſtuc ipſum implicitè comprehendente, eoùſque inſignitam fuiſſe inveni, ut videre eſt in antiquiſſimis muſivis, & in omnium Pontificum Romanorum Iconibus, quæ ex muſivis deſumptæ, typis nunc æneis inciſæ paſſim cernuntur. Nihil eſt igitur, quod in quibuſdam ſolemnitatibus intrà Eccleſiam geſtandi Tiaram, ſivè Regnum Mundi conſuetudini ritui adverſari videatur.

Quamvis autem, ut legitur in Codice manuſcripto, & quidem pervetuſto, qui in Bibliothecâ Vaticanâ aſſervatur, Tiara intrà Eccleſiam antiquitùs geſtari non conſueverit; nunc tamen ob tres coronas in ipsâ Tiarâ expreſſas, quarum prima poteſtatem Sacerdotalem, vel Pontificiam repræſentat, intrà Eccleſiam, uſu ejuſdem in divinis officiis excepto, in eundo, ac redeundo geſtari poſſe videtur. Antiquitùs enim intrà Eccleſiam in eundo, ac redeundo non geſtabatur, quia ſola imperialis Corona, poteſtatem imperialem repræſentans, in Tiarâ, ſive in Regno extabat. Adde etiam, quod ſi Tiara in eundo, ac redeundo intrà Eccleſiam geſtari non debet; nec item ſuper altare, in quo Sacra fiunt; ſed in Sacrario ob eandem rationem aſſervanda foret.

Hæc de Origine, & Uſu Tiaræ mihi dicenda videbantur, quæ ſanè omnia meliori judicio ſubjecta eſſe volo & declaro.

DE

DE SACRA SUMMI PONTIFICIS COMMUNIONE SACROSANCTAM MISSAM *Solemniter Celebrantis* COMMENTARIUS.

PRÆFATIO.

SICUT in Scripturâ ſacrâ à Spiritu ſancto dictatâ, nulla vox, nulla litera, nulluſque denique apex ſine miris, ac reconditis ſenſibus extàre cenſentur, quinimmò (teſte Beato Hieronymo) ſinguli Sermones, ſyllabæ, apices, puncta in divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus, & quæ minima putantur in ſacris Literis, ea item ſunt Sacramentis ſpiritualibus plena, & omnia in Evangelio (inquit) recapitulantur; Ita in Eccleſiâ ſanctâ Dei, quam Chriſtus Dominus (ut ait S. Paulus) acquiſivit ſanguine ſuo, nullus Ritus, nulla conſuetudo, nullaque tandem cæremonia eſt à ſanctis Patribus, Spiritu ſancto afflatis, ad debitum Deo cultum perſolvendum introducta, quæ ſacris myſteriis careat. Id quod de auguſtiſſimo Altaris Sacrificio, præſertim verò dum à Summo Pontifice, Chriſti in Terris Vicario, & B. Petri ſucceſſore, Miſſa ſolemnitèr celebratur, multò magis affirmare neceſſe eſt. Quàmvis autem multa ſint, quę in hac ſolemnis Miſſę celebratione ſeſe nobis offerant conſideranda, & examinanda, quippe quę arcanis ſenſibus, ſive occultis ſacrorum rationibus, profundiſque Sacramentis refertiſſima ſunt; Pauca tamen illa, quæ ſuperiùs propoſuimus, ad communicandi Ritum, à ſolo Summo Pontifice obſervatum, pertinentia, ante omnia inveſtigatu, ac ſcitu digna exiſtimantur. Verùm quia de ſacroſanctæ Communionis Ritu verba facturi ſumus, initium ab ipsâ Communionis voce interpretanda ſumemus: quæ ſanè vox tamètſi non ſolùm Summo Pontifici, ſed omnibus itèm Chriſtifidelibus communicantibus convenit; operæ tamen pretium, hoc eſt, non inutile, ſed fructuoſum; non abſonum, ſed ad rem pertinens, rem ſcilicèt non ſuperfluam, ſed operâ, & labore dignam facturi opinamur, ſi antè Communionis Pontificiæ Ritum declarandum, Communionis vocem, in omnium ore verſantem, ſed à multis fortaſsè non intellectam interpretemur. Quæ autem in noſtro Commentario examinanda, explicandaque ſunt, ordine præmonſtrato diſponentur; Univerſo tamen Summi Pontificis, Euchariſtiam ſacroſanctam ſumentis, Ritu priùs enarrato.

S. Hieron. in c. 5. Matth. Et in epiſt. ad Epheſ. cap. 3. tom. 6. & alibi.

Act. Apoſtol. cap. 20.

Auctoris intentio explicatur.

ENAR-

ENARRATIO
DE UNIVERSO
SUMMI PONTIFICIS RITU
SACROSANCTAM EUCHARISTIAM
In Missâ solemniter sumentis.

UMMUS Romanus Pontifex (ut universum ejusdem Pontificis Sacrosanctam Eucharistiam in Missâ solemniter sumentis Ritum brevitèr enarrem) ad Altare consecrat, & ad Solium, quod est è regione Altaris, Eucharistiæ percipit Sacramentum: nam consecratione jam peractâ, cæterisque ad Missæ sacrificium pertinentibus completis, fractione tandèm Hostiæ factâ, pacêque Episcopo Cardinali assistenti, nècnon duobus Cardinalibus Diaconis assistentibus datâ, Summus Pontifex associatus ab iisdem Cardinalibus, quibus pacem dedit; nècnon ab aliis Assistentibus non Cardinalibus, sed Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, detecto capite, ad Solium ascendit, ibìque consistit, & stans erectus, complicatis manibus, Eucharistiæ Sacramentum expectat. Interim Cardinalis Diaconus, cæremoniis expletis, Hostiam ad sinistrum Solii latus deferendam, in Patenâ positam, & stellâ quâdam aureâ comprehensam, nè ipsa à vento circumferatur, Subdiacono dat Apostolico. Diaconus deindè Cardinalis, cæremoniis itèm expletis, Sanguinem in Calice asservatum, & linteolo aureo coopertum ad dextrum Solii latus defert; quià dum Eucharistia sub utrâque specie olim etiam à Laicis sumebatur; Sanguinem Diaconus dispensabat. His peractis, Romanus Pontifex ad sinistrum Solii latus sese convertens, & incurvus (Subdiacono patenam tenente) integram Hostiæ medietatem magnâ quidem (uti decet) veneratione sumit: Alteram verò medietatem in duas divisam partes, pro Diacono, & Subdiacono super Patenam relinquit. Deindè Summus Pontifex ad dextrum Solij latus sese convertens, & incurvus magnâ item veneratione Sanguinis partem cum calamo aureo (Diacono Calicem tenente) sugit: residuum verò Sanguinis cum Hostiæ particulâ, in Calicem jam demissa, à Diacono, & Subdiacono sumendum, in Calice ipso relinquit. Ubi autem primùm Romanus Pontifex sacrosanctam Eucharistiam sumpsit, Diaconus Cardinalis, Calicem dextrâ, & Calamum è Calice non extractum, sinistrâ tenens, stansque inclinato capite, Summique Pontificis manum dextram jam exosculatus, è manibus ipsius Pontificis partem Hostiæ subdivisam sumit; deindè Pontificis faciem exosculatus, cum Calice, & Calamo, & residuo Sanguinis redit ad Altare; ibique stans ad sinistrum latus, partem Sanguinis cum Calamo sugit. Interim verò Subdiaconus Apostolicus, flexo genu coram Summo Pontifice, ejus dextram exosculatus, è manibus Pontificis residuum Hostiæ sumit, deindè ab eo pacis osculum recipit, quamvis antiquitùs, ut Innocentius refert, osculum ab eo non reciperet: Subdiaconus nàmque in Sanguinis perceptione osculum à Diacono antiquitùs assumebat, quià hujus generis Character, sive Subdiaconatus

(ut

Cærem. Roman. lib. 2. cap. 14.

Hostia Sacrosancta ad Soliũ defertur.

Sanguis pretiosissimus ad Solium defertur.

Ritus perantiquus.

Summi Pontificis Ritus in Eucharistia sumenda.

Sanguis cum Calamo sumitur.

Diaconi Cardinalis, & Subdiac. Apostolici perceptio Eucharistiæ.

Sanguis à Diacono Cardin. cum Calamo sumitur.

Innocent. III. lib. 6. Myster. Missæ cap. 9.

(ut Innocentius teſtatur) inter Ordines ſacros olim non recenſebatur. Subdiaconus itaque poſt pacis oſculum ſuſceptum revertitur ad Altare, & ipſe item ibi cum Calamo Sanguinis reſiduum ſugit, excuſsâ priùs Patenâ ſuper Calicem, ne aliqua Hoſtiæ particula in eâ remaneat; particulam verò in Calicem jam in ipsâ fractione Hoſtiæ demiſſam, ad Calicis labia cum Calamo ante ſumptionem Sanguinis retrahit, eamque ſumit. Ambo deniquè, Diaconus ſcilicèt, & Subdiaconus, demiſſo in Calicem vino, ſeſe purificant, & Calicem: Summus Pontifex, digitis jam & ore inter hæc facienda, purificatis, Mitrâ inſignitus, & ſedens, lavat manus; deindè ab Aſſiſtentibus iiſdem, quos nuper nominavimus, aſſociatus redit ad Altare, ut ſacræ Miſſæ reliquum perficiat. Quæ ſanè omnia in Cæremoniali Romano videre licet. Hæc pro iis, qui ſolemni Summi Pontificis Communioni numquàm interfuerunt; vel ſi interfuerint, Ritum hunc percipere non ſatis potuerunt, mihi dicenda viſa ſunt. Nunc reliquum eſt, ut Quæſitum primo loco propoſitum diſſolvamus.

Sanguis à Subdiacono Apoſtolico ſumitur cum Calamo.

Lib. 2. c. 14.

QUÆSITA
IN COMMENTARIO
EXPLICANDA.

QUÆSITUM PRIMUM. Cur

SAcroſanctæ Euchariſtiæ; Corporis videlicet, ac Sanguinis Chriſti Domini perceptio, Communio nuncupetur. pag. 15

QUÆSITUM II. Cur

Summus Pontifex, quando ſolemnitèr celebrat, ad Altare conſecret, & ad Solium communicet. pag. 17

QUÆSITUM III. Cur

In ſolemni Communione Summus Pontifex è ſiniſtro Solii latere ſacratiſſimæ Hoſtiæ allatæ ſibi partem; pretioſiſſimi verò Sanguinis partem è latere dextro ſibi porrecti aſſumat. pag. 23

QUÆSITUM IV. Cur

Sacroſanctæ Euchariſtiæ medietas, hoc eſt, Chriſti Corporis, & Sanguinis pars à Summo Pontifice; altera verò eorumdem pars, inter Diaconum Cardinalem, & Subdiaconum Apoſtolicum diſpertita, in ſolemni Communione ab iiſdem ſumantur. pag. 24

QUÆSITUM V. Cur

Summus deniquè Pontifex Calamum in ſumendo Chriſti Sanguine adhibere ſoleat; Nècnon Miniſtri, Cardinalis videlicèt Diaconus, & Subdiaconus Apoſtolicus inter ſolemnitèr communicandum Calamô eodem utantur. pag. 25

AUCTO-

AUCTORES

IN COMMENTARIO CITATI

Ordine alphabetico digesti.

A

Albertus Magnus.
Alcuinus Albinus Flaccus.
Alexander Alensis.
Alexander Papa, hujus nominis Primus.
Alphonsus de Castro.
Alphonsus Salmeronus.
Amalarius Fortunatus.
S. Ambrosius Doctor Ecclesiæ.
Anastasius Bibliothecarius.
S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis.
Antonius Persius.
Aponius Theologus.
Archangelus Rubeus.
Aristoteles.
Athenæus Naucratites Grammaticus.
Auctor Operis imperfecti.
S. Augustinus Doctor Ecclesiæ.

B

Bartholomæus Anglicus.
S. Basilius Doctor.
S. Beda Venerabilis.
S. Bernardus.
Bibliotheca Veterum Patrum, & Auctorum Ecclesiasticorum.
S. Bonaventura Doctor Ecclesiæ.

C

Camillus Leonardus.
Cassiodorus.
Catechismus Romanus.
Cæsar Cardinalis Baronius.
Celsus Armachanus.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Romanus Papa, & Martyr.
Concilia Generalia.
Cornelius Jansenius.
S. Cyprianus Martyr.
S. Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus.
S. Cyrillus Hierosolymorum Archiepiscopus.

D

S. Damascenus Joannes.
S. Dionysius Arcopagita.
Durandus à S. Portiano.

E

Emanuel Sà.
S. Epiphanius.
S. Eucherius.
Eusebius Emissenus Episcopus.
Euthymius Monachus Zigabonus.

F

Festus Pompejus.
Florus Magister, Ordinis S. Benedicti.
Franciscus Cardinalis Toletus.
Franciscus Vatablus.
Fulvius Ursinus.

G

Gabriel Biel.
Galenus.
S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus.
Gilbertus Genebrardus.
Glossa Ordinaria, & Glossa Moralis.
Gratianus Decretorum Collector.
S. Gregorius Papa, & Doctor Ecclesiæ.
S. Gregorius Nazianzenus Episcopus.
S. Gregorius Nyssenus Episcopus.
Guido Carthusianus.
Guillelmus Durandus.
Guillelmus Lindanus.
Guillelmus Philander.

H

Henricus Raltysen, Archiepiscopus Nidrosiensis.
Hesychius Episcopus Hierosolymitanus.
S. Hieronymus Doctor Ecclesiæ.
Hieronymus Lauretus.
S. Hilarius Episcopus Pictavensis.
Hildebertus Episcopus Cœnomanensis, deinde Turonensis Archiepiscopus.

I

Jacobus Paynas.
S. Joannes Chrysostomus Doctor.
S. Joannes Damascenus.
Innocentius Papa hujus nominis III.
Joannes à Lavonio.
Joannes Molanus.
Josephus Judeus.
S. Irenæus Episcopus Lugdunensis, & Martyr.
S. Isidorus Pelusiota.
S. Isidorus Hispalensis Episcopus.
S. Justinus Martyr.

L

Leonardus Camillus.
Lindanus Guill.
Liturgia S. Jacobi, S. Marci, & S. Basilii.
Lyranus Nicolaus.

Magister

M

Magister Sententiarum Petrus Lombardus.
S. Martialis Episcopus Lemovicensis.
Martinus Martinez.
Martinus Polonus.
Macrobius.
Michael Mercatus.
Micrologus.

N

Nicephorus Callixtus;
Nicolaus Cabasilas.
Nicolaus Lyranus.
Nonius Marcellus.

O

Odo Cameracensis.
Ordo Romanus.
Origenes Adamantius Presbyter.

P

Papias Grammaticus.
Paschasius Ratbertus.
Petrus Ciacconius.
Petrus Lombardus Magister Sententiarum.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.

R

Rabanus Maurus.
Remigius Episcopus Antisiodorensis.
Ricardus Tapperus.
Robertus Cardinalis Bellarminus.

S

Santes Pagninus.
Sedulius Presbyter.
Sigebertus Gemblacensis.
Sophronius Hierosolymorum Patriarcha.
Stephanus Durantus.

T

B. Theodoretus Episcopus Cyrensis;
Theophylactus Archiepiscopus Bulgariæ;
Tertullianus Presbyter.
Testamentum Vetus, & Novum.
S. Thomas Ecclesiæ Doctor Angelicus;
Titus Livius.

V

Varro M. T.
Vatablus Franciscus.
Vigilius Papa.
Virgilius Maro.
Vitruvius Pollio.
Walafridus Strabo.

IN COMMENTARIUM

De solemni SUMMI PONTIFICIS Communione

POMPEJUS UGONIUS.

Mirabar, Summus celebrat cum sacra Sacerdos,
Mystica quo Ritu sumere dona solet.
Desino mirari, postquam te, ROCCHA, *docente,*
Edidici causas, quæ latuere prius.
Quid loquor? Et Ritum miror nunc amplius ipsum,
Miror & ingenii docta reperta tui.

In eumdem Commentarium

D. THOMAS MENTIUS

Canonicus Regularis Congregationis Salvatoris.

Sacra facit Princeps, centum distincta smaragdis,
Cui tegit auratum terna corona caput.
Aspice, dum libat corpus, Christique cruorem,
Quem sanctæ Ritum Relligionis habet.
Scire cupis, cur ad Solium procedat ab Arâ?
Hostia secta sibi quid Calamusque velit?
Ne quære, ut Cælo mysteria differat Ales
Angelici Panis, Angelicique meri.
ANGELUS *in terris monstrat breviore libello,*
Qui tam magna capit, si brevis esse potest.

ABELLA ſupradicta, Iconibus ære inciſis inſignita, Summum Pontificem, Sacroſanctam Euchariſtiam cum Diacono, & Subdiacono ſumpturum, necnon Perſonas illas, quæ ſacræ Communioni aſſiſtere ſolent pro iis rebus, quæ ad talem actionem pertinent, ſubminiſtrandis repræſentat. Ad ſiniſtrum itaque Solii latus cernitur Subdiaconus Apoſtolicus, qui ſacratiſſimam Hoſtiam ſub aureâ ſtellulâ comprehenſam tenet ſuper Patenam; Ad latus verò ejuſdem Solii dextrum extat Cardinalis Diaconus, tenens pretioſiſſimum Chriſti Sanguinem cum Calamo in Calice aſſervatum. Ad eamdem Solii dextram repræſentatur Epiſcopus Cardinalis pluviali indutus, qui dictum Calamum pro ſugendo Chriſti Sanguine, necnon Calicem pro præſtandâ oris ablutione, ſive purificatione à Sacriſtâ cum eodem Calamo, ut infra ejuſdem loci gradum indutus Pluviali ſtare cernitur, geſtatum, ſummo porrigit Pontifici. Ad ſiniſtram quoque Solii partem Cæremoniarum Magiſter ſuperpelliceo indutus cernitur, qui loco, ac tempore quæ facienda ſunt hàc illac tranſeundo, præmonſtrat. Acolythus item ſuperpelliceo indutus, flexis genibus, phialas vel ampullas vini, & aquæ, atque Pateram tenere ad ſiniſtrum latus repræſentatur, qui quamvis prope Sacriſtam eſſe ſoleat, ac debeat propter ampullas, quibus in ſuo præguſtandi officio Sacriſta utitur, dum Summus Pontifex Calamum pro Chriſti Sanguine hauriendo, &, Communione jam peractâ, Calicem pro ſui oris purificatione, necnon Pàteram, vel Cratèram, pro ſuorum digitorum ablutione à Presbytero Cardinale porrectam adhibet; dicto tamen in loco Acolythus ipſe ad expeditiorem Solii proſpectum reddendum repræſentatur. Alii denique duo Cardinales dalmaticâ induti, quorum alter ad Solii dextram, alter verò ad ſiniſtram cernuntur, ſunt Cardinales Diaconi, ſolo Aſſiſtentiæ munere ibi fungentes.

Subdiaconus Apoſtolicus.

Cardinalis Diaconus.

Epiſcopus Cardinalis.

Cæremoniarũ Magiſter.

Acolythus.

Sacriſtæ munus.

Presbyter Cardinalis.

Cardinales Diaconi Aſſiſtentes.

DE SACRA
SUMMI PONTIFICIS COMMUNIONE
SACROSANCTAM MISSAM
Solemniter Celebrantis
COMMENTARIUS.

QUÆSITUM PRIMUM.

Cur Sacroſanctæ Euchariſtiæ Corporis, videlicet, & Sanguinis Chriſti Domini perceptio, Communio nuncupetur.

ANTEAQUAM communicandi Ritum à ſolo Papâ, rem divinam ſolemniter faciente, obſervatum, aggrediamur, à noſtro, ut nuper diximus, inſtituto alienum fore non video, ſi Communionis vocem [quam Græci vocant κοινωνίαν] ad omnem de ipsâ Communionis voce ambiguitatem de medio tollendam, interpretemur; propterea quòd Æquivocum, quod Græci ὁμώνυμον dicunt, prius diſtinguendum, quàm diffiniendum eſſe, non ſolùm Plato, Ariſtoteles, & alii Philoſophi, verum etiam Theologi omnes cenſuerunt, ſicut in hoc primo Quæſito à nobis faciendum eſſe videtur, cum pluribus rebus eadem Communionis appellatio ſit: Nam communia ſuffragia, communes item preces, quæ in ſacrificio Altaris, necnon in divinis officiis, & alibi à quibuſcumque Fidelibus fieri ſolent, Communio Sanctorum nuncupatur, eſtque Fidei articulus, qui in Symbolo Apoſtolorum legitur in hęc verba: CREDO SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM SANCTORUM COMMUNIONEM, hoc eſt, participationem bonorum omnium: quiſque namque Fidelium fit particeps omnium bonorum, quæ fiunt in Eccleſia ſanctâ Dei; Primis namque illis Eccleſiæ temporibus Fideles omnes vocabantur Sancti, quicumque videlicèt Chriſto nomen dediſſent, ejus videlicèt Eccleſiæ adſcripti, etiamſi minus ſanctè, minuſque integrè vixiſſent. Cur autem omnes Chriſtifideles ſancti queant nuncupari, Sanctus Pater Auguſtinus id variis explicat in locis. *Nam quiſquè* (inquit) *Fidelium dicitur Sanctus, quatenus eſt per Baptiſmum ſanctificatus.* Horum itaque Communionem, hoc eſt, Societatem, aut Congregationem quamdam, Eccleſiam eſſe fatemur, aliis item rationibus, Eccleſiam ſanctam eſſe probantibus, prætermiſſis. Extra Communionem hanc, & Societatem, aut Congregationem Sanctorum ſunt non ſolùm Infideles omnes, ſed etiam Hæretici, & Schiſmatici, atque etiam Excommunicati. Per Sanctorum igitur Communionem merita Sanctorum omnium, tam eorum, qui militant adhuc nobiſcum in Terris, quàm eorum, qui poſteaquàm certaverunt bonum certamen, & coronam gloriæ conſecuti ſunt, in Cælis triumphantes, nobis communicantur, nobis ſuffragantur, & nos denique adjuvant. Hinc conjunctio, ſive copulatio, qua Eccleſiæ Catholicæ, ideſt, univerſalis Eccleſiæ membra per fidem cum Chriſto capite copulantur, Communio item appellatur: de qua loquitur Propheta ſanctus in hanc verborum formam: *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Quem locum explicans Ambroſius ait: *Sicut enim membrum particeps eſſe dicimus totius Corporis, ſic conjunctum omnibus timentibus Deum, &c.* Bonorum denique omnium Chriſti capitis communicatio, quæ à cunctis Eccleſiæ membris rectè diſpoſitis per Sacramenta ſuſcipitur, Communio item nuncupatur. Quamvis autem omnium Sacramentorum ſuſceptio, Communio dici queat; ſola tamen Euchariſtiæ perceptio inſigniori quodam modo in Eccleſiâ ſanctâ Dei Communio paſſim vocitatur. Hinc vna ex Cenſuris Eccleſiaſticis, quæ ad homines peccatores ſanandos, tamquam medicinæ inventæ ſunt, vocatur Excommunicatio: quia ſi ſit major, ſeparat hominem ab Eccleſię Communione, ſivè hominem à Cœtu fidelium excludit, quantum ad fructum, hoc eſt, à participatione tam activâ, quàm paſſivâ Sacramentorum, & à ſuffragiis generalibus, ſive à bonorum omnium ſpiritualium participatione.

Æquivocum prius diſtinguēdū, quàm diffiniendū.

Communionis vox, & ſenſus explicatur.

Symb. Apoſtolorum.

De hoc Articulo 9. vide Catechiſ. Roman.

Tom. 3. Eccl. Dogm. Tom. 7. l. 2. contra Pelag. cap. 7. Tom. 8. Pſal. 25.

Pſal. 118. S. Ambr. in hunc locum tom. 2.

Iſid. lib. 2. Ep. 228.

Eucharistiæ perceptio, cur Communio dicatur. Eusèb. Emiss. hom. 5. de Paschate.

Eucharistiæ itaque Sacramenti perceptio Communio jure nuncupatur; *Quoniam illa* (ut rectè ait Eusebius Emissenus) *verè unica & perfecta Hostia, fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu; si dignè sumatur, nobis conjunctionem*, sicut Isidoro Pelusiotæ ad Soranum Comitem scribenti placet; *Cum Deo conciliat, nosque Regni ipsius consortes, ac participes reddit.* Hęc nostra cum Deo ex augustissimæ Eucharistię, Corporis videlicèt, ac Sanguinis Christi Domini perceptione conciliata conjunctio, sive copulatio, non solùm per Sanguinem aquâ mixtum, ad nostram Redemptionem, & ad nostrorum peccatorum ablutionem è latere Christi Domini emanatum, sed per eam item Communionem, quam Christus Dominus suis cum Discipulis post Cœnam celebravit, & instituit; insinuata fuit. Quamvis enim Salvator noster in illo Calicis natali, sive sacrificii incruenti institutione vinum aquâ mixtum bibisse, suisque deinde Discipulis mixtionem illam porrexisse apud Evangelistas non legatur; id tamen, ut aliquot Concilia, & Canones complures, necnon Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosii, & Augustini Sanctorum Patrum loca, hanc sententiam comprobantia, brevitatis causâ silentio præteream; ex Irenæo in primis, & Iustino præsertim Martyre, qui Christi Domini temporibus viciniores fuerunt, comprobatur: ille enim Calicem mixtum, vel temperamentum appellare solet, hic verò κράμα nuncupatur quod Plutarcho vinum est aquâ mixtum, Nazianzeno temperamentum. Immo Sanctus Jacobus Apostolus frater Domini, & Episcopus Hierosolymorum primus, hac de re in sua Liturgia, sive Missa, testimonium præbet luculentissimum, dum à Christo Domino in illa Communione, post Cœnam instituta, vinum aquâ mixtum sibi, suisque Condiscipulis oblatum fuisse apertè fatetur, & affirmat. Eamdem mixtionem videre est in Liturgia sancti Marci Discipuli sancti Petri, necnon in Liturgia, & in Anaphora sancti Basilii Syriacâ linguâ, & characteribus Syriacis conscripta; nunc verò ex vetustissimo Codice Syriaco in Latinum translata. Idem refert Clemens Romanus in Constitutionibus Apostolicis, idemque Damascenus de Fide orthodoxa, & Rabanus de Institutione Clericorum. Adde etiam quòd unus, idemque Calix est, quem Christus post Cœnam consecrauit, & quem nunc Ecclesia consecrat: nisi enim unus, idemque foret, in Canone (ait Odo Cameracensis) non diceretur: *Simili modo post quam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum Calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas, &c.* Hunc autem præclarum Calicem, non vinum solum, sed vinum aquâ mixtum nunc esse constat; Ergo & ille, quem Christus post Cœnam consecravit. Ex ea vini, & aquæ mixtione, quæ in illo Domini Calice post Cœnam primùm præstita fuisse creditur, ut ait sancta Tridentina Synodus; necnon ex Sanguinis, & Aquæ mixtione è latere ejusdem Domini emanata, Aquariorum, & Armenorum hæreses à Sexta Synodo generali in Trullo Constantinopoli celebrata, damnatæ fuerunt: Illi enim aquâ solâ in sacrificio utebantur, ut Epiphanius, & Augustinus testantur; Hi verò nonnisi vinum purum in sacrificio offerebant, ut Theophilactus in Ioannem, & Nicephorus in Historia Ecclesiastica, & Celsus Armachanus aduersus Armenos, narrant. Illam hæresim Hebionitæ, ac Marcionitæ sectabantur; hanc autem Calviniste sequuntur. Hinc sacrosancta Tridentina Synodus in Canone 9. Sessionis 22. hunc errorem damnans inquit: *Si quis dixerit, aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eo quòd sit contra Christi Institutionem, Anathema sit.* Ad easdem hæreses evellendas, & ad hujusce mixtionis significatum insinuandum Cyprianus sanctissimus ad Cæcilium scribens, aquam vino deesse non debere inquit, ne Populus, qui per aquam in sacra beati Ioannis Apocalypsi explicatur, à sanguine, vel à Christo Domino, qui per vinum significatur, teste Alcuino, separatus esse videatur, sed Populi cum Christo copulatio, atque conjunctio comprobetur. Propterèa sanctus Cyprianus ait post multa, hunc in modum: *Quando autem in Calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium Plebs ei, in quem credidit, copulatur, & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in Calice Domini, vt commixtio, illa non possit ab invicem separari.* Et infra inquit sanctus Cyprianus: *Nam si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: Si verò sit aqua sola, Plebs incipit esse sine Christo: quando autem vtrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spiritale, & Cæleste perficitur.* Hæc sanctus Martyr Cyprianus. Ex cujus sanè verbis fulcitur Pelusiotæ de Communione interpretatio, & confirmatur. Idem dicit Eusebius Emissenus, Cypriani sententiæ ad verbum ferè subscribens. Idem Paschasius Ratbertus, Hildebertus, Isidorus Hispalensis, Alcuinus, Micrologus, Sigebertus, Martinus Polonus, Magister sententiarum, & Doctores Scholastici in hanc distinctionem de vini aquâ in sacrificio Missæ permixti significatione sentiunt, ac docent.

Quòd verò ante consecrationem aqua vino in Calice miscenda sit, ex Generalibus item Conciliis constat. Sed quamvis quantum aquæ apponi debeat, certa regula dari non possit ob vinorum varietatem; ex Concilio tamen Florentino modicissima aqua in Calice miscenda censetur. Gutta enim aquæ ad mysticum significatum indicandum, aut repræsentandum sat est. Hæc de vini, & aquæ mixtione in Calice facienda, occasione ipsâ suadente. De hujusce autem mixtionis in Sacrificio Missæ significatione, hoc est, nostrâ cum Deo copulatione per Christi Sanguinis Communicationem, eiusdemque Christi corporis participationem, ipsemet Apostolus Paulus, Vas electionis, & ar-

Isid. l. 1. ep. 228.

VI. Synod. Constantin. can. 32.

Conc. Bracar. can. 1.
Conc. Carthag. 3. c. 24.
Conc. Flor. de fac. Euc.
Conc. Trid. sess. 22. c. 7.
De consecr. d. 2. cap. 1. 3. 7. & 83.
Iren. lib. 4. c. 47.
Iust. Apol. 2. ad Anton.
Plutarch. in conjugal. præceptis.
Nazian. oratione panegyr. 38.
Liturg. S. Jacobi tom. 3. Bibliothec. SS. PP.

Liturg. sancti Marci tom. 3. Biblioth. SS. PP.
Liturg. sancti Basil.

Clem. lib. 8. c. 17.

Dam. l. 4. c. 14
Rab. l. 1. c. 31.

Odo in expos. sac. can. d. 3. co. 4. Biblioth. SS. PP.
Vnus, & idem Calix est, quē Christus consecravit, & quem Ecclesia consecrat.

Conc. Trid. sess. 22. c. 7.

Conc. Const. c. 32.

Epiph. hær. 30 & 42.
Aug. hær. 44.
Theoph. in c. 19.
Niceph. l. 18. c. 53. Armach. lib. 9.

Conc. Trid. sess. 22. cap. 9.

Cypr. ep. 63. tom. 1.

Apocal. 17.

Alcuin. lib. de div. offic. pag. 69. cap. de celebrat. Missæ, ac ejus significatione. S. Cypr. ep. 63. tom. 1.

Eusèb. Emis. hom. 5. de Pasch.
Pasch. Ratb. c. 11. de Corpor. & Sag. Domini.
Hildeb. in vers. de myster. Missæ.
Isid. Alcuin. Microl. c. 10. Eccl. obser.
Sigebert. in Chron. ad ann. Dom. 688.
Mart. Pol. in Chronic. ad ann. Dom. 132.
Mag. Sent. dist. 11. lib. 4. & in hanc Distin. Doct. Schol.
Archangel. Rub. de Sacram. dist. 11. pag. 108.
Cōc. Flor. sub Eug. 4. de Sacram. Eucharist.

& arca cæleſtium ſecretorum loquitur, dum inenarrabilem Euchariſtiæ Sacramenti virtutem, & efficaciam meditando, ſcribens ad Corinthios ait in hanc verborum formam: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne Communicatio Sanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne Participatio Corporis Domini eſt? Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus*; & , vt Codices manuſcripti, Biblia Complutenſia, & Ordinaria (non tamen Græci Codices) habent, *de uno Pane, & de uno Calice participamus*. Hæc Angelus Terreſtris, & Homo Cęleſtis, Fons Sapientiæ, Paulus in Epiſtolâ ad Corinthios conſcriptâ.

1. Cor. 10.

S. Paulus.

Quid igitur tandem aliquando ſibi vult Communio, niſi Communicatio quædam, qua Deus per ſacram, & dignam Euchariſtiæ perceptionem quodam modo nobis ſeſe communicat, dum nos ad tantam vnitatem ſociatos per gratiam, ac tantam flagrantiam charitatis provectos per ſuum Sanguinem, ſuumque Corpus in Euchariſtię Sacramento, quod à Græcis Patribus *Teleta Teletorum*, hoc eſt, Myſterium myſteriorum nuncupatur, ſibi, vt ſic dixerim, incorporat, incorporatoſque ſui Regni, teſte Peluſiota, conſortes, ac participes reddit? Hinc Alexander Papa hujus nominis Primus, & à Beato Petro Quintus, per Epiſtolam ad omnes Orthodoxos conſcriptam, opinionibus ſuperſtitionum repulſis, vini, & aquæ in Calice Dominico mixtionem non ſolùm ad hanc noſtram cum Deo copulationem, & incorporationem inſinuandam; ſed etiam, quia utrumque ex latere ejus in Paſſione profluxit; ſanctè, inviolatèque ſervandam decrevit. Hæc de COMMUNIONIS voce, ut Ritum, in ipſa Communione à ſolo Summo Pontifice obſervatum, aggrediamur.

Euch. ſacramentum appellatur Teleta Teletorum.

Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 218.

Alex. 1. Epiſtolar. tom. 1. ep. 1. pag. 58.

QUÆSITUM II.

Cur Summus Pontifex rem ſacram ſolemniter faciens, ad Altare conſecret, & ad Solium communicet.

NON deſunt, qui hoc communicandi Ritu Incarnationem Verbi, Divinitatem ſcilicet ad humanitatem adeuntem, repræſentari oretenùs, & nullo Auctore dicant. Quæ ſanè opinio adeò inanis eſt, & à ratione adeò aliena, ut ad eam confutandam multis verbis indigere non videatur: Nam præter quàm quòd in ipſo Euchariſtiæ Sacramento Divinitas, & Humanitas Salvatoris noſtri indiſſolubili extant unione; Eadem item repræſentatio fieret, dum Euchariſtiæ Sacramentum communicantibus ad Altare datur, necnon ad proprias ægrotorum ædes defertur.

Opinionis primæ confutatio.

Guillelmus Durandus in 4. Rationalis divinorum officiorum libro, dum ſolemnem communicandi Ritum à ſolo Romano Pontifice obſervatum contemplatur, recitatâ Innocentii III. ſententiâ, quam paulò inferius examinandam proponemus; aliam de ipſo Ritu rationem, involucris, & integumentis verborum comprehenſam, atque involutam in medium affert. Rei tamen ſumma hæc eſt: *Sicut Summus Pontifex eſt Chriſti Vicarius, & caput omnium, qui in Eccleſia degunt Militanti; Ita Chriſtum Eccleſiæ caput, perfectiùs, ac ſublimiùs repræſentans, ad ſublimiorem locum communicare ſolet*. Quæ ſanè ratio quanti hac in re ſit ponderis, cuique id judicandum relinquo.

Guill. lib. 4. cap. 54.

Guilel. Durandi opinio.

Innocentius Papa, hujus nominis III. ut ipſum communicandi Ritum, à ſolo Papa, Miſſam ſolemniter celebrante, obſervatum explicaret; Per Summum Pontificem ad Altare conſecrantem, & ad ſolium communicantem, Chriſtum Dominum cum duobus Diſcipulis in Emaus frangentem, deinde in Hieruſalem cum decem Apoſtolis manducantem repræſentari opinatus eſt. Harum autem rerum congruentem ſimilitudinem, ſeu repræſentationem, Innocentius, quem ſequitur Guillelmus Durandus, his nititur colligere verbis: *Romanus Pontifex ideò non communicat ubi frangit; ſed ad Altare frangit, & ad Sedem communicat; quia Chriſtus in Emaus coram duobus Diſcipulis fregit, & in Hieruſalem coram decem Apoſtolis manducavit. In Emaus fregiſſe legitur, ſed manducaſſe non legitur. In Hieruſalem non legitur fregiſſe, ſed legitur comediſſe*.

Innoc. III. opinio.

Vndecim congregati narrantur ab Evang. Luc. 24. ſed tantũ decem interfuerunt manducationi, abſente Thoma. Innoc. 3. lib. 6 myſt. Miſſæ cap. 9. & Guillel. Durandus in Rationale divin. offic. lib. 4. cap. 54.

Hucùſque Innocentius: cujus verba, quòd ad fractionem in Emaus præſtitam, manducationemque in Hieruſalem celebratam pertinet, ſimilitudinem Ritui Romani Pontificis, qui Hoſtiam ſacratiſſimam ad Altare frangit, eamque ad Solium manducat, ſatis congruentem habent: Cętera verò ad eumdem Ritum pertinentia, ſi ſpectentur, ac diligenter examinentur, Innocentii ſententia (pace tanti Viri, qui non ut Papa, ſed quatenus Doctor hac in re loquutus fuit) non adeò ſolida videtur, ut ei tutò inniti poſſimus. Sicut enim in Emaus fregiſſe legitur, ſed manducaſſe non item; Ita etiam in Hieruſalem non Panem, ſed Piſcem, & Fauum mellis manducaſſe legitur: Quæ ſanè manducatio cum Sacrificio Altaris, in quo ſolus Panis in Chriſti carnem converſus, vel, vt Theologi loquuntur, tranſubſtantiatus, comeditur, congruere non poteſt. Adde etiam quòd quamvis in Emaus comediſſe non legatur, non deſunt tamen, qui velint, Chriſtum in Emaus manducaſſe: Quorum è numero, ut Emanuelem Sà, cęteroſque brevitatis causâ ſilentio prætermittam, Beatus Gregorius cognomento Magnus, illum explicans Beati Lucæ de Panis fractione locum, etiamſi myſticè loquatur, ſentire tamen videtur ad litteram, vel Chriſtum in Emaus comediſſe, vel Corpus ejus ſub ſpecie panis manducatum fuiſſe inquiens: *Ecce Dominus non eſt cognitus, dum loqueretur, & dignatus eſt cognoſci, dum paſcitur*. Verbum (*Paſcitur*) apud probatiſſimos Auctores, utrâque ſignificatione inſignitum, hoc loco, vel pro eo, qui comedit, vel pro eo, qui comeditur, ſumi poteſt. Utcùmque autem

Confutatio ſex rationibus comprehenſa.

Dictum Durandi à Sancto Portiano de Innoc. 3. lib. 4. diſt. 13. q. 3. num. 14.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Emanuel Sà.

Greg. homil. 23. in Evang. Luc. 24.

Verbum (*paſcitur*) quomodo ſumatur.

ſumatur, ſententia Innocentii fluctuat, & Ritui Romani Pontificis Miſſam ſolemniter celebrantis reſpondere non videtur: quoniam per ſenſum litteralem, & hiſtoricum, ſuper quem fundatur myſticus ſenſus, etiamſi, vel Chriſtum cum Diſcipulis, vel ſolos ſaltem Diſcipulos in Emaus comediſſe concederemus; Hoc tamen Ritui, de quo ſermonem habemus, non reſpondet; quia in hoc ſolemni Ritu, nec Romanus Pontifex cum Miniſtris, nec Miniſtri ſoli ad Altare communicant, ſed omnes Hoſtiam ſacratiſſimam ſumunt ad Solium. Emaus enim per Altare, Hieruſalem verò per Solium ab ipſo Innocentio repræſentari conſtat, ſi ejus verba perpendantur.

Emaus, & Hieruſalem, quid hoc loco.

Ratio tertia.

Quamvis interèa per fractionem Panis, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Scriptura ſacra nonnumquam ſumatur, ut eſt Actuum Apoſtolorum illud: *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & Communicatione fractionis Panis*, hoc eſt Euchariſtiæ Sacramenti perceptione, ut Catholici Doctores interpretantur, juxtà illud alterum Beati Pauli dictum: *Panis, quem frangimus* (inquit) *nonne participatio Corporis Domini eſt?* (in primitiva namque Eccleſia frequenter, & multi quotidie communicabant) Panis tamen fractionem, quam Lucas Evangeliſta ſuo in Evangelio in Emaus celebratam enarrat, nemo, quòd ſciam, pro Euchariſtiæ perceptione, ſive pro Communione ſuſcepit, aut explicavit expreſsè. Nonnulli enim, & ii quidem perpauci, hujus generis Myſterium quodam modo innuerunt, vel myſtico potius, quàm litterali ſenſu inſinuarunt.

Act. 2.

1. Cor. 10.

Luc. 24.

Ratio quarta.

Hùc item accedit, quòd hæc Panis fractio, non ſolùm Euchariſtiæ Sacramentum, aut Communionem repreſentare apud omnes Scripturæ ſacræ Interpretes expreſsè non dicitur, ſed nec etiam Sacerdos in æternum, Chriſtus Dominus, ſecundum ordinem Melchiſedech, in ea fractione, in Emaus celebrata, comedit; nec deindè in Hieruſalem Panem, ſed Piſcem, & Fauum mellis (ut dictum eſt) nullâ prævià benedictione comediſſe legitur, ſicut à Summo Pontifice, Chriſti Vicario, Summoque Sacerdote, necnon ab aliis Sacerdotibus fieri ſolet; qui Hoſtiam Sacratiſſimam in Altaris ſacrificio manducant.

Pſalm. 109. & Hebr. 7.

Ratio quinta.

Adde etiam, quòd quamvis Panis fractio, in Emaus coram duobus Diſcipulis celebrata, Communio ſaltem Diſcipulorum dici poſſit; ipſa tamen in Altari fractio per Communionem in Solio conſumatam, manducationem decem Apoſtolorum unà cum Chriſto, & aliis in Hieruſalem à Beato Luca conſcriptam, repræſentare non poteſt, nullumque cum ea ſymbolum habere poſſe videtur: Actiones namque ipſæ ſunt omninò diſtinctæ, ac diverſæ, & una ab alterâ non pendet, ſicut in ſolemni Summi Pontificis Miſsâ, fractionem, & manducationem inter ſe reſpondere apertè videmus; ita verò, ut altera ab alterâ ſeparari, aut amoveri haùdquaquam poſſit; Ambæ itaque actiones, fractio ſcilicet, ac manducatio, quæ à Beato Luca enarrantur, non ſolùm omninò diverſæ ſunt, ſed ambæ item diverſum à Miſſæ ſacrificio finem habent, & mutuò ſeſe non reſpiciunt.

Apoſtoli decem, abſente Thoma, Luc. 24.

Luc. 24.

Ambæ ſunt diverſæ, quia prima actio nonniſi Panis benedictio cum fractione fuiſſe legitur. Secunda verò nonniſi Piſcis aſſi cum Favo mellis manducatio fuit, nullâ prævià benedictione, nullâque mentione facta de Pane, ſine quo ſacrificium Altaris, aut Communicatio eſſe non poteſt: Immò Piſcis, & Fauus mellis ad id, de quo agitur, ſi ſenſus hiſtoricus, & literalis de inſtitutione Euchariſtiæ Sacramenti, hac in re præcipuus ſpectetur, nullo penitùs modo pertinere queunt: quia in ſolo Pane, & Vino Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum fuit; Piſcis namque aſſus, quamvis juxtà myſticam Bedæ interpretationem, Chriſtum paſſum inſinuet, Fauuſque mellis, quod eſt mel in cærâ, Divinitatem in Humanitate deſignet; vel, ut ait Gregorius Nyſſenus, *Fauus mellis, Paſcha, quod cum amaritudine olim edebatur, poſt Reſurrectionem dulcedine conditum eſſe repræſentet*; ſenſui tamen hiſtorico, & literali de ipſa Sacramenti Euchariſtiæ inſtitutione non reſpondet.

Ratio ſexta.

Diſſimilitudo pro declaratione dictorum prima.

Piſcis aſſus, quid. Beda in Luc. cap. 24. Fauus mellis quid. Greg. Niſſ. in hunc locum.

Ambæ denique actiones, Fractio ſcilicet Panis, & Manducatio Piſcis aſſi cum Favo mellis finem à Miſſæ ſacrificio diverſum præſeferunt: quoniam ambæ ad veram corporis Reſurrectionem demonſtrandam à Chriſto Domino fuerunt celebratæ poſt alia argumenta, veram Corporis Reſurrectionem comprobantia: ad quam rem demonſtrandam, nullum manducatione certius argumentum dari poterat.

Diſſimilitudo ſecunda.

Qua in re liceat nobis ad quamdam inde naſcentem dubitationem enodandam pauliſper immorari, eò denique, unde digreſſi fuerimus; quàm citiſſimè redituri; Num ſcilicet comeſtio illa in Hieruſalem fuerit vera, non ad Communionem pertinens, ſed ad ſolam, veramque Reſurrectionem indicandam celebrata. Si enim Chriſtus Dominus verè manducare non potuiſſet, ejus Corpus vivum non fuiſſet, nec verè reſurrexiſſet. Sed vera fuit illa manducatio, ut ſanctus Thomas ait, *Vera fuit* (inquit) *quantum ad Cibi diviſionem, ejuſque trajectionem in ventrem: non autem quantum ad cibi in humores, vel in ſubſtantiam comedentis converſionem. Cibus verò ille*, ut ait Auguſtinus, *in ſpiritalem naturam converſus eſt, ideſt, in vaporem reſolutus, ſicut aqua per radium Solis*, Hæc ſanctus Thomas cum ſancto Auguſtino. Nam corpus glorificatum (cujuſmodi erunt corpora noſtra poſt Reſurrectionem glorificata) cibo non indiget. Hinc, ut ait Euthymius, *Chriſtus Dominus poſt Reſurrectionem, ſupernaturaliter, vel diſpenſatoriè comedit: & quæ comederat, ſupernaturaliter, vel diſpenſatoriè digeſſit*. Reàpſe tamen manducavit, hoc eſt, ut ſanctus Pater Auguſtinus, & Beda interpretantur, *Manifeſtiſſimâ veritate, nec tamen neceſſitate, ſed poteſtate: Aliter enim*, (in-

Digreſſio pro dubitatione enodanda.

S. Thom. 3. ſent. d. 21. q. 2. art. 4. dub. 4. ad 2. argument.

S. Aug. lib. 3. de mirabil. Script. ſacræ c. 14. tom. 3.

Euthym. in c. 24. Lucæ.

Aug. in ep. 49. q. 1. tom. 2. Beda lib. 6. in c. 24. Luc. c. 97 tom. 5.

(inquiunt) *absorbet aquam terra sitiens, aliter Solis radius candens : Illa, indigentiâ ; Iste, potentiâ.* Hæc sanctus Pater Augustinus, & Beda de Christi manducatione ad veram ipsius Resurrectionem promulgandam celebrata : Manducavit tamen aliter, quàm Tobiæ Raphael in assumpto à se ad tempus corpore, quod vivum, & animatum non erat : ob idque vera ejus comestio non fuit, quamvis vera fuerit cibi contritio, ac trajectio in interiorem corporis assumpti partem : non autem in ventrem, quem habere non poterat. Ideò Angelus manducare, & bibere videbatur, sed reverà manducare, & bibere non valebat : Christus autem, quamvis post Resurrectionem, Corpus glorificatum, cibo non indigens, haberet ; Ad veram tamen Resurrectionem demonstrandam verè manducavit, eo, quem diximus, modo. Nam, ut ait sanctus Pater Augustinus in lib. 13. de Civitate Dei, *non potestas, sed egestas edendi, ac bibendi, talibus corporibus* (Immortalibus scilicet) *auferetur*. Immo ad Deo gratias Presbyterum scribens ait : *Futuræ Resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibos sumere non poterit ; imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit*. Hęc sanctus Pater Augustinus, præmittens tamen ea, quæ nuper ex eodem Doctore, atque ex Beda citavimus. Christus itaque non ad Communionem præstandam, sed ad suam Resurrectionem indicandam, manducationem ostentavit ; quia nullum manducatione ipsâ certius hominis vivi, ut dictum jam fuit, argumentum dari solet. Ideò Dominus Jesus, Puellæ, ad vitam revocatæ, cibum dari jussit : & Lazarum resuscitatum secum convivari voluit, ne Resurrectio eorum, teste Hieronymo, phantasma putaretur. Ad hoc ipsum demonstrandum, præter alia ipsius Resurrectionis argumenta, coram duobus Discipulis panis benedictione atque fractione usus est Christus, quem resuscitatum in eâdem actione, ut sanctus Lucas testatur, iidem cognoverunt : Nam, Lyrano interprete, Christus (mysticâ explicatione posthabita) absque gladio panem frangere solebat, perinde ac si eum fregisset gladio. Sunt item qui Christum Dominum in Panis benedictione ex ipsa benedicendi, consecrandique forma ante Passionem in Sacrificio ipso incruento instituendo præstita, Crucis videlicet Signo, cognitum fuisse opinentur. Hinc nonnulli eumdem Dominum Signo Crucis post Resurrectionem non semel usum fuisse dixerunt, hoc est, in pane benedicendo, necnon in Cœlum ascendendo, quando scilicet ipse manibus elevatis Apostolos benedixit : Et hanc benedicendi formam ad Episcopos, Populum solemniter benedicentes, manasse rati sunt. Episcopi enim, dum Populum solemni Ritu benedicunt, manus ad Cœlum prius extollunt, easque deindè jungunt, solamque demum dexteram super adstantes deducunt, signumque Crucis super eos formant. Hanc benedicendi formam à Christo Domino in Cœlum ascendente institutam fuisse Molanus, vir quidem eruditissimus, in suo de Picturis libro sensisse visus est, dicens : *Ascendens Christus, benedixit Apostolis, manibus elevatis : Quod fecit aut Ritu Aaronico, extensis super eos palmis, vti Judaici Sacerdotes hodie temerè benedicunt : aut Ritu Christiano, quo Episcopi benedicunt ; Posterius tamquam probabilius exprimunt Pictores*. Hæc Molanus. Quàmvis autem ego facile adduci queam, ut Christum Dominum post illam Crucem, maledictionibus olim refertam, sed postea ex Passione Domini, ac Morte, benedictionibus, & gratiis, atque innumeris virtutibus insignitam, necnon ab eodem Christo undequàque nobilitatam, Signo Crucis Apostolos benedixisse credam ; Eumdem tamen Dominum, ultimâ illâ Cænâ jam peracta, dum ipse benedicens Panem in suum Corpus, Vinumque in suum Sanguinem transubstantiavit, Signo Crucis usum fuisse, affirmare non auderem ; Sed cum Amalario Fortunato hæc dicenda reor : *Si Dominus, quando benedixit Panem, fecisset Crucis signaculum, ipsi norant, qui præsentes fuerunt ; præsertim cum nondum erat erectum Vexillum sanctæ Crucis*. Hæc Amalarius Fortunatus.

Non desunt autem, qui velint, Christum ex modo benedicendi, frangendique Panem, cognitum non fuisse à duobus illis Discipulis, quippe qui vltimæ Cænæ non interfuerunt : Hinc singularis fractio, quæ ultimâ in Cæna fuerat instituta, ab iis cognosci non poterat, sed ob aliquod impedimentum, in oculos eorum corporeos à Satana immissum, eoùsque in via ipsa Christum ex Divina permissione, nonnisi in fractione Panis cognoscere potuerunt. Quare sanctus Pater Augustinus ita inquit : *Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Jesus : sed tamen à Christo est facta permissio usque ad Sacramentum Panis ; ut unitate Corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum Inimici, ut Christus posset agnosci*. Hæc sanctus Pater Augustinus, per cujus verba, hoc est, per Sacramentum Panis, & per participationem unitatis Corporis Christi, nonnulli Eucharistiæ Sacramentum duobus Discipulis in Emaus à Christo per illam Panis benedictionem datum fuisse volunt, atque in hanc sententiam, & Bedam, & Theophilactum, Auctorem operis imperfecti, Hieronymum, & Hesychium adducunt, hoc ipso Christi exemplo Communionem sub vna tantum specie ab eo institutam fuisse contendentes. Quamvis autem ex hoc loco probabile sumi possit argumentum, quo receptus jam laudandus Ecclesiæ usus communicandi, Laicisque præsertim Eucharistiæ Sacramentum conferendi sub sola Panis specie defendi valeat (quem sanè communicandi usum, ut ait Jansenius, ex illa item panum multiplicatione, ac Turbæ saturitate, à Joanne conscripta, mysticè comprobandum esse omninò affirmamus) Panem tamen in Emaus à Christo benedictum, non Eucharistiam, ut Joannes à Lovanio, & alii cum eo sentiunt,

Feb. 12.
Tob. 12.
Aug. lib. 13. de Civ. Dei c. 22. tom. 5.
Epist. 49. q. 1. tom. 2.
Marc. 5. Joan. 12.
Hieron. to. 10 epist. 27.
Luc. 24.
Lyranus in hunc locum.
Jo: Molan. c. 4. lib. 4. Luc. 24. Lindanus. Apolog. to. 3. cap. 46. Levit. 9. 3. Reg. 8.
Amal. Fort. lib. 3. cap. 24. de Eccl. off.
Aug. l. 3. de cõsen. Evang. c. 25. tom. 4.
Bed. tom. 5. & Theophil. in hunc locum. Auct. operis imperfecti hom. 17. Hieronym. in Epitaphio Paulæ. Hesychius lib. 2. in Levit. cap. 9. Communicatio laicorum sub sola Panis specie. Jansenius. Jo: 6.
Joannes à Lovanio.

tiunt, sed quamdam Eucharistiæ figuram, aut umbram extitisse, exemploque illo fructum, & utilitatem Eucharistiæ in una tantum specie demonstratam fuisse concedimus, dictosque Auctores, quos nuper nominavimus, nonnisi Mysterium aliquod ad Eucharistiam pertinens, ex eo Lucæ loco demonstrare voluisse cum ipso Jansenio affirmare non dubitamus.

Jansen. concord. Evang. in hunc locum.

Confirmatio confutationis

Nullus itaque Innocentii opinionis, quam initio recitavimus, defendendæ relinqui videtur locus; propterea quòd ambæ illę actiones, quod ad materiam pertinet, diversæ fuerunt, ambæque diversum habuerunt finem: neutra enim Eucharistiæ Sacramentum propriè repræsentavit: sed utraque ad veram Christi Resurrectionem indicandam Discipulis fuit insinuata: & præsertim manducatio in Hierusalem superiùs enarrata, ut ex ipsomet Lucæ textu apertè ferè colligitur dicentis: *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus, præ gaudio dixit: Habetis hìc aliquid, quod manducetur?* Quasi Christus ipse per hæc verba dicere voluisset: Adhuc per alia argumenta, meam Resurrectionem comprobantia, me resuscitatum non creditis: sed ex ipsa tandem manducatione me verè resuscitatum absque ulla hæsitatione creditis, & prædicabitis. Id quod deinde factum esse constat. Fractio autem Panis in Emaus celebrata, quamvis mysterium aliquod, fructum scilicet, & utilitatem Eucharistiæ, ut dictum est, non Eucharistiam designarit; in ea tamen Panis fractione Christum comedisse credendum est, quippe qui manducatione, tamquàm certiori, & evidentiori ad veram Resurrectionem comprobandam argumento, utebatur, ut omnes affirmant.

Luc. 24.

Confutatio compendiosa.

Auctoris opinio.

Romanus igitur Pontifex, ut eò, undè digressi sumus, revertamur, rejectis aliorum opinionibus, ut mihi probabilius videtur, ad Altare consecrat, & frangit Hostiam, & ad Sedem communicat; non ut Panis benedictionem, & fractionem in Emaus præstitam, manducationemque in Hierusalem celebratam, illo exprimat Ritu; sed ut Communionem illo in Cœnaculo post Cœnam, ultimam super Triclinio, vel stratis Lectis, ut mea fert opinio, à Christo Redemptore nostro institutam, & cum Apostolis factam, aliquâ ex parte referat; vel, ut sanctus Bonaventura sentit, eumdem Christum Dominum nostrum, Cruci affixum, & coram Populo uniuerso passum, in eaque reclinatum repræsentet, sicut rationes, quas in medium afferemus, id ita esse nobis persuadent.

Triclinium.

Bonav. opin. tom. 1. in Psalm. 21.

Seraphicus namque ille Doctor, Bonaventura sanctus, in expositione Psalmorum: primum, & vigesimum Psalmum, Sanctissimæ Passionis Christi mysteriis refertum, explicans, dum hujus generis, in communicando, Ritum à solo Papa observatum contemplatur, eum ad ipsius Christi Passionem, coram omnibus in sacratissima Crucis Ara consummatam, apertè refert, & satis quidem appositè in hæc verba: *Christus in communi, & omnibus videntibus passus est. Unde Papa, quando sumit Corpus Christi in Missa solemni, sumit omnibus videntibus: nam sedens in Cathedra, convertit se ad Populum.* Hæc sanctus Bonaventura: Cujus planè sententia (quod ad communicandi cæremoniam, universo Populo videnti expositam pertinet) contemnenda non videtur; Immò satis probanda: propterea quòd per Augustissimum Altaris Sacrificium non solùm Christi Salvatoris nostri Cœna cum Apostolis postremò celebrata, sed sacratissima item ipsius Passio in Ara Crucis consummata recolitur, ac repræsentatur, ut ait sanctus Thomas. Hinc factum reor, ut Romanus Pontifex, Christi in terris Vicarius, dum Missæ Sacrificium ultimâ illâ in Cœna sine cruore institutum, atque illud alterum cruentum post Cœnam præstitum, repræsentare studet; ad Altare, quasi ad Cœnaculum illud, Hostiam consecrat; & ad Solium, quasi ad Crucem ascendens, Hostiæ consecratæ medietatem manducat, unâque Missæ celebratione utrumque Sacrificium magno cum mysterio complectitur, & expressiùs insinuat: quoniam Christi Passioni, nomen Cœnæ, aptè, congruenterque dari solet, ut sancto Bonaventurę placet: *Nam sicut Cœna* (inquit ipse) *in vespere, vel in fine dici sumitur; Ita in vespere, in fine scilicet Mundi, vel in ultima Mundi ætate passus est Christus.* Utrumque item Sacrificium, cruentum scilicet, & incruentum S. Thomas per illa comprehendit verba, dum ait:

Auctoris com probatio.

S. Thom. in off. Corpor. Chr.

Bonavent. in expos. Psalm. ubi suprà.

S. Thom. in sequen. Missæ Corp. Chr.

QUOD IN CŒNA CHRISTUS GESSIT FACIENDUM HOC EXPRESSIT, IN SUI MEMORIAM.

Hoc est, in Domininicæ Passionis memoriam. Hinc Lyranus illum Lucæ locum: *Hoc facite in meam commemorationem*, explicans dicit: *Eucharistiæ consecratio est quædam Dominicæ Passionis, ac mortis rememoratio.* Idem sentiunt Remigius, Alcuinus, Amalarius, Micrologus, Florus Magister, & Alii complures: Immò sanctus Paulus idipsum exprimit, dum illa Salvatoris verba, nuper citata, interpretatur hunc in modum: *Quotiescumque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Et propter hoc* (ait Lyranus) *consecratur Corpus separatim à Sanguine; quia in Passione Sanguis fuit separatus à Corpore.* Ad utrumque itaque Sacrificium repræsentandum, Summus Pontifex ad Altare consecrat, & ad Solium communicat, ad Populum conversus, & quasi Cruci innixus. *Nam*, ut ait S. Bonaventura, *sedens in Cathedra, ad Populum se convertit.* Dicitur autem Summus Pontifex sedere, dum communicat; vel quia ipse antiquitùs in communicando sedebat, vel quasi sedentis instar communicabat, sicut præsens in tempus fieri solet. Summus namque Pontifex ad Solium stans, non sedens, ad majorem venerationem repræsentandam, ipsi tamen Solio, Populo universo spectante, innixus, & incuruus, quasi sedens communicat, Christum Dominum Cruci affixum, in eaque quodam modo reclinantem repræsentans.

Nic. Lyr. in c. 22. Lucæ.

Remig. Episc. Antissiod. lib. 1. de Celebr. Missæ. Alcuin. de div. off. Amalar. in præf. de div. officiis. Microlog. de Eccl. observ. Florus in c. 13. expos. Missæ. S. Paulus 1. Cor. 22. Nic. Lyr. in c. 22. Lucæ.

S. Bonavent. tom. 1. in Psalm. 21.

Quam-

An Christus Carnem suam comederit, suumque Sanguinem biberit.

Quamvis vero apud Evangelistas ultimâ illâ in Cœna, jam peracta, Christus, nec Corpus suum comedisse, nec suum bibisse Sanguinem apertè legatur (quæ sanè res hoc in Quæsito præcipua est) id tamen totum in Cœnaculo illo grandi super Triclinium, hoc est tres Lectos, aut Mensas (ut infra fusiùs hac de re loquemur) ab eo factum esse affirmare non dubitamus. Sanctorum Patrum doctrina suffulti: *Etenim*, ut S. Thomas ait, *quæ Christus ab aliis facienda voluit, ipse jam prior executioni mandavit, sicut ab eo de Baptismo factum esse constat, juxta illud Actuum: Cœpit Jesus facere, & docere.* Hinc Glossa in tertium caput Ruth, explicans comestionem Booz, inquit hunc in modum: *Comedit Christus, & bibit, cum in Cœna Corporis, & Sanguinis sui Sacramentum tradidit Apostolis.* Et Beatus Hieronymus ad Hedibiam scribens ait: *Nec Moyses dedit nobis Panem verum, sed Dominus Jesus: ipse Conviva, & convivium: ipse comedens, & qui comeditur.* Hæc Hieronymus: cujus verba à Gratiano in tertia item Decreti parte recitantur. Idem dicit Paschasius Ratbertus, dum de Corpore, & Sanguine Christi scribens, explicat, quomodo Christus Conviva, & Convivium simul esse voluerit: quomodo nos item Convivæ simus, & Corpus ejus cum illo epulantes, & ipse sit in nobis caput. Idem ferè videtur affirmare Eusebius Emissenus Episcopus, dum explicat illud Lucæ: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*; *hoc est* (inquit) *Novum mysterium novi Testamenti, quod tradebat Discipulis: quod plures ante eum Prophetæ, & justi concupierant.* Hucùsque Emissenus, qui per Pascha, à Christo desideratum, sive esuritum, novum Pascha, Eucharistiæ scilicet Sacramentum interpretatur. Per illud item Pascha à Christo esuritum, Eucharistiæ Sacramentum intelligi debere ait Glossa, dum interpretatur illum Evangelistæ locum nuper citatum: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, hoc est Eucharistiæ* (inquit) *Sacramentum, quod nos per fidem spiritualiter manducamus, & ipse manducat nobiscum, incorporando nos sibi per hoc Sacramentum*, de quo loquens Augustinus in persona Christi ait: *Cibus sum grandium; cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum Carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Christus itaque, Cœnâ illâ ultimâ jam peracta, priùs Corpus suum comedit, & Sanguinem suum bibit, deinde Apostolis eadem sumenda præbuit, quando dixit: *Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum*; Deinde: *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus.* Huc spectat illud, quod quidam hisce versibus complexus est:

REX SEDET IN CŒNA,
TURBA CINCTUS DUODENA:
SE TENET IN MANIBUS,
SE CIBAT IPSE CIBUS.

Christus igitur Novum Pascha, hoc est, Eucharistiæ Sacramentum, Seipsum videlicet manducavit Spiritualiter, & Sacramentaliter, ut ait Sanctus Thomas; Sed aliter, quàm ceteri homines, ideſt, non quantum ad effectum illum, qui est augmentum gratiæ, qua ipse plenus, non indigebat, sed quantum ad effectum illum, qui est Spiritualis dulcedinis delectatio: Cæteri enim Eucharistiam, quæ bona interpretatur gratia, Spiritualiter, & Sacramentaliter sumentes, gratiæ augmentum sub Sacramentalibus signis suscipiunt, quibus pro veritatis perceptione indigent, ut S. Thomas sua docet in Summa. Quod item ultima illa in Cœna jam completa, Christus Eucharistiæ sacramentum susceperit, vel se ipsum manducaverit, ad sanctum Bonaventuram confugiendum censeo, qui dum suo in Breviloquio de septem Sacramentis Ecclesiæ diversimodè à Christo institutis loquitur, post multa, inquit: *Christus quædam Sacramenta instituit initiando, & consummando, & in semetipso suscipiendo, Sacramentum scilicet Baptismi, Eucharistiæ, Ordinis. Hæc enim tria, & plenè instituit, & etiam primus suscepit.* Hucusque sanctus Bonaventura. De Sacramentali Eucharistiæ manducatione à Christo celebrata idem cum Glossa sentit Hesychius in Leviticum scribens, & hac in re consentiunt Alexander Alensis, S. Bonaventura, & Gabriel Biel, qui Christum Corpus suum Sacramentaliter comedisse dicunt. Sed S. Thomas illam Christi manducationem, & Sacramentalem, & Spiritualem fuisse docet, eo, quem explicavimus, modo.

Cùm itaque res ita se habeant, adduci quisque potest, ut Christum in instituendo Eucharistiæ Sacramento, suam sub specie Panis Carnem comedisse, suumque sub specie Vini Sanguinem bibisse: deinde Apostolis suis sub iisdem speciebus Eucharistiæ Sacramentum Spiritualiter, & Sacramentaliter, juxta S. Thomæ sententiam, suscipiendum præbuisse dicat; atque ad rem hanc indicandam, post Panis & Vini ad Altare consecrationem, à Romano Pontifice ipsius Vicario, ad Solium communicante, perbellè Christum Dominum repræsentari jam credat, ac liberè fateatur, si modus in communicando à solo Summo Pontifice observatus diligenter examinetur. Romanus namque Pontifex, Solio, ut jam diximus, quodam modo innixus, & incurvus suâ in solemni Missâ celebrandâ, quasi sedens communicare solet. Ex quo sanè communicandi modo, Papa dum sumit Christi Corpus, non solùm, ut ait S. Bonaventura, sedens in Cathedrâ, vel saltem ob illam curvaturam, & adhæsionem ad Solium, quasi sedens ad Populos conversus, Christum Cruci affixum, universo spectante Populo, in eaque quasi reclinantem adumbratim refert; Sed ipsum item Christum, Cœna ultima jam peracta, in Cœnaculo illo grandi communicantem, Discipulisque suis Panem, ac Vinum consecratum pro Communione instituendâ porrigentem expressius, ut reor, repræsentat, si Antiquorum convivandi modus, hoc est, Triclinium, sive tres Lecti Discubitorii; necnon communicandi Ritus, à solo Summo Pontifice observatus, inter se

accu-

Triclinium quid.

S. Thom. 3. p. q. 81. art. 1.

Act. 1. Glossa ord.

Hieron. ep. 150. q. 2. to. 3.

De Consecr. d. 2. c. 87.

Ratb. tom. 6. Bibliothecæ Veterum Patrum.

Euseb. hom. de Paschate Luc. 22.

Glossa moralis Lyrani in hunc locum. Lucæ 22.

S. Aug. lib. 7. Confess. c. 10. tom. 1.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

In 3 p. sancti Thom. q. 81. art. 1. ad 1. & in 3. Decreti parte d. 2. c. 87 in Glossa.

S. Thom. ubi suprà.

Christus quomodo Carnē suam comederit, suumq; Sanguinem biberit. Eucharistia, ideſt bona gratia.

S. Thom. p. 3. q. 81. art. 1. ad 3. arg.

S. Bonavent. Brevil. p. 6. c. 4. tom. 6.

Conclusio. Hesych. c. 8. Gloss. ordin. Alex. Alen. part. 4. q. 11. memb. 2. art. 1 q. 2. Bonav. lib. 4. sent. art. 1. Biel. l. 4. d. 9. q. 1. S. Thom. p. 3. q. 81. art. 1. & 4. sent. d. 11. q. 3. art. 1.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

S. Bonav. to. 1. in Psalm. 21.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Triclinium quid.

accuratè conferantur : Priscæ enim Gentes, ut videre est apud Athenæum, Philandrum, Vitruvium, & Livium lib. 5. primæ Decadis, in stratis quibusdam lectis convivari solebant, super quibus Mares non stantes, nec omninò sedentes, sed quodam modo (Athenæo, & Philandro testibus) jacentes, vel potiùs pulvinaribus cubito subjectis innitentes : Alii verò humi jacentes cœnabant : Fœminæ autem in sellis quibusdam, humi item stratis, insidentes epulabantur. Hujus autem generis Triclinium non solùm apud varias Ethnicorum Nationes in frequenti olim usu fuisse, verùm etiam apud Hebræos ipsos usurpatum invenio : præsertim verò tempore Samuelis Prophetæ, & Saulis Regis, qui mille, & amplius annos ante Judeam in ditionem, ac potestatem Romanorum per Pompejum redactam, floruerunt. Captivitas autem fuit anno post Christi ortum 70. vel 72. ut Josephus & Genebrardus testantur. Insignem verò de Triclinio locum, ut cæteros veteris Testamenti locos silentio præteream, videre est in primo Regum libro, in quo de Triclinio fit mentio in hanc verborum formam : *Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum ejus, introduxit eos in Triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant invitati : erant enim quasi triginta viri.* Hæc ibi. Triclinium, ut omnes interpretantur, vel erat trium lectorum ordo, sicut sonat vox ipsa Græca; vel locus, in quo dicti lecti ad recumbendum parati extabant. De Triclinio pro tribus lectis usurpato extat illud Tullianum in Verrinis dictum : *In foro* (inquit) *sibi Triclinium straverat.* Quod explicans ipse paulò post subdit : *Imperavit, ut in foro sibi medio lecti sternerentur.* De Triclinio pro loco Discubitorio, in quo ipsi Lecti Triclinares, non cubiculares, sternebantur, multa apud Vitruvium, necnon apud cæteros de Triclinio Scriptores extant exempla, quorum item è numero potest esse illud Regum nuper citatum. Quamvis enim ibi pro Triclinio Hæbraica lectio habeat ; Translatioque septuaginta Interpretum, *Diversorium* ; & Sanctes Pagninus legat, *Cœnaculum* ; Editio tamen vulgata legit, *Triclinium* pro illo saltem loco, à tribus Lectis, quos in eo sternebant, nomen habente : Nam tres Lectos in Convivio, vel in loco Discubitorio Veteres solebant apponere, & cubantes cœnare. Hinc Horatius in primo Sermonum libro ait :

Sæpe tribus Lectis videas cœnare quaternos.

Hoc est :

In singulo quoque Lecto quatuor Convivas.

Et Juvenalis :

Tertia ne vacuo cessaret culcitra Lecto,

E' quibus Horatii, & Juvenalis verbis apertissimum est, Discubitorium tribus olim fuisse Lectis instructum, atque inde Triclinium dictum. Discubitorium autem vel Cœnaculum duobus Lectis instructum, Diclinium Græcè, vel Latinè Biclinium apud Plautum vocatur. Uno tantùm lecto stratum, Monoclinium Græcè, seu Uniclinium Latinè vocitari potest. Hinc qui Triclinio, seu Convivio præest, & curat, ut eduliorum varia fercula ordine, ac tempore Convivis exhibeantur, *Architriclinus* Græcè, ac Latinè nuncupatur, quem *Scalcum* italicè vocant. De Architriclino, qui Nuptiali convivio in Canâ Galileæ celebrato præerat, Beatus Joannes Evangelista suo in Evangelio mentionem facit expressam. Sed nos hunc locum brevitatis causâ silētio prętermittemus, ut revertamur, ad varios cœnandi, convivandique modos, Quæsito, quod præ manibus habemus, deservientes, quos, præter Athenæum, Vitruvium, & Philandrum, Petrus Ciacconius, & Fulvius Ursinus, viri eruditissimi, quique nostrâ ætate fuerunt insignes, tum verbis, tum etiam Tricliniorum Iconibus hinc inde conquisitis, adamussim repræsentarunt. Petrus autem Ciacconius, Christum Dominum cum Discipulis, Cœnaculo illo grandi strato, in Triclinio, tribus scilicet Lectis eos cœnasse opinatus est, & iure quidem, dicens : *Tribus autem Lectis eos cœnasse illud indicio est ; quòd cum tredecim essent, in eamdem omnes patinam porrigebant manus. Quod, si mensæ fuissent perpetuæ, fieri haudquaquam potuisset. Propterea Christus Dominus dixit : Qui intingit mecum manum in Paropside, hic me tradet ; neminem unum hac voce designans ; cùm id omnes ex æquo facerent.* Hæc Ciacconius, qui per Mensas perpetuas, Mensas longas intelligit juxta Virgilii verba dicentis :

Perpetuis soliti Patres considere Mensis.

Quem locum Servius interpretans ait : *Perpetuis Mensis, idest longis ad sedentium ordinem exæquatis : Majores enim nostri sedentes epulabantur.* Hæc Servius. Adde etiam, quòd Antiqui cœnaturi juxtà diversos Nationum mores, necnon juxta locorum in Triclinio diversitatem, alii sedentium instar super Lectos cœnabant ; alii verò proni, pulvinis, uti jam diximus, pectori appositis ; alii supini jacentes ; alii verò in cubitum repositi, ut videre est apud Petrum Ciacconium, & Fulvium Ursinum, Viros ætate nostrâ insignes, qui de Triclinio scripserunt, & varios discumbendi modos tam Scriptis, quàm Iconibus repræsentarunt. Aliquot hujus generis accubitus, Uniclinium, & Biclinium dictos, marmore antiquitùs repræsentatos, videre licet in Hortis Esquilinis Illustrissimi, ac Reverendissimi Alexandri Peretti Cardinalis de Monte Alto, necnon in Ædibus Illustrissimi, ac Reverendissimi Odoardi Cardinalis Farnesii, & alibi tam Romæ, quàm in aliis Italiæ locis, in quibus non solùm marmorei accubitus diversi, verumetiam ære incisi, etiam Christi Domini cum Discipulis reperiuntur. Epulabantur etiam, sicut dictum jam fuit, humi sedentes, pulvinaribus tamen cubito interdum subjectis, sicut apud Christicolas, & apud alias Nationes in Regione, Oravè Orientali ad hanc usque diem fieri, non ignoramus. De humi cubandi more mentionem facit Bonaventura sanctus, & Doctor Seraphicus in opusculo, Meditationes Christi vitæ, inscripto, dum Cœnam, & Men-

Guil. Philander in Vitruvium l. 6. c. 5. Livius lib. 5.

Triclinii usus apud Ethnicos, & Hebræos.

Joseph lib. 7. de Bello Judaico cap. 17, & Genebrardus lib. 3. Chron. Ann. Dom. 72.

1. Reg. 9. 4. Reg. 11. Helter 2.

Triclinium quid.

Cic. Verr. 1.

Vitruv. lib. 4.

1. Reg. 9.

Sanctis Pagnini editio.

Horat. Serm. lib. 1. Sat. 4.

Juvenalis Satyra 5.

Triclinium, Biclinium, & Vniclinium.

Plaut. in Bacch.

Architriclinus quisnam sit, & unde dicatur.

Joann. 2.

Athenæus, Vitruv., Philander, Petrus Ciacconius, & Fulvius Vrsinus lib. de Triclinio.

Matth. 26. Marc. 14.

Virg. Æneidos 8.

Servius.

Diversi Accubentium modi.

Petrus Ciacc. & Fulv. Vrsinus de Triclinio.

Vniclinium, & Biclinium.

S. Bonavent. tom. 6. par. 2. opusc. c. 73.

† died 1274

Antiquorum mos in discũbendo.

Mensam Dominicam, & ad Mensam item sedendi, seu potiùs discumbendi modum meditatur dicens: *Scire autem debes, quòd ipsa Mensa erat in terra, & more antiquo in terra sederunt ad Cœnam*: *Erat autem Mensa quadra (ut creditur) de pluribus tamen tabellis; quam scilicet Mensam ego vidi Romæ in Ecclesia Lateranensi; & ego eamdem mensuravi. Est autem in uno quadro duorum brachiorum, & trium digitorum, aut palmi, vel citra. Ita quòd licèt artè, tamen in quolibet quadro, ut creditur, tres Discipuli sedebant; & Dominus Iesus humiliter in quodam angulo: ità quòd omnes in uno catino comedere poterant. Et propterea non intellexerunt Discipuli quando dixit: Qui intingit mecum manum in Paropside, hic me tradet, quia omnes pariter intingebant*: Hæc Sanctus Bonaventura. Tabula verò, sive Mensa lignea, de quâ Doctor Sanctus loquitur, ad hùcusque in Ecclesiâ Lateranensi per longam sæculorum seriem diligenter custoditur, & veneranter asservatur, tamquam Christi Domini Mensa, quam in Cœnâ ipsius ultimâ cum Discipulis ante mortem præstitâ, adhibitam fuisse ostendit sanctus Bonaventura; cujus opinio de Tabulâ illâ quadratâ humi dispositâ, à Triclinio, tribus, videlicet Lectis aliquantum à terrâ elevatis, videtur esse aliena. Quòd autem Christus Dominus in Triclinio parum à terrâ elevato cum Discipulis discumbere consueverit, ex eo etiam conjectare licet, quòd *Maria Magdalena* (teste Beato Lucâ Evangelistâ;) *stans retro secus pedes Domini, discumbentis in Domo Pharisæi, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*. Quare si Christus in Lecto parum à terrâ elevato non recubuisset, dum in Domo Pharisæi comedebat, Magdalena retro stare secus pedes Domini, illaque obsequia pedibus ejusdem Domini præstare non potuisset, ut ratio ipsa cuique actiones enarratas contemplanti persuadet. Mensa itaque in Laterano asservata, de quâ loquitur sanctus Bonaventura, & de quâ traditio habet, quòd in eâ cœnaverit Christus cum Discipulis, pedibus suis suffulta, & ad Lectos Discubitorios admota, commodè potuit inservire Triclinio. Quòd hìc idem accumbendi modus à Christo Domino servatus fuerit, ex majorum nostrorum sententiâ, comprobari etiam potest, ex veteri præsertim Basilicæ sancti Petri Musivo, quod erat supra Portam Sanctam ad Oratorium Joannis Papæ VII. circa Annum Domini DCCV. constructum, in quo Christus Dominus cum quinque Discipulis accumbentibus, Pisce assо ad Mensam appositо, repræsentabatur. Hujus autem generis accubitus vocabatur Sigma, quia erat instar Sigmatis, quod est unum Alphabeti Græci elementum, sive littera, cujus formam, vel figuram retinet apud Latinos tertia eorumdem Alphabeti littera, quæ est *C*. Idem item accubitus vocabatur Græcè Hexaclinon, vel Hesaclinium, hoc est, sex Accumbentium Lectus. Hanc Musivi partem, in quâ dictus accubitus repræsentatur, in ultimâ Vaticanæ Basilicæ demolitione desumpsi, & in meâ Bibliothecâ Angelicâ reposui, unà cum aliis Historiis in eodem Musivo repræsentatis, quas ad perpetuam dicti Oratorii memoriam penicillo desumendas curavi.

Menſæ discubitoriæ mensura.

Matth. 26. Marc. 14.

Luc. 7. de Maria Magdalena.

Oratorium Joannis Papæ VII. Ann. Dom. 705.

Sigma quid Hexaclinii.

Biblioth. Angelica.

Petrus autem Ciacconius, dum suam opinionem tueri studet, ordinem Lectulolorum, atque sedentium hunc in modum explicat: *Christi Discipuli, ut verisimile est, quini in duobus Lectis discubuere: in reliquo autem tres tantum: Ipse nempe Dominus, & Joannes, ac, si divinare permittitur, Petrus: Is enim veluti proximus Joanni innuit, ut ex Domino Auctorem tanti facinoris quæreret*. Hæc Ciacconius, qui Joannem tamquam Christo maximè charum, & in sinu ejus recumbentem, propè Magistrum suum sedisse; Petrum autem eodem in Lecto, tamquam futurum Christi Vicarium (si mihi quod sentio effari liceat) recubuisse opinor.

Petrus Ciacc. de Triclinio Christi Domini, & Discipulorum pagin. 48. Joann. c. 13.

Hunc igitur tertium Triclinii Lectum, ut conjectare mihi fas est, Romanus Pontifex cum Diacono, ac Subdiacono in Solio communicans, suo quodam modo, non solùm quantum ad numerum personarum, sed quantum etiam ad quemdam recumbendi, communicandique modum adumbràtim repræsentare videtur. Ipse enim ad debitam venerationem tanto Sacramento præstandam, Solio adhærens non sedet, nec stat, nec omninò cubito innititur, sicut in Triclinio recumbi olim solebat, sed cernuus, sive curvus, quasi quemdam recumbendi modum adumbràtim præseferens, Divinum Eucharistię Sacramentum maximâ cum veneratione sumit.

Triclinium Summi Pontificis in solemni Missa Cõmunicantis.

Summus itaque Pontifex ad Solium, non ad Altare communicat; ad universum Populum spectantem conversus, ut Christum Dominum (si meam opinionem interponere liceat) in Triclinio cum Discipulis communicantem, vel eumdem Cruci affixum, & coram omnibus passum, atque in eâ quasi reclinantem repræsentet, sicut sancto Bonaventuræ videtur. Hæc de secundo Quæsito, ut ad aliud tertio loco propositum accedamus.

Conclusio Quæsiti secundi.

QUÆSITUM III.

Cur Summus Pontifex in solemni Communione, sinistro è Solii latere Sacratissimæ Hostiæ allatæ sibi partem, Sanguinis verò è latere dextro sibi porrecti quoque partem assumat.

NUnc illud, quod tertio loco proposuimus, & scitu dignum sanè judicatur, examinandum est; cur scilicet Romanus Pontifex ad Sedem communicans, Sacratissimæ Hostiæ sinistro è latere sibi allatæ partem, pretiosissimi verò Sanguinis è latere dextro, sibi porrecti quoque partem sumere soleat. Id quod non absque mysterio introductum esse reor. Quare si mihi sententiæ dicendæ jus concedatur, ego non tanquam arbiter, sed quasi unus de Studiosorum grege hunc Ritum

× Petri Chacón 1527–1581 De Triclinio romano liber Romae, 1588 excompressus.

tum referendum cenſeo ad Sacroſanctam, & Evangelicam Hiſtoriam, quæ Sanguinem, & Aquam è Chriſti Latere fluxiſſe narrat. Quòd autem Latus non ſiniſtrum, ſed dextrum fuiſſe, non ſolùm vetuſtiſſimus pingendi, effingendique ſacrum Chriſti Corpus Cruci affixum uſus docet, verùmetiam Scriptores aliquot, qui de hoc Evangelii loco mentionem fecerunt, illud ipſum conſtanter affirmarunt. Horum è numero eſt ſanctus Bernardus, qui ſibi, hoc eſt, ad ſuam, & omnium Fidelium utilitatem Latus Chriſti Domini dextrum in Cruce apertum fuiſſe ait hiſce verbis: *Dextrum mihi Latus effodi permiſit, ut à dexterâ in dexteram tranſeamus*: Hæc ſanctus Bernardus. De Animæ item ſuæ utilitate per dicti Lateris dextri apertionem à Longino in Cruce factam S. P. Auguſtinus loquitur in hanc verborum formam: *Longinus aperuit mihi Latus Chriſti lanceâ: & ego intravi, & ibi requieſco ſecurus*. Hæc S. Pater Auguſtinus de Latere Chriſti dextro per antonomaſiam, ideſt, per excellentiam intellecto. Hinc ad inſinuandam ejuſdem Lateris dextri apertionem lanceâ factam ab uno Militum, Longino poſtea nuncupato à voce Græca, λόγχι, quæ Latinè Haſta, ſive Lancea interpretatur, antiquitùs, dum Papa ſolemniter celebrabat, Diaconus (Micrologo teſte, cujus teſtimonio Innocentius ſubſcribit) oblatione factâ, Calicem ad dextrum Oblatæ (Hoſtiæ ſcilicet) latus præparabat, hoc ſanè ſymbolo, quòd Summus Pontifex Sanguinem, qui de Latere Chriſti dextro creditur, ac per picturas cernitur profluxiſſe, ſuſcepturus eſſet. Vel hoc ipſum, ut ait Alenſis, à Diacono factum volunt, quòd Sanguis, quem Chriſtus Dominus in Cœnâ Diſcipulis propinavit, de Latere ejus dextro emanaſſe inſinuaretur juxta illud, quod in Canone Miſſæ hiſce legitur verbis: *Dedit Diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes: Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Sicut itaque Diaconus, Romano Pontifice ſolemniter celebrante, ad hanc rem inſinuandam, Calicem in Altari ad dextrum Oblatæ, hoc eſt, Hoſtiæ, latus præparare antiquitùs ſolebat; Ita Summus Pontifex (ut reor) ad Sanguinem è Latere Chriſti dextro effluxum repræſentandum, Sanguinem cum Calamo è latere Solii dextro ſibi porrectum ſumit; Hoſtiam verò è ſiniſtro ejuſdem Solii latere ſibi allatam percipit, ut Myſterium Sanguinis, è dextro Chriſti Latere emanati ſignificantiùs, & expreſſiùs repræſentet. Si enim Sanguis, & Hoſtia eodem è latere ſibi porrigerentur, Myſterium effuſi Sanguinis non ita ſignificanter exprimeretur. Hæc de Tertio Quæſito, ut Quartum explicemus.

Joann. c. 19.

S. Bern. Serm. in Cantica.

Hujus lateris dextri Figura in Ezech. 47., & Levit. 1.

Alphonſ. Salmer. tom. 10. pag. 390., 391., 392.

S. Auguſt. in Manual. c. 23. tom. 9.

Alphonſ. Salmer. tom. 10. pag. 391.

Microlog. de Eccl. obſerv. c. 10.

Innoc. lib. 2. Myſter. Miſſæ c. 58.

Alex. Alenſ. in ſumma Theolog. p. 4. de Euc. p. 2.

Canon Miſſæ

Mos antiquus

QUÆSITUM IV.

Cur conſecratæ Hoſtiæ medietas, & Vini conſecrati, hoc eſt, Chriſti Sanguinis pars à Summo Pontifice; Altera verò eorumdem pars inter Cardinalem Diaconum, & Subdiaconum Apoſtolicum diſpertita, ab iiſdem ſumantur.

HÆc res cum ab ipſamet de inſtituendo Euchariſtiæ Sacramento hiſtoriâ pendeat, facillimè, ac ſtatim explicatur: Chriſtus enim Dominus poſtquam Panem conſecravit, inſtituto Euchariſtiæ Sacramento, eumdem ſtatim Panem conſecratum, & in Chriſti Corpus jam converſum, vel, ut Theologi loquuntur, tranſubſtantiatum, fregit, ſuiſque dedit Diſcipulis, ut Matthæus, Marcus, & Lucas teſtantur. Ad quam Panis fractionem indicandam, eumdemque Panem jam fractum Diſcipulis datum repræſentandum, maior Sacratiſſimæ Hoſtiæ medietas à Summo Pontifice ſumitur: altera verò medietas, in duas diviſa partes, à Cardinale Diacono, & à Subdiacono Apoſtolico item ſumitur, particulâ illâ minimâ, non ſine myſterio in Calicem jam demiſſa, ut videre eſt apud Innocentium III. Gabrielem Bielem, Guillelmum Durandum, ac Stephanum Durantum, qui multos in Sacrum Canonem Scriptores recenſet, & præſertim eos, qui de Trium Hoſtiæ partium ſignificatione ſcripſerunt. Nam, ut multa, & quidem varia, paucis verbis perſtringam, particula Hoſtiæ illa in Calicem demiſſa, & Sanguine immerſa, ſignificat illam Eccleſiæ partem, quæ naufragio hujus ſeculi agitata, multis perturbationibus paſſionum concutitur: per Calicem enim Paſſio inſinuatur. Aliæ duæ partes Hoſtiæ extrà Calicem, ſignificant duas Eccleſiæ partes, quæ de Beatitudine ſunt ſecuræ; quarum una igne purgatorio examinatur, aut purgatur; altera verò eſt Sanctorum, qui cum Chriſto jam regnant in æternum. Hæc ex Biele in Canonem Miſſæ, ac Stephano Duranto de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ. Vinum item à Chriſto Domino in Cœnaculo conſecratum, & in ipſius Chriſti Sanguinem jam converſum, vel tranſubſtantiatum, inter Diſcipulos diſtributum fuiſſe conſtat, Matthæus enim, peractâ conſecratione, dictum à Chriſto fuiſſe narrat: *Bibite ex hoc omnes*: Marcus: *Et biberunt ex illo omnes*; Lucas verò: *Accipite, & dividite inter vos*. Quæ ſanè verba nonniſi Sanguinis diviſionem, aut diſtributionem indicare queunt. Ad quam rem explicandam, ſive repræſentandam, Vini conſecrati, hoc eſt, Chriſti Sanguinis pars à Summo Pontifice ſumitur: ejuſdemque reſiduum inter Diaconum Cardinalem, ac Subdiaconum Apoſtolicum diſtributum ab iiſdem ſumi ſolet.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Innoc. lib. 6. c. 3. Biel in Can. Guil. Duran. lib. 4. c. 51. Stephan. Duran. lib. 2. c. 58 n. 6. & 7.

Biel in Can. Steph. Dur. lib. 2. c. 51.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Hinc antiquitus ad iſtuc ipſum repræſentandum, ut Amalarius Fortunatus, Innocentius hujus nominis III. in lib. 4. de Myſteriis Miſſæ, & Durandus à ſancto Portiano in lib.

Amal. lib. 1. de Off. Eccleſ. cap. 12. Innoc. lib. 4. c. 25.

Duran. lib. 4. Sen. dist. 13. quæst. 3. Card. Presbyteri olim Romæ Pontifici concelebrabant.

lib. Sentent. 4. testantur, Cardinales Presbyteri Summum Pontificem solemniter celebrantem circumstabant, cum eo pariter celebrantes: Postremò autem, Sacrificio jam peracto, Communionem è manu ipsius Papæ suscipiebant, ad Apostolos repræsentandos, qui cum Christo Domino discumbentes sacratissimam è manu ipsius Eucharistiam sumpserunt. Quamvis autem Apostoli, Christo Panem, & Vinum consecrante, non concelebraverint; hunc tamen Sacrificii Ritum, ab eo didicerunt: & hanc ob rem Presbyteri olim Cardinales, ut Innocentius ait, Summo Pontifici solemniter celebranti, concelebrabant. Ad quam item rem demonstrandam, Presbyteratus ordinem suscepturi, Episcopo ordinanti, & celebranti concelebrant; quia sicut Apostoli Christo cœnanti (ait sanctus Thomas) concœnaverunt; ita novi Ordinandi Episcopo ordinanti concelebrant. Ad hanc fortasse rem antiquitùs observatam repræsentandam, nunc etiam Cardinales Episcopi cum Pluvialibus; Cardinales verò Presbyteri, Romano Pontifice solemniter celebrante, cum Casulis, vel Planetis Papam circumstare solent.

Innoc. lib. 4. Myst. Missæ c. 25.

S. Thom. 3. p. q. 82. art. 2.

Hæc deinde consuetudo de celebrantibus cum Papâ, ad periculum in consecratione devitandum, ut scribit Durandus, omninò exolevit: Is enim in hac præsertim re, Thomæ, necnon Innocentio refragatur: Scholastici autem Doctores de hac materiâ non parum olim altercati fuerunt; Num scilicet plures Sacerdotes unam, & eamdem Hostiam consecrare queant. Postea verò Sancta Mater Ecclesia affirmativam partem secuta, Ritum celebrantium, Episcopo Sacerdotalem Ordinem conferente, approbavit, & omnibus in locis recepit, nullum hac in re dubitandi locum relinquens. Hunc tamen Ritum, Summo Pontifice Missam solemniter celebrante, quamvis in præsentiâ dimissum, reticendum tamen non censui, quippe qui Hostiam plures in partes divisam, Diaconumque Cardinalem, & Subdiaconum Apostolicum Summo cum Pontifice sub utraque specie communicantes, & ab Apostolis cum Christo discumbentibus, & cum eo ipso communicantibus, originem trahentes, actionem Christi hac in re perbellè repræsentat. Id quod ad nostram de quarto Quæsito sententiam comprobandam, & confirmandam, nobis non parum deservit; Cur scilicet Summus Pontifex ad Solium communicans, alteram Hostiæ medietatem manducandam, Vinique consecrati item partem bibendam, Diacono Cardinali, & Subdiacono Apostolico præbeat: Hoc enim Ritu Romanus Pontifex sub utraque specie Communionem in Cœnaculo illo à Salvatore nostro institutam, non solùm exprimit, & repræsentat, sed etiam veterem illam sub utraque specie communicandi retinet consuetudinem, quæ diù in Ecclesiâ viguit, ut infra suo loco explicabitur, & diffusè quidem. De quarto Quæsito hæc hactenùs, ut Quintum explicandum aggrediamur.

Durand. ubi sup. l. 4. Sent. dist. 13. q. 3.

Conclusio Quæsiti quarti.

QUÆSITUM V.

Cur Summus Pontifex Calamum in sumendo Christi Sanguine adhibere soleat; eodemque Ministri, Cardinalis videlicet Diaconus, & Subdiaconus Apostolicus inter communicandum Calamo utantur.

Quæsitum quinto denique loco propositum examinandum superest, cur scilicet Calamus, quem alii Fistulam, alii verò Cannam appellant, à Summo Pontifice cum Diacono Cardinale, & Subdiacono Apostolico, rem divinam solemniter faciente, in Christi Sanguine hauriendo è Calice, adhibeatur. Hunc Calami usum in Ordine Romano de Officio Missæ inveni observatum: Ordo autem Romanus, qui, ut minimum, ante annos octingentos editus fuit, apertissimè indicat in Romanâ Ecclesiâ hunc usum fuisse antiquum: propterea quòd Ordo ipse ab Alcuino, Caroli Magni præceptore, qui floruit octingentesimo post Christi ortum Anno, citatus invenitur non semel. De Calamo, huic usu destinato, fit mentio in quodam de veteribus Thesauris Ecclesiæ Moguntinæ libello, qui ante quadringentos, & eò amplius annos conscriptus creditur; nam in eo inter vestes sacras, vasa, & instrumenta aurea, & argentea, necnon inter gemmas, & Calices aureos, Cruces item aureas, atque Donaria Archiepiscopalis Templi, Fistulæ quoque aliquot argenteæ, ut à Viris fide dignis accepi, recensentur in hunc hauriendi sacrosancti Sanguinis usum institutæ: quibus Archiepiscopum Moguntiæ, Germaniæ Urbis ad Rhenum sitæ, olim uti solitum, conjectare licet. Hunc etiam Calami usum ad evitandum periculum in Frisiâ, Germaniæ parte, Oceano ultra Rhenum oppositâ, Lindanus in suâ Panopliâ Evangelicâ pro Communione Laicorum institutum fuisse testatur, seque hujus generis Calamum, vel Fistulam Calici insertam vidisse ait his verbis: *Quia Sanguinis effusio propter incultioris Populi rusticitatem meritò timebatur, Calicibus canna est ferruminata, affabrèque inserta, unde Christi Sanguinem liceret sugere, non bibere. Tales duos Calices vidimus Boltzuvardiæ Frisiorum. Habet & Monasterium Thabor, & Berghum, poculum simile, sed argentea (nam illi sunt stannei) Fistula veterem in Ritum factum, quo post Communionem, & hodie utuntur.* Hùcusque Lindanus. Laicos intereà solitos olim Calamo, sive Cannâ, Dominicum è Calice haurire Sanguinem ex libro signorum, quem apud Benedictinos frequentem esse affirmant, pro comperto habemus: Immò Calamum argenteum, & auratum in eumdem usum institutum ad hanc usque diem in Monte Cassino reperiri, eoque Abbatem olim uti solitum, ab iisdem Benedictinis accepi. Eumdem Calami usum in vetustioribus Carthusianorum Statutis, à Guigone sancti Bernardi coætaneo, & amico, Carthusiæque olim Priore, annos circiter jam quingentos editis inveni: in iis enim

Quæsitum quintum.

Ordo Romanus.

Alcuinus de div. Off.

Lib. de Thesaur. Eccles.

Guill. Lind. lib. 4. cap. 50. post med.

Liber signorũ apud Benedictinos.

Guigo Carthus. cap. 40. Bern. Ep. 11. & 12.

Statutis, quæ vidi ego, ac perlegi, de Calice, ac Fiſtulâ fit mentio his verbis: *Ornamenta aurea, vel argentea, præter Calicem, & Calamum, quo Sanguis Domini ſumitur in Eccleſia, non habemus.* Hæc ibi. Ex quibus ſanè verbis hunc Calami uſum apud omnes ejuſdem Ordinis Carthuſiani Sacerdotes fuiſſe conjectare licet. Sacræ illæ Fiſtulæ, de quibus fit mentio apud Nicephorum Callixtum in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ de Vigilio Papâ Conſtantinopolim profecto, num ad propoſitum noſtrum ſpectent, non ſatis video. Nicephorus enim de Vigilio, iram Juſtiniani Imperatoris declinante, loquitur hunc in modum: *Vigilius autem ſibi metuens, ad Sergii Martyris* (vel potiùs ſanctæ Euphemiæ, ut Cardinalis Baronius vir eruditiſſimus, & in Hiſtoriis Eccleſiaſticis inſigniter verſatus, emendat) *Aram confugit; & ſacris Fiſtulis implicitus, non prius extractus ceſſit, quàm eas evertit. Erat namque magnus, & Corporis ſtatu vaſtus.* Hæc Nicephorus: cuius de ſacris Fiſtulis ſententiam aſſequi rimando poſſe mihi non videor, propterea quòd Anaſtaſius Bibliothecarius ſacrarum Fiſtularum loco, Altaris columnam habet in hæc verba: *Vigilius metuens impetum Imperatoris, ad Eccleſiam ſanctæ Euphemiæ fugiens, tenuit columnam Altaris: qui tractus eſt ab ea, & ejectus foras Eccleſiam,* Anaſtaſius hucuſque. Vigilius autem ad Eccleſiam Catholicam, & ad univerſum Dei Populum ſcribens, quæ Conſtantinopoli egerit, ſe ad ſanctæ Euphemiæ Eccleſiam confugiſſe narrat, nullam, nec de vi ſibi illatâ, nec de ſacrarum Fiſtularum, aut columnarum everſione mentionem faciens. Id igitur utcumque ſit, dictum communicandi Ritum, ut ad Fiſtulas, aut Calamos revertamur, non ſolùm apud Sacerdotes, verumetiam apud Laicos ad evitandum periculum effundendi Sanguinem (Lindano teſte) inventum in uſu frequenti antiquitùs fuiſſe dicendum eſt. Nam in primitivâ Eccleſiâ Laicis, & etiam non conſecrantibus, modò ſub utrâque ſpecie (eo præſertim tempore, quo pauci erant Chriſtiani) modò ſub unâ tantùm ſpecie Panis, Communio miniſtrari ſolebat: tunc enim temporis ſub utrâque ſpecie Communio libera erat: Nam Communicantes in Eccleſiâ Corpus Chriſti, & Sanguinem ſub ſpecibus Panis, & Vini ſumebant. Deindè interdum Panem item conſecratum manibus accipiebant, & in Orario, ſive linteolo nitido involutum deferebant Domum, tempore ſibi opportuno ſumendum, ut videre eſt apud Tertullianum in libro ad Uxorem, necnon apud Clementem Alexandrinum in libro Stromatum, apud Cyprianum in ſermone de Lapſis, apud Baſilium in Epiſtolâ ad Cæſariam Patritiam, Hieronymum in Apologiâ pro libris in Jovinianum, Ambroſium in Oratione ad Theodoſium Imperatorem, & de Obitu Satyri, Sophronium in Prato ſpirituali, Cyrillum in Cathecheſi Myſtogogicâ, necnon apud alios Doctores.

Nicephorus l.17. Hiſt. Eccl.c.26.

Card. Baron. to.7. Annal.

Anaſtaſ. Bibliothin Vigilii Papæ vita.

Tom.1, Fp.7.

Lindan.lib.4. Panopliæ Evangelicæ cap.56.

Tertull.lib.2. Clem. lib.1. Cypr. Baſil. Hieron. Ambroſ. ad Theod. lib.5. cap.12. Cyrill.Hieroſolymitan. Cathech. 1. Sophr.cap.79. Conc. Conſt. ſeſſ.13., & Baſil. ſeſſ.30.

Adde etiam quòd Sanguis tantùm, Vinum videlicet conſecratum, hoc eſt, ſub una Vini ſpecie ſacroſancta Euchariſtia dabatur interdum ægrotis illis, qui præ morbi vehementia Panem conſecratum, Euchariſtiam ſcilicet deglutire non poterant, ut Lindanus ex Concilii Carthaginenſis Decreto ſcriptum reliquit hiſce verbis: *Quare videre eſt, tunc unius ſpeciei Communionem fuiſſe nonnullis, etiam magni nominis Eccleſiis, etſi non omnibus, nec toto Orbe ſolemniter uſitatam. Quid, quòd alicubi videre eſt, fuiſſe interdum ægrotis ſacram adminiſtratam Euchariſtiam ſub una Vini ſpecie, cum Panem ſacrum non poſſent præ morbi vehementia ſumere, aut deglutire?* Hæc Lindanus. Verba verò Concilii Carthaginenſis ſunt hæc: *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* Ecce quomodo ex Concilii Carthaginenſis Decreto Euchariſtia ſub unâ Vini ſpecie phreneticis morituris dabatur. Id quod etiam in Concilio Toletano ſancitum invenitur de hujus generis ægrotis, qui præter Dominici Calicis hauſtum traditam ſibi Euchariſtiam deglutire non poterant. Nam totus Chriſtus, ut in Concilio Florentino definitum fuit, continetur ſub ſpecie Panis, & totus ſub ſpecie Vini; ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ, & Vini conſectati totus eſt Chriſtus.

Lindan.lib.4. Panopliæ Evangelicæ cap.56.

Concilium Carthagen.4. cap.76. & 26. quæſt. 6. Is, qui, cap.8.

Concil. Tolet.2.

Concil. Florent. de Sacramento Euchariſt.

Quamvis autem Communio ſub utraque ſpecie diù fuerit in uſu, in Conſtantienſi tamen Concilio declaratum fuit, Laicos ad utramque ſpeciem ſumendam divino jure non teneri: Immò ipſum Concilium ſub excommunicationis pœna præcepit, ut nullus Presbyter ſub utraque ſpecie Panis, & Vini Populo Communionem ſubminiſtraret: quia etſi in primitiva Eccleſia, ait ſancta Synodus, Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie à Fidelibus ſumebatur; hæc tamen conſuetudo, multitudine Chriſtianorum creſcente, ſapienter, ac laudabiliter è medio ſublata eſt, non ſolum ad pericula, & ſcandala, verum etiam ad multa incommoda evitanda, quæ S. R. E. Cardinalis Bellarminus vir doctiſſimus in libro de Euchariſtia non minus erudite, quàm accuratè recenſet. Quamvis enim Chriſtus Dominus Sacratiſſimam Euchariſtiam ſub utrâque Panis, & Vini ſpecie inſtituerit, Laicis tamen Communio ſub utrâque præcepta non fuit, ob idque iis non neceſſaria, quia integrum Chriſti Corpus tàm ſub ſpecie Panis, quàm ſub ſpecie Vini, facta conſecratione, veraciter continetur, ſicut ſacra Synodus Conſtantienſis conſtanter decernit, & Tridentina comprobat, & confirmat; Immò, ut Ricardo Tappero, Alphonſo de Caſtro, & Jacobo Paynę placet, Chriſtus Dominus Apoſtolis adhuc Laicis ſium Corpus ſub ſpecie panis comedendum dedit, Sanguinem verò ſub ſpecie Vini, nonniſi jam Sacerdotii dignitate inſignitis, per verba illa: (*Hoc facite in meam*

Conſt.ſeſs.13. Baſileenſe ſeſſ.30.

Robert. Bell. Card.l.4.c.24. tom.2. contr.

Conc. Conſt. ſeſs.13. Conc. Trid. ſeſs.13. cap.3. & can. 3. & ſeſs.21. cap.3. & ſeſs.22. poſt cap.11. in Decreto ſuper petitione conceſ. Calicis. Apoſt. quando fuerunt Sacerdotio inſigniti. Virg. Eccl. 3. Plaut. in Amphitr. Levit.15. & 23

commemorationem) bibendum tradidisse legitur: *Facere* enim non solum apud Ethnicos, sed in multis Scripturæ sacræ locis pro *Sacrificare* vel *Offerre* usitatum est verbum. Hinc sanctus Martialis in Epistola ad Burdegalenses, Clemens Romanus in Constitutionibus Apostolicis, Dionysius Areopagita in Ecclesiastica Hierarchia, Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone, Origenes in Homilia ad Leviticum, Tertullianus in Apologetico adversus Gentes, Cyprianus in Epistola ad Cœcilium, Chrysostomus in Epistola ad Hebræos; illam dictionem, *Facite*, explicantes, eam nonnisi pro *Sacrificare*, vel Sacrificium offerre interpretantur: Sed sanctus Anselmus id omne magis, quàm ceteri apertè interpretatus est dicens: *Vos Sacerdotes facite, idest, ex Pane Corpus meum per verba mystica consecrate in memoriam Passionis meæ, ut recogitetis eam, dum istud Sacrificium obtuleritis*. Hæc Anselmus. Postquam igitur Apostoli Sacerdotii dignitate fuerunt insigniti per illa verba; *Hoc facite in meam commemorationem*, Sanguinem bibendum susceperunt, ad insinuandam Laicis Communionem sub utraque specie non esse necessariam. Hùc etiam spectat sententia Beati Pauli, qui dum sacrasanctam Eucharistiam dignè sumendam docet, sub disjunctionis nota de Pane atque Calice loquitur hunc in modum: *Itaque quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*; Idcirco Laicis, & non consecrantibus Communionem sub utrâque specie necessariam non esse omninò fatendum est. Quando autem sub Conjunctionis notâ à Salvatore nostro dictum fuit in hæc verba: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; Illud præceptum non de ipsius Eucharistiæ perceptione sacramentali, sed de spirituali à multis Interpretibus exponi solet: Vel si de sacramentali perceptione intelligatur, sub specie Panis Caro cum Christi Sanguine accipitur, quatenus ibi Sanguis continetur, quia sub specie Panis est vera Christi Caro ex virtute Sacramenti, cetera verò ex concomitantia, ut docent omnes, qui de hac materia scripserunt. Quam profectò veritatem sacrosancta Tridentina Synodus sapienter explicat, & multis Scripturæ sacræ locis illustrat. Vel dictio illa, *Et*, copulativa pro disjunctionis nota sumitur, ut nonnulli volunt: quia, *Et*, pro, *Vel*, non rarò in Scriptura sacra usurpari solet. Hinc Martinus Martinez, Vatablus, & S. R. E. olim Cardinalis Toletus, Vir doctissimus, illud Exodi, *Qui percussit Patrem suum, & Matrem, morte moriatur*, disjunctivè interpretantur dictionem illam, *Et*, proposito nostro aptantes. Quamvis enim dictum illud sub nota copulationis hebraicè legatur, Interpretes tamen omnes sententiam ipsam sub sensu disjunctivo exponunt.

Num. 2. Regum lib. 3. c. 18.

Martialis c. 3. Clemens l. 5. cap. 20. Dionys. c. 3. Just. Mart. Orig. Hom. 14 cap. 24. Tert. Cypr. ep. 63.

Chrysost. hom. 17. Ambr. cap. 10 Theoph. c. 10 Theod. cap. 8. Anselmus in 1. Cor. 11.

1. Cor. 12.

Joann. 6.

Lyr. in cap. 6. Joann.

Conc. Trid. sess. 13. cap. 3. & can. 3. sess. 21. cap. 1. & 3.

Martin. l. Hypotyposeon. Vatablus. Fran. Tol. in Joann. cap. 6. annot. 26.

Neque huic veritati, sive Concilii Constantiensis decreto adversatur exemplum Martini V. qui Concilio Constantiense absoluto, cui præfuit, Romam reversus, Laicos sub utraque specie communicavit, ut Lindanus ex Henrici Raltysen Archiepiscopi Nidrosiensis testimonio in libro superiùs citato testatur. Nam Concilii voluntas, eodem Lindano teste, haudquaquam fuit, ut sub utraque specie Communionem è medio tolleret penitùs, sed ut eam sub utraque specie comprehensam, nec de Jure divino, nec necessariam esse contra Hussitarum errorem demonstraret. Hinc Lindanus in eodem suæ Panopliæ Evangelicæ libro nuper citato, istùc ipsum dicit, dum loca illa, in quibus Communio sub utraque specie ad hanc usque diem licita est, diligenter recenset in hanc verborum formam: *Deindè hoc Constatiensis Concilii Decreto, nihil in Græcanica, aut Orientali, aut Indiana; Immò Septemtrionali adeò immutatum fuit Ecclesia, sicuti nec Patres tollere voluerunt utriusque speciei Communionem, ubi antiquo vigeret more; Immò nec Romanæ quidem Ecclesiæ consuetudinem in hunc usque diem observatam, voluerunt variatam: Sicuti enim illæ Ecclesiæ Orientales, & , uti audio, Dalmatiana, & quædam Septemtrionales numquam utriusque speciei Communionem intermisere, sed majori semper ex parte utramque sumpsere; ita & Romana Ecclesia prisæ consuetudinis obtinet in hunc usque diem vestigiolum, ut sacris operante Pontifice Maximo, Diaconus veteri ex more non solum de Hostia comedat, sed & de Calice combibat; Narrant enim Viri gravissimi, qui se suis ajunt vidisse oculis, Diaconum Fistulâ crystallinâ de Calice Domini Sanguinem exugere*. Hùcusque Lindanus: qui, dum consuetudinem communicandi sub utrâque specie in aliquot Ecclesiis ad hæc usque tempora observatam refert, mentionem item facit de Fistula olim crystallina: nunc verò aurea, quæ in solemni Romani Pontificis Missâ adhiberi solet.

Lindan. ubi suprà. Henricus in Oratione contra Boemos, habita in Cõcil. Basil.

Lindan. l. 4. cap. 56.

Quem verò locum usus Calami pro periculis, & incommodis Laicorum evitandis inventus, apud Sacerdotes, præsertim verò apud Abbates, Episcopos, & Archiepiscopos, necnon apud Summum Pontificem cum Diacono, & Subdiacono solemniter celebrantem, habere queat, non video. Si autem ad decrepitam eorumdem ætatem juvandam, vel ad majorem ipsorum commoditatem, periculi evitandi causâ, Calami usum primitùs introductum fuisse dicamus, ut de Romano Pontifice dicier audivi; Cur in privatis Missis ob eamdem causam Calamus non adhibeatur; Cur item in solemni Summi Pontificis Missâ à Diacono, & Subdiacono, haudquaquam senibus, pro periculo evitando, Calami usu non indigentibus, hujus generis Ritus adhiberi soleat, ignoratur, nisi ad Mysterium aliquod confugiatur, Hinc ego dictum Calami usum in fugendo Christi Sanguine, Mysterio etiam non carere arbitror, ut re ipsa inferiùs demonstrare adlaborabo; præsertim verò in Missâ Romani Pontificis solemniter celebrantis.

Conc. Constant. sess. 13.

Innoc. 3. l. 3. Myſt. Miſſæ.

Innocentius hujus nominis III. quamvis de omnibus, quæ à Majoribus noſtris in Eccleſiaſticum introducta ſunt uſum, rationem reddi non poſſe opinetur; in iis tamen omnibus, quæ in Communione Summi Pontificis rem ſacram ſolemniter facientis obſervantur, profunda latere ſacramenta arbitratur, & jure quidem: Immò aliquorum Communionis hujuſce Rituum cauſam, non allegoricam, ſed hiſtoricam à nonnullis ſe jam audiviſſe teſtatur: Verùm quia nihil authentici ſcriptum invenit, ſubticendum cenſuit. Mihi verò hanc præſertim, de qua loquimur, rem, diligenter, ac diù meditanti, nihil aliud opportunius, congruentiuſque ſeſeque offert (niſi ad uſum antiquitùs introductum conſervandum referatur) quàm Calamus ille, quem pro acetoſa potione Chriſto Domino ſitienti, & Cruci affixo ſubminiſtranda juxta Beati Marci Evangelium adhibitum fuiſſe conſtat. Marcus enim de ipſo Calamo in hanc loquitur verborum formam: *Currens autem unus, & implens ſpongiam aceto, circumponenſque Calamo, potum dabat ei*. Hæc Beatus Marcus. Per Calamum, ſi factum diligenter perpendatur, Chriſto Domino in Cruce pendenti, humanamque ſalutem mirandum in modum ſitienti, porrectum, aptiſſimè Calix inſinuatur. Calix autem, teſte Walafrido Strabo, ſeu Strabone, à voce Græca, κύλιξ, littera υ, in α, ut Macrobius in libro Saturnalium ait, immutata, originem trahit, ab aqua calida dictus, ut Varro, Feſtus, & Nonius teſtantur: quia veteres Aquam calidam (ut ajunt) Vino mixtam habebant in deliciis, & in conviviis adhibebant, ut Antonius Perſius, Vir ætate noſtra doctiſſimus, & Polyhiſtoris nomine dignus, eruditè oſtendit. Hinc, ut inquit Papias, Calix potionem calidam, vel paſſionem, vel, Hieronymo teſte, mortificationem carnis, ſeu animum ad Martyrium ſemper paratum ſignificat: Sive, ut Origeni placet, paſſionem dolorum, aut Martyrii, quod ſine igne, aut fervore charitatis eſſe non poteſt. Quem profectò fidei, vel charitatis fervorem, ut videre eſt in Miſſa Sancti Baſilii, & Sancti Chryſoſtomi, inſinuant Græci dum Aquam calefactam, ſive fervidam, quæ ferventem Populi charitatem repræſentat, Vino jam frigida mixto, & conſecrato, adjungunt, ubi primùm ſumere volunt Sanguinem. Quamvis autem nonnulli ex Græcis ad calorem, ſeu teporem Sanguinis aquâ mixti, & è latere Dominico emanati exprimendum, id fieri dicant; & Nicolaus Cabaſilas per Aquam calidam, in Calicem injectam, Spiritus ſancti in Eccleſiam deſcenſum interpretetur; Ego tamen per Aquam calefactam, Vino mixtam, & Calici immiſſam, Populum charitate ferventem, atque ad Martyrii paſſionem præparatum ſignificari poſſe cenſeo; ſicut ex ipſa Beati Joannis Apocalypſi, necnon ex iis, quæ in primo Quæſito dicta ſunt, colligi poteſt. De Paſſione itaque Martyrii per Calicem (ut eò, unde digreſſi ſumus, reuertamur) inſinuata, legitur apud Evangeliſtas, præſertim verò apud Matthæum in hæc verba: *Poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum?* Et: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte*: Calix namque, ut ait Odo Cameracenſis, metonymicè, continens ſcilicet pro eo, quod continetur, ideſt, Vas pro Sanguine ſumitur. Quòd autem Calamus Chriſto in Cruce pendenti Calicis loco fuerit porrectus, ex eo patet, quòd ipſe Calamus Calicis munere functus, ad potum porrigendum deſervivit; Chriſtus enim Cruci affixus, adeo erat à terra elevatus, ut potus nonniſi ſtipite, aut ſcipione aliquo, vel Calamo, aut arundine ori ejus porrigi poterat.

Auctoris opinio de Calamo.

Marc. 15.

Calamus pro Calice,

Calix unde dicatur.

Vvalafrid. Strab. c. 24. de reb. Eccl. Macrob. l. 5. c. 2. in fine.

Varro lib. 4. lat. Feſtus lib. 3. Nonius. Ant. Perſius in lib. de potu calido. Papias, Hieron. ep. 20. tom. 1.

Matth. 20. Marc. 10. & 14 Luc. 22. Jo. 18. Odo Cameracen. in expoſitione Can. d. 3.

Quod autem ad Chriſti paſſionem per Calicem inſinuatam pertinet, illud in primis ſeſe nobis offert conſiderandum, cur ſcilicet divinâ diſpenſatione factum ſit, ut in Golgotha Calvariæ loco, antequam Cruci affigeretur, Vinum cum Felle mixtum, vel Myrrhatum, deinde Calami, ſive Arundinis miniſterio Acetum Chriſto Domino Cruci affixo bibendum datum fuerit: Id quod myſterio non carere credas oportet. Hęc enim tria, Fel ſcilicet, Acetum, & Myrrha, nonniſi amariſſimum, & acerbiſſimum Calicem, Calicem videlicet amariſſimæ, & acerbiſſimæ Paſſionis per Calamum inſinuatæ præſeferunt. De duobus primis Propheta David, qui Chriſti Myſteria præ ceteris Prophetis plenè prævidit, & expreſsè ſcripſit (ut Auguſtinus, & Caſſiodorus teſtantur) dum amariſſimam, & acerbiſſimam Domini Salvatoris noſtri Paſſionem diffusè narrat, & piè meditatur, poſt multa in hæc ait verba: *Dederunt in eſcam meam Fel, & in ſiti mea potaverunt me Aceto*. Utrumque enim, Fel ſcilicet, atque Acetum, moleſtiam, aut amaritudinem, mordacitatem, ſivè auſteritatem, ſuavitati contrariam, Paſſionique congenitam deſignat. Fel namque, quod à Medicis flava bilis vocitatur, eſt humor amariſſimus, ſub ima hepatis parte in veſicula quadam concluſus, tribulationem, Hieronymo teſte, & ſupplicium, aut punitionem, aut mortem in Scriptura ſacra interdum ſignificat. Hinc Sedulius, dum de Paſchali opere ſcribit, & Fel Domino datum meditatur, per Fel amaram mortem ſignificari ait hunc in modum: *Nec illud à Conſortio Divinitatis abſceſſit, quòd datum ſumit Vinum felle mixtum, labris tetigit, & ab ore projecit. Signum quippè fuit mirabile, amaram mortem Dominum deguſtare, confeſtimque virus ejus horribile reducis vultus averſione contemnere*. Hæc Sedulius. Acetum quoque, quod eſt item mordax, & guſtui grave; immò propter ſuam ipſius mordacitatem, & acerbitatem ad bibendum inſuave, atque ineptum, ſupplicium, & correctionem in divinis literis nonnumquam præſeferre ſolet, ut Eucherius, & Beda teſtantur. Hinc Plautus in amaritudine animi inſinuanda Acetum cum Felle perbellè conjunxit, apud quem Adoleſcens

Calix cur Paſſionem ſignificet.

Aug. & Caſſiod. in Pſ. 68.

Pſalm. 68.

Fel, quid, & ejus locus.

Hieronym. in Hierem.

Sedulius l. 3. cap. 12. de Paſchali opere.

ad

Miſſa S. Baſil. & S. Chriſoſt. & Germ. in hunc Ritum.

Nicol. Cabaſil. c. 37. in expoſ. Liturg. tom. 6 Bibliothecæ Veterum Patrum.

Apocal. 3. & 17. Sup. pag. 9. & ſeq.

Eucher. formulis ſpiritualibus 8. & Beda in Prov. 25.

ad Aſtaphium loquens, hunc in modum ait:

Plautus in Trucul. Act. 1 ſcen. 2.

In melle ſunt ſitę linguę veſtræ, atq; orationes:
Corda in felle ſunt ſita, atque acerbo Aceto.

Adde etiam, quòd de potione amariſſimâ, Chriſto in Golgothâ nondum Cruci affixo ſubminiſtrata, idem ferè à Matthæo, & à Marco ſcriptum fuit: hic autem, loco Vini cum Felle mixti, Vinum myrrhatum Chriſto Domino oblatum fuiſſe teſtatur. Sed hunc nodum ſanctus Pater Auguſtinus diſſolvit dicens: *Hoc inteligendum eſt, Matthæum dixiſſe, cum Felle mixtum: Fel quippè pro amaritudine poſuit: Myrrhatum enim Vinum amariſſimum eſt, quamquam fieri poſſit, ut, & Fel, & Myrrha Vinum amariſſimum redderent.* Hæc Auguſtinus. Michael autem Mercatus Miniatenſis, vir quidem ætate noſtrâ eruditiſſimus, in ſuâ Metallothecâ, rerum foſſilium varietate refertiſſimâ, quam ego frequenter legi, Vinum Myrrhatum, ſe Myrrhinum, non amarum, ſed guſtui gratum, ac jucundum olim fuiſſe docet. Id quod item mihi coram non ſemel affirmavit, quibuſdam & Plauti, & Plinii locis innixus. Hanc etiam opinionem nonnulli Scriptores ætate noſtrâ inſignes ſequuntur, Chriſtumque Dominum omnes ærumnas ſponte ſuſcipientem, nullumq; in ſuo corpore ſolatium capere volentem, Myrrhinum, ſive Myrrhatum Vinum tamquam guſtui gratum, & jucundum omninò recuſaſſe contendunt. Nos tamen doctrinam, & ſententiam ſancti Patris Auguſtini, cæterorumque Doctorum ſequemur. Quamvis enim illi ex recentioribus Scriptores (quos honoris gratiâ ſemper nomino) Plauti, & Plinii auctoritate ſuffulti, Vinum Myrrhatum non amarum, ſed dulcedine, ac ſuavitate refertum omninò fuiſſe affirment, inter eos tamen non deeſt, qui Myrrhatum Vinum, etſi non ex Myrrhâ ipsâ; Ex aliis tamen admixtis ſpeciebus dulcedinem in vaſis Myrrhinis olim contraxiſſe fateatur. quaſi Myrrham reapſe amaram eſſe dicat: Id quod omnes affirmant: Galenus namque in libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus, necnon Iſidorus Hiſpalenſis in libro Etymologiarum, aliique Scriptores Claſſici, Myrrham amaram eſſe teſtantur: Et hac in re Doctores ſacri omnes conſentiunt. Hinc ſanctus Bernardus in Canticâ Canticorum, dum locum de Myrrhâ illum (*Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi*) interpretatur, Myrrhæ ſignificatum explicat hiſce verbis: *Myrrha, amara res, dura, & aſpera, tribulationem ſignificat.* Et paulò inferiùs, Myrrham, quâ Chriſtus in Cruce (ait) potatus fuit, noſtrorum peccatorum amaritudinem Chriſtum Dominum ſibi tum applicuiſſe dicit. Quare Origenes in Canticâ Canticorum, necnon Baſilius Magnus in Pſalm. 44.; Aliique Doctores per Myrrham, Paſſionem, ac Mortem ſignificari volunt. Quæ ſanè omnia nullum cum Vino illo Myrrhino, jucundo, & guſtui grato, ſymbolum habent, odore ipſo excepto, quem ſanè Myrrhæ gutta ſuavem habet; niſi dicamus, Vina illa Myrrhina, quantum ad ſaporem, fuiſſe perjucunda, non ex Myrrhâ ipsâ, quæ Vinum, quamvis dulciſſimis condimentis refertum, amarum redderet, ſed ex condimentis, quæ in vaſis Myrrhinis apponebantur Vino commixta. Vina itaque ſaporem ex condimentis, odorem ex vaſis contrahebant; idcircò Plinius non ſapore Myrrhæ, ſed odore ejus condita Vina apud Priſcos erant lautiſſima. Odorem autem Myrrhæ illum, de quo Plinius loquitur, non ex Myrrhæ guttâ, ſive lacrymâ, ſed ex vaſis ipſis contractum eſſe dicas oportet. Nam vaſa illa conficiebantur, vel ex Myrrhæ ligno, vel ex lapide quodam, quem Plinius, Iſidorus, Albertus Magnus, Bartholomæus Anglicus, Camillus Leonardus, & alii, Myrrhinam, ac Murrhinam, vocant, & apud Parthos naſci, atque ad vaſa fabricanda idoneum eſſe dicunt. Vaſa verò Myrrhina Pompejum in Italiam primum advexiſſe, magnoque pretio extitiſſe Plinius narrat. Myrrhites item, ut iidem Scriptores volunt, lapis eſt, & colori, & odori Myrrhæ adſimilis, confricatuſque pannis, nardi, aut aromatis odorem ſpirat cum ſuavitate. Quod ſi ex confricatione fit, multò magis illud ipſum ex Vini ebullitione in vaſa illa Myrrhina immiſſi effici credendum eſt. Quando igitur à Plauto Myrrhina, hoc eſt, illud Vini conditi genus, inter dulcia nominatur; dulcedinem illam non ad Myrrham, ſed ad condimenta ipſa dulcia referendum cenſeo. Arbor namque nec amaritudinem, nec odorem habet, nec fructum; ſed guttæ ipſi, aut lacrymę ex arbore ſtillanti odorem, & amaritudinem ineſſe Hieronymus Lauretus in ſuâ Allegoriarum Silvâ, & alii Scriptores produnt. Vinum itaque duobus modis Myrrhinum, ſive Myrrhatum dici poſſe puto; Vel quia Vinum (ut ajunt) calidum, & fervens, vel ebulliens in vaſa Myrrhina immiſſum, ex ligno, vel ex lapide propter ebullitionem ipſam, odorem, ex condimentis dulcedinem excipit; Vel quia Myrrhæ gutta, ſive lacryma, quæ amariſſima res eſt, Vino conjuncta, Vinum amariſſimum reddit: Fieri autem non poteſt, ut Vinum primo modo ſumptum, Chriſto Domino in Golgothâ fuerit oblatum; propterea quòd loco Vini Myrrhati, quod ſcribit S. Marcus, eodemmet in loco S. Matthæus Vinum cum Felle mixtum, oblatum Chriſto Domino fuiſſe narrat. Editio verò græca, apud Matthęum loco Vini, Acetum, quod eſt Vinum acidum & aſperum, legitur hiſce verbis: Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, hoc eſt; Dederunt ei bibere Acetum cum Felle mixtum. Quæ ſanè mixtio acerbitatem, & amaritudinem bibenti mirandum in modum affert. Acetum autem, vel Vinum cum Felle mixtum, & Vinum Myrrhatum, idem hoc in loco eſſe ait Beda; quia cum ſancto Auguſtino Fel pro amaritudine à beato Matthæo uſurpatum eo in loco fuiſſe affirmat. Immò ſanctus Auguſtinus, ut diximus, Vinum cum Felle, ac Myrrhâ mixtum, Chriſto datum conjectat. Et Cyrillus Hieroſolymitanus ſuâ in Cateheſi ait: *Fel dederunt ori ejus, Vinum Myrrhâ permixtum: Myrrha autem*

Matth. 27.
Marc. 15.
Aug. lib. 3. de conſenſ. Evangel. cap. 11. tom. 4.
Mich. Mercatus in Metallotheca.
Plin. lib. 14. Nat. hiſt. c. 13.
Opiniones de Myrrhato Vino.
Confutatio prima.
Galen. lib. 8.
Iſid. l. 17. c. 8.
Bernar. ſer. 43. to. 1. Cant. 1.
Orig. Conc. 1.
Baſil. Conc. 2.
Plin. lib. 12. cap. 13.
Plin. l. 37. c. 2. Iſid. l. 16. c. 7. Albert., Barthol. Anglic., l. Camil. Leonard. Plin. l. 37. c. 2.
Plauti, & Plinii loca explicantur. Plaut. in Pſeudolo.
Hieron. Laurent. in Silua Allegoriarum de Myrrha.
Confutatio ſecunda.
Marc. 15. Matth. 27.
Biblia Regia Matth. 27.
Beda in Matth. 27.
Cyrill. Cateſc. 13.

Apon. l. 3. in Cant. tom. 9. cp. 19.

tem Fellis instar amara est; Idemque de Myrrhâ ferè scribit Aponius dicens: *Myrrha siquidem amara interpretatur*: Immò apud Beatum Hieronymum in Ruffini Symbolo, Vinum Myrrhatum Felle amarius existimatur. Hinc aliud Myrrhinum, aliud Myrrhatum Vinum esse censeo: Illud enim ex vase odorem, hoc autem ex Myrrhâ ipsâ amarissimum trahere saporem credendum est. Si autem saporem gustui gratum ex vase illo reddi quis experimento dicat, ut Mercatus in suâ Metallothecâ affirmat, vel saporem illum suavem ex condimentis effici, vel vas illud ex alio alterius naturæ ligno esse dicas necesse est, ut de Myrrhite lapide dictum nuper fuit. Tantum itaque abest, ut Vinum illud Myrrhatum Christo datum, dulce fuerit, ac suave, ut nihil ipsi dulcedini, ac suavitati magis contrarium esse queat. Dulce namque, & amarum, antitheta esse nemo non novit. Quamvis verò Christum Dominum Vinum Myrrhatum apud beatum Marcum non accepisse legatur; Eum tamen Vinum illud gustasse, sed non bibisse Doctores contendunt, ut legitur in beati Matthæi Evangelio, de Vino, vel Aceto cum Felle mixto dicentis: *Et cùm gustasset, noluit bibere*; nam parum (teste Philosopho) pro nihilo interdùm censetur. Myrrhatum igitur Vinum non accepit, ut biberet, ait sanctus Pater Augustinus, sed gustavit pro nobis amaritudinem Passionis, ac mortis; nobis Passionis acerbæ, atque mortis amaræ partem relinquens. Adde etiam, quòd Christus Dominus Vinum Myrrhatum gustavit, sed bibere recusavit, ut hoc exemplo verum hominem se esse comprobaret, dum rem amaram gustui humano ingratam, & omninò adversantem, renuebat: sicut enim dulcia sunt amica naturæ, ita amara eidem inimica esse, necesse est. Sed quamvis Vinum cum Felle mixtum (quod Hilarius etiam peccatorum amaritudinem mysticè appellat) necnon Vinum Myrrhatum absque Calami, aut Arundinis ministerio, sed non sine Calice, aut Vase, Calicis loco, Christo Domino in Golgothâ oblatum verisimile sit; per Fel tamen, per Myrrham, & per Acetum in poculum Christo sitienti datum, amaritudinem, & asperitatem, sive acerbitatem Passionis Dominicæ, per Calamum, aut per Calicem, in primis repræsentatæ, sanctorum Patrum consensu significari, fatendum est.

Marc. 15.

Matth. 27.

Arist. 2. physic. tex. 1.

Aug. lib. 3. de cons. Evang. c. 11. tom. 4.

Hilarius in Matth. c. 33.

Matth. 27.

Sancta itaque Mater Ecclesia (si meam hoc loco opinionem proferre liceat) ut in divino Missæ Sacrificio, in quo memoria Passionis Christi recolitur, amaritudinem, & acerbitatem Passionis Dominicæ, ut reor, repræsentaret, Spiritu sancto afflata, instituit, ut Romanus Pontifex, Summus Dei Sacerdos, & Christi Vicarius, in hauriendo è Calice Sanguine, uteretur Calamo, per quem ipsi Christo Acetũ potandum fuerat in Cruce datum. Hoc enim facto, præter Mysteria Passionis ad finem deducta, præter denique opus Redemptionis nostræ completum, per Vinum Myrrhatum amarissimum jam ei subministratum, & per Acetum Calamo eidem porrectum, & ab ipsomet potatum, ad summum crudelitatis Judæorum perventum jam erat. Hinc Joannes suo in Evangelio scriptum reliquit: *Cùm ergo accepisset Jesus Acetum dixit: Consummatum est*, id est, non solùm de acetosâ potione consummata est prophetia illa: *Dederunt in escam meam Fel, & in siti mea potaverunt me Aceto*; sed cæteris interpretationibus, quæ in hunc locum afferri solent, prætermissis, quasi dicere voluisset: Nil acerbitatis, nilve crudelitatis aliud supereſt sumendum.

Joann. 19.

Psal. 68.

Quam idcircò rem, Passionis videlicèt amaritudinem, & acerbitatem, immensumque crudelitatis cumulum Romanus Pontifex in Sacratissimo Missæ Sacrificio repræsentans, illo utitur Calamo, in quo summa totius amaritudinis, & acerbitatis, summaque crudelitatis per Myrrham, Fel, & Acetum subministratæ, morte tandem cum ipsâ conclusa est. Sed quoniam membra suum caput sequi debent, & spinoso item sub capite membra delicata esse non decet, ut sanctus Bernardus ait, acerbissimam Christi Passionem per imitationem, vel saltem per affectum, aut promptam voluntatem, sua in membra derivare necesse est. Idcircò non solùm Romanus Pontifex, sed Diaconus item Cardinalis, & Subdiaconus Apostolicus, in eâ Sanguinis portione sumendâ eodem utuntur Calamo ad ipsam Passionis communicationem, aut participationem insinuandam. Quam profectò Passionis Communicationem veris Christi membris, eo, quem explicavimus, modo, necessariam esse Matthæus testatur per illa Salvatoris nostri verba, ambitiosam, & avidam Discipulorum postulationem retundentis hunc in modum: *Potestis* (inquit Dominus illis Discipulis, & omnibus verè Christifidelibus) *bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis*: Hoc est, Passionis meæ consortes, aut participes per imitationem, aut saltem per promptam voluntatem vos fore video. Horum namque modorum altero, ut ex ipsiusmet Christi sententiâ colligi potest, Calicem Domini à nobis bibendum esse fateamur, oportet. Hùc etiam spectare potest beati Lucæ locus, qui duos à Christo Discipulis Calices porrectos esse commemorat; unum scilicet ante benedictum, fractumque Panem; alterum verò post Panis benedictionem, fractionemque præstitam. Quamvis enim nonnulli hunc de duplici Calice locum, hoc est, de primo Calice ad vetus, de secundo ad novum Pascha pertinente interpretentur; Alii verò de Calice inter Discipulos antea dividendo, eodemque postea bibendo; Vel de uno, eodemque Calice primâ vice præoccupativè commemorato; non desunt tamen qui per primum Calicem, Passionem præfiguratam fuisse contendant, ut Paschasius Ratbertus in Epistolâ ad Frudegardum de Corpore, & Sangine Domini refert.

Matth. 26.

Diac. & Subdiac. cur Calamo insugendo Christi Sanguine utantur.

Luc. 22.

Gloss. interlin.

Theophylactus in hunc locum.

Aug. lib. 3. de cons. Evang. cap. 1.

Paschas. Ratbert. in expos. Epistolæ tom. 6. Bibliothec. Veterũ Patrum.

Ad Amaritudinem igitur, sive ad crudelitatem, & acerbitatem Passionis per Calamum

Conclusio Quæsiti quinti.

lamum ſubminiſtratam, vel inſinuatam, necnon ad Arundinem oblatam Chriſto Cruci affixo repræſentandam, Summus Pontifex in hauriendo è Calice Sanguine, Calamum adhibet. Ad ejuſdem verò Paſſionis communicationem præſeferendam, ſive inſinuandam, Diaconus Cardinalis, & Subdiaconus Apoſtolicus in ipſo item Miſſæ Sacrificio, ſeu Communione, Calamo eodem uti ſolent.

PERORATIO, SIVE EPILOGUS

Rerum dictarum,

Juxta Quæſita explicata quinque Concluſionibus comprehenſus.

UT tandem aliquando Quæſita initio propoſita in formam Concluſionum redigam, & Commentarium concludam, ac definiam, quæ ſuprà diffusè dicta ſunt, compendio repetam in hæc verba:

CONCLUSIO I.

Euchariſtiæ Sacramenti perceptio, Communio nuncupatur, quia per eam Deus ſeſe nobis inſigniter communicat, noſque ſibi incorporat.

CONCLUSIO II.

Summus Pontifex ad Altare conſecrat, & ad Solium communicat, ut Chriſtum in Cœnaculo cum Diſcipulis communicantem, & eumdem Cruci affixum, necnon coràm omnibus paſſum, atque in eâ quaſi reclinantem, referat, cruentum, & incruentum Sacrificium uno eodem actu repræſentans.

CONCLUSIO III.

Dum Sacroſanctam Euchariſtiam percipit, ad ſiniſtrum Solii latus Hoſtiam ſumit, Sanguinem verò ad latus dextrum, ut Sanguinem cum Aquâ è latere Chriſti dextro effluxum propriùs repræſentet: Dextrum namque latus ab uno Militum lanceâ fuit apertum, non ſiniſtrum, ut rectè ait *Gregorius Nazianzenus, & Bernardus ſerm. 30. in Canticâ.*

CONCLUSIO IV.

Hoſtiam verò, & Vinum conſecratum, hoc eſt, Sanguinem inter Diaconum Cardinalem, & Subdiaconum Apoſtolicum dividit; ejuſdem Hoſtiæ integram medietatem, tertiamque Vini conſecrati partem ſumens, ut Communionem, illo item in Cœnaculo inſtitutam, inſinuet.

CONCLUSIO V.

Calamo denique Summus Pontifex in hauriendo Chriſti Sanguine utitur, ut Calamum Chriſto Cruci affixo porrectum ad potandum, amariſſimamque Paſſionem exprimat; Miniſtri verò, Diaconus ſcilicet Cardinalis, & Subdiaconus Apoſtolicus eodem utuntur Calamo; ad ejuſdem Paſſionis Communicationem inſinuandam.

EXCU-

EXCUSATIO.

HÆC sunt, quæ pro Nodis, vel Quæsitis initio propositis dissolvendis, aut explicandis mihi dicenda videbantur. Num ego scopum attigerim, judicent alii: Si enim rem ipsam non fuero assequutus, sive [ut ajunt] rem acu non tetigero, sicut facilè evenire posse credo; satis tamen erit, si ego in rebus tam arduis, & abstrusis aliquid dixero, quod à ratione, & ab hujus generis communicandi Ritu alienum prorsus non existimetur: propterea quòd de Quæsitis hisce hoc in Commentario explicatis nil ferè ab aliis conscriptum inveni, nisi ea, & quidem perpauca, quæ suis locis recitavimus; innumeris ferè Scriptorum, tàm veterum, quàm recentiorum monimentis hinc inde à me conquisitis, ac diligentèr perlustratis.

FINIS.

DE SACROSANCTO CHRISTI CORPORE ROMANIS PONTIFICIBUS *Iter conficientibus præferendo* COMMENTARIUS.

PRÆFATIO.

NEMO tam hebeti, tamve rudi ingenio est, qui scire omnino negligat, occultasque rerum causas nosse non desideret, ut Peripateticorum Princeps in suâ Metaphysicâ testatum reliquit. Quam profectò sententiam mihi perbelle, mirumque in modum comprobatam fuisse fateor, dum sacratissimum Christi, & Salvatoris nostri Corpus, Sanctissimo D. N. CLEMENTI Papæ VIII. ab Urbe Româ Ferrariam celeriter, ac feliciter, expressoque divinæ opis præsidio superiori anno recuperatam proficiscenti, præferebatur: toto enim itinere complures cujuscumque status & conditionis, dignitatisve homines ex me sciscitati sunt, quid hic sacer Ritus sibi velit, hoc est, cur Sanctissimum Christi Corpus Romano Pontifici longum iter conficienti præferatur; meque non pauci, ut hac de re conscriberem, sunt cohortati. Ego verò hanc scribendi provinciam, cùm mihi tamquàm Apostolici Palatii Sacristæ satis idoneam, immò verò peculiarem esse dijudicarim, eam libentissimè, divinâ fretus ope, suscepi, tùm ob ipsam curam in gestando Sanctissimo ante Summum Pontificem Sacramento ex officio mihi demandatam; tùm quia hujus generis argumentum, nec à veteribus, nec à recentioribus Scriptoribus occupatum animadverti. Idcircò itinere Ferrariam usque confecto, de Sacratissimi Christi Corporis in itinere deferendi Ritu Commentarium hunc ipso festo Sanctissimi Sacramenti die, Ferrariæ mihi placuit auspicari, ut ipsemet Christus Dominus, de cujus glorioso Corpore, in Eucharistiæ Sacramento mirabiliter occultato, verba facturus sum, sermonem re tantâ, ac tam mirabili mysterio dignum, mihi ex suâ ipsius clementiâ liberaliter subministret.

Arist. lib. 1. Metaph. t. 1.

Scribendi occasio.

Auctoris intentio, sive institutum.

Ut autem omnia suo quæque ordine, qui non solùm memoriæ maximè lumen affert, sed orationem item clariorem reddit, collocentur; Commentarium nostrum in quatuor præcipuas distribuemus partes: In quarum primâ,

Commentarii divisio.

Commentarii pars prima. primâ, unde Ritus gestandi Sanctissimum Sacramentum ante Romanum Pontificem iter longum conficientem, originem trahat, disputabimus; nostramque hac de re sententiam aperiemus. In alterâ verò, longa Summorum Pontificum breviter recensebimus itinera, quibus sacrum hujusce gestationis Ritum, ut ex Diariis cœremoniarum, necnon ex Historiis constat, observatum invenimus. In tertiâ parte iter Clementis VIII., seu potiùs Societatis Sanctissimi Sacramenti ab Urbe Româ Ferrariam usque; In quartâ denique ad eamdem Urbem reditum describemus, scituque digniora explicabimus.

Commentarii pars secunda.

Commentarii pars tertia.

Commentarii pars quarta.

COMMENTARII DIVISIO.

Commentarius quatuor constat partibus, quarum

PRIMA.

Originem, ac rationem deferendi Sanctissimum Sacramentum ante Romanos Pontifices iter conficientes, necnon sacros, & antiquissimos Ritus ad sacrosanctam Eucharistiam pertinentes ex sanctorum Patrum monumentis, Conciliorumque Decretis excerptos; complectitur.

SECUNDA.

Romanos Pontifices, qui Sanctissimum Sacramentum in itinere deferendum curarunt, eorundemque profectionis causas brevissimè recensèt.

TERTIA.

Societatis Sanctissimi Sacramenti ab Urbe Româ profectionem, Clementis item VIII. maximè solemnem in Civitatem Ferrariam ingressum, præcipuasque res ab eodem Clemente Ferrariæ gestas comprehendit.

QUARTA.

Ejusdem Societatis reditum, & Summi Pontificis in Urbem Romam ingressum describit.

AUCTORES

In Commentario citati.

Adriani Cardinalis Itinerarium.
Alcuinus.
S. Ambrosius.
Annius Viterbiensis.
Antonini Itinerarium.
Aristoteles.
S. Augustinus.

Baptista Fulgosus.
Bartholomæus Platyna.
Bartholomæus Anglicus.
S. Basilius Magnus.
S. Beda Venerabilis.
Blondus Flavius.
S. Bonifacius Episcopus, & Martyr.
Burchardus Wormacien. Episcopus.

Canones Summorum Pontificum.
Cœremoniarum liber.
Clemens Alexandrinus.

Concilia

Concilia { *Nicænum.* *Cæsaraugustanum.* *Aurelianense.* *Antisiodorense.* *Rhotomagense.* *Toletanum.* *Turonense.* *Rhemense.* *Triburiense.* *Constantiense.* *Basileense.* *Tridentinum.*

Cornelius Tacitus.
S. Cyprianus.

Diaria.

Eusebius Cæsariensis.

Franciscus Turrianus.

Gaufridus de Bello loco.
Glossa ordinaria, & Interlinearis.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Turonensis Episcopus.
Guillelmus Durandus.
Guillelmus Kyriander.

S. Hieronymus.

S. Jacobi Liturgia.
Jacobus Pamelius.
Joannes Diaconus.
S. Joannes Chrisostomus.
Josephus Hebræus.
Isidorus Pelusiota.

Karolus Veranus historicus.

Laurentius Surius.
Leander Albertus.

Marcus Tullius Cicero.
Martyrologium Romanum.

Nicephorus Callistus.
Nicolaus Lyranus.
Nicolaus Perottus.

Ordo Romanus.

Palladius Hibernienfis Episcopus.
S. Paulinus Episcopus Nolanus.
Paulus Æmilius historicus.
Paulus Diaconus.
Paulus Jovius.
Petr. Æmilii Apost. Pal. Sacr. Itinerarium.
Pii II. Commentarii.
Plinius.
Pomponius Mela.
Ptolomæus.

Rabanus Maurus.
Raphael Volaterranus.

Silius Italicus.
Stephanus Durantus.
Strabo.

Theodoretus.
Tertullianus.
S. Thomas.

Vetus Testamentum, & Novum.

IN COMMENTARIUM

Fr. Angeli Rocchæ Sacrarii Pontificii Præfecti

DE SACRATISSIMO CHRISTI CORPORE

Summis Pontificibus iter facientibus præferendo

CARMINA.

Pompeii Vgonii.

DUm vehit Ausonias CLEMENTEM lęta per Urbes
Gloria, perdomiti litus ad usque Padi,
Cælica, more Patrum veteri, præcedit eunti
Hostia, te pompam, Rocca, regente sacram.
Seu Pastoris iter, seu quæ præit Hostia, digna
Utraque res memori posteritate legi.
Forte tamen longâ latuissent omnia nocte
Condita, præferrent ni tua scripta facem.
Tu sacram dux ante viam, tu dux eris idem,
Ne pereant sacræ tot memorandæ viæ.

Ejusdem.

POntificum Æditimus, custodis Angele sacra;
Custodis scriptis, factaque Pontificum.
Et dubium [benè sic pręstas utrumq;] relinquis
Angele sis melior Scriptor, an Æditimus.

Ejusdem

Ejuſdem.

ERidani tendit Clemens ad mœnia Victor,
Hoſtiaque eſt longę prævia ſancta vię.
Tu ſimul & magnos celebras Clementis honores,
Et veterē ritum Rocca diſertè doces.
Pars operis cælo, data pars eſt altera terris,
Ut cælo & terris præmia digna feras.

Julii Cæſaris Raineriì.

MIrari ceſſent homines, cur victima ſacra
Pōtifici prędet, cūm movet Urbe pedē:
Angelico, non humano docet Angelus ore
Eſſe viam carpit cum procul ille viam.

Ejuſdem.

INſtructas acies, geſtum ſine ſanguine bellum,
Et placida Eridani mœnia capta manu,

Mandabunt alii chartis: tu candide Rocca
Cæleſtis celebras, te duce, Regis iter.

Cum ſacris præſis, decuit te ſcribere ſacra,
Qui melius poſſet ſcribere nullus erat.

In eundem Commentarium

ALIA CARMINA.

Dominici Ancajani.

OEnotriæ tellus noſtro quod tempore vidit
Pontificem Chriſti prægredientis iter,
Sęcula ſcripſiſti poſſent ut noſſe futurā
Angele, ab Eoo litus ad Heſperium.
Sic, quò tam celebris volitabit gloria facti,
Feciſti famam nominis ire tui.

Ejuſdem.

SAcris Rocca præes, verſas ſacra, ſacra miniſtras;
Quis melius quàm tu ſacra docere poteſt?

Pauli Thunni.

SI quæris domina forſan cum cedit ab Urbe
Hoſtia Romanum cur eat ante Patrem;
Hoc te non magno poterit docuiſſe libello
Angelus eloquio magnus, & ingenio.
Legeris hunc: reliqua, ambages, commentaque dices;
Ut ſacram teneas hic via certa viam.

Hieronymi de Calecis.

TIbridis à ripâ, longè Phaëtontis ad amnem
Clementem invictum publica cauſa vocat.
Hoſtia quæ præeat divina paratur eunti,
Qui cauſam poſſit dicere nullus adeſt.
Angelus hanc docuit tam rectè, tamq; diſertè,
E cælo lapſum hunc Angelum ut eſſe putes.

Nicolai Veſtæ.

MItis equi dorſo præeat cur cælica Pixis,
Quod Latia Latius rarò abit Urbe Pater;
Obruerat cauſam tenebris ingrata vetuſtas,
Et dubius ſancta de dape rumor erat.
Angele, panduntur veteris myſteria ritus,
Et rata Pontificum, te duce, facta manent.
Ut nūquam abſcedant poſthàc à Tibride, per te
Servandi moris fama perennis erit.

Thomæ de Federicis.

MIrata antiquum noſtra hæc ſunt ſęcula morem,
Ante ſacrum ferri dona ſacrata Patrem.
Eſſe docet ſoli ſervata viatica, nec nos
Abduci vulgi murmure Rocca ſinit.
Non ventura igitur poſthàc mirabitur ætas,
Sed docti ingenium tollet ad aſtra viri.

Vincentii Rapæ.

QUod manibus tangis, ne temnas candide lector.
Materies gratum reddit, & auctor opus.
Materia Angelicus Panis, eſt Angelus auctor:
Angelicè ſcriptum credere jure potes.

Alfonſi Ferri.

CÆlica Romuleum præceſſit victima Patrem,
Cum domiti ad ripas tenderet Eridani.
Cauſa latet; chartis aperis tu Rocca diſertis,
Deſinat ut poſthàc quærere Poſteritas.

DE SACROSANCTO CHRISTI CORPORE ROMANIS PONTIFICIBUS *Iter conficientibus præferendo* COMMENTARIUS.

PARS PRIMA.

Cur sacrosanctum Christi Corpus Romanis Pontificibus longum iter facientibus præferatur.

NIVERSA Scriptura sacra sub veteris, ac novi Testamenti, sive veteris, ac novę Legis nomine appellari solet: illamque ab hac sanctus Pater Augustinus inter cęteras differentias, quas de utrâque variis in locis narrat, figuris, ac figuratis differre; veteremque Legem novæ occultationem, novamque veteris Legis manifestationem esse, ait. Ad quam sanè veritatem demonstrandam exempla ferè innumera in medium afferri possent, quæ, tanquam à proposito nostro aliena, silentio nunc prætermittenda sunt, ut nostrum de venerando Eucharistiæ Sacramento institutum aggrediamur. Augustissimum hoc Sacramentum, non solùm per Altare, & per Manna à Moyse descriptum, in ejus libris adumbratum fuit, sicut beatus Pater Augustinus, & alii Doctores sancti testantur; sed per Arcam item fœderis, ac testamenti Domini, istucipsum significatum fuisse constat. Figurâ itaque de Altari, ac de Manna, omissâ, Arcam fœderis, nostrum de Sanctissimo Sacramento institutum satis bellè repræsentantem, contemplandam proponemus.

Aug. lib. de vera Relig. 17. & de Cathec. rud. c. 4. & de mor. Eccles. c. 28.

Gen., *Exod.*, *Levit.* &c. *Exod.* 16. *Num.* 11.

Aug. tract. 26. in Joan. post med.

Arca illa fœderis Domini, à Moyse sancto in libro Exodi conscripta, modò sanctam Dei Ecclesiam, teste beato Gregorio; modò admirabilem Unigeniti Filii Dei Incarnationem, sive Sanctissimum Christi Salvatoris nostri Corpus in Scripturâ sacrâ repræsentare solet: Priore itaque significatu prætermisso, alterum nostro instituto deservientem, declarandum suscipiemus.

S. Gregor. de cur. past. p. 2. c. 11. tom. 3., & homil. 22. in Ezech. t. 2.

Arca ipsa divino jussu ex lignis Setim erat compacta, ut Moyses testatur, dum Dei mandatum verbis hisce narrat: *Arcam de lignis Setim compingite*. Hujus generis lignum, ut Josephus Hebræus inquit, & Scriptores item illi referunt, qui de rebus naturalibus loquuntur, est putrefactionis expers, & spinis albis adsimile. Hinc Venerabilis Beda, dum dicti ligni formam spinosam, & ejusdem qualitatem, à putrefactione remotam, contemplatur, per hanc Arcam Sanctissimum Christi Corpus repræsentari docet. *Arcam* (inquit) *quæ prima omnium in tabernaculo fieri jubetur, Domini & Salvatoris nostri Incarnationem designat, in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, ac scientiæ absconditi. Arca hæc de lignis Setim compingi jubetur. Ligna quippe Setim, lævis, atque imputribilis feruntur esse naturæ, non multum à qualitate albæ spinæ distantia. Arca ergo de lignis Setim facta est, quia Corpus Dominicum constabat ex membris omni vitiorum labe carentibus. Hæc ligna simillima spinis, quia etsi non in carne peccati, tamen in similitudinem venit carnis peccati.* Hùcusque Beda sanctus: cujus verba si intimiùs examinentur, similitudinem ipsam perpulchram dicas oportet: nam ligna Setim putrefactionis expertia sunt, non propriè spinosa, sed spinis similia esse, dicuntur, quia sunt lævia, hoc est polita, vel tactu non aspera, seu non pungentia, ut spinæ esse solent, quæ cuspide, vel aculeo ictum eas tangentibus inferunt. Quæ sanè similitudo humanæ Christi naturæ maximè congruit: Filius namque Dei quamvis veram hominis carnem assumpserit, non tamen in carne peccati, sed in similitudinem carnis peccati in hunc mundum venit. Christus enim etsi omninò peccatum non novit, factus est tamen pro nobis peccatum, holocaustum scilicèt pro peccato nostro effectus. Hinc beatus Apostolus Paulus ad Corinthios scribit, dicens: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

Exod. 25. Josephus l. 3. antiq. cap. 6., Barth. Angl. lib. 17. c. 150., & alii.

Beda de Tabern. lib. 1. c. 4. t. 4. *Colos.* 4.

Rom. 8.

Ligna Setim quid signif.

Similitudinis congruentia.

Christus factus est pro nobis peccatum.

2. *Cor.* 5.

Exod.25. *fecit*. Per Arcam igitur ex lignis Setim compactam rectè Sanctissimum Christi Corpus repræsentatur. Quare in Glossa interlineari, sive in Strabo, locum Exodi paulò superiùs citatum explicante, hæc leguntur verba: *Arca de lignis Setim significat Corpus Christi, nullâ contagione corruptum, ex membris purissimis, quamvis in similitudinem carnis peccati compactum*.

Glossa interlin. de Arca fœd. Dominic.

Non desunt intereà, qui per Arcam, Beatam Mariam semper Virginem rectè significari posse dicant, istucipsum ad Sanctissimum Christi Corpus referentes. In Mariâ namque Dei Matre undequàque immaculatâ repositus fuit Sanctus Sanctorum, Jesus Christus, qui est Rex, & Sacerdos, & Cibus Fidelium. Quæ res omnes per tria in Arcâ ipsâ reposita, quæ sunt Tabulæ legis, Virga Aaron, & Manna, satis bellè designantur: Tabulæ namque comprehendentes legem, regiam significant dignitatem, cujus est legem ferre: Virga Aaron, Sacerdotium; Manna verò Fidelium Viatorum in Eucharistiæ Sacramento; & Beatorum, sive comprehensorum in propriâ specie cibationem præseferunt. Ligna item Setim putrefactionis expertia, puritatem Beatæ Mariæ semper Virginis significant, quæ mente, & corpore purissimâ semper fuit, ac denique post mortem à corporis putrefactione conservata. Hæc ex Moralitatibus Lyrani. Sanctissimum itaque, atque omni veneratione dignissimum Christi Corpus, in admirabili Eucharistiæ Sacramento occultatum, per Arcam fuit concinnè repræsentatum. Cùm igitur Arca Domini admirabile, ac venerandum Eucharistiæ Sacramentum repræsentaret, mirum cuique esse non debet, si, cùm eam indignus quispiam, aut peculiari Dei obsequio non mancipatus, tetigisset, vel nudam, seu detectam summo Sacerdote, vel Pontifice excepto, ob curiositatem vidisset, sive non rectè custodisset, vitam statim cum morte percussione divinâ commutabat, ut in aliquot Scripturæ sacræ locis videre licet. Tanta itaque verò Christi Corpori, sub specie panis sacramentalitèr, ac mirabilitèr occultato, præstari debet, quanta numquam verbis explicari posset, cùm Arcæ, quæ sacrosanctum & gloriosissimum Salvatoris nostri Corpus figurabat, tot, tantaque impenderentur. Hùc spectat Glossa de repentinâ morte Ozæ, qui in itinere manum suam ad Arcam, bobus calcitrantibus, declinantem extendens, à Deo percussus, juxtà Arcam Dei obiit. Inquit enim Glossa: *Sacerdos quoque, qui Arcam temerariè tetigit, reatum sui ausus immaturâ morte purgavit. Ubi* (ait) *intuendum est, quantum delinquat, qui ad Corpus Domini reus accedit, si ille morte multatur, qui Arcam, Dominici Corporis figuram minori, quàm debuit, veneratione, corripuit.* Hæc hactenus, & obiter quidem, ut ad cæteras de Arcâ considerationes revertamur.

Tria in Arca reposita.

Tabulæ quid

Virga Aaron quid.

Manna quid.

Ligna Setim quid signif.

Num.4. *1. Reg.6.* *2. Reg.6.*

2. Reg.6.

Gloss. ordin. in 2. Reg.c.6. & 1. par. 13.

Arca item in flagellum Hebræorum à Philistæis capta, Testamentum ad Gentes transiturum, ut ait Glossa, significabat; sicut ex eo Regum loco, nimirùm: *Translata est gloria de Israel, quia capta est Arca Dei*; facilè colligi potest. Arca denique in favorem Judaici Populi exercitum præcedere solebat, ut in cap.10. Numer. legitur: eo namque Populo in Terram promissionis proficiscente, Arca exercitum præcedebat, ut Moyses testatur, dicens: *Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum: Arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum*. Hinc Rabanus hunc in locum scribens ait: *Quòd autem dicitur de Arca fœderis Domini præcedere filios Israel per tres dies, providens castrorum locum, quid significat, nisi Incarnationem Domini electis ab initio mundi iter præsentis vitæ dirigere, atquè ducatum ad sanctam Terram veraciter præbere? Quæ prius in Figura Patres veteris Testamenti ducebat, & nunc in veritate viam justitiæ nobis demonstrat*. Hæc Rabanus. Dum hæc diligentèr mecum ipse perpendo; profectionem Populi Israelitici in Terram promissionis, ipsamque Arcæ ante Populum Israeliticum gestationem satis congruentèr nostro instituto favere video: Sacratissimum namque Eucharistiæ Sacramentum, non indignè sumptum, iter nostrum præcedit; præsentisque vitæ viam dirigens, non ad Terram promissionis temporariam, sed ad cælestem, atque æternam Patriam cunctis Fidelibus reipsâ promissam, ducatum fidelitèr præstat. Quæ sanè omnia quamvis vera sint, nostroque proposito de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento Romanum Pontificem iter longum conficientem, præcedente, satis concinne faveant; orationem tamen nostram congruentiori argumento repetendam censeo; ipsumque Ritum, quem declarandum suscepimus, ab historiâ, sive à priscâ jam inde Christianæ, ac nascentis Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, alium veriorem finem, aut scopum comprehendente, originem traxisse mihi persuadeo, & pro comperto habeo. Aliam item hujusce Ritus causam in colloquiis familiaribus à nonnullis narratam audivi; sed ea adeò inanis est, ut in ipsa recitanda ociosum sit immorari.

Num.10.

Raban. in cap.10. Num. lib.2. c.5.

Ritus origo.

De insigni nascentis Ecclesiæ pietate, ac religione.

DUm nascentis Ecclesiæ primordia contemplor (contemplor autem sepissimè) venerandum ejusdem paritèr sanctæ pietatis, ac religionis fervorem intueor; intueor verò non sine admiratione cum sæculi nostri pudore conjuncta. Quamvis enim in sacris Ritibus decor, majorque majestas olim (quod ad actum exteriorem pertinet) desideraretur, dum in cryptis, seu locis subterraneis, paupertate urgente, persecutioneque Tyrannorum grassante, *Sacerdotes aurei* (teste Bonifacio Martyre & Episcopo) *in calicibus ligneis*, ut in Concilio Triburiensi legitur, *rem sacram facerent*, & omnes Christifideles utriusque sexus, etiam pueri gratiosam Eucharistiam sub utràque specie, Panem verò consecratum in manibus quotidiè inter communicandum sumerent, domumque interdùm asportarent; Christiana tamen pietas, ac religio tanta erat, quanta

Triburiense c.18., & Rhemens. de consecr. d.1. Vasa S. Thom. 3. p. qu.83. art.3., Walafr. Str. de reb. Eccl. cap. 24. Hinc convincitur error Baptistæ

1. Reg.4. in fine.

Vulg. de Indict. ant. hoc Apophthegma S. Ambr. tribuentis.

quanta vix unquam verbis explicari posset. Quotidiana enim Eucharistiæ susceptio, nonnisi manifestum pietatis, ac religionis argumentum præseferre potest. Quæ sanè omnia ad utràmque indicandam, pietatem scilicèt, ac religionem insignem repræsentandam, ac demonstrandam, hoc loco brevitèr explicare libet, ut indè argumentum, initio propositum, statim, ac faciliùs explicetur.

De Communione quotidiana.

QUod quotidiana olim Communio indiscriminàtim apud omnes Christifideles extiterit, ex sanctorum Patrum monumentis colligi potest; præsertim verò ex eo, quod sanctus Cyprianus super illam Orationis Dominicæ petitionem (*Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*) scriptum reliquit: nam Sanctus ipse anteà quàm hujus petitionis sensum literalem in medium afferat, spiritualem explicat intellectum, dicens: *Hunc Panem dari nobis quotidiè postulamus, nè, qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidiè in cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes, à cœlesti Pane prohibemur, à Christi Corpore separemur.*

Cypr. de Oratione Dominica n. 8.

Ex his Cypriani verbis, ad ejusdem Sancti ætatem usquè, apud Christifideles quotidianam fuisse Communionem, satis planum profectò fit. Hujus autem rei usum quotidianum jam inde à sanctis Apostolis cœptum, ut ex Actuum Apostolorum libro colligitur, eoùsque perdurasse conjectare licet.

Act. 2.

Ea item quotidie communicandi consuetudo ad sancti Hieronymi usque tempora, ut ipse in Epistolâ ad Lucinium Bœticum, & in Apologiâ ad Pammachium pro libris contrà Jovinianum ait, Romæ, & in Hispaniis perduravit: Mediolani autem ad sancti Ambrosii ætatem usquè, sicut ex ultimo cap. lib. 4. & 5. de Sacramentis colligitur; & in Africâ usque ad sancti Patris Augustini tempora, ut ex ejusdem Sancti epistolâ 118. constat. In oriente autem jamdudùm ipsa desierat consuetudo, sicut ex ejusdem sancti Ambrosii libris de Sacramentis, & ex beato Augustino lib. 2. de Sermone Domini in monte, & S. Jo: Chrysostomo homilia 1. ad Populum Antiochenum videre licet.

Hieron. t. 1. ep. 28., & t. 2. ep. 50.

Ambr. lib. 4. de Sacr. c. 6., & lib. 5. c. 4. tom. 4.

Aug. tom. 2., & lib. 2. de serm. Dom. tom. 10.

Jo: Chrysost. hom. 1. ad Pop. Antioc., & 3. in ep. ad Ephes., & 17. ad Hebr. t. 4., ubi varias affert observationes communicandi.

Quòd autem antiquitùs in sanctâ Dei Ecclesiâ, non solùm Clerici, sed etiam Laici Sanctissimo Altaris Sacrificio adstantes, quotidiè communicarint, ex Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, & Latinorum Liturgiis constat. Hinc Sacerdos in sacro Missæ Canone ait: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, &c.*. Deindè sacratissimæ Hostiæ particulam Calici immittens, ait: *Hæc commixtio, & consecratio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Adde etiam, quòd in Collectâ Postcommunionis Missæ pro SS. Virginibus hæc leguntur verba: *Satiasti, Domine, Familiam tuam muneribus sacris, &c.*. Omnes itèm ferè Collectæ, in eo Missæ loco dicendæ, mentionem de communione Laicorum faciunt. Hùc deniquè spectat locus Micrologi cap. 9. de Ecclesiasticis observationibus dicentis: *Postquàm omnes communicaverint, dicit Sacerdos: Quod ore sumpsimus, Domine, purâ mente capiamus.* Quæ sanè verba, in plurali numero prolata, nonnisi quotidianam, & sacramentalem Communionem præseferunt.

De Communione parvulorum.

SOlebant & omnes baptizati statim post baptismum sacratissimam Eucharistiam accipere, ut legitur apud Tertullianum lib. 4. aduersùs Marcionem, sanctum Ambrosium lib. 3. de Sacramentis, & de Iis, qui sacris Mysteriis initiantur cap. 7. & 8., sanctum Hieronymum adversùs Luciferianos, sanctum Patrem Augustinum epist. 23., & lib. 5. Hipognosticon: eaque Communio non solùm in adultis, sed etiam in parvulis usitata erat, ut id rectè colligit Stephanus Durantus ex Ordine Romano, in quo Alcuinus lib. de divinis officiis cap. de Sabbato sancto Paschatis, monet cavendum esse, nè infantes lactarentur, aut ullum cibum caperent, anteàquam communicarent; eamque consuetudinem Græci (inquit Stephanus) ad hanc usquè diem observant.

Tertull. Ambr. Hieron. August.

Stephan. Durant. lib. 1. de Rit. c. 19. n. 44.

De Communione sub utrâque specie.

DE sacrosanctâ Eucharistiâ sub utràque specie indifferenter ab omnibus Christifidelibus olim sumi solitâ, in Concilio Constantiensi, & Basileensi luculentissimum extat testimonium: in quibus Conciliis ad pericula, & scandala evitanda, hujus generis consuetudinem Laicis rationabilitèr prohibitam fuisse patet. Sanctus Cyprianus ad Cæcilium de Sacramento Dominici Calicis, mentionem facit de Sanguine Domini inter communicandum Plebi olim subministrari solito. Idem narrat sanctus Hieronymus in caput Sophoniæ III. scribens, dum malos Sacerdotes reprehendit, dicens: *Sacerdotes quoque, qui Eucharistiæ serviunt, & Sanguinem Domini Populis ejus dividunt, impiè agunt in legem Christi; putantes Εὐχαριστίαν precantis facere verba, non vitam; & necessariam esse tantùm solemnem orationem, & non Sacerdotum merita.* Hæc ait Hieronymus, ut malos redarguat Sacerdotes, qui vitiis, & sceleribus vacantes, sine ullâ pœnitentiâ putabant, ex hoc solo, quòd sunt Sacerdotes, se dignè posse Eucharistiam consecrare, etiamsi sint peccatores, ut rectè sanctus Thomas interpretatur.

Concil. Constant. sess. 13. Concil. Basileen. sess. 30. Cypr. ep 63. sub initium. Hieronym. in Soph. cap. 3. pag. 489. t. 5.

S. Thom. 3. p. q. 82. art. 5. ad primum arg.

Reprehendit ergo hoc loco eos, quòd ita ad consecrationem accederent, non autem negat eos consecrare, si eo modo accedant; nec factum rescindit, sed quod fieri debeat, ostendit: quodque deceat, & expediat eorum saluti, necessarium vocat. Quòd autem solo consecrationis verbo, Christi Corpus Sacerdotes conficiant, Hieronymus in Epistolâ ad Heliodorum, & in Epistolâ ad Evagrium

Hieron. ep. 1., & ep. 85. t. 1 & 2.

scribens, apertè fatetur. Hæc obitèr pro sancti Hieronymi sententiâ explicandâ, quæ calumniam quandam satis apparentem pati videbatur.

De Eucharistia olim domum asportari solitâ.

NUnc reliquum est, ut ad veterem illum Ecclesiæ sanctæ accedamus morem, quo in manus Christifidelium datam, & acceptam Eucharistiam liberum erat, aut statim sumere, aut domum asportare, sumptionemque in aliud tempus opportunum differre, usqueadeò, ut accepto corpore, ut ait Tertullianus, stationem liceret solvere, atquè adeò calicis sumptionem prætermittere. De pane consecrato domum deportari solito Clemens Alexandrinus innuit dicens: *Etiam Eucharistiam cum quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex Populo, ejus partem sumere.* Tertullianus lib. 2. ad Uxorem, inquit: *Nec sciet maritus, quid secretò antè cibum gustes: & si sciverit, panem, non illum credit esse qui dicitur.* In libro item de Oratione circà finem de corpore Domini accepto, domique reservato, expressam facit mentionem dicens: *Accepto corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.* Hæc Tertullianus; cujus laudatas auctoritates Pamelius dum interpretatur, mentionem semper facit, & multis quidem in locis, de consuetudine nascentis Ecclesiæ (ut infrà ostendetur) in Conciliis sublatâ; quando scilicet in manus tradebatur Eucharistia, domumque à Laicis deferebatur.

Tertullian. lib. de Oratione c. 14. in fine lib.

Clem. Alex. lib. 1. Strom. sub init.

Tertullian. lib. 2. ad Vxor. c. 5. & de Orat. in fin. cap. 14.

Concil. Toletan. Rhotomagen. & Cæsaraug.

Sanctus Cyprianus pluribus in locis de sacrosancta Eucharistia manu olim sumi, domumque deportari consuetâ mentionem facit, præsertim verò in libro de Bono Patientiæ, inquiens: *Nec justitiæ dicata innocentia contagione fraudis inficitur; nec post gestatam Eucharistiam, manus gladio, & cruore maculatur.* In libro de Spectaculis idem Sanctus ostendit, Eucharistiam à Laicis manu sumi, domumque asportari solitam, quando ipsi, sacro jam peracto, & Diacono acclamante, *Ite Missa est*, dimissi, domum redibant. Ait enim hunc in modum: *Dimissus, & adhùc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam, inter corpora obscœna meretricum tulit; plus damnationis meritus de spectaculi voluptate.* Eamdem consuetudinem manu sumendi Eucharistiam commemorat Cyprianus in Epistola ad Thibaritanos de exhortatione scribens Martyrii. In libro quoque de lapsis mentionem facit, non solum de veteri more tradendi in manus Laicorum Eucharistiam, sed etiam de eorumdem sub utràque specie Communione. Et infrà eòdem in libro, duo de hac veteri consuetudine recitat exempla: Unum de Muliere, quæ cum aperuisset Arcam, in qua corpus Dominicum recondiderat, ignis flamma de Arca surgens eam deterruit: Alterum de quodam lapso, qui de sacrificio celebrato à Sacerdote partem cum cæteris audens latentèr accipere, cinerem se ferre, apertâ manu, invenit. De primo ità inquit: *Et cum quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne indè surgente, deterrita est, nè auderet attingere.* Infrà verò de altero ait exemplo hunc in modum: *Et alius, qui & ipse maculatus, sacrificio à Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latentèr accipere; Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre se, apertis manibus, invenit.* Hùcusque Sanctus Cyprianus.

Cypr. lib. de Bono pat. n. 6.

Cypr. lib. de Spectac. n. 4.

Cypr. ep. 56. lib. de Lapsi num. 9.

Cypr. lib. de Lapsis n. 10.

Sanctus itèm Basilius in Epistola ad Cæsaream Patritiam apertè ostendit. Eucharistiam à Laicis manu sumi solitam dicens; *Tempore persecutionis cogi quempiam absente Sacerdote, aut ministro, communionem suâ manu sumere, minimè absurdum esse, supervacaneum est demonstrare.* Sanctus deniquè P. Augustinus in sermone 252. de tempore, mulieres nitida linteamina suo sæculo exhibere consueviſſe pro sanctissimo Christi corpore domum asportando testatur. Hinc Stephanus Durantus putat ad nos manasse consuetudinem, quam in hanc usquè diem retinuimus, ut communicaturi nitidum linteamen antepectus teneamus. Sed, sicut ex verbis Beati Patris Augustini apertè colligitur, Viris non fœminis nudâ manu sanctissimum Christi corpus accipere concessum fuerat. Ait enim Augustinus: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas; & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant.* Hæc Augustinus. Id autem in Concilio Antisiodorensi expressiùs legitur in hæc verba: *Non liceat mulieri nudâ manu Eucharistiam sumere, nec manum suam ad pallas Dominicas mittere.* Hæc ibi. Linteamen autèm, quo fœminæ in sacratissimo Christi corpore sumendo utebantur, Dominicalis vocitabatur, ut in eòdem legitur Concilio can. 39. in quo hæc habentur verba: *Unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suum habeat. Quòd si non habuerit, usquè in alium diem Dominicum non communicet.* Hæc de Eucharistiam sumendi modo.

Basilii Epistola Græca in Bibliotheca Vaticana, Latinè verò redditа variis in locis asservatur.

Aug. ser. 252. de temp. tom. 10.

Steph. Durant. lib. 1. c. 16.

Aug. ubi sup.

Concil. Antis. can. 36.

Can. 39.

Sanctus intereà Hieronymus ad Rusticum Monachum scribens, expressam facit mentionem de corpore, ac sanguine Domini in privata domo asservatis, dum de sancto Exuperio Tolosæ Episcopo in hanc loquitur verborum formam: *Nihil illo* (Exuperio scilicet) *ditius, qui corpus Domini vimineo canistro, sanguinem portat in vitro.* Hæc de Eucharistia domum asportari solitâ.

Hieron. to. 1. ep. 4. circa finem.

De Sanctissimo Sacramento in itinere deferri consueto.

TAnta itaque erat Christifidelium pietas, ac religio, ut sacratissimum Christi corpus, non solùm domum, sed etiam in itinere, & in navigatione ipsa, secum deportarent, sicut sanctorum Patrum monumenta testantur. Hac de re luculentissimum extat exemplum in Martyrologio Romano, necnon apud Surium in vita Beati Stephani Papæ, & martyris de sancto Tharsicio circà annum Domini CCLV. his verbis: *Romæ viâ Appiâ sanc-*

Martyrol. Roman. 15. Aug. Surius tom. 4. die 2. Aug. sub finem.

cti

cti Tharsicii Acolythi, quem Pagani cum invenissent corporis Christi sacramenta portantem, cœperunt disquirere quid gereret; at ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tamdiù ab illis mactatus est fustibus, & lapidibus, donec exhalaret spiritum: & revoluto ejus corpore, sacrilegi discussores, nihil Sacramentorum Christi in manibus, aut in vestibus invenerunt. Hæc de S. Tharsicio. Aliud quoque exemplum maximè insigne apud S. Ambrosium scriptum legitur in libro, seu in oratione funebri de obitu Satyri fratris: post cujus laudes permultas, & ingentes quidem commemoratas, laudat ipsum ab innocentia, & Christiana pietate, atque observantia erga Dei cultum. Qua in re dum miram, stabilemque Satyri fiduciam erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum prædicat, illum, qui in mare sese dejecerat, à naufragio tandèm liberatum narrat ob virtutem Sacramenti, quod ipse in Orario, ab oratione dicto pro stola, quam Oratores, idest Prædicatores, Alcuino, Rabano, & Beda testibus, gestare solent; ligavit, suoque collo stolam ipsam involvit. Universam hujusce rei historiam, etsi satis longam, piis tamen auribus dignissimam, hoc loco recitare libet, à sancto Ambrosio hisce verbis contextam: *Quid igitur* (inquit) *observantiam ejus erga Dei cultum prædicem? Qui priùsquam perfectioribus esset initiatus mysteriis (erat enim cathecumenus) in naufragio constitutus, cum ea, quâ veheretur, navis scopuloso illisa vado, & urgentibus hinc atque inde fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret è vita; quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud Fidelium Sacramentum popposcit: non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involuit collo, atque ità se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutâ, tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum, atque munitum, satis credens, alia auxilia non desideravit. Simul fortitudinem ejus spectare licet, qui fatiscente remigio, non quasi naufragus tabulam sumpserit, sed quasi fortis ex seipso adminiculum suæ virtutis assumpserit. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus servatus ex undis, & in portum terrenæ stationis evectus, Præsulem suum, cui se crediderat, recognovit: statimque ubi etiam cæteros servulos suos vel ipse liberavit, vel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amissa desideraus, Dei Ecclesiam requisivit, ut ageret gratias liberatus, & mysteria æterna cognosceret, pronuncians, nullum referendæ gratiæ majus esse officium.* Hùcusque sanctus Ambrosius: ex cujus sanè verbis vel omnes, vel majori ex parte homines, in ipso naufragio consistentes, sacratissimum Christi corpus secum habuisse perspicuum est. De sanctissimo corpore, ac pretiosissimo Christi sanguine in ipsa navigatione asportatis ampliſſimum extat testimonium apud Joannem Diaconum in Vita Beati Gregorii Magni. Fideles enim, qui cum Maximiano Syracusano Episcopo, jam jamque naufragium facturi videbantur, sibi metipsis pacem præbentes, corpus & sanguinem Redemptoris acceperunt. Hæc ex Joanne Diacono.

Pro hac item re confirmanda subjiciam, quod in Vitis Sanctorum apud Surium legitur de sancto Birino Dorcestrienſi Episcopo ab Honorio Papa in Britanniam ad prædicandum misso. Is enim Birinus, ut inibi legitur, habebat pallam sibi ab Honorio datam, super quam Deo immaculatam Hostiam offerebat; in eàque palla corpus Dominicum involutum, suspensumque ad collum secum semper deferre, & in sacrificio Missæ super Altare sanctum reponere solebat. Cum autèm ad littus Britannici maris navem conscensurus esset, rem divinam facit, sibi suisque Viaticum parans. Urgente autèm navigandi opportunitate, ad navem festinans, conscendit: in alto tandem dum navigaret, sacratissimum Viaticum se ad littus reliquisse reminiscitur. Hinc fide munitus & armatus, in mare descendit, & ad littus perveniens, quod reliquerat, recèpit. Ad navem deinde revertitur, eamque divino jussu immobilem reperiens, iterùm conscendit, nullâ penitùs aquæ guttâ in ejus indumentis inventâ. Hæc ex Laurentio Surio de S. Birino 3. Decembris die.

Illud deniquè silentio prætereundum non videtur, quod Joannis Carolus Veranus in Historiis Brundusinis ad Q. Marium Conradum scribens, tastatum reliquit de Federico Imperatore capto, ut ipse ait, à Turcarum Rege. Imperator namque, ut narrat Verano, corpus Dominicum, sacratissimam scilicèt Hostiam, pro obside dedit Turcarum Regi, donèc pecuniam grandem, pro eo redimendo promissam, ad ipsum Regem detulisset. Imperator itaque, nummulis, quos nunc Turonenses appellant, navi oppleta, ad Turcarum Regem in Asiam rediit. Deinde obside sacrosancto redempto, cum retrocederet, Turri cuidam Brundusinæ, nunc Caballi, ab equo, sanctissimum Sacramentum deferendi gratiâ, illìc sumpto (ut infrà dicetur) nuncupatæ, ventorum vi appulit, Corpusque Dominicum ex ea Turre ad maris littus sitâ, in Urbem equo asportandum, loci distantiâ postulante, curavit. Hinc Brundusii ad hujus generis Historiam indicandam, mos ad hanc usque diem observatus, obtinuit, ut singulo quoque anno in Solemnitate Corporis Christi sanctissimum Sacramentum equo albo, necnon mansueto, ac pulcherrimè phalerato per Civitatem deferatur. Quare Archiepiscopus hac die sacerdotalibus vestibus, pluvialique interèà indutus, talìque equo insidens, sanctissimum Sacramentum, à duobus Acolithis assiduè incensatum, in supplicatione, seu processione maximè solemni sub umbella, à sex Canonicis delata, gestare solet, duobus Civitatis primariis, Gubernatore scilicèt, & regio Assessore, equi frænum tenentibus, equumque ipsum ducentibus. Hæc ex Verano.

Sunt qui de S. Ludovico Francorum Re-

Dc Orario in lib. de Divin. Off. & de Ritibus Eccl.

Ambr. lib. de obitu Satyri circa med. tom. 4.

Jo: Diac. lib. 1. cap. 33.

Circa an. Dō. 625.

Die 3. Decēb. tom. 6.

Verani Historia.

Solemnitas corporis Christi Brundusii.

Rege hanc historiam intelligendam velint.

MCCXLIX. Is enim Sanctus, quamvis sub Innocentii IV. Pontificatu, Terræ Sanctæ recuperandæ causâ in Syriam profectus fuisset, feliciterque contrà Sulthanum dimicasset, captâ Damiatâ,

MCCL. quam alii Heliopolim vocant; Alexandri tamen IV. tempore Damiatam repetens, in hostium copias incidit, belloque superatus, in eorumdem manus, carceri mancipatus, devenit. Itaque post Damiatam redditam, post item pecuniam ad octo bizantiorum millia solutam, post captivos Saracenos restitutos, ac tandem post quinquennium (quo in

MCCLV. Syria, ut apud Surium legitur, permansit) sanctissimum Sacramentum secum deferens in Gallias remeavit, sicut apud eumdem Surium videre est: nam in sancti Ludouici vitâ à Gaufrido de Bello loco, ejusdem Regis Confessario, conscripta, hæc leguntur verba: *Cum ergo navigarent, tertiâ nocte, navis, quæ Regem habebat, bis tantâ vi appulsa est ad rupem, vel terræ linguam, ut nautæ & alii illicò submersum iri putarent. Eâ concussione excitati Sacerdotes, Clerici & cæteri, sanctum Regem invenerunt coràm sacrosancto Christi Corpore devotè orantem, omnesque in ea fuere sententiâ, mortis tam præsens discrimen, ejus meritis & precibus se evasisse.* Hæc ibi. Utcumque igitur sit, sanctissimum Christi Corpus ab Imperatore, vel saltem à Rege in itinere, ac navigatione delatum fuisse compertum est.

Surius in vita S. Ludovici tom. 4. die 25. Aug.

Archiepiscopus item Beneventanus dum suam Diœcesim visitaret, sanctissimum Sacramentum publicè ante se deferre solebat. Quæ sanè consuetudo ad Pauli II. usque tempora illic duravit, ut manuscriptus Codex in Archiepiscopio Beneventano asservatus testatur.

Beneventani Archiep. privilegium.

Anno Dñi 2464.

Huic sanè Ritui aliquâ ex parte adsimile est, quod à Francorum Regibus observari olim solebat: dum enim ad prælia proficiscerentur, ut legitur apud Guillelmum Durandum, & Gregorium Turonensem, sacras reliquias sibi præferendas curabant, præsertim verò S. Martini cappam. A cappa illa, tentorium, intrà quod cappa ipsa deferebatur, Cappella, non à pellibus (ut ajunt) caprarum, quas etiam capellas dicunt, vocitabatur: à Cappella vero Clerici, in quorum custodia tentorium ipsum extabat, Cappellani nuncupabantur. Id genus deindè nomina apud Ecclesiasticos Viros usurpari cœperunt, atque ad hanc usquè diem Cappella pro Sacello; Cappellanique pro omnibus Sacerdotibus, necnon pro iis, qui alicujus Cappellæ curam habent, passim vocitantur. Hæc obiter de vetusto Francorum Ritu, quem antiquæ sanctissimum Sacramentum in itenere deferendi consuetudini aliquâ ex parte congruentem inveni.

Guill. Dur. lib. 2. c. 10. n. 8. Greg. Tur. lib. 6. hist. Franc. c. 27.

Cappa vox Gallica est, pro Pluviali, veste Sacerdotali usurpata.

Multa intereà exempla, seu testimonia de quotidiana Laicorum communione sub utràque specie, necnon de parvulorum & infantium communione, dequè Eucharistia manu itèm à Laicis sumi, domumque, atque in itinere olim asportari solita in medium afferre possem, sed brevitatis gratiâ silentio prætermittenda censui, ut nostrum institutum tandem aliquando intimiùs aggrediamur. Hæc tamen in eam sententiam scribenda mihi videbantur, ut laudabilem Christifidelium primitivæ Ecclesiæ religionem, seu devotionem ac pietatem, majoremque in iisdem Fidelibus erga sanctissimum Sacramentum venerationem, sive majestatem (quod ad exteriorem actum pertinet) desideratam ob oculos ponerem. Adde etiam, quòd prisca quotidianam, & Laicalem communionem manu sumendi, domumque Eucharistiam asportandi consuetudo, sacratissimum Christi Corpus in itinere antiquitùs deferendi Ritum ab omnibus indifferenter observatum nobis insinuat, ac facilè persuadet.

Quæ sanè omnia quamvis suadente religionis, ac pietatis ardore ob infidelium persecutiones, Ecclesiarum occlusionem ministrorum item, ac rerum inopiam, usu fuerint olim recepta; ad tanti tamen mysterii, & sacrosanctæ Eucharistiæ venerationem, ac majestatem præstandam à Catholica deindè Ecclesia fuerunt antiquata, ut in Concilio Rhotomagensi videre licet, in quo decretum fuit, ut tempus in posterum Eucharistia à Laicis nudâ manu non attingeretur, sed à Sacerdote in os sumentis immitteretur. In Toletano primo, Cæsaraugustano, & Rhotomagensi Conciliis fuit abrogata consuetudo Eucharistiam deferendi domum cum cæteris Ritibus sacratissimæ rei nec majestatem, nec decentiam retinentibus, sicuti etiam illa erat consuetudo, quæ, cum corpus Dominicum à Laicis, ac tandem à pueris, & mulierculis ad ægrotos deferri olim permitteret, in Concilio deindè Rhemensi fuit damnata, & omninò interdicta.

Concil. Rhotom. can. 2. & apud Brucard lib. 3. c. 76.

Tolet. 1. cant. 14. Cæsaraugust. can. 3. & Rhotom. ibidem.

Rhem. c. 2. ex Burchard. lib. 5. cap. 30.

Quamvis autèm non solùm Laicis, verùm etiam Viris Ecclesiasticis quibuscumque, etiam Prælatis, iter conficientibus, sacrosanctum Christi Corpus deferendi consuetudo nunc sit denegata, hanc tamen in Romano Pontifice, Christi Salvatoris nostri Vicario, remansisse videmus. Veteres enim, etiam summi Pontifices, tyrannidem Imperatorum formidantes, Eucharistiæ sacramentum ad pectus, vel à collo pendens in itinere faciundo asportare occultè olim solebant. Nunc verò solus Romanus Pontifex; quippè qui ipsius Christi vicem gerit hisce in terris, atque in rem sacratissimam singularem venerationem, ac majestatem præstare potest, reque ipsâ præstat, jure suo hunc Ritum conservat, dum sacrosanctum Christi Corpus antè se longo in itinere publicè, atque honorificentissime gestandum diligentèr curat.

Cur verò jam indè à primitiva Ecclesia, & Laici, & Viri Ecclesiastici omnes arbitratu suo in itinere conficiundo sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum secum deferre consueverint, & ad hanc usque diem Romani Pontifices ante se gestandum curent, scitu sanè dignum videtur, ut præcipuus nostri Commentarii scopus, aut nodus explicetur: cujus rei explicationem à *Viatico*, nomine

quo

quo venerandum Fuchariſtiæ Sacramentum jam inde à ſanctis Apoſtolis vocitari conſuevit, & ad hanc uſque diem vocitari ſolet, exordiemur.

Viaticū quid ſit.

Viaticum propriè cibus eſt, vel aliud quippiam, quod nos iter facientes pro victu noſtro nobiſcum deferre ſolemus, ut vox ipſa præferre videtur. Quæ plane vox ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento aptiſſima, & maxime accommoda eſt, quia ſacratiſſimum Chriſti corpus, in Sacramento ſub ſpecie panis mirabiliter occultatum, eſt vere cibus ſpiritualis, ſine quo anima ſpiritualiter vivere haudquàquam poteſt.

Hinc ſacratiſſimo hoc cibo, veluti Viatico, Chriſtifideles & nutriuntur, & ad ambulandum per viam ſpiritualem ad montem uſque Sion cæleſtem roborantur. Propterea S. Paulus, ad Hebræos ſcribens, ſacroſanctam Euchariſtiam appoſite viam appellat, dum eam tanquam Viaticum contemplatur dicens:

S. Paulus ad Hebr. c. 10.

Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, idèſt carnem ſuam, & Sacerdotem magnum ſuper domum Dei, &c. Quem locum Turrianus ex Liturgia ſancti Jacobi Apoſtoli, atque ex Theodoreto, de Euchariſtia interpretatur hunc in modum:

Turr. lib. 2. de Sacr. Euchar. cap. 10.

Illud præterea obſervatione dignum eſt, quàm appoſitè ad vim, quam habet ſancta Euchariſtia, verbo viæ Paulus uſus eſt hic, cum Euchariſtiam vocat viam. Undè antiqui Patres græcè Εφόδιον, *latinè Viaticum vocare conſueverunt, quòd hoc cibo nutriamur, & roboremur ad ambulandam viam ſpiritualem uſquè ad Montem Sion cæleſtem.* Hæc Turrianus. Eodem nomine nuncupatur Euchariſtia in prima Nicæna Synodo, dum agitur de excommunicatis ab hoc mundo exeuntibus, quibus tanquàm ab hoc ſæculo ad aliud, ut ſic dixerim, itinerantibus, ſeu decedentibus, Viaticum, ideſt Euchariſtiam pro itinere faciundo dari decernit in hæc verba:

Nicæna Syn. 1. can. 11. & 26. q. 6. de his verè qui.

De his verò, qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obſervabitur etiam nunc, ità, ut ſi fortè quis recedat ex corpore, neceſſario vitæ ſuæ Viatico non defraudetur. Quo in loco, aut Canone græcè exarato, Sancta Synodus non immeritò Euchariſtiam Εφόδιον, latinè verò *Viaticum* appellat; atque ex hoc ſæculo decedentibus non ſine magna conſideratione idipſum neceſſarium eſſe ait. Aurelianenſe item Concilium in eamdem fere ſententiam de ſpirituali Viatico ex hac vita migrantibus dando ait:

Aurelian. 3. can. 19.

Si quis, pœnitentiæ benedictione ſuſceptâ, ad ſæcularem habitum, militiamque reverti præſumpſerit, excommunicatione plectatur, Viatico conceſſo ad exitum. Hùcuſque Concilium. Synodus Turonenſis apud Burchardum ait:

Syn. Turon. c. 4. lib. 5. Decret. cap. 9.

Omnis Presbyter habeat pixidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi Corpus Domini diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus à ſæculo. Jure igitur hoc unum Sacramentum dictum eſt Viaticum, quia Euchariſtia, quæ gratiarum actio interpretatur, eſt cibus itinerarius, & corporum, & animorum, non ſolùm in hujuſce vitæ viâ, in qua poſt dicti Viatici manducationem plerique ſine alio cibo diutiſſimè vixerunt, ut de Irone, ac de Joanne Anachoreta apud Palladium; necnon de Simeone apud Theodoretum, deque item aliis, ut Durantus refert; ſed maxime in illo etiam formidoloſo itinere, cum ex vinculis corporis, tanquàm e carcere in aliud ſæculum evolamus, Quo præſertim tempore hic cibus adhibendus eſt, ut vires animi reficiantur, ac roborentur, dum nos in agone conſtituti, cum potentiſſimis, ac fraudulentiſſimis humani generis hoſtibus decertaturi ſumus.

Durant. de Rit. lib. 2. c. 55. nu. n. 26. Palladius. Theodor.

Clemens Alexandrinus, qui floruit anno ſalutis CC. uſus eſt hac voce in lib. 1. Stromatum dicens:

Clem. lib. 1. Strom. ſub init.

Qui autèm in verbis veritatis germanè, & ſincerè ſunt educati, accepto vitæ æternæ Viatico, ſublimes in cœlo feruntur. Hùcuſque Clemens. Qui ergo tàm venerandum Viaticum ex hac vita migraturi, purè, ac ſanctè ſuſcipiunt, ab Angelis bonis, eorum animas ſatellitum more ſtipantibus, rectà in cœlum abduuntur, ſicut Joannes Chryſoſtomus à ſanctiſſimo viro, qui divino id beneficio viderat, ſe audiviſſe teſtatur. Hinc ſtudiosè morituros hoc pretioſum Viaticum ſibi ſubminiſtrari diligenter curaſſe, in ſanctorum Patrum, aliorumque Auctorum monumentis ſcriptum inveni. S. Paulinus in Vita S. Ambroſii de eo morituro ait:

Jo: Chriſoſt. lib. 6. de Sacerdot. tom. 5.

Paulin. in vita S. Ambroſ. non procul à fine.

Honoratus, Sacerdos Vercellenſis Eccleſiæ, cum in ſuperiore ædis parte ſe ad quieſcendum compoſuiſſet, tertiò vocem vocantis ſe audivit, dicentiſque ſibi: Surge & feſtina, quia modò eſt receſſurus. Qui deſcendens, obtulit Sancto Domini corpus: quod ubi accepit, emiſit ſpiritum, bonum Viaticum ſecum ferens. Hæc Paulinus, qui per Viaticum ſacroſanctam Euchariſtiam intelligi voluit.

Beatus Gregorius Magnus ſanctam Romulam morituram, ſacratiſſimum Chriſti Corpus ſub nomine Viatici ſtudioſe petiiſſe, & accepiſſe teſtatur. Nicephorus ſancto Ioanni Chryſoſtomo morituro, & nocte oranti, Viaticumque petenti, ſanctum Petrum, & ſanctum Joannem Apoſtolos apparuiſſe, eumque cæleſti, & ineffabili eſca paviſſe ſcribit. Prætereo, de Serapione exemplum apud Euſebium; de Maria Aegyptiaca, ſanctiſſima fœmina, apud Paulum Diaconum; deque Puero ægrotante apud venerabilem Bedam; ſilentioque prætermitto alias item hiſtorias pertinentes ad eos, qui tam venerandum Sacramentum, vel ſub Viatici nomine in articulo mortis conſtituti, ſtudioſè poſtularunt; vel ſaluberrimam & infinitam eius virtutem in hac vita experti ſunt; præſertim verò Gorgonia Gregorii Nazianzeni ſoror, quæ, deſperatis jam omnibus Medicorum auxiliis, ad mortalium omnium Medicum, ſacratiſſimum ſcilicet Viaticum in Eccleſia aſſervatum intempeſtâ nocte confugiens, morbo protinùs, & divinitùs quidem; hoc eſt, expreſſo Dei miraculo, ſe liberatam ſenſit: Euchariſtiæ namque Sacramentum jure, ac paſſim Viaticum appellari, morituroſque ſtudioſe idipſum Viaticum poſtulaſſe, atque ex eodem, corpori etiam humano ſanitatem reditam eſſe, oſtendiſſe hoc loco ſat eſt.

Gregor. Mag. homil. 40 in Evang. & lib. 4 Dial. c. 15. to. 3. Nicephor. l. 13. c. 37. Eccl. hiſt.

Euſeb. ex Dion. Alex. c. 36. & 38. l. 6. hiſt. Eccl. Paul. Diac. Bed. hiſt. Anglic. l. 4. c. 14. tom. 3.

Greg. Nazian. in funebri oratione in laud. b. Gorgoniæ ſororis ſuæ tom. 1.

Cum

Viaticum neceſſarium ex Nicæna Syn. can. 11.

Cum autèm auguſtiſſimum Viaticum hominibus quibuſcumque in mortis articulo conſtitutis neceſſarium ſit, ut ſancta Synodus Nicæna profitetur; ſcitè olim ſanè, ac ſapientèr factum fuit, ut omnes tàm Laici, quàm viri Eccleſiaſtici, mortis memores, Viaticum, ex hac vita migrantibus neceſſarium, ſecum in itinere conficiundo deferrent; ne, ſi eis tunc mori contingeret, in extremo præſentis vitæ curſu, in ultimo videlicèt certamine, atque in tam periculoſo itinere, Viatico illo tam pretioſo, tamquè præſentaneo privarentur. Sed ad majorem ergâ ſanctiſſimum Chriſti Corpus veneration-

Cur Viaticum in itinere nunc non deferatur, Romano Pontifice excepto.

nem, ac majeſtatem, utì jam diximus, retinendam; hujus generis conſuetudo, cæteris nunc iter facientibus denegata, in ſolo Romano Pontifice conſervatur, qui non niſi pro Viatico Euchariſtiæ Sacramentum, longo in itinere jam inde à naſcentis Eccleſiæ primordiis privatim ab omnibus ferè aſportari conſuetum, ante ſe deferendum curat; ut, ſi occaſio ſeſe offerret, promptum & paratum ſibi habere queat. Sanctiſſimum namque Sacramentum pro Viatico, non niſi in mortis articulo conſtitutis dari olim ſolebat, ſicut etiam præſens datur in tempus: cæteris verò temporibus pro Viatico dari non ſolet, ſed pro ſimplici communione, quæ hujus generis nomen, *Viaticum* ſcilicèt, ab itinere, ſiue à via dictum, non retinet. Evidentiſſimum hujuſce veritatis argumentum eſt diverſa Euchariſtiam tradendi forma: pro quotidiana enim communione dari conſuetà dicitur: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.* Pro Viatico autem: *Accipe Viaticum corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui cuſtodiat te ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam. Amen.* Per primam communicandi formam, præſentis vitæ cuſtodia in ordine ad vitam æternam explicatur: Per ſecundam verò, & cuſtodiam, & ad eamdem æternam vitam ducatum, & evectionem Sacerdos ægroto ex hac vita deceſſuro precatur. Qui ſanè ducatus tacitum quemdam animæ, ad finem uſque hujuſce vitæ, tranſitum, vel tacitam quamdam ex hac terreſtri domo, ſive ex humani corporis ergaſtulo evectionem, & viam ad cæleſtem Patriam non obſcurè inſinuat.

De Viatico, & Euchariſtia conſideratio.

Euchariſtiam, & Viaticum tradendi formæ.

Utraque tamen ſanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptio, Communio appellatur: quia, ut ſanctus Iſidorus Peluſiota ad Soranum Comitem ſcribens, ait, *Nobis conjunctionem cum Deo conciliat, noſque regni ipſius conſortes, ac participes reddit.* Hac de re in noſtro de ſolemni Romani Pontificis Miſſa Commentario fuſiùs locuti ſumus; nunc brevitèr hæc dicta ſint, ut ad noſtrum de ſanctiſſimo Viatico ſermonem revertamur. Hùc item ſpectare videtur ſanctiſſima Euchariſtia non ſolùm in Eccleſiis parochialibus, verùm etiam in cunctis Religioſorum, ac Monialium Eccleſiis aſſeruata. Sanctiſſimum namque Chriſti Corpus perpetuò in pixide pro Viatico infirmorum aſſervatur, ſicut Concilia faciendum eſſe decreverunt. Idem obſervatur apud Moſcovitas, ut ſcribit Surius in Commentario rerum in orbe geſtarum dicens: *Pro ægrotis conſecrant Euchariſtiam in die cœnę Domini, ſervantque toto anno.* In hunc deniquè uſum Euchariſtia apud Græcos toto anno conſervatur.

Iſid. lib. 1. ep. 22.

Concil. Tur. c. 4. apud Burchard. lib. 5. cap. 9.

Trident. ſeſſ. 13. c. 6. & can. 7. & 9.

Adde etiam pro hac veritate comprobanda, & confirmanda, quòd Romæ in Cappella Pontificia, quæ Sixtina vocitatur, ſacroſancta Euchariſtia pro Romani Pontificis Viatico die, noctùque aſſervatur, de ſeptimo in ſeptimum diem juxtà Conciliorum conſtitutiones mutatà; illa ſcilicet à Presbytero quotidiè illic celebrante ſumpta; aliâ, quæ eodem die conſecrata eſt, in ejus locum ſubrogatâ. Iſtuc item ipſum Romæ, vel ad Sanctum Marcum, vel in ſacra duodecim Apoſtolorum Æde, ſive in Oratorio ſancti Marcelli ad Collis Quirinalis radices, quando ſummus Pontifex æſtivo tempore, dicto in Colle (quem nunc à duobus equis marmoreis eo in Colle ſitis, Montem equorum, ſeu Caballum vocant) æſtivandi gratiâ commoratur, fieri ſolet, etiamſi in Vaticano à Baſilica ſancti Petri, & in Monte Quirinali ab Eccleſiis, Palatio ferè annexis, Viaticum deſumi queat. Itaque ſi in Urbe, ubi tam facilè ſacroſanctum Viaticum ſingulo penè horæ momento haberi poteſt, ipſum tamen in Cappella Apoſtolici Palatii Sixtina, & alibi pro Romano Pontifice perpetuò aſſervatur, mirum nemini videri debet, ſi Romanus Pontifex ante ſe in itinere Sanctiſſimum Sacramentum deferendum curet.

Viaticum Papæ perpetuò Romæ aſſervatur. Turon. & Aurel. apud Burchard. lib. 5. cap. 9. & 12.

Veritatis cõprobatio, & confirmatio.

Dicat autem hoc loco aliquis: Si ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum pro Summi Pontificis Viatico in itinere aſportari ſolet; cur Viaticum eidem Pontifici in eodem Comitatu non præfertur, ſed unius diei itinere ipſum præcedit?

Dubitatio.

Huic dubitationi ſatisfieri poſſe puto, ſi ad incommoda indecentiſſima evitanda, id factum eſſe dicatur. Summi nànque Potifices in eodem Comitatu Sanctiſſimum Chriſti Corpus ſubſequi conſueuerunt: aliqui tamen conſiderantes, indecentiſſimum eſſe, ut per ſilvas, nemora, & loca horrida, interdùmque ferè in via, per quæ iter agentes tranſire aliquandò contingit, tantum Sacramentum tranſueheretur; hanc ob rem, & propter alias item cauſas juſſerunt, ut Sacrarii Pontificii Præfectus, cui ex officio cura Societatis Sanctiſſimi Sacramenti demandatur, cum honeſtiſſimo, & ampliſſimo Comitatu ſacroſanctum Chriſti Corpus itinere unius diei, & quidem breviſſimo, antè Romanum Pontificem Euchariſtiam deportandam curaret: Sin ſecus, abſque ſacratiſſimi Corporis, necnon Summi Pontificis indignitate, multa incommoda evitari haudquàquam poſſent. Hinc factum fuit, ut ſacroſanctum Viaticum eo, quem explicavimus, modo, Sanctiſſimum D. N. Papam in itinere faciundo præcedat.

Solutio dubitationis.

Si quando autem eveniret, ut Sanctiſſimus D. N. aliquot dies alicubi vellet commorari, Apoſtolici Palatii Sacriſta, hac de re per Curſorem Tabellarium deditâ operâ miſ-

Aliquo in loco immorãdi occaſio Societatis Sanctiſſimi Sacramenti.

missum certior factus, cum universo Sanctissimi Sacramenti Comitatu non procul à Sanctissimo Domino expectat, donec de discessu deliberetur.

Si verò item Papa solemniter, hoc est cum apparatu Civitatem aliquam esset ingressurus, in Ecclesia suburbana, mœniis videlicèt illius loci vicinâ, Sanctissimum Sacramentum statuitur, & super Altare decentissimè ornato collocatur, eoque in loco Sanctissimus D. N. Papa expectatur, ut inde in Civitatem ad Ecclesiam usquè Cathedralem cum Sanctissimo Sacramento ipsum præcedente, solemni pompâ proficiscatur, ut fusiùs dicemus, cùm de solemni Clementis VIII. in Ferrariam ingressu loquemur. Hùcusque ostendisse sat est, cur sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum antè Romanum Pontificem, longum iter conficientem, deferatur. Nunc reliquum est, ut Romani Pontifices recenseantur, quos, iter facientes, sacratissimum Christi Corpus pro Viatico antè se deferendum curasse, inveni.

PARS SECUNDA.

De Romanis Pontificibus, qui in itinere conficiundo Sacrosanctum Christi Corpus pro Viatico ante se deferendum curarunt: dequè itinerum rationibus, aut causis, quæ ipsos ad iter faciendum moverunt.

OMnes ferè jam inde à primitiva Ecclesia tam Laicos, quàm Ecclesiasticos Viros longâ plane sæculorum serie sacrosanctum Christi Corpus in itinere conficiundo secum pro Viatico asportasse in prima nostri Commentarii Parte demonstravimus: id quod ab omnibus item Romanis Pontificibus observatum, dicas oportet, etiamsi de antiquioribus mentionem apud Historicos, præsertim verò in Vitis summorum Pontificum hac de re factam non inveniamus: propterea quòd antiquiores Pontifices longo lustrorum ordine sacrosanctum Viaticum nonnisi ad pectus, vel à collo pendens dictis jam de causis more Laicorum, cæterorumque Christifidelium secum deferre solebant, sicut etiamnùm Sacerdotes, & Prælati Græci, non autem Laici, ob urgentem faciunt necessitatem. Italiâ deindè Tyrannorum persecutionibus, exterarumque Nationum incursionibus tandèm aliquando liberatâ, suisque viribus cum Pontificia majestate receptis, Romani Pontifices sacratissimum Christi Corpus pro Viatico, longo in itinere conficiundo; solemni pompâ, nobilissimo videlicèt apparatu, quem in Tertia nostri Commentarii parte fusissimè describemus, paucis ab hinc sæculis, vel ducentis ab hinc plus minusve annis ante se asportandum curarunt. Quamvis autèm solemnis Eucharistiam pro Viatico ante Summum Pontificem iter longum conficientem gestandi Ritus multis ab hinc sæculis à Romanis Pontificibus fuerit usu receptus; hunc tamèn Ritum cum hujus generis apparatu ob defectum, vel, ut ita dixerim, carentiam Diariorum, quæ à sacrarum cæremoniarum Magistris fieri solent, nonnisi ducentis ab hinc circitèr annis passim observatum inveni.

Italiâ persecutionibus, & incursionibus liberatâ, Pontificiâ majestate receptâ.

Diariorum carentia.

Multos ex Romanis Pontificibus tam antiquioribus, quàm recentioribus ab Urbe Roma discessisse, variaque Italiæ, extraque tandem Italiæ loca urgentissimis de causis peragrasse narrant Historici. Num autèm omnes pro Viatico sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occultè, vel palàm, idèst publicè, vel privatim secum asportarint, non satis constat. Ecclesiastici nanque Ritus non ab Historicis, uti diximus, sed à Magistris cæremoniarum in Diariis, vel Itinerariis scribi solent.

Inter Romanos Pontifices, quos longum iter fecisse invenio, sacrosanctumque Viaticum ipso in itinere faciundo secum detulisse credo, Stephanus est, hujus nominis III. & IV.

Stephanus nanque III. dictus II. contrà Aistulphum, qui totam ferè Italiam bello vexabat, auxilium à Pipino Franciæ Rege sumere cupiens, in Galliam profectus est, hinc Stephano jam fines Regni Franciæ attingenti, Carolus Pipini filius, cui posteà à rerum gestarum magnitudine Magno cognomentum fuit, ad centesimum lapidem honoris causâ obviam processit. Idem fecit Pipinus Rex, tertio ab Urbe lapide, qui (teste Platina) ex equo desiliens, & pedes sanctissimi Viri exosculatus, à fræno equi, quo Summus Pontifex vehebatur, ipse Rex pedester nunquàm discessit, donèc eum in Urbem, & in cubiculum, ipsi præparatum, collocavit.

Stephanus III. circa ann. Dom. 753.

Platina ubi sup.

Stephanus V. dictus IV. tertio sui Pontificatus mense in Gallias ad Ludovicum Imperatorem, cognomento Pium, pro seditione, atque Campulanâ (ut ajunt) conjuratione vitanda sese contulit. Imperator itaque nuncio de adventu Summi Pontificis allato, ei statim honestissimum quemque, maximè verò Theodulphum Aurelianorum Episcopum cum Clero, & maximâ Populi parte obviam misit: ipse verò ad primum lapidem prodiens, Summum Pontificem cum vidisset, ex equo desiliit, eumque datâ, acceptâque salutatione, maximâ cum veneratione in Urbem usque comitatus est, prævio Clero, Hymnum Sancti Ambrosii, ac B. Patris Augustini præcinente, sæpèque repetente.

Stephanus IV. circa ann. Dom. 816.

Romanos Pontifices hosce ambos longis in itineribus vel publicè, vel saltèm privatìm, ad pectus videlicèt, sacrosanctum Viaticum secum asportasse ratio persuadet: quoniàm secundo saltem modo ab antiquioribus Pontificibus jam inde à nascentis Ecclesiæ primordio, uti etiam de Laicis jam demonstratum est; à recentioribus autèm primo modo Sanctissimum Sacramentum pro Viatico delatum esse constat, ut infrà apertè ostendemus.

Istucipsum longo in itinere factum esse altero istorum modorum dicas necesse est, à Gregorio VII. totius Ecclesiasticæ libertatis

tis Aſſertore, qui magnam Italiæ partem in rebus turbulentiſſimis peragravit.

Vrb.Paſc.Gelaſ. Ab ann. Dom. 1088. ad ann. uſque 1119. Alex.III. circa ann. Dom. 1175.

Idem intereà ab Urbano II. Paſchale II. Gelaſio II. & Alexandro III. Summis Pontificibus, qui ad Chriſtianam Rempublicam reformandam & augendam, in Galliam ſeſe contulerunt, factum eſſe dicas oportet.

Quamvis autèm Alexander hujus nominis III. per varias Italiæ partes, & in Galliam uſquè ad ſchiſma evellendum, pacemque conciliandam ultrò citròque curſando ſacroſanctum Viaticum ſecum palàm detuliſſe non legatur; illud tamen, vel ſaltem ad pectus, vel ad collum pendens clam ab eo delatum fuiſſe credendum eſt, proptereà quòd vel navigavit, vel tanquàm profugus hùc, & illùc curſitavit, dum Federici Imperatoris rabiem fugiens Venetias ſeſe tandem recepit, & in Monaſterium Canonicorum Regularium humillimam vitam ducens, & incognitus ſeſe abdidit, ut Venetiis ſuprà eorumdem Canonicorum Eccleſiæ Portam Inſcriptio marmore inciſa innuit in hanc verborum formam: *Alexander III. P. M. Federicià rabie profugus, has ſacras Regularium Ædes pro munere receptę hoſpitalitatis inexhauſto Indulgentiarum theſauro perpetuò ditavit*. Hùcuſque Inſcriptio. Eadem hiſtoria per pictoriam artem in Venetæ Reipublicæ Aulâ, quam dicunt Auream, necnon Romæ in Regia Vaticani Palatii Aulâ repræſentatur, & hac Inſcriptione illuſtratur: *Alexander Papa III. Friderici Imp. iram & impetum fugiens, abdidit ſe Venetias; cognitum, & à Senatu perhonorificè ſuſceptum, Ottone Imp. Filio navali prælio à Venetis victo, captoque, Fridericus, pace factâ, ſupplex adorat, eidem, & obedientiam pollicitus. Ità Pontifici ſua dignitas Venetæ Reipublicæ beneficio reſtituta*. *MCLXXVII.* Hæc ibi. His igitur, aliiſque de cauſis, quas nuper enarravimus, ſacratiſſimum Viaticum ab Alexandro in itinere publicè aſportatum fuiſſe non legitur; privatìm tamèn delatum inficias ire non auderem. Pag.27.

Immò quotquot fuere unquàm illi, qui in longam ſeſe dederunt viam, omnes idem factitaſſe, uno videlicèt, aut altero modorum nuper enarrato, ſanctiſſimum Sacramentum pro Viatico ſecum detuliſſe credo, quin valdè aſſeverantèr, omni ſcilicèt aſſeveratione affirmare non vereor. Quos tamèn Romanos Pontifices ex recentioribus ſacroſanctum Viaticum longo in itinere ante ſe publicè aſportandum curaſſe invenimus, hoc ſubjiciemus loco.

Greg.XI. an. Dom. 1375.

Gregorius XI. dum Apoſtolicam Sedem ex Avenione Romam reportaret, Euchariſtię Sacramentum ſecum publicè detuliſſe non legitur, etſi alio in itinere id ab eo aſportatum fuiſſe inveni, ut infrà videre licet: is enim Gregorius Anno Domini MCCCLXXVI. ſui verò Pontificatus VI. vel ſi Platinæ credimus VII. Annoquè (ut ait Platina) LXX. poſt Curiæ Romanæ ab Urbe in Galliam diſceſſum Romam ingreſſus eſt. Petrus Amelius Alectenſis ex Auguſtinianorum Familiâ in Narbonenſi Galliâ, Epiſcopus Senogalliæ, tùm Archiepiſcopus Tarentinus, mox Patriarcha Gradenſis, ad extremum Alexandrinus, & Adminiſtrator Aquenſis; ſedentibuſque Urbano V. Gregorio XI. Urbano VI. & Bonifacio IX. Apoſtolici Palatii Sacriſta, Itinerarium maritimum, ſeù totam navigationem ex Avenione Romam uſquè, Idibus Septembris, hoc eſt, die 13. ejuſdem menſis cœptam, diligentèr conſcripſit; in ea tamen navigatione nulla unquam de ſacratiſſima Hoſtia fit mentio, vel quia Summus Pontifex eam ad pectus privatim, ut Laici, aliique omnes antiquitùs facere ſolebant, ſecum detulit; vel quia ſanctiſſimum Chriſti Corpus in ipſa navigatione deferendi conſuetudo in deſuetudinem jam abire cœperat, etiamſi à Clemente deinde VII. inter navigandum fuerit aſportatum, ut ſuo loco dicetur. Cum autèm idem Gregorius è Corytho, ſeu Corneto ad Oſtia Tiberina navigando tandèm perveniſſet, ad Baſilicam Sancti Pauli extrà Urbis mœnia acceſſit, indèque XV. Kalendas Februarii, hoc eſt, 18. Januarii die, Cathedræ Romanæ S. Petri dicata, tanto apparatu, tantâque Romanorum omnium, univerſæque Italiæ lætitiâ Romam ingreſſus eſt, quanta verbis explicari nunquàm poſſet; nullam tamèn in eodem Itinerario mentionem de ſacratiſſima Euchariſtia ab ipſo Sacriſtâ tot navigationis univerſæ minutias explicante, factam eſſe inveni. Hinc Sanctiſſimum Sacramentum in itinere publicè non aſportatum, Romano Pontifice Civitates ſolemnitèr ingrediente, publicè olim deferri non ſolere, non ſolùm exemplum nupèr enarratum indicat, ſed ratio item ipſa perſuadet: proptereà quòd pro ipſo tantùm Viatico à Romanis Pontificibus, necnon ab omnibus viris Eccleſiaſticis, ac item Laicis in itinere ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum antiquitùs deferri conſuevit, utì in prima Commentarii noſtri Parte demonſtratum eſt. Siqui verò aliter ætate noſtrâ fecerint, id conſilio illorum, qui hujuſce Ritus cauſam meditati non ſunt, factum eſſe dicas oportet, ſicut Bononiæ in ſolemni Clementis VII. & Caroli V. equitatione per Civitatem factum fuit, ubi primùm Imperator Summi Pontificis manu coronatus fuit, ut infrà videre eſt. Huic item exemplo adſimile eſt illud alterum, quod in ſolemniſſima Romanorum Pontificum equitatione olim obſervabatur, dum Romæ Summus Pontifex coronatus, è Vaticano ad S. Joannem in Laterano ad poſſeſſionem capiendam ſplendidiſſimâ proficiſcitur pompâ. Id quod admiſſum fuiſſe ab iis cenſeo, qui non pro Viatico, ſed ad ſolam majeſtatem Pontificiam repræſentandam Sanctiſſimum Sacramentum longo in itinere aſportari ſolere opinati ſunt. Nunc autèm geſtatio Sanctiſſimi Sacramenti in ſolemni per Civitatem equitatu jamdiù antiquatâ, in deſuetudinem abiit, vel quia multis ab hinc annis, ut ajunt, equitatio ſine paramentis Eccleſiaſticis, minuſque proindè ſolemnis fieri ſolet: vel quia in hujuſmodi equitatione id ita, re magis perſpectâ, faciendum videtur: præcelſum nanque, ac venerabile Sacramentum, præter Sacro-

M CCC. LXXV. die 13. Septemb.

M CCC. LXXVI. die 18. Jan.

Caroli V. coronatio.

Lib. Cærem. 1 tit. 2. c. 16. & tit. 5. c. 26.

Ritus antiquatus.

Ex ſumma Concil. 1305.

Ex ſumma Concil. 74.

Petrus Amelius Apoſtolici Palatii Sacriſta.

crosanctum Viaticum à Romanis Pontificibus in itinere, & à Parochis ad ægrotos piè, ac religiosè asportari consuetum; singulis annis per publicas Civitatum, & Oppidorum, cæterorumque locorum vias in festo sacratissimi Corporis Christi die, singulari veneratione, ac solemnitate, ut Sancta Synodus Tridentina inquit, in processionibus circumferri solet, ac debet. Quòd igitur Sanctissimum Sacramentum supèr Asturconem in solemni per Civitatem equtiatione ad ipsam majestatem Pontificiam insinuandam deferre non oporteat, invictum ex eo argumentum colligi potest, quòd in tam solemni, hoc est, tam splendidâ, & sumptuosâ Gregorii XI. equitatione, dum idem Pontifex Urbem ingrederetur, sacratissimâ Hostiâ in itinere ob navigationem non asportatâ, publicè saltem, ac solemniter per Civitatem delata non fuit.

Concil. Trid. sess. 13. c. 5. & can. 6. Clement. de Reliq. & Venerat. Tit. 16.

Greg. XI. sacratissimam Hostiam ante se in itinere deferendam curavit, circa ann. Dom. 1376.

Quando autèm idem Gregorius ab Urbe Roma Anagniam profectus est; è Basilica Sancti Petri ad Sanctum Joannem in Laterano ivit, ibique rem sacram fecit, Hostiamque unam consecratam, ante se in itinere deferendam, suis manibus in pixide asservavit, ut Petrus Amelius Apostolici Palatii olim Sacrista scribit dicens: *Reservatâ Eucharistiâ, repositâque per suas manus sacratissimas in Custodia.* Et infrà: *Primo mane Junii antelucànum, Corpus Christi omnibus viam patefecit.* Hæc Petrus Amelius de sacratissima Hostia in itinere à Gregorio delata.

Si itaque in tam brevi itinere augustissimum Christi Corpus delatum fuit; istucipsum longo in itinere à cæteris Romanis Pontificibus, qui Gregorium XI. præcesserunt, factitatum dicas licet, quamvis de hac Sanctissimi Sacramenti gestatione dictis jam de causis in omnium Summorum Pontificum itineribus mentio inveniri non potuerit.

Pag. 45.

Hinc intereà Ritum inveni observatum in illo etiam tam lacrymabili, tàmque detestando schismate, quo tandiù Catholica Ecclesia laboravit, hoc est ab Anno Domini MCCCLXXVIII. post obitum Gregorii XI. qui Pontificiam Sedem ex Avenione Romam reportavit, ad Concilium usquè Constantiense 1417. Hoc sanè tempore tres in schismate deferebantur Pontifices, Joannes videlicet XXIII. Balthassar Cossa Neapolitanus anteà vocatus; Gregorius XII. Angelus Venetus anteà nuncupatus, ex Familia Patritia Coraria ortus; & Petrus de Luna, Benedictus XIII. dictus. Is enim genere Cathalanus ex amplissima natus Familia, mortuo Clemente VII. adulterino, quem, Cardinalem Gebennensem vocitatum, Galli in Pontificem elegerunt, Urbano VI. Pontifice jam legitimè creato, Romanus Pontifex à schismaticis quibusdam Avenione nominatur: ubi dum ipse Benedictus Pontificiam auctoritatem exercere conaretur, idque ab aliquot Nationibus, necnon à multis Principibus Viris, & ab omnibus deniquè bonis permolestè ferri videret, à Concilioque tandèm schismaticus, & Antipapa declaratus, ad concitatam sibi iram mitigandam, Carolique VI. Galliarum Regis gratiam sibi conciliandam, eidem Regi jus Decimæ de Sacerdotibus cogendæ, ut Paulus Æmylius de rebus gestis Francorum ait, in annum dedit summis hominum querimoniis, & expostulationibus, Benedictique nomine in dies magis inviso. Cum autem iis, qui ejus sectam sequerentur, interdictum fuisset jure vectigalium, reddituumque Ecclesiasticorum, eum statim deseruerunt omnes. Qua ex re Benedictus ignominiam sibi imminentem metuens, discessumque, vel potiùs fugam meditatus, in Cathaloniam rediit. Ut autem Pontificiam majestatem, quàm miris artibus affectabant, repræsentaret; vel timore perculsus, impetum hominum in itinere sibi instantem coercere, ac reprimere posset, sacratissimum Christi Corpus ante se asportandum curavit, Paulo Æmylio teste, qui loco superiùs laudato, hac de re ità inquit: *Metu, ignominiâque permotus* (Petrus videlicèt de Luna) *ne à quoquam violaretur, Sacrosanctum Domini Corpus præseferens, in Cathaloniam ad natales suos, Tarraconensesque concessit.* Hęc ex Æmilio.

Paul. Aemyl. lib. 10. de rebus gestis Francorum.

Lib. 10. de rebus gestis Francorum.

Hujus generis exemplum quamvis nec verum Pontificem, nec propriam pretiosissimi Viatici gestationem omninò referre videatur, sicut ex Pauli Æmilii verbis colligitur; ipsum tamen Sanctissimi Sacramenti ante summum Pontificem in itinere asportandi usum demonstrat: nisi enim ante Petrum de Luna, Benedictum XIII. falsò nuncupatum, hic Eucharistiæ Sacramentum in itinere gestandi Ritus in usu olim frequenti non extitisset, tantam novitatem ausus non fuisset attentare; immò ex hoc exemplo Ritus sacratissimam Eucharistiam pro Viatico in itinere ante Romanum Pontificem gestandi solitus comprobatur: dictumque Petrum ob mortem ex ira concitata sibi impendentem, sacrosanctam Hostiam juxtà summorum Pontificum consuetudinem, non solùm in sui tutelam, sed & pro Viatico in itinere ante se deferenda curasse, ratio ipsa docet, ac persuadet.

Idem quoque factum dicas necesse est à Pio hujus nominis II. qui Mantuam pro conventu ad bellum contra Turcas excitandum celebrando ivit, deinde iterùm in bellum contrà Turcas indictum profectus, Anconæ Anno Domini M.CD. LXIV. obiit primâ Septembris die, sextoque sui Pontificatus anno, teste Platina. Hunc Pium, Mantuam usquè profectum, varia Italiæ flumina navigasse, Anconam verò Lectică delatum esse Scriptores produnt; hinc nullâ de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento ante ipsum delato apud eos mentio facta reperitur, nisi ipso Mantuam ingrediente, ut legitur in ejusdem Pii Commentariis, in quibus post apparatum, & Comitatum, qui Sanctissimum Sacramentum antecedebat, enarratum, hæc leguntur: *His Arcula jungebatur aurea, Equo albo vecta, & multis luminaribus circumdata, in qua condita fuit Eucharistia, ideſt Hostia Salvatoris sacrata, & sericeum desupèr umbraculum.* Hæc ibi. Nihil autèm erat, quòd

Pius II. circa ann. Domini 1458. creatus.

Kal. Sept. MCDLXIV.

Pii II. Commentarii.

MCCC LXXVIII.

Ex Concil. Cōstantiensi, & summa Concil.

Circa ann. Dom. 1407.

San-

Sanctiſſimum Sacramentum dicto in itinere nunquàm aſportatum, in hoc tantùm ingreſſu ſuper Achineam deferretur: quia, uti diximus, pag. 42. & 43. hic ſacer Ritus pro Viatico in itinere aſſervando ab antiquioribus naſcentis Eccleſiæ Pontificibus obſervatus fuit, frequentemque apud cæteros uſum recepit: immò ex hac Sanctiſſimi Sacramenti geſtatione, ſummo Pontifice Mantuam ingrediente, ſacratiſſimam Hoſtiam eo in itinere vel publicè, vel ſaltem privatim delatam fuiſſe fatearis oportet, etiamſi hac de re in Diario nullam mentionem factam fuiſſe inveniamus.

Alex. VI. MCDXCIV. Alexander VI. die 22. Julii ab Urbe diſceſſit, & Vicum Valerii, ſeu Varronis Oppidum, Vicovarum corruptè nunc vocitatum, tùm loci naturâ, tùm opere munitiſſimum, ſupràque Tybur in Latio ſitum, profectus fuit, ut illic cum Alphonſo II. Neapolis Rege de Regno Neapolitano à Rege Franciæ defendendo alloqueretur. Totoque hoc Brocard. to. 2. in itinere, teſte Brocardo in ſecundo ſuorum Diariorum Tomo, coràm ſummo Pontifice Sanctiſſimum Sacramentum ſuper Achineam delatum fuit.

Julius II. MDVI. Julium hujus nominis II. ex recentioribus Pontificibus coram ſe non ſemel Sacroſanctum Viaticum in itinere ſolemniter aſportandum curaſſe in Diariis cæremoniarum inveni. Julius nanque, Vir ſanè ob Eccleſiæ Sanctæ ditionem fortitèr conſervatam, & auctam nunquàm ſatis laudatus (qui ut Imperium & Patrimonium Eccleſiaſticum à diverſis occupatum recuperaret, multa geſſit Aug. 27. MDVI. bella) ab Urbe Roma Die xxvj. Auguſti Anno Domini MDVI. diſcendens, & Bononiam uſquè profectus, ut eam à tyrannide Joannis Bentivoli liberaret, Sacroſanctum Viaticum ſolemni pompâ, ante ſe in itinere Paris Craſſus tom. 2. aſportandum curavit, ut Paris Craſſus, eo tempore cæremoniarum Magiſter, ſcriptum in Diario reliquit. Quo in itinere, ut ait Platina. Platina, Ravennam, Ariminum, & Æmyliam, ſive Flaminiam univerſam, quam Romanulam, vel Romandiolam vulgò appellant, recuperavit, Bononiamque à tirannide liberam reddidit. Hujuſce Pontificis Itinerarium Adrianus Cardinalis heroico carmine complexus eſt. Adrianus Cardinalis. Eumdem Ritum idem Pontifex obſervavit, dum die primâ Septembris Anno Domini MDX. ut ſcribit idem Julius II. M D X. Paris tom. 3. Paris, Bononiam iterùm profectus, Exercitum contrà Alphonſum Eſtenſem hujus nominis primùm Ferrariæ Ducem movit, Mutinâ ei ademptâ, & Mirandulâ (præmio tamèn, ut ait Platina, pro tot tantiſque laboribus non ſatis ſpecioſo) expugnatâ. Platina.

Leo X. circa ann. Domini MDXV. Leo Decimus cum univerſa Romana Curia Florentiam, & Bononiam uſquè proficiſcens Sacroſanctum Viaticum in itinere ſolemni pompâ ante ſe aſportandum apud Paris Craſſus tom. 4. eumdem Paridem in Diario curaſſe legitur. Leo nanque Die 1. Menſis Octobris MDXV. ſumpto prandio, Româ diſcendens animi reficiendi causâ Viterbium verſus, Montem Faliſcum, Tuſcaniam ſeu Tuſcanellam, deindè Centumcellas vulgò, & corruptè quidem Cincellas, Civitatem veterem uſquè, ſe iturùm dixit: ubi cum rumores diſſeminati eſſent de Franciſco Gallorum Rege ad pedes Sanctiſſimi Domini exoſculandos Romam profecturo eodem cum Exercitu, quo Mediolanum expugnarat, in ſuamque poteſtatem redegerat; Leo aliquid mali ex regio Exercitu eventurum Italiæ ſuſpicans, Regem ab inſtituto amovere accuratè ſtuduit, ſpontè per Diploma ei promittens, ſe propediem Bononiam uſquè profecturum. Idcircò aliquot Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus cum univerſa Romana Curia Viterbium acceſſitis, de Pontificia Bononiam versùs profectione conſultum fuit, de Regi ſcilicèt occurrendi modo, ne ad Italiam cum Exercitu adventaret. Ut autèm Pontificiæ Majeſtati conſuleretur, decretum deindè Florentiæ in Conſiſtorio fuit, ut quatuor Prælati è Florentia Parmam uſquè, duoque S. R. E. Cardinales à latere Legati è Bononia Regium uſquè obviam procederent. Leo itaque Romanus Pontifex, & Franciſcus Rex Chriſtianiſſimus ſplendidiſſimo apparatu Bononiam pro pace componendâ ſeſe contulerunt. Leo & Florentiam, & Bononiam cum Sacroſancto Viatico ſolemni pompâ ante ipſum delato, ingreſſus eſt. Rex autem Galliæ undecimâ Menſis Decembris die, Anno Domini MDXV. illuſtriſſimo, & ampliſſimo XX. Cardinalium Comitatu (abſque tamèn Exercitu) à Leone X. Bononiæ magnificentiſſimè fuit exceptus: deindè pacis conditionibus confectis, Mediolanum, & in Galliam rediit. Leo autèm Florentiam, ac demùm vere ineunte Romam remeavit.

Leo X. cur Bononiam ſit profectus.

Conſiſtorium Florentiæ celebratum.

Leonis X. in Civit. Florentiam, & Bonon. ingreſſus

Clemens VII. circa ann. Dom. 1529. Clemens hujus nominis VII. ad Carolum V. Imperatorem coronandum Anno ſui Pontificatus VI. poſt Urbem jam à Borbonio captam & direptam, Anno Domini MD XXIX. die VII. menſis Octobris, ut Blaſius Cæſenas eo tempore cæremoniarum Magiſter ait, ab Urbe diſceſſit, Bononiam cum Sacroſancto Viatico ante ipſum ſolemnitèr aſportato, proficiſcens: ubi Carolus Imperator à Clemente Papa ſplendidiſſimo apparatu exceptus, Romani Imperii Diadema de ſummi Pontificis manu more majorum ſuſcepit incredibili apparatu, magnificentiſſimâque pompâ, & in ipſa natalis ſui die 24. Februarii Sancto Matthiæ conſecrata, Anno Domini MDXXX. Auguſtus eſt appellatus, teſte Platina.

Blaſius de Cæſena in Diario

Platina.

Paulus item Jovius Carolum V. à Clemente coronatum fuiſſe ſcribit in ipſomet die Sancto Matthiæ dicato, qui erat natalis Cæſaris, ſemper ei fauſtus non ſolùm ob Ticinenſem victoriam, ſed etiam ob Regem Galliæ captum, ut Surius ſcriptum reliquit. De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, per Civitatem Bononiam, peractâ Caroli coronatione, delato, mentionem facit idem Jovius, dum ſummi Pontificis, ac Cæſaris per Civitatem equitantium admirabilem apparatum, & Comitatum deſcribit dicens: *Nec multum indè ſuccedebat Euchariſtia ſub aurea umbella loculo cryſtallino incluſa, & ſellæ generoſi,*

Paul. Jov. lib. 27. hiſt. ſui temp.

Surius de reb. geſtis.

Jovius in hiſtor. ſui temporis lib. 27.

rosi, & tamen pacati equi super imposita, laterna ingens ante, & circum dena funalia ferebantur. Hæc Jovius. De Sanctissimo autem Sacramento per Civitatem in solemnissima equitatione delato, illud superiùs videre est, quod nos hac de re diximus, cum de Gregorio XI. Apostolicam Sedem ex Avenione Romam reportante verba fecimus.

Pag. 46. & 47.

Clem. VII. ann. Dom. 1532. Blasius de Cæsena in Diario.

Clemens idem Bononiam iterùm proficiscens, die xviij. mensis Novembris Anno Domini MDXXXII. ut scribit idem Blasius, cum Sacrosancto Viatico ante ipsum solemnitèr delato, ab Urbe discessit, ut Carolum V. Imperatorem, Viennâ ab obsidione Turcica liberatâ, in Italiam venientem pro Italiæ pace, ac tranquillitate componendâ alloqueretur.

Clem. VII. ann. Dom. 1533. Biat. ubi sup.

Clemens denique VII. die ix. Septembris, Anno salutis MDXXXIII. ut idem Blasius testatur, ab Urbe discessit, Nicæam, & Massiliam usquè cum Sacrosancto Viatico ante ipsum solemnitèr delato, proficiscens, ut Francorum Regem alloqueretur, quo cum novam inivit amicitiam, in qua Laurentii Junioris filia, Catarina Medicea, Henrico, Francisci Regis secundogenito, Massiliæ in matrimonium collocata est: ibique solemnes nuptiæ incredibili pompâ celebratæ sunt. A Liburno autèm Massiliam usquè Clemens navigavit, Sanctissimo Sacramento cum universa Societate in aliâ trireme, quam Ducissam vocitabant, ante summum Pontificem delato, ut ait Blasius. Massiliam denique solemnissimo apparatu cum sacratissima Eucharistia ingressus est. Cujus ingressui duo etiàm Filii Regis Christianissimi interfuerunt, duodecimâ Octobris die, Deo Domino consecratâ, MDXXXIII.

Sanctissimũ Sacramentũ navi delatum.

Paul. III. anno Domini MDXXXV.

Paulus hujus nominis III. Vir sanè prudentissimus, atque inter Romanos Pontifices velut fulgentissimum jubar non solum Familiæ nobilitate, ac splendore, sed rerum etiam gestarum magnitudine, multarumque insignium virtutum claritate bonis cum literis conjunctâ majorem in modum resplendens, Anno Domini MDXXXV. tertiâ mensis Septembris die (eodem Blasio teste) ab Urbe discessit, Perusiam versùs proficiscens, ut Civitatem ipsam à seditionibus liberaret. Quo in itinere Sacrosanctum Viaticum ante se solemnitèr asportandum curavit.

Blasius de Cæsena in Diario.

Paul. III. anno Dom. MDXXXVIII.

Idem Paulus Anno Dñi MDXXXVIII. die verò 23. Martii ab Urbe discessit, Placentiam versùs, & Nicæam Provinciæ Urbem usquè profectus, ut Carolum V. Imperatorem, & Franciscum Francorum Regem, eò accersitos, alloqueretur ad pacem inter eos componendam, necnon ad navale bellum in Turcas excitandum, ingenti classe, hostibus maximè formidabili, comparatâ.

Blasius de Cæsena in Diario.

Hactenùs de Romanis Pontificibus, qui Sacrosanctum Viaticum in itinere solemnitèr asportandum curarunt: horum nànque Successoribus longum iter facere non contigit. Gregorius tamen XIII. qui Bononiam ire decreverat, hunc solemnem Ritum gestandi Sacrosanctum Viaticum, observandum curaret, ut Arculæ Sanctissimi Sacramenti tegumentum acu pictum, & in Sacrario Pontificio asservatum, præseferebat: in eo enim tegumento stemmata ejusdem Pontificis gentilitia insignita cernebantur. Nunc reliquum est, ut Tertiam hujusce nostri Commentarii Partem, quæ Societatis Sanctissimi Sacramenti Clementem VIII. Pontificem Maximum præeuntis ab Urbe Româ Ferrariam usquè profectionem, ejusdemque Pontificis solemnem in Civitatem Ferrariam ingressum comprehendit, aggrediamur.

PARS TERTIA.

De Societatis Sanctissimi Sacramenti Clementem VIII. Pont. Max. ab Urbe Româ Ferrariam usquè præeuntis profectione, deque solemni ejusdem Pontificis in Civitatem Ferrariam ingressu Anno Domini MDXCVIII.

FErrariâ divinitùs recuperatâ effecit, ut Clemens Pont. Max. (cui res sanè omnes, insigni pietate prævià, quamvis arduæ, quamvis penè desperatæ, divinâ in primis ope favente, ad universæ Christianæ Reipublicæ beneficium, felicitèr, atque ex sententia succedunt) ab Urbe Roma discederet, Ferrariam usquè ipsam profecturus. Anno nanque Domini MDXCVII. die 27. Octobris, Alphonso Estense, hujus nominis II., & ultimo Ferrariæ Duce, sine filiis, ac descendentibus mortuo, Sanctissimus D. N. Clemens VIII. Pastor Ecclesiæ vigilantissimus, & Patrimonii S. Petri defensor acerrimus, & indefessus, ubi primùm Ferrariæ Ducatum in feudum olim à Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis concessum, ad Romanam Ecclesiam ob lineam dicti Alphonsi finitam fuisse devolutum, accepit; nullâ penitùs cunctatione interpositâ, cum universo S. R. E. Cardinalium Collegio de illius recuperatione gravitèr, ac sapientèr egit, dictam recuperationem iisdem quoque Cardinalibus instantèr postulantibus. Quare Sanctissimus D. N. in decreto hac de re pronunciando, humanis posthabitis rationibus, totam Ferrariæ ditionem Christo Domino Salvatori nostro, nec non gloriosæ, ac semper Virgini, Dei Genitrici Mariæ, sanctisque Apostolis Petro, & Paulo, constanti animo, miroque pietatis ardore addixit, & consecravit. Juris itaque, atquè Canonum ordine servato, stricto tandèm utròque gladio, Petroque S. Nicolai in carcere, Diacono Cardinale Aldobrandino, ex fratre germano ejusdem Clementis nepote, ad res sanè præclaras, & arduas pro Romana Ecclesia celeritèr, ac felicitèr perficiendas nato, in Civitate, ac Ducatu Ferrarienſibus, necnon in universa Italia ad quoscumque Principes à latere Legato, pro Ducatu Ferrariæ ipso recuperando cum militaribus copiis misso, Cæsar Estensis nullo militum ex-

pectato congressu, eumdem Ferrariæ Ducatum antiquo, ac legitimo S. R. E. dominio, superiòri Anno MDXCVIII. die 12. Januarii restituere, initâ conventione, scriptis mandatâ, promisit: reque ipsâ ejusdem vigesimâ nona mensis die, hoc est, pridiè diei Sancto Hippolyto consecratæ, in qua ipsius Clementis, anteà Hippolyti nuncupati, Pontificatus natalis celebratur, liberè, ac pacificè, non humano tantùm, sed expresso divinæ opis præsidio, restituit, Ferrariâ gaudio gestiente, totâ Urbe Româ exultante, Deoque ingentes gratias agente, universâque Italiâ admirante. Sanctissimus autèm D. N. Clemens, etsi ad Ferrariam recuperandam, Alphonso statim mortuo, ipsemet ire decreverat; ad eam tamèn divinitùs recuperatam sese etiam contulit iis de causis, quas infrà suo loco enarrabimus.

Parte tertia sub fide rebus Ferrariæ gestis.

Ab Urbe autèm Româ idem Sanctissimus D. N. tertiâdecimâ Aprilis die MDXCVIII. discessit, Societate Sanctissimi Sacramenti cum Sacrosancto Viatico unius diei itinere, & brevissimo quidem, prævià, ob rationes, quas in Prima hujusce Commentarii Parte in medium attulimus, hunc nodum explicantes. Quare Sanctissimus D. N. duodecimâ ejusdem mensis die, peculiari quòdam nomine, atque cultu Domino Deo consecrata, ut Sacrosanctum Viaticum ante suum discessum unius diei itinere præire cerneret, in Basilica Sancti Petri super Altare Sanctorum Apostolorum rem divinam privatim faciens, ex Sacratissimis Hostiis duabus unam de more absumpsit; alteram verò, completâ Missâ, sacerdotalibus exutus indumentis, mozzettâ deindè, ac stolâ indutus intrâ vasculum crystallinum, quod custodiam Sanctissimi Sacramenti appellant, repositam, in Arcula, sive Capsula suis manibus maximâ cum veneratione collocavit. Claviculam denique, quâ suis itèm manibus Capsulam obseravit, Apostolici Palatii Sacristæ, cui Sanctissimi Sacramenti cura ex officio Sacristatus demandatur, assignavit.

Discessus Papæ.

Pag. 44. & 45.

Missa Domini Papæ privata.

Sacratissima Hostia intra Capsulam à Sanctissimo D. N. reposita.

Capsulæ clavicula.

Capsula, ut eam plenius describamus, lignea est, longitudine palmorum circitèr quatuor; latitudine duorum; altitudine autèm unius palmi, & amplius, holoserico rubri coloris panno, intùs foràque conglutinato, cooperta. Ejus operculum habet foris in medio basem quamdam ex ære aurato, intrà quam statuitur Crucis æreæ pes auratæ cum sacra Christi Imagine unius palmi, & eo ampliùs, eidem Cruci erectæ super illam basem affixâ. Hæc interèa Capsula habet intùs in fundi medio sericeum rubri coloris sacculum desuper contrahendum, & funiculis sericeis constringendum, in quo vasculum illud crystallinum, sive Hostiaria, vel, ut ajunt, Custodia cum Sacratissima Hostia à Sacrista † de septimo in septimum diem, ut jam diximus, mutanda, reconditur, & custoditur.

Capsulæ Sanctissimi Sacramenti descriptio.

Hostiæ Sacratissimæ de 7. in 7. diem mutatio.

Pag. 44. & 45.

Extat etiàm super Capsulam opertorium ex tela aurea, seu potius ex serico, & auro contextâ in quatuor partes divisum, atque hinc indè pendens; partium verò extremitates laciniis itèm sericeis, & aureis distinctæ, & ornatæ sunt, necnon Ecclesiæ Sanctæ, summi Pontificis, & Societatis Corporis Christi insignibus decoratæ. Ad quatuor Capsulæ angulos quatuor virgæ ferreæ, & auratæ palmorum circitèr quatuor, columellarum instàr, ad tres, & ampliùs palmos suprà Capsulæ operculum eminentes, aptatæ cernuntur: super quarum summitatibus umbella, quam vulgò baldacchìnum appellant, ex serico itèm, & auro contexta, sustentatur, hinc indè pendens, laciniis, & lemniscis, seu flocculis tùm sericeis, tùm aureis distincta, & ornata: in cujus vertice ad quatuor angulos totidem stellulæ ex ære inaurato super glandes itèm æreas, & auratas, ac satis quidem grandes collocatæ, magnam efficiunt venustatem. Hunc in modum Arcula, sive Capsula variè, ac decentèr elaborata hastis quibusdam ornatis sublevata ab octo Basilicæ Sancti Petri Canonicis super humeros deferebatur.

Umbella Sanctissimi Sacramenti Capsulæ coaptata describitur.

Antè Sanctissimum Sacramentum ibant Conventus Laicorum ad pietatis, & religionis opera instituti, quos Confratrias vocant, cum cereis facibus, seu funalibus ardentibus, omniumque Ordinum Religiosi, deindè Cantores Basilicæ Sancti Petri decantantes, Crucifero itèm cum universo Urbis Clero subsequente. Post Clerum deferebatur Capsula Sanctissimi Sacramenti cum alia majori umbella ab octo Cubiculariis ex intimis Sanctissimi D. N. Papæ, atque præcipuis, quos appellant secretos, delata, Clavariis, seu Clavigeris, & Helvetiis Sanctissimi D. N. machærophoris, & hastiferis hinc indè in ipsius Sanctissimi Sacramenti custodiam, & venerationem incedentibus,

Comitatus à S. Petro ad Portam Angelicam.

Confratres.

Religiosi.

Cantores.

Crucifer.

Clerus.

Cubicularii Papæ.

Clavigeri.

Helvetii.

Propè Sanctissimum Sacramentum sequebatur Sanctissimus D. N. Papa, cereum satis grandem, & ardentem manu gestans, subsequentibus S. R. E. Cardinalibus, & funalia itèm cerea ardentia deferentibus; hos Prælati multi, ac nobiles viri sequebantur, immensâ ferè, & admirandâ quidem Populorum frequentiâ accedente.

Sanctissimus D. N. Papa.

Hoc ordine intrà, & extrà Ecclesiam ad scalarum radices usquè, in ampliissimam Sancti Petri aream ducentes, itum est; ubi Asturco, sive Achinèa, equus videlicèt albus, cui non vulgaris in incessu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio est, pulcherrimè phaleratus, opertorio rubri coloris holoserico ad ejus usque pedès defluente coopertus, & ephippiatus, stragula scilicèt, quam sellam passim vocant, rubri coloris holoserica, tintinnabulo argenteo, & inaurato à collo ejus pendente, detinebatur.

Asturconis phalerati descriptio.

Asturconis opertorium, sella, & tintinnabulum.

Quò postquàm perventum est, Arculæ, seu Capsulæ gestatores, eam statim Asturconi imposuerunt, & intrà sellæ anteriorem, ac posteriorem partes, multo plus aliis sellis prominentiores, ad ipsam Capsulam melius recipiendam, & coagmentandam ità elaboratas, coaptarunt. Sacrista verò ad eamdem Arculam super sella tutiùs firmandam, & sufficien-

Capsula Sanctissimi Sacramenti sellæ super Asturconem coaptatur: hujusceque coaptationis descriptio.

PARS. PRAECIPVA. COMITATVS. S.^mi SACRAMENTI. ROMANO. PONTIFICI. IN. ITINERE. PRÆEVNTIS.

ARCVLA. S.^mi SACRAMENTI. LECTICAE. INSTAR. IN. REDITV. ADVRBEM. ASPORTATA.



ASTVRCO. ET. MVLÆ. AD. TANTVM. ADHIBITI. MINISTERIVM. OVOVIS. IN POSTERVM. SERVITIO. EXIMVNTVR.

ciendam, duobus ferramentis (quæ vulgò vites vocantur, viceſque clavium fungi ſolent) ad anteriorem Sellę,& Capſulæ partem adhibitis, & in utramque per foramina ſinuoſa transigentibus; totidemque ferramentis ad poſteriorem eòdem modo appoſitis; ità Sellam, & Capſulam inter ſe connexas, ſive coagmentatas, ac ſtabiles reddidit, ut hæc ab illa dimoveri haudquaquam poſſit, niſi ferramenta illa extrahantur, aut perfringantur.

Ferramenta ad fulciēdam capſulam.

Hac re ſtatim confectâ, Sacriſta mulam albam, ejus muneri deſtinatam, actùtum conſcendit, mantelletto, & mozzettâ, ut loquuntur, juxtà inſtituti ſui colorem indutus, albumque baculum, nigri coloris funiculo ſericeo, & lemniſcato inſignitum, curæ ſibi commiſſæ jus, ſive inſigne præferentem manu geſtans, Portam Angelicam versùs ſeſe contulit, ubi Domini Prælati cum univerſa Societate Sanctiſſimum Sacramentum,à Confratribus, & à Clero, necnon à Populis veneranter comitatum, præſtolabantur.

Apoſtolici Palatii Sacriſta. Idem ferè infrà pag.46.

Baculus Sacriſtæ quid ſibi velit.

Anteà verò quàm Sanctiſſimum Sacramentum à ſcalis Sancti Petri dimoveretur, Sanctiſſimus Dominus Noſter CLEMENS ambobus genibus flexis, ab ultimo ſcalarum gradu ſeſe erexit, & ad Capſulam accedens, eam maximà cum veneratione exoſculatus eſt; deinde iterùm genua flectens, ingenti lacrymarum effuſione, ac pietate religioſè Sacratiſſimum Chriſti Corpus ingeniculatus adoravit; ab humo autem non ſurrexit,donec Sanctiſſimi Sacramenti Arculam videre potuit; poſtquàm verò eam ampliùs cernere non valuit, e terra erectus, S.R.E. Cardinalibus dimiſſis, per eaſdem ſcalas in Palatium rediit. Ubi autem primùm eo, quem enarravimus, ordine, ad Portam Angelicam cum Sanctiſſimo Sacramento perventum eſt, omnes, qui eò uſque Sacroſanctam Hoſtiam comitati ſunt, in aream Sancti Petri, ad varia Urbis loca vias monſtrantem, redierunt, Societatem Sanctiſſimi Sacramenti ſeſe viæ committentem progredi ſinentes, eidemque felix iter ominantes.

Magna Sanctiſſimi D. N. pietas,ac religio.

Sanctiſſimus D. N. dimiſſis Cardinalibus in Palatium revertitur.

Anteà verò quàm rem ullam ad iter pertinentem aggrediamur, inſtructionem Societatis Sanctiſſimi Sacramenti cenſeo deſcribendam juxtà ſeriem, ac pompam in itinere obſervatam.

Inſtructio, ac ſeries equitatus Societatis Sanctiſſimi Sacramenti Ferrariam proficiſcentis.

OMnia in primis, quæ ad Sacrarium Pontificium pertinent, necnon Societatis quorumcumque utenſilia, hoc eſt ad eorumdem cultum,aut uſum ſpectantia à mulis, & equis onerariis præferebantur: Omnium intereà jumentorum ductores, hoc eſt muliones,& alii, necnon bajuli ad jumenta oneranda,& exoneranda,& ad ſarcinas hùc,atque illùc ſuper humeris portandas deſtinati, ſuo loco præibant. Sarcinæ, ad Sacrarium Pontificium pertinentes, opertoriis ex panno rubro ſummi Pontificis inſignibus ornato erant contextæ. Hanc tumultuariam, & jumentorum,& hominum multitudinem Turmæ equitum cum Tubicine ſubſequebantur. Hos propè octo Aſturcones, ſive Achineæ ſellis holoſerico rubri coloris panno coopertis ſtrati ſine ſeſſoribus à ſtabulariis ducti cum Aſturcone duas ligneas, & quidem breviſſimas, deferente ſcalas panno rubro tectas ſubſequebantur: utraque verò ſcala duobus conſtat gradibus ad Capſulam ſellæ coagmentandam, & coaptandam, & indè, cùm opus eſt, deponendam idonea. Hos ordinatè, ac diſtinctè qui infrà leguntur, ſubſequebantur; univerſæ ſcilicèt Prælatorum familiæ, & famuli cujuſcumque gradus hominum, qui aliquâ dignitate ſunt inſigniti, vel aliquo funguntur munere.

Sarcinæ Sacrarii Pontificii.

Tubicen.

Turmæ equitum.

Aſturcones, vel Achineæ.

Scalæ ligneæ panno rubro tectæ.

Prælatorum familiæ ac famuli.

Duo deindè Curſores,duoque ex officio rubeam deferentes virgam; Viginti Pontificiæ Cappellæ Cantores; Duo Scutiferi; Duo Clavarii argenteas clavas geſtantes; Alter ſacrarum Cæremoniarum Magiſter; Duoque Cappellæ Pontificiæ Clerici, hyacinthini,ſeu violacei coloris veſtibus induti, equis inſidentes,argenteaſque laternas ſuper haſtis affixas deferentes. Haſtæ verò ſuper ſtapedibus, ſive, ut ajunt, ſtatis quibuſdam ad hanc rem ſolam confectis, fulciuntur, ac ſuſtentantur, cereis ardentibus intrà laternas in ſummitate haſtarum ſublevatas, occluſis.

Curſores. Virgam rubeam deferentes. Cantores. Clavarii. Cærem. Magiſter. Clerici Cappellæ.

Luminaribus hiſce pręviis,Sanctiſſimum Sacramentum, eo, quem explicavimus, modo, aſportatum ſuper Achineam,ſeu Aſturconem à duobus circumpedibus, ſeu peditibus, quos Parafrænarios appellant,fræno ductum, ſequebatur, Helvetiis in ejus cuſtodiam, & venerationem Macharophoris, haſtiferiſque ſtipatum.

Helvetii.

Apoſtolici Palatii Sacriſta Sanctiſſimum Sacramentum ſtatìm ſubſequebatur, mulæ albæ inſidens, albumque baculum, juriſdictionis cujuſdam inſigne præferentem manu geſtans,ut fuſiùs hac de re nuper ſuo diximus loco.

Apoſtolici Palatii Sacriſta. Pag.44.

Hunc ſequebantur Prælati omnes, ac cæteri Sanctiſſimum Sacramentum comitantes, Fabius videlicèt Blondus, Patriarcha Hieroſolymitanus; Guillelmus de Avanzòn Gallus, Archiepiſcopus Ebredunenſis; Franciſcus Montorius, Epiſcopus Neocaſtrenſis Sanctiſſimi D. N. in Cappella Aſſiſtentes, & Hieronymus Centelles Romanus, Epiſcopus Caballionenſis; Bernardinus Morra, nunc Epiſcopus Averſanus, & Andreas Sorbolongus, ambo è ſacra Reformationis Congregatione; Scipio Vicecomes Subdiaconus Apoſtolicus; hi verò tres utriuſque Signaturæ Referendarii. Hos ſequebantur Aloyſius Cittadinus, & Pomponius de Magiſtris, Altaris Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli in Baſilica Vaticana Præfectus, quem Altariſtam appellant, ambo ejuſdem Baſilicæ Canonici; necnon Octavius Bojardus, & Joannes Baptiſta Genga, hi quatuor è Sanctiſſimi D. N. Cubiculariis, quos vocant honoris. Quatuor intereà ex iis, qui domeſtico Sanctiſſimi D. N. Sacello inſervire ſolent,

Prælati,& Aſſiſtentes Papæ.

Subdiaconus Apoſtolicus, ac Referendarii.

Cubicularii Papæ.

Cappellani.

Cappellanique passim vocitantur; Duoque tandem Scutiferi, seu Cubicularii ex iis, qui extrà cubicula domestica, seu secreta custodiendi munus exercent.

Scutiferi.

De discessu ab Urbe Româ.

Die 12. Aprilis, qui fuit dies Dominicus.

HOc ordine Societas Sanctissimi Sacramenti, pridiè idus Aprilis, hoc est, duodecimâ mensis die MDXCVIII. ab Urbe Româ discessit, Ferrariam usque profecta; idemque toto in itinerum cursu observatus est ordo. Idibus verò Aprilis, tertiadecimâ ejusdem mensis die, Sanctissimus D. N. cum universo Pontificio apparatu, & Comitatu præeuntem Sanctissimi Sacramenti Societatem sequens, in viam sese dedit. Societas namque Sanctissimi Sacramenti itinere unius diei, & quidem ferè semper brevissimo, Summum Pontificem antecedebat, ut alibi fusiùs dictum est, nodo ad hanc rem spectante, dissoluto. Quotidiè iter agebatur, nisi per Sanctissimi D. N. Cursores Tabellarios ipsi Sacristæ aliter mandatum fuisset: idemque Sacrarii Pontificii Præfectus singulo quoque mane rem divinam, quam Missam conventualem appellant, pro universa Sanctissimi Sacramenti Societate iter agente, faciebat, istucipsum multis, & frequentèr quidem privatim facientibus.

Pag. 44.

Missa conventualis.

Precationes pro iter agentibus quotidie celebrari solitæ.

Sacris peractis, hoc est Missâ conventuali ab eodem Sacristâ celebratâ, Psalmi, & orationes pro iter agentibus recitabantur juxtà Clericorum Itinerarium in Ecclesia sancta institutum: deindè ordine, paulò superiùs enarrato, Societas viæ sese committebat, his priùs à Fabio Blondo Patriarchâ Hierosolymitano dictis: *Procedamus in pace*; Cæteris respondentibus: *In nomine Domini. Amen.*

Exercitationes spirituales in toto itinere præstitæ.

Magna diei pars singulo quoque itinere in septem Psalmis, quos Pœnitentiales vocant; & in Litaniis recitandis, alternantibus Choris, consumebatur; in reliqua diei parte, suo quisque arbitratu, modò divinum Officium, modò preces aliquas, modò Orbiculum illum precarium, quem Coronam passim vulgò appellant, recitabat: Colloquia denique Christianam pietatem, ac religionem redolentia, nècnon ad rem, quæ in Arcula deferebatur, sacratissimam, ac divinam pertinentia, interdùm habebantur.

De accessu ad ea loca, in quæ divertendum erat.

Militares homines.

VEspertino jam deindè tempore adventante, cùm Societas uno circiter miliario ab Oppido, seu Civitate, quò divertendum erat, abesset, ecce statim præstò adsunt militares homines perarmati, Societati, in honorem, ac venerationem Sanctissimi Sacramenti obviam procedentes; deindè cum cereis ardentibus Clerus, & Religiosi omnes modò Hymnum in solemnitate Corporis Christi cantari solitum; modò S. Ambrosii, ac Beati Patris Augustini sacrum item Hymnum decantantes, Conventusque Laicorum ad pietatis, & religionis opera instituti, quos Confratrias, & Confraternitates appellant, Sanctissimo Sacramento occurrebant.

Clerus.

Religiosi.

Confratriæ.

Magistratus locorum cum Populis.

Propè autem loci Portam, ecce item Magistratus, præcinentibus tubis, & Populo subsequente, obviam Societati sese offerebat, Sanctissimo Sacramento umbellam à primariis locorum viris, seu optimatibus Magistratum gerentibus per Oppida, seu Civitates gestandam honori simul, & labori succedentibus, subeunte, hinc indè quoque pueris, & adolescentibus, ac juvenibus, & quidem nobilibus vario, ac ditissimo vestium cultu decoratis, aliis interdùm olivarum ramos, aliis verò clavas, sive baculos oblongos pictos, & ornatos manu deferentibus, circumsepto; minoribus intereà, necnon majoribus tormentis bellicis ad lætitiam simul, ac venerationem declarandam displosis. Societate Sanctissimi Sacramenti hunc in modum dispositâ, ad Ecclesiam Cathedralem usque piè, ac religiosè procedebatur: in eundo autem, exteriores domorum parietes aulæis picturata, versicolorique textura insignibus, ac spectabilibus vestiti, fenestræque tapetis perpulchris exornatæ, viæ floribus, ac foliis stratæ, necnon velis, sive linteis desuper contectæ, ornatisque Altaribus nonnunquam ornatæ cernebantur, Gentibus utriusque sexus visendi gratiâ undique confluentibus, præter eas, quæ è fenestris ipsis, atque è domorum januis spectabant.

Varius Adolescentulorū, ac Juvenum cultus.

Apparatus locorum.

De accessu ad Ecclesiam Cathedralem.

POstquàm verò ad Ecclesiam perventum erat, Arcula ipsa cum Sanctissimo Sacramento in majori, seu primario Ecclesiæ Altari decentissimè ornato statuebatur: deindè à Cappellæ Pontificiæ Cantoribus, alternantibus Choris, Litaniæ Sacratissimi Corporis Christi, necnon sacræ cantiones decantari solebant, maximâ Populorum intùs extràque Ecclesiam adstante frequentiâ, attentissimèque audiente. Erudito denique, ac suavi musicorum concentu peracto, perque sacram precationem ab Episcopo, seu Presbytero loci primario decantatam concluso, Indulgentiæ non solùm pro adstantibus, verùm etiam pro iis omnibus, qui Sanctissimum Sacramentum comitati jam fuerant, ac prostridie ad portam usque Civitatis, aut Oppidi comitaturi erant, à cæremoniarum Magistro promulgabantur. His peractis, Christifideles ad primam usque noctis, & ampliùs horam in Ecclesia commorantes, & in eam certatim concurrentes, Sanctissimo Sacramento suppliciter preces offerebant. Dimisso deniquè Populo, Apostolici Palatii Sacrista sacratissimam Hostiam (cæremoniis sacris ritè præmissis) piè, ac religiosè visitabat: & siquid in Capsula ob continuam ejus agitationem vitiatum fuisset inventum, resarciendum studebat. Ecclesiasticos postremò viros in custodiam Sanctissimi Sacramenti nocturnas vi-

Cappellæ Pontificiæ Cantores.

Indulgentiæ pro comitantibus Sanctissimum Sacramentum, &c.

Populorum concursus, ac religio.

Ecclesiastici Viri in custodiam Sanctissimi Sacramenti destinati.

gilias

gilias alternatim acturos, cereis, ac lampadibus perpetuò ardentibus illic relictis, destinabat.

De Populorum Comitatu, eorumque piis rebus gestis, Societate Sanctissimi Sacramenti Civitates, & Oppida ingrediente.

HActenùs iis de rebus, quæ à Societate Sanctissimi Sacramenti in itinere fieri solebant, necnon de ejusdem in Civitates, vel Oppida, in quæ divertendum erat, ingressu: Nunc reliquum est, ut ea, quæ à Populis locorum, per quæ transeundum erat, facta sunt, ac nonnulla enarratu digna, quæ in itinere evenerunt, commemoremus.

Populorum pietas, ac religio.

Tanta ubivis gentium erat omnium Christianorum ergà Sanctissimum Sacramentum pietas, ac religio, ut non solùm cum Magistratu, & Clero, altero ipsorum Umbellam suprà Capsulam Sanctissimi Sacramenti deferente, in ingressu, & in discessu Societates Laicorum ad pia opera exercenda institutæ (quas Confraternitates, vel Confratrias vulgò appellant) multique ex locorum Populis ad aliquot milliaria, verùm etiam utriusque sexus Christifideles ex vicinis Villis, & Castellis, Oppidis, ac Civitatibus undique turmatim confluentes, sacratissimam Eucharistiam piè, ac religiosè comitarentur. Hujus autem generis Comitatus per totam ferè viam singulo quoque in itinere cernebatur, dum alios alii excipiebant, & recentes defatigatis succedebant.

Populorum concursus, & comitatus.

Acta Populorum in itinere Christianam pietatem, ac religionem exprimentia.

MUlta toto in itinere miram omnium Populorum ergà Sanctissimum Sacramentum pietatem exprimentia evenerunt, quæ longum profectò foret enarrare. Hæc tamen pauca silentio prætermittenda non reor: Quorum unum est de fœmina rusticana quadam, quæ ab universa Sanctissimi Sacramenti Societate visa est è collibus quibusdam ad viam usque præcipitantèr descendens, suumque pectus frequentissimis contundens pugnis, atque hunc semper in modum sacratissimam Hostiam, pectore ob verbera conspersо sanguine, & verbis Christianâ religione refertis, fœminæque peritissimæ peritiam omnem longè, multùmque superantibus, subsecuta est; nec unquàm regredi voluit, dum ei per corporis vires progredi licuit: à tam pio autem, tàmque religioso obsequio nonnisi ob longam, ac nimiam defatigationem, rei tantæ debitam, virium expers (invita tamen) destitit.

Fœminæ cujusdam pietas ac religio.

Ego verò dum miram religiosissimæ fœminæ ergà Sacrosanctum Christi Corpus pietatem meditarer, mihi in mentem venit, quòd Gregorius Nazianzenus de Gorgonia sorore sua ante Sanctissimum Sacramentum ad Altare prostratâ, immenso fidei, & charitatis fervore, mercedisque spe haud vacante, ingentique lacrymarum profluvio perfusâ, & penè moribundâ, Christumque Dominum implorante scriptum reliquit, dicens: *Desperatis omnibus aliis auxiliis ad mortalium omnium Medicum confugit, atque intempestâ nocte captatâ, cùm morbus nonnihil remisisset, ad Altare cum fide procumbit, eumque qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans, omnibusque nominibus appellans, atque omnia ea, quæ unquàm mirificè gesserat, velut in memoriam ei revocans (nam & veteres, & novas historias callebat) tandem piâ, & præclarâ quadam impudentiâ effertur.* Hunc ferè in modum religiosissima illa fœmina rusticana verè piam, verèque præclaram Gorgoniæ impudentiam modo quodam, & dictis, & factis imitari videbatur, etsi Gorgonia, Christo Domino gratissima, ægro erat corpore, & suprà quam dici potest afflicto, membris omnibus dissolutis; illa verò non item: immò ut sanam, gratamque Christo Domino sese redderet, aut conservaret, suum corpus mirum in modum afflictabat. Hæc de fœminâ rusticanâ, & imperitâ, peritiam hujus mundi omnem superante.

Greg. Nazian. in xi. oratione Funebri in laud. Gorgoniæ.

Alterum scitu dignum sese offert de quibusdam fœminis ab immundo spiritu vexatis, quæ in ipso Sanctissimi Sacramenti transitu, ob magnam earumdem, atque astantium in Sacrosanctum Christi Corpus sub specie panis occultatum fidem, liberæ à dœmonibus evaserunt. Omitto Christifidelium utriusque sexus pietatem, ac religionem, dum omnes totâ ferè viâ Arculæ Sanctissimi Sacramenti opertorium, vel manibus osculatis, vel Orbiculo illo precario, qui Corona vulgò vocitari solet, certàtim tangerent, & quidem venerabundi. Omitto etiam, quæ in Capsulæ gestatorem, & in eos, qui propè subsequebantur, ob venerationem Sanctissimi Sacramenti fiebant; necnon Arcus, quos triumphales vocant, in confiniis locorum, & in Civitatibus, & Oppidis constructos: non enim desunt, qui hanc Civitatum, & Oppidorum magnificentiam cum pietate conjunctam conscribant: quibus hanc dicendi provinciam libentèr relinquo. Multa deniquè brevitatis causâ omittenda videntur, quæ in Villis, & Castellis, atque item in Oppidis, & Civitatibus, in quibus solus præstabatur transitus, in venerationem Sanctissimi Sacramenti, & in pedestrium hominum obsequium fiebant.

Fœminæ à dæmonũ vexatione liberatæ.

Christifidelium pietas, ac religio.

Orbiculus precarius.

Populorum magnificẽtia.

Epilogus, & ordo rerum dicendarum.

NUnc reliquum est, ut loca, per quæ itum fuit, & in quibus à Sanctissimi Sacramenti Societate pernoctatum est, ordine recensеamus. His breviter enarratis, felicissimum, & Pontificio apparatu splendidissimum in Ferrariam recuperatam ingressum aggrediemur. Ut autem loca omnia, in hoc Itinerario enarrata, non solùm à nostratibus, sed ab exteris etiam Nationibus facilè dignoscantur, tùm recentiora, tùm antiquiora locorum nomina, eorumdemque naturam, &

situm, brevissimè, quòad ejus fieri poterit, explicabimus.

Itinerarium Societatis Sanctissimi Sacramenti.

Pag. 45. PRidiè idus Aprilis, hoc est, ut alibi diximus, duodecimâ mensis die; Domino Deo peculiari quodam cultu, ac nomine consecratâ, Societas Sanctissimi Sacramenti ab Urbe Româ (quæ est Italiæ Civitas in Latio sita, nemini non nota, omniumque Urbium Regina, totiusque prope Mundi olim, nunc verò Christiani Orbis caput) Ferrariam usque profectura, per Portam Angelicam discessit, per prata transiens, indeque per Pontem Milvium, quem nunc Mollem (& corruptè quidem) vulgus appellat. Is autem Pons extra Portam Popularem est, mille, & amplius passuum intervallo, viam Flaminiam conjungens: ad quem Maxentius Tyrannus cum exercitu à Constantino Magno divinitùs fuit oppressus.

Die Dominico 12. Aprilis.

Pons milvius, vel molle corruptè.

Maxentius à Constantino oppressus.

A Porta verò Angelicâ, ad hunc usque Pontem circiter unum milliarium distante, frequentissimi utriusque sexus Populi in variis vehiculorum generibus, præter alios pedestres quamplurimos, hinc indè Sanctissimum Sacramentum expectantes commorabantur. Ex pedestribus autem permulti ad septem milliaria, ad Portam scilicèt vulgò Primam vocitatam, Sanctissimum Sacramentum comitati sunt. Vespertino deniquè tempore adventante, ad Castellum, sive Castrum Novum, ab Antonino in suo Itinerario commemoratum, & in Thuscia situm, deventum est: cujus in Diversorio ob loci, & omnium rerum angustias non benè nobiscum actum.

Populorum frequentia in Romæ suburbanis.

Prima porta.

Castrum Novum.

Postridiè, hoc est 13. Mensis Aprilis die à Castro Novo per Arinianum Oppidum, vel Arianum à Blondo, vel Arignanum à Platina dictum, nunc verò Rignanum vulgò vocitatum, non procul à Monte Soracte transeuntes, ad Civitatem Castellanam editissimo in loco sitam, altissimisque undique cinctam rupibus, olim Fescenium, seu Fesceniam à Blondo, Annio, Volaterrarano, Plinio, ac Strabone nuncupatam, pervenimus, ibique cænavimus, ac pernoctavimus.

Die Lunæ 13. April. Arinianum.

Civitas Castellana.

Ad sextam noctis horam omnes dum somno sese darent, ecce Cursor Tabellarius ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Cynthio Sancti Georgii Cardinale, Clementisque VIII. Nepote missus ad Sacrarii Pontificii Præfectum, cui mandatum fuit, ut in Civitate Castellana cum universa Sanctissimi Sacramenti Societate ad nouum usque nuncium consisteret. Id quod Sacrista se facturum eâdem ipsâ horâ per literas respondit.

Sequenti verò die sacris jam peractis, sub prandium, per alium Cursorem Tabellarium fuit eidem mandatum, ut, literis illicò perlectis, cum eàdem Societate illinc discederet, cœptumque iter persequeretur. Hinc Societate Sanctissimi Sacramenti per Tubicinem excitatâ, & per Cursores de discessu monitâ, sumptoque jentaculo, statìm discessimus.

Die igitùr 14. à Civitate Castellana venimus Burgetum, sive Burghettum (Beati Leonardi vicum lautum) ad jus, dominiumque Xenodochii Sancti Spiritus in Saffia Romæ olim pertinens; nunc Ducatui Castri subjectum; deindè Tiberim supra Pontem ex navigiorum connexione, tabularumque desuper compagine constructum transivimus; indè per Ocriculum à Strabone, & Antonino; à Tacito autem, ac Plinio, Otriculum in Umbria, dictum, ad mille passus à Tiberi in Colle situm, Narniam (olim Nequinum) Civitatem antiquam à Nare fluvio nuncupatam, Viris, & armorum, ac literarum, dignitatumque gloriâ decoratis insignem, multisque aliis nominibus celebrem, in aspero, saxoso, præcelsoque monte sitam deventum est. A Septentrione attamèn Agri colles amœni sunt, arboribusque fructiferis, vitibus, oleis, ficubus, idque genus aliis nitentes imminere cernuntur. Hac in Civitate cænatum, pernoctatumque fuit.

Die Martis 14. Aprilis.

Burghettum.

Otriculum.

Narnia.

Die 15. à Narnia discessimus per Collem Scipionis (quem corruptè appellant *Coldiscipolo*) Oppidum frequens, & opibus affluens transeuntes. Indè verò Interamnam territorio angusto, fertilissimo tamen circumseptam, duosque inter amnes, altissimam scilicèt ex Nare fluvio fossam, ipsumque Narem sitam, armorum peritiâ satis nobilem, & propter præclara magno numero ingenia perillustrem advenimus, ibìque cænavimus, ac pernoctavimus.

Die Mercurii 15. Aprilis.

Interamna.

Die 16. ab Interamna Spoletum antiquissimum Umbriæ, seu Vilumbriæ olim caput, in extrema, & amœnâ planitie, Valle Spoletinâ vocitatâ, jacens; non ab expoliendo, expoliandove vocibus Latinis, sed ab Aramæis, & Hetruscis vocabulis (ait Annius) Polo scilicèt Duce, aut Spolo ave, cujus auspicio Urbs ipsa condita fuit, derivatum; ejusdemque Provinciæ Civitatem olim primariam (cui & Arx insidet munitissima, cæteris Italiæ Nobilibus adnumeranda) partìm in plano, partìm in colle sitam; copiâ verò rerum ad vitam utilium in primis affluentem, & frumento, vino, oleo, amygdalâ, cæterisque frugibus abundantem deventum est, ibìque cænatum, ac pernoctatum. Hùc autem venimus per Vallem Stretturæ vulgò dictam, hoc est, Guillelmo Kyriandro interprete, angustiarum Vallem, admodùm saxosam, altissimisque rupibus clausam.

Die Jovis 16. Aprilis.

Spoletum.

Annius.

Vallis Stretturæ.

Die 17. à Spoleto per Trebulam in monticulo sitam, quam nunc *Trevi* vulgò appellant, venimus Fulgineum ita à nonnullis dictum, ab Appiano Fulcinium, à Silio Fulginiam, nunc verò Fulignum vulgò nuncupatum, Civitatem in planitie amœnâ, & jucundâ sitam, omnibus frugibus abundantem; eximièque præ cæteris Gentibus condituras ex saccharo minutas conficientem: cujus Civitatis Ager, sive Territorium tantâ rerum copiâ, & situs extat pulchritudine, ut ubertate, atque elegantiâ cæteris Italiæ fœcun-

Die Veneris 17. Aprilis.

Trebula, Trevi.

Fulgineum.

cundissimis, amœnissimisque locis adnumerari meritò queat. Hoc loco cœnatum est, ac pernoctatum.

Die Sabbati 18. Aprilis.

Follis Floridus.

Serravallis.

Chientus fluvius.

Camerinum.

Die 18. à Fulgineo per Collem Floridum, *Col fiorito* Italicè dictum, ibique pransi sumus; deindè prandio sumpto, per Serravallem ab ipsa loci formâ, hoc est, ab angustissimis Apennini faucibus nuncupatam (unde Chientus, satis celeber amnis, ortum trahit) pervenimus Camerinum, à curvitate situs ita appellatum, Piceni Civitatem antiquam, haudque minùs frequentem quàm vetustam, ac nobilem, etsi vetustissima, & nobilissima, in Apennini jugo munitissimo loco sitam, nobili Arce, ac tutissimâ decoratam, præclaris magno numero ingeniis, literis, & armis, agriculturâque insignem, multisque interea nominibus celebrem, cujus Ager multa, & honesta Oppida, necnon Castella, Villasque plurimas habet. Hac in Civitate pernoctarum fuit, & in Ædibus Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Mariani Perbenedicti Camertis cœnatum: ubi Prælati omnes, & alii non pauci excepti sunt, & quidem magnificentissimè; ita verò, ut nil meliùs, nilque splendidiùs ab ullo desiderari potuerit.

Die Dominico 19. Aprilis.

Valcimara.

Belfortium.

Caldarola.

Die 19. à Camerino per Valcimaram, & Belfortium Viculos transivimus non procul à Caldarola, honestissimo sanè Oppido, ad confluentem Flastræ, Chientique fluminum sito, ubi posterâ die Sanctissimus D. Noster cum universo Comitatu ad prandendum mirâ omnium rerum copiâ, & magnificentiâ, exquisitaque epularum lautitia, splendidissimoque tandem apparatu ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Evangelista Pallotto, Cardinale de Consentia nuncupato, fuit exceptus. Nos deinde Tolentinum devenimus, vetustum locum, Civitatemque propè Chientum flumen sitam, armis, & literis insignem, sed sanctitate, ac reliquiis Beati Nicolai ex Eremitarum Sancti Patris Augustini Familiâ insigniorem. Hoc loco pransi sumus; indeque sacris Beati Nicolai reliquiis, aliisque religiosè visitatis, vespertino tempore adventante, Maceratam, Civitatem rebus ad vitam utilibus satis abundantem, ac frequentem, post Helviæ Recinæ Oppidi (ait Blondus) interitum unà cum Recineto conditam, totâque Cancellariatus regione, Piceni, seu Marchiæ Legati sedem celeberrimam, pervenimus, ibique cœnavimus, ac pernoctavimus.

Tolentinum.

Macerata.

Die Lunæ 20. Aprilis.

Recinetum.

Die 20. à Macerata venimus Recinetum, Civitatem nundinariam, formâ prælongam, etsi aliis item nominibus nobilem, ipsis tamen præsertim nundinis insignem, ac celeberrimam: certis namque anni temporibus illùc ad mercatum negotiatores ex omnibus propemodùm Europæ, multisque etiam Asiæ partibus conveniunt. Hujus Civitatis ager bonus est, ac nitidus, totusque collinis, vitibus, oleis, aliisque fructiferis arboribus abundans, & ob Lauretanam Domum nobilissimus, ac felicissimus. Hac in Civitate immorati nihil omninò fuimus, sed per mediam Civitatem transeuntes devenimus Lauretanam, vel potiùs Lauretinam, ac Sanctam Domum, toto Christianæ Religionis Orbe celeberrimam, & nunquàm satis celebratam, in colle quodam sitam propè Musonem fluvium, & à Recineto tribus milliariis distantem, Templo ampliissimo, ac nobilissimo: ad cujus Templum unà cum Vico ipso, fortissimo muro, & crasso circumseptum ex omni Europâ utriusque sexus Christifideles, & magnâ quidem frequentiâ quotidie votorum causâ veniunt, ut innumera ferè Scriptorum, ac Statuarum monumenta ex auro, argento, cerâ; picturæ item, & id genus alia evidentissimè docent, ac testantur. Hæc enim Sacratissima Domus, omni veneratione dignissima, divinitùs olim ab Angelis 10. Decembris die illùc asportata fuit; deindè à Summis Pontificibus marmore, & perpulchro quidem, statuisque miro artificio effictis cincta; ita tamen, ut murus marmoribus incrustatus Sanctissimæ Domui ad hæc usque tempora conjungi nunquàm potuerit, eo scilicèt documento, murum ipsum novum haudquàquam esse dignum, ut quos Christi Mater tetigit parietes, contingat. In hac enim Domo beata Maria semper Virgo, ac Dei Mater, cælorumque Regina, & nostra ad Filium suum Christum, Salvatorem nostrum, Advocata, nata, educataque fuit, & Gabriele Archangelo nunciante, Redemptorem mundi de Spiritu Sancto concepit, Genitrixque Dei meruit appellari; ibique nostram hanc arumnosam carnem Deus ipse assumpsit, ut nos à Satanæ tyrannide liberatos ad Regni cœlestis claustra traduceret. Hinc ob excelsam, summamque loci religionem, ac venerationem, Sanctissimo Domino Nostro Clemente VIII. jubente, ac Maceratæ commorante, nos ad biduum Laureti constitimus, iter morâ interrumpentes. Omnes itaque ex Societate Sanctissimi Sacramenti hoc biduo Sacrosanctam Eucharistiam (labe priùs criminum expiati) religiosè sumpserunt, omnesque Prælati, ac Sacerdotes in Sanctissima Deiparæ semper Virginis Domorem divinam non semel fecerunt; deinde in primario Ecclesiæ Altari Fabius Blondus Patriarcha Hierosolymitanus Sacratissimam Missam solemnitèr decantavit.

Lauretum.

* Populorum Pietas, ac religio erga Sanctissimam Domum Lauretinam.

Domus Lauretinæ descriptio.

Murus novus cur veteri conjungi non queat.

Divina Domus Lauretinæ privilegia.

Pia opera Laureti præstita.

Biduo expleto, Sanctissimâque Domo ab universa Sanctissimi Sacramenti Societate pio, ac religioso animi solatio, & quidem maximo, frequentèr jam visitatâ, ditissimoque Ecclesiæ Sacrario oculis diligentèr perlustrato, ix. Kalendas Maii, hoc est, 23. Aprilis die, dum prandèretur, Apostolici Palatii Sacrista literas à Cursore tabellario accepit, quibus ei Sanctissimi Domini Nostri nomine mandatum fuit à Silvio Antoniano, tunc Cameræ Pontificiæ Præfecto, nunc verò S. R. E: Cardinale, ut statim cum Societate Sanctissimi Sacramenti Anconam adiret, atque inibi Sanctissimum Dominum Nostrum expectaret. Hinc Sacrista Societatis Tubicini statim mandavit, ut ad clangorem tubæ Societatem universam per Lauretinam Civitatem, olim Vicum, commoveret, & excitaret, excitatamque

Die Jovis 23. April.

Cursor Tabellarius de discessu Anconam versùs.

Societas Sanctissimi Sacramenti ad iter conficiendum convocatur.

que ad iter conficiundum convocaret, Cursoribus item ad iter nunciandum hàc illàc missis. Convocatâ itaque actùtum Societate, ac de itinere quamprimùm faciundo monita, sumptoque prandio, à Laureto (quod Civitatis nomine, Episcopalique dignitate Sixtus Quintus Pontifex Maximus auxit, & illustravit) discessimus, & per Camuranum Castellum transeuntes devenimus Anconam, Civitatem antiquissimam, totiusque Piceni ob mercaturas, & omnium Nationum mercatores, ac negociatores, ingeniaque magno numero nobilissima, celeberrimam; Promontorio appositam, & ab oræ situ, formam, sive flexuram cubiti, quem Græci ἀγκὼν dicunt, referente, ita denominatam; ad littus Adriatici Maris à Siculis conditam, habentemque Portum insigni opere à Trajano Cæsare constructum. Portus enim ipse nobilissimus, cum naturâ, tùm opere, & arte adeò clausus, ac tutus est, ut tam magnitudine, quàm opportunitate inter primarios, ac nominatissimos totius terrarum Orbis Portus adnumerari debeat; vel potiùs juxtà vulgi dictum satis ubique celebratum, unicus appellari queat.

Camuranum.

Ancona.

Ancona cur sic dicta.

Portus Anconæ.

Dictum vulgi.

Hac in Civitate dies circitèr septem commorati sumus, hoc est, à pridiè Kalendas Maii ad Ascensionis videlicèt Domini usque diem, trigesimam scilicèt, ac postremam mensis Aprilis lucem; quâ die in Ecclesia Cathedrali, Sancto Cyriaco dedicatâ, & in montem sitâ, habita fuit Cappella, præsente Papâ; Missamque Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Antonius Maria Gallus S. R. E. Cardinalis cantavit, Vesperis pridiè illius diei, præsente etiam Papâ, celebratis.

Die Jovis 30. Aprilis.

Cappella Anconæ celebrata.

Sacris interea solemniter peractis, in eàdem Ecclesia Cathedrali Sanctissimus Dominus Noster Clemens nobilem Virum, Antonium Justinianum Venetum, Adriatici sinus Præfectum, quem vulgò appellant *Capitan'in Golfo*, in obsequium ejusdem Clementis VIII. cum aliquot triremibus à Serenissima Republica Veneta missum, Equitis aurati dignitate solemni ritu insignivit.

Eques auratus.

Verùm quia in hoc Ascensionis Dominicæ festo die solemnis benedictio à Romano Pontifice quotannis Populo dari solet; hinc peractâ Cappellâ, Sanctissimus Dominus Noster à S. R. E. Cardinalium Collegio, cum omnibus item Prælatis, & universâ comitatus Curiâ, paramentis Pontificalibus indutus, ac Tiarâ, quam Regnum mundi appellant, insignitus, sellæ gestatoriæ insidens, gestatusque humeris Parafrænariorum sub umbella, à nobilibus Magistratum gerentibus delatâ, ad tabulatum usque satis amplum, & altum, ad fores Ecclesiæ in editissimo constructum loco (quasi in altissima specula, undè tota ferè Civitas cum Portu, & Mari perpulchrè spectatur) asportatus, ibi benedictionem, plenariamque Indulgentiam Populis solemnitèr largitus est. Illustrissimi deindè, ac Reverendissimi S. R. E. Cardinales Diaconi, Franciscus de Sancta Flora Cardinalis Sfortia, & Alexander Perettus Cardinalis Montaltus; ille scilicèt Latinâ linguâ, hic verò vernaculâ, ut mos est; plenariam Indulgentiam promulgarunt, tantâ utriusque sexus Christifidelium hinc indè astante frequentiâ, quantum locus ipse satis amplus capere poterat, præter ingentem Populorum multitudinem, quæ Portum universum, & loca Civitatis eminentiora occupabat, tormentis intereà bellicis tam in Portu, quàm in Civitatis Arce, & in Armamentario propè Sancti Augustini Cœnobium sito abundantèr displosis, nècnon universis undique populis acclamantibus, atque exultantibus, mirâque voluptate, ac solatio perfusis.

Romani Pontificis apparatus pro Indulgentia plenaria Populis largienda.

Specula, vel pulchra visio ex Tabulato.

Indulgentiæ promulgatio.

Frequentia, & hilaritas populorum mira.

Hac solemni re peractâ, Sanctissimoque Domino Nostro ad sacrorum indumentorum, sive, ut ajunt, paramentorum Cameram toto Comitatu pro paramentis deponendis redeunte; Sacrista cum Sanctissimo Sacramento, universâque Societate statim sese viæ committit, dum ab Ecclesia Cathedrali, nècnon ab Ancona ipsa recedit, Senogalliam vesperi adventurus. Eo in itinere ad Agri Anconitani fines extat Flumesinus amnis, & propè ejus ostium, per quod in mare intrat, Arx est, ab Anconitanis ad finitimi Agri tutelam contra prædonum excursiones peropportunè tormentis bellicis instructa.

Flumesinus amnis, & Arx.

Hinc discedentes, accessimus ad Casam Crematam, diversoriam Tabernam non procùl à maris littore sitam, fortissimo munitam muro propter Piratarum, Turcarumque metum, atquè impetum, qui hoc loco frequentèr in terram egredi, locumque diripere, ac peregrinantes captivos abducere priùs solebant. Ipsa verò Taberna Casæcrematæ nomen ab eventu fortita sibi est, quod sæpiùs à prædonibus cremata sit priusquàm muniretur.

Casacremata, & cur sic dicta.

Vesperi tandèm à Casacremata venimus Senogalliam, ita à Pomponio Mela dictam; à Ptolomæo Senagalliam, ab aliis Senegalliam nuncupatam, ad Præfecturam Urbini Ducis pertinentem, Civitatem maritimam à Senonibus Gallis conditam ad planitiei amœnæ, atquè jucundæ finem.

Die Jovis 30. Aprilis.

Senogallia.

Kalendis Maii, hoc est, primâ dicti mensis luce, Sanctis Apostolis Philippo, & Jacobo consecratâ, à Senogallia per Cesanum, & Metaurum amnes super ligneos miræ longitudinis Pontes transeuntes, Fanum Fortunæ ab omnibus Scriptoribus ita ab Æde olim Fortunæ magnificâ inibi constructâ, cujus etiàmnum vestigia supersunt, fortasse nuncupatum advenimus, Civitatem honestissimam, & maritimam, Clementisque Octavi Pontificis Maximi natalem. Hujus Ager bonus est, ac fertilis, quem Nicolaus Perottus suprà cæteros Oppidorum Italiæ Agros cùm situ, & naturâ, tùm Colonorum industriâ amœnissimum dicit, quòd frumentum mirâ ubertate, præstantissimaque vina cum oleo persuavi, aliisque fructibus optimis præbeat.

Die Veneris 1. Maij.

Ager Fani Fortunæ.

Die 2. Maji à Fano Fortunæ Argillam fluvium, qui hanc ferè Civitatem alluit, transeuntes, ad horam prandii venimus Pisaurum, Civitatem nobilem, & maritimam,

Die Sabbati 2. Maii.

Pisaurum.

in

in Piceno sitam, ad dominiumque Ducis Urbini spectantem, præclarisque ingeniis, ac Viris literatis celebrem; ob mercaturas autem, & ob Regulos inibi residentes celebriorem, ab auro pensato, ut nonnulli ajunt, ita dictam, vel potiùs, & rectiùs fortasse, ab Isauro amne, quo alluitur (addita, P, litera) nuncupatam: is autem fluvius, *Folia* nunc vocitatus, finis Marchiæ Anconitanæ, principiumque Flaminiæ est, ut Scriptores volunt. Civitas hæc Arce non minus munita quàm pulchra est insignita, Curiamque habet sumptuosam, aliasque præterea nobiles ædes. Ædificiis splendida est, atque elegans; & sicut à Regulis roboreis, vel (ut ajunt) à Ruvere firmis mœnibus cincta est, Arcisque præsidio munita; ita, & in tantum splendorem, tantamque elegantiam, ac venustatem redacta est, ut Italiæ totius Civitatum Viridarium suo quodam modo dici queat. Hujus Civitatis Ager peramœnus est, vitibus, oleis, ficubus, aliisque id genus arboribus fructiferis affluens; è quibus vina optima, aliique fructus item optimi, & præsertim ficus, quæ in tanta arefiunt copia, in tantoque habentur pretio, ut in varias Italiæ partes, atque item aliò asportentur.

Pisaurum cur ita dictum.

Isaurus amnis.

Folia, olim Isaurus, finis Marchiæ, & principium Flaminiæ.

Pisauri descriptio.

Pisauri Ager.

Quamvis de locorum magnificentia in comitatibus, quos erga Sanctissimum Sacramentum Populi præstiterunt, generatim, atque universè verba fecerim anteàquam Civitates cum Oppidis, & Castellis, per quę transivimus, recensuerim; hoc tamen loco paulisper immorari libet, ut de splendidissima Urbini Ducis magnificentia, magnâ cum pietate conjuncta nonnihil sigillatim dicamus. Is enim Regulus, Franciscus videlicet Maria junior, Guidubaldi filius, & Francisci Mariæ Nepos, Vir sanè doctrinarum, ac virtutum ditissimus; & non minùs religiosus, quàm pius etsi piissimus, ut debitum Sanctissimo Sacramento præberet obsequium, ac famulatum, præter Comitatum Ecclesiasticum, & curialem à Clero, & à Curia, necnon à Confratribus, & nobilibus Civitatum præstari solitum; magnas militum copias benestructas circiter unum milliarium extrà Senogalliæ, ac Pisauri Portas misit. In hac ingenti militum multitudine videre erat Equites cataphractos prętentis hastis per turmas distinctos, eoque item ordine hastatos, galeatos, & thoracatos, scutiferos, & sclopos gerentes, præcinentibus tibiis, ac tubis, suisque in locis, Ductore copiarum, Antesignanis, Vexilliferis, ac Tympanitis incedentibus. Ex tot itaque, tàmque variis militum agminibus, tàmque bene instructis, Exercitus satis grandis, ac fortis non modo Ducalem, sed Regiam pompam, ac majestatem repræsentans cernebatur, miro delectu confectus. Hæc Senogalliæ, ac Pisauri præstita sunt; sed Pisauri, ubi Urbini Regulus ipse residere solet, multo uberiùs, ac splendidiùs. Hoc item in loco religiosissimus Princeps, Societate Sanctissimi Sacramenti Civitatem Pisaurum ingrediente, atque illinc egrediente, Eucharistiæ Sacrosanctæ debitum obsequium, piumque famulatum præstitit, dùm Sanctissimum Sacramentum, tàm in ingressu, quam in egressu religiosè comitatus est. Hæc de regia magnificentiâ cum pietate, ac religione conjunctâ, ad perfectum, ac verùm Principem peculiariter pertinente, ut de splendidissimo apparatu, quo suis Ædibus Societatem Sanctissimi Sacramenti prosequutus est, aliquid hoc etiam loco dicamus: In Palatio nanque suo amplissimo, pulcherrimis aulæis, picturis, ac statuis arte mirâ effictis superbe insignito, magnificentissimâque, necnon vastissimâ Bibliothecâ, ingenti voluminum optimorum multitudine, omni scilicet ex genere, ex iisque præsertim libris omnibus, qui ad hanc usque diem in lucem prodierunt, refertissimâ mirificè decorato; Societatem Sanctissimi Sacramenti universam perbenigne, ac sumptuosissime ad prandendum, & cænandum excepit, atque hac etiam in re lautitiam, & opulentiam regiam rectè, ac splendidissimè declaravit. Hæc pauca de Urbini Regulo mihi dicenda videbantur; si enim omnia ad piam, ac religiosam tanti Principis magnificentiam singulatim vellem enarrare, in unam tantùm rem nimis longam texerem orationem, institutique nostri limites excederem. Redeo itaque ad iter nostrum perficiendum.

Splendidissimus apparatus ab Urbini Duce Senogalliæ, & Pisauri præstitus.

Ducis Urbini laudes.

Exercitus, & comitatus in excipienda Sanctissimi Sacramenti Societate.

Ducis Urbini famulatus erga Sanctissimum Sacramentum.

Præcipuæ perfecti, ac veri Principis partes.

Palatii descriptio.

Bibliotheca insignis.

Prandium cum cœna.

Excusatio cum amplificatione.

Die Maji 3. Domino Deo peculiari quodam jure, ac nomine consecratâ, à Pisauro, sacris more solito peractis, discessimus, & Romanulam, sive, ut vulgo ajunt Romandiolam ingredientes, Catholicam occasum versùs ipsa in via sub Monte Pisauri sitam tabernis diversoriis cum Arce satis firma constantem adivimus, eoque in Vico pransum est. Hoc loco, ex litore ipso, sub aquis tranquillo mari, atque consistente, mœnia, turriumque cæterorum ædificiorum fastigia demersæ olim Urbis Concæ satis rectè spectantur, ut Scriptores narrant, & Accolæ loci affirmant. Hinc iter fecimus Ariminum versùs, Civitatem antiquissimam, & maritimam, vel ab armario, vel ab armis, quæ à Ducibus reversis à bello, Romamque redeuntibus, inibi, ut nonnulli ajunt, deponebantur; vel, & forte melius, ab Arimino amne, quo alluitur, ita nominatam, ut explicationem ex lingua Aramæa desumptam, & nimis abstrusam ab Annio excogitatam, omninò rejiciamus. Civitas hæc in planitie sita est, imminentibus ad meridiem collibus valde fructiferis, ac fœcundissimis; Ab ortu, & occasu latissimos habet campos summe frumentarios. Ad Septentrionem Mare Adriatico alluitur, rerumque omnium ad vitam utilium copiâ mirificè abundat. Ædificiis antiquissimis, & memoriâ dignissimis, summæque antiquitatis vestigiis, & inscriptionibus ad veram antiquitatem indicandam decoratur, quæ Civitatem antiquissimam esse omninò declarant. Palatia insuper quædam habet sumptuosa, majori ex parte à nobili Malatestarum Familia constructa, Fontemque in foro splendidissimum dulcissimis, ac nitidissimis aquis affluentem, & Pontem sumptuo-

Die Dominico 3. Maji.

Romanula.

Catholica.

Vrbis Concæ ædificia in mare spectantur.

Ariminum antiquissimum, & cur ita dictum.

Arimini situs.

Arimini ædificia, & antiquitates.

Pons ab Octavio Augusto extructus in Arimino amne, nunc Marecia.

ptuosum in Arimino amne ab Octavio Augusto constructum, multaque Castella. Claris item, & optimis Virorum ingeniis, sanctorumque corporibus Civitas hæc illustratur. Multisque nominibus, quæ longum esset recensere, celeberrima est; sed, ut iter nostrum persequamur, hìc de Arimino, ubi cænatum, pernoctatumque fuit, finem dicendi faciemus.

Die Lunæ 4. Maji. Portus Cesenaticus.

Die 4. Maji ab Arimino ad Portum venimus Cesenaticum, exiguis tantùm navigiis excipiendis idoneum, quòd undique vadosum hac ora mare sit. Hoc in loco, sequenti scilicet die, ad prandendum magnâ epularum copiâ, & magnificentiâ Sanctissimus D. N. ab Anselmo Dandinò Protonotario Apostolico insigniter fuit exceptus.

Machinæ ad capiendas anates.

Spectantur hoc passim littore machinæ quædam, quæ decipulæ sunt feris anatibus reti (hiberno præsertim tempore, cum nix jacet) capiendis fabricatæ, quas Pantheras Accolæ vocant. Hoc loco pransum est; dum autem pranderetur, Sacrista, necessitate quadam urgente, ad universamque Societatem spectante, Cursorem tabellarium Ariminum versùs consultò misit: quo statim misso, per campos amœnissimos, maximâque frumenti copiâ uberes, perque nonnulla Ariminensis Agri Castella transeuntes venimus Cerviam novi nominis Civitatem, olim (teste Volaterrano) Philocolim nominatam, infrequentem, loco palustri, cæloque gravi, salinisque affluentem. Sal nanque mensibus æstivis ex aqua marina concreta, vehementique Solis ardore, qui his in locis est, excocta, mirabili, ac tantâ copiâ fit, ut sal præsertim candidus in multas Italiæ partes asportetur. Cerviæ nihil immorati sumus; hinc Vesperi Ravennam tandem advenimus, Civitatem Romanulæ antiquissimam ob regiam olim Ostrogothorum sedem, in littore Adriatici maris, palustri antiquitùs in loco sitam, à Thessalis (ait Strabo) conditam: aere tamen tunc innoxio, propterea quòd crebris tum fluviorum, tum maris inundationibus, cœni, lutique sordes abluebantur, undè summa cæli salubritas erat, ut Scriptores narrant; hinc gladiatoribus educandis, exercendisque locum hunc (teste Strabone) veteres præcipuè delegerunt. Nunc verò multis ab hinc annis paludes exsiccatæ fuerunt, & hanc ob rem inibi fructiferi extant campi, miràque ubertate fœcundi: Accolæ tamen aerem habent non salubrem, tantâ fortasse inundatione carentes.

Cursor Tabellarius à Sacrista missus.

Cervia olim Philocolis.

Mira Salinarum copia.

Ravenna antiquissima. Ravennæ situs.

Strabo lib. 5.

Archiepiscopale admirandum opus.

Hujus Civitatis Archiepiscopale splendidum erat, eximium, sumptuosum, & verè admirandum opus, in quo priusquam Civitas à Gallis diriperetur, multa miræ artis, & immensi pretii cernebantur, ut nonnulli scribunt. In Sacelli majoris hemisphærio ad hanc usquè diem depicti, seu opere græcanico effigiati undecim illi Sancti cernuntur Antistites, qui columbæ suprà caput apparentis indicio Ravennates Archiepiscopi fuerunt creati. Alia intereà vetusta, splendidaque Templa cum eximiis undique antiquitatis monumentis, ac vestigiis, & magno quidèm numero, necnon ædificia nobilia nostris temporibus constructa non pauca in hac videre est Civitate, Exarchatu, quem ab anno Dñi DCXX. ad annum usquè DCCXXXIII. hoc est, CLXXV. annos durasse narrant, nominatissima, multisque Viris illustribus, & memoriâ dignissimis, celeberrima, præsertìm verò Joanne XVII. Romano Pontifice, Cassiodoroque Senatore, Viro docto, elegantique Scriptore, deindè Monacho; necnon Petro Damiano Cardinale Episcopo Ostiensi: qui, abdicato Cardinalatu, in Eremum S. Crucis Fontis Avellani Eugubinis in montibus sese recepit, operaque varia, cum elegantia, & facundia, tùm spiritu divino plene conscripsit. Nunc reliquum est, ut nos brevitati consulentes, ad iter, undè digressi sumus, rerum dicendarum magnitudine allecti, revertamur. Ravennæ cænatum, pernoctatumque fuit in Ædibus Archiepiscopalibus, ubi Archiepiscopus Ravennæ Christophorus Boncompagnus Bononiensis Gregorii XIII. Nepos, Prælatos omnes, multosque alios è Societate Sanctissimi Sacramenti splendidè excipiendos ex Urbe Româ curavit, Hieronymo ejus fratre omnia egregiè subministrante.

Templa mobilia, & vetusta.

Exarchatus quandiu duravit.

Jo: XVII. Cassiodorus.

Petrus Damianus.

Die Martis 5. Maji.

Die v. Maji, ubi primùm Sacrista more consueto pro Missâ Conventuali rem divinam fecit: in iisdemque Ædibus Archiepiscopalibus jentaculo sumpto, & quidèm lautissimo, Clericorumque Itinerario recitato, ordineque consueto servato, Societas Ravennâ decedens in viam sese dedit, transiens fluvium supra Pontem navigiorum, tabularumque connexione constructum, Baniacaballum versus (italicè *Bagnacavallo*) antè Tiberiacum, & ad Caballos, ut Blondus cum Sabellico in historiis prodidit, nuncupatum; necnon Gabeum olìm, ut in Tabulis Ecclesiæ Ravennæ (cui subjectum erat) legitur, appellatum. Oppidum sanè perelegans, & opulentum Agro frumenti, ac item rubiæ mire fertili. Indè ad Senii fluminis dextram itum est Cotignolam, exiguum, at pernobile Oppidum mœnibus firmissimis, & altâ fossâ cinctum, multisque Viris gloriâ militari, & doctrinarum laude insignibus celeberrimum. Vesperi tandèm ex Cotignola pervenimus Lucum (*Lugo*) à luco, idèst silva dictum: hoc enim loco silvas fuisse ajunt. Oppidum hoc perhonestum est, & quorundam Virorum doctrinis, ac dignitatibus illustratum, omnibus rebus ad vitam utilibus abundans, ædificia splendida habens, muro tamen, fossâve minimè septum; cujus Ager perbonus est, & magnâ frumenti copiâ (quamquàm vini, ac rubiæ tenuis) affluens. Hic locus cum ad Romanæ Ecclesiæ sub Julio II. ditionem perveniisset, ob amplitudinem, Populique frequentiam, ædificiorumque splendorem è Castello, seu Oppido Civitatem efficere cogitavit; majoribus tamèn curis impeditus consilium exequi non potuit. Nunc iterùm ad Romanæ Ecclesiæ ditionem pertinet, & ad hanc usque diem Ecclesiæ Cathedralis Ravennæ feudum nuncupatur.

Baniacaballum.

Bani acaballi opulentia.

Cotignola. Lucus Oppidum, hujusque Oppidi descriptio, & Ager.

Lucus, Civitatis nomine dignus.

Die

PARTICVLA SPLENDIDISSIMI, ET AMPLISS. COMITATVS CLE
MENTE VIII. PONT. MAX. SOLEMNITER AC FELICITER FER
RARIAM INGREDIENTE

A. Episc.s cum Clero post longam militum tum peditum tum equitum nec non Confraternitatum, et Religionum seriem, post Cubicularios, Barones, Curiam et Principum Oratores
B. Crucifer
C. Laternarii
D. Arcula S.mi Sacram.ti sub umbella à Canonicis delata
E. S. R. E. Cardinales 27
F. Apostolici Pal. Sacrista
G Thesaur.s spargens monetam Adolescentes
H. Ferr. nobiles 30,
I. Heluetij 100. et Parafræn. multi
K. Sella gestatoria uectus sub umbella a Magistratum delata,
L. Prælati 40. et Phedæ permultæ
M. Deferens claues Ciuitatis

Hieronymus Rossi sculp. Romæ

Die Mercurii 6. Maii.

Die vj. Maii à Luco decedentes, Argentam devenimus, Oppidum à Ferraria pass. mill. IIXX. distans, quod anteà trans Padum erat, ubi nunc extat inter saltus Ædes antiquissima Beati Georgii à Beato Exuperantio XX. Ravennatium Archiepiscopo, viro sanctissimo condita. Hoc nomen (Argenta) denominatum nonnulli volunt ab argento, quod loci Incolæ quotannis Ravennati Antistiti pendere tenebantur; idque ex decimis, quas in hodiernum usquè diem Ecclesiæ Ravennati (cujus feudum dicitur) dari ajunt, confirmare nituntur. Muris primùm à Smaragdo Exarcho Oppidum ipsum cinctum fuisse Blondus prodit: nunc verò ditioni Ecclesiæ Romanæ subest: & hoc in loco pransi sumus. Prandio deindè sumpto Baccaleonem, & Cosandolum Pagos venimus, per Villas, perque sumptuosa ædificia transeuntes, hìc illìc sita. A Cosandolo itèm egressi, iterque nostrum persequentes ad dextram Padi ripam invenimus Hospitaletum, Villam; deindè ad Sancti Nicolai Pagum, & Abbatiam Anselmi Dandini Protonotarii Apostolici vesperi pervenimus, ibìque cænatum, pernoctatum fuit.

Argenta, & cur ita dicta.

Baccaleo.

Cosandolum.

Hospitaletũ.

S. Nicolai Pagus, & Abbatia.

Die Jovis 7. Maij.

Die vij. Maii à Sancto Nicolao discessimus; hincque Ferrariam invenimus multas Villas satis magnificas cum ædificiis sumptuosis, præsertìm verò Monasteriolum, & Fossam novam. Postremò ad horam 14. venimus Burgum Sancti Georgii à sacra, & nobili ipsius Sancti vocitatum Ædem, quam Monachi è Montis Oliveti Congregatione incolunt.

Monasteriolum.

Fossa noua.

Burgum S. Georgij.

Pons ligneus ad Ferrariam Portam transitum facit.

Ex Magnifico deindè Sancti Georgii Cœnobio Pons ligneus transitum Padi ad Ferrariæ Portam facit, ac jungit. In hujus Sancti Ecclesiâ, Capsula cum Sanctissimo Sacramento supèr primarium Altare reposita est, honorificentissimè illìc asservanda, donèc Sanctissimus Dominus Noster è dicta Sancti Georgii Ædem Ferrariam, Viris tùm doctrinarum, tùm titulorum, ac dignitatum varietate insignitis, Estensique præsertìm olim Familiâ nobilissimam, solemni pompâ ingredi paratus foret.

Die Jovis 7. Maij.

Eâdem deniquè die Sancto Maurelio Episcopo, & Martyri, Ferrariensiumque Patrono consecratâ, cujus ossa dictâ in Ecclesiâ requiescunt, Sanctissimus Dominus Noster ad ipsum Sancti Georgii Cœnobium vespertino jam tempore adventante, pervènit, ibique cænavit, ac pernoctavit; Postridiè autem, hoc est, iix. Maii luce, Apparitioni Sancti Michaelis dedicatâ, eâdem in Ecclesiâ rem sacram fecit, eodemque in Cœnobio pransus est.

Sanctissimi D.N. in Ferrariam accessus.

Die Veneris 8. Maij.

Ad primam deindè, ac vigesimam ejusdem diei horam, Ferrariam, favente Deo, Sanctissimoque Sacramento prævio, solemnitèr tandèm aliquandò ingressus est juxtà pompam, ac seriem infrà enarratam: In quarum rerum testimonium, ac memoriam sempiternam, suprà Sancti Georgij Ecclesiæ Portam, quæ ligneum spectat Pontem, extat Inscriptio marmore incisa in hanc verborum formam:

CLEMENS VIII. PONT. MAX.

FERRARIA, TOTAQ. EJUS DITIONE DIVINITUS RECEPTA
AD HOC OLIVETANÆ FAMILIÆ COENOBIUM DIVERTIT
NONIS MAII IPSO DIE SANCTI MAURELII EPISC., ET MART.
FERRARIENSIUM PATRONI
SEQUENTI DIE CUM IN HOC TEMPLO HOSTIAM IMMACULATAM DEO OBTULISSET
URBEM CUM S. R. E. CARDD. CUNCTISQUE AULÆ ORDINIBUS
RITU MAXIME SOLEMNI EST INGRESSUS
ANNO SALUTIS M D XCVIII.

Reliquum est, ut glorioſum, omnique lætitiâ plenum Clementis VIII. Pontificis Maximi ingressum, splendidissimumque apparatum à nobis describendum aggrediamur. Anteà verò quàm de felicissimo Clementis VIII. ingressu, verba faciamus, Equitationis, universique Comitatus seriem describendam esse censeo, ut suo quæque ordine distinctè conscribantur.

Universi Comitatus, & Equitatus Ordo, Sanctissimo D.N. Clemente VIII. Pontifice Maximo Ferrariam recuperatam solemnitèr ingrediente.

Jumenta farcinaria.

SArcinaria in primis jumenta, muli scilicèt clitellarii circitèr centum, sarcinis onusti, pannoque rubeo gentilitiis Clementis VIII. stemmatibus insignito cooperti præcedebant; inter eos, & muliones, & bajuli, quos nonnulli clitellarios itèm appellant, tanquàm ad jumenta oneranda, & exoneranda, atquè ad onera asportanda destinatos, mixtìm cernebantur. Duo indè Tabellarii, qui hùc, atquè illùc tabellas, sive literas deferendi munere fungi solent, statìm sequebantur. Post Tabellarios quinque Equitum Turmæ quinque Centuriis distinctæ subsequebantur; duæ thoracatæ, & galeatæ, sclopposque gerentes; tres verò lanceatæ, thoracatæ itèm, & galeatæ, quæ levis armaturæ equites, sive celeres vocitari solent: suoque loco Tubicines, & Vexilliferi equitabant.

Tabellarij.

TurmæEquitum.

Turmarum Ductores erant, Alexander Mantica, Octavius à Bufalo Romani; Paulus Monaldescus Urbevetanus; Prosper Jacobatius, & Franciottus Ursinus Romani, quorum singuli singulis Centuriis præerant. Post Equitum Turmas septem, ac viginti deferentes hippoperas, seu bulgas auro, ac stemmatibus gentilitiis S. R. E. Cardinalium Sanctissimum Dominum Nostrum comitantium insignitas, sequebantur. Deindè totidèm eorundem Cardinalium Clavarii, vestibus violaceis induti, equis insidentes, argenteasque clavas manu gestantes.

Turmarum Ductores.

Bulgæ Cardinalium.

Clauarii.

Hos subsequebantur septem, ac viginti Caudatarii S. R. E. Cardinalium hyacinthinis, seu violaceis induti vestibus oblongis; Deindè multi nobiles eorundem Cardinalium

Caudatarii Cardinaliũ.

Au-

Aulici, & familiares elegantèr, satisque sumptuosè amicti equitando sequebantur.

Tubicines. Post eos, Tubicines. His succedebant Tonsor, ac Sutor Papæ rubeis induti vestibus, bulgas item rubeas, quas valisias vocant, deferentes.

Scutiferi, & alii. Hos subsequebantur Scutiferi Papæ, vestibus oblongis, ac rubeis sine capitiis induti, necnon ex Curia non pauci.

Cursores. His succedebant Cursores; Deindè Achinea, sive Asturco deferens scalam duobus gradibus panno rubro coopertis constantem, quâ Summus Pontifex in equum insiliendum juvatur.

Achinea.

Mulæ albæ. Post Achineam deferentem scalam, sequebantur Mulæ albæ sine sessoribus duæ, Sanctissimo Domino Nostro destinatæ, pulcherrimisque phaleris èxornatæ, rubeoque coopertæ holoserico, laciniis, sive fimbriis, quas *franzas* vocant, auro contextis insignito, manuque à famulis, sive stabulariis veste rubeâ indutis ductæ.

Asturcones 12. Post Mulas albas duodecim Asturcones albi, quos Achineas appellant, sine item sessoribus pulcherrimè phalerati à duodecim stabulariis rubeâ veste indutis manu etiàm ducebantur.

Lecticæ. Hos lecticæ duæ subsequebantur holoserico rubeo contectæ; fimbriisque auro contextis exornatæ.

Sella gestatoria. Post lecticas sella gestatoria, ejusdem coloris contexta holoserico, à quatuor Parafrænariis rubeâ veste indutis super humeros deferebatur.

Equilis Præfectus. Post sellam gestatoriam equitabat equilis Præfectus.

Cubicularii variorum Ordinum. Huic succedebant Adjutores, sive, ut ajunt, Sanctissimi D. Nostri Cubiculi Adjuvantes quatuor, rubeis amicti vestibus, & oblongis, sine tamen capitiis: quorum duo bulgas Papæ ex holoserico rubeo deferebant. Deindè sequebantur Cubicularii ex minùs intimis, extrà muros palsìm vocitati, rubeâ veste sine capitiis amicti.

Advocati. Hos subsequebantur tres Advocati Consistoriales vestibus violaceis induti, capitiis ad collum inversis;

Cappellani. Deindè Sacellarii ex intimis, quos Cappellanos secretos palsìm vocant; necnon Cubicularii, quos appellant honoris, atquè item ex intimis, omnes rubeis induti vestibus, capitiis ad collum inversis:

Cubicularii deferentes pileos Papæ. Hos indè sequebantur quatuor Cubicularii ex intimis Papæ, atquè præcipuis, quos appellant secretos, rubeis item vestibus amicti, capitiis ad collum inversis, quatuor Summi Pontificis pileos purpurei coloris holosericos, fastigio hastarum, quæ erant eodem contectæ panno, affixos.

Nobiles Viri. Hos propè sequebantur multi nobiles, ac titulis insigniti, necnon Proceres aliquot Romani, quos nonnulli Domicellos, ac Barones vulgò vocitare solent, atquè item plurimi Viri perillustres, ac titulis clari, qui ex multis Italiæ partibus ad splendidissimum apparatum, Clementemque VIII. Ferrariam ingredientem illùc videndum advenerant. Hoc itaque loco videre erat varium, ac pulcherrimum, ditissimumque vestium cultum, equosque ex optima variarum regionum sobole maximè generosos, elegantèrque phaleratos.

Acolythi. Hos subsequebantur Acolythi,

Abreviatores. Abreviatores,

Clerici. Clerici Cameræ Apostolicæ Mantelletto, ac Rocchetto amicti, duoque statim Auditores Rotæ nigris lacernis, quos Croceas vocant, & Rocchettis induti, capitiis tamen ad scapulas rejectis;

Auditores.

Subdiaconi. Deindè duo Subdiaconi Apostolici Mantelletto, & Rocchetto vestiti.

His succedebant Oratores quatuor. Orator Bononiensis equitabat solus: Alii verò, Franciæ scilicèt, Venetiarum, & Sabaudiæ pares equitabant, Franciæ Oratore interequitante; ad cujus dextram Venetus, ad ejusdem sinistram Sabaudius incedebant.

Oratores Principum.

Post Oratores, alii equitabant Tubicines. Hos propè sequebatur Ecclesiæ Cathedralis Ferrariensis Clerus pedester, Seminario præeunte superpelliciis amicto;

Tubicines.

Clerus Civitatis universus. indè sequebantur Cappellani omnes, Mansionarii, & Canonici superpelliciis induti: Mansionarii nigelli, vel subnigri coloris, Canonici verò albi coloris almutiam sinistro brachio inversum, vel ad sinistram rejectum scapulam gestabant; omnes autem in singulis lineis, aut ordinibus bini gradiebantur, ejusdem Civitatis Episcopo Pontificalibus amicto indumentis, subsequente.

Episcopus Ferrariæ. Hunc autem locum Episcopus cum Clero tenere cœpit, postquàm Crucem Papæ deosculandam extrà Portam Civitatis attulit, ut infrà suo loco dicemus. Clerum, & Episcopum subsequebantur duo Clavarii, seu Clavigeri argenteas clavas manu gestantes,

Clavarii.

Magister cæremon. inter quos altero cæremoniarum Magistro equitante.

Subdiaconus Apostolicus, Crucifer. His succedebat Subdiaconus Apostolicus Crucifer, inter duos ostii Magistros virgam rubeam gestantes, lacernâ violaceâ, & Rocchetto, pileoque ad Prælatum pertinente cum flocculis nigris indutus, capitio ad collum extenso; Crucemque Pontificiam deferens, equitabat. Hos propè Clerici Cappellæ Pontificię duo, violaceis induti vestibus equitabant,

Clerici cum laternis. laternasque argenteas satis grandes in fastigio hastarum affixas, lumine intrà eas occluso, deferebant. Post Clericos laternas gestantes Ecclesiæ Sancti Georgii Monachi cærea funalia hinc indè antè Sanctissimum Sacramentum ardentia pedestres deferebant.

Asturco cum Capsula Sanctissimi Sacramenti. Hos subsequebatur Asturco, quem Achineam vocant, equus albus, & pacatus, pulcherrimèque phaleratus à duorum Parafrænariorum altero manu ductus. Hujus generosi, & tamen pacati equi sellæ holoserico rubeo contectæ imposita erat Arcula, sive Capsula, tota eodem intùs, & extrà cooperta panno sub Umbella parva ex serico, & auro contextâ: intrà verò Arculam Sacratissima Hostia luculo crystallino erat inclusa super patenulam auream Hostiæ magnitudini adsimilem reposita, corporale ipsi patenulæ subjecto.

Vmbella. Umbella insupèr magna ex serico rubeo confecta à Monachis Sancti Georgii ad Portam usque Civitatis super Umbellam parvam Arculæ annexam delata fuit. Arculæ, & Umbellæ, necnon Achineæ ornameuta omnia fusiùs, & exactiùs descripta in hac tertia Commentarii nostri Parte sub ejus initium videre licet.

Pag. 50.

San-

Sanctiſſimum Sacramentum Apoſtolici Palatii Sacriſta detecto ſubſequebatur capite, Mulæ albæ nigro inſtratæ opertorio inſidens Mantelletto, & Mozzettâ juxtà nigrum ſui Ordinis colorem indutus; albumque baculum juriſdictionis inſigne præſeferentem ob curam Sanctiſſimi Sacramenti ei ex officio Sacriſtatus demandari ſolitam manu geſtabat.

Sacriſtæ locus.

Poſt Sacriſtam à ſacra itèm S. Georgii Æde ad Portam uſquè Civitatis Sanctiſſimus Dominus Noſter equitauit, eumque S. R. E. Cardinales ſubſecuti ſunt. Poſt hos Prælati omnes, & alii permulti. Hoc autem loco immorari libet, ut quid, anteàquam Clemens Papa Ferrariam ingrederetur, actum ſit, explicemus.

Papæ locus.

Sanctiſſimus D. Noſter Clemens VIII. ad primam, & vigeſimam diei horam ad Eccleſiam Sancti Georgii ex Monaſterio ſeſe contulit, ibìque ad Altare primarium, in quo Arcula cum Sanctiſſimo Sacramento fuerat collocata, oravit, cùm iam equitatus longo inſtructus ordine Civitatem ingredi cœpiſſet. Peractâ itaque oratione, Arcula Sanctiſſimi Sacramenti à quatuor Sancti Georgii Cœnobitis, ſeu Monachis ſtolâ inſignitis ad Eccleſię uſquè valvas, ubi Aſturco foris paratus erat, delata fuit. Capſulâ deindè ſupèr Achineam impoſitâ ſub Umbella magna à quatuor ejuſdem itèm Eccleſiæ Monachis geſtatâ, cæreis funalibus hinc indè ardentibus, Helvetiiſque in cuſtodiam Sanctiſſimi Sacramenti incedentibus, ordineque nupèr enarrato, novam, ac ferream Civitatis Portam versùs itum eſt. Nàm, utì diximus, poſt Sanctiſſimum Sacramentum Sacriſta ſequebatur, deindè Sanctiſſimus Dominus Noſter albâ tunicâ ſericeâ inferior, & quidem longiſſimâ, quam faldam vocant, Rocchetto itèm, ac Mozzettâ purpureâ, galeroque etiàm pontificio, ac ſtolâ indutus, Muloque ſplendidiſſimè phalerato inſidens, incedebat: eumque S. R. E. Cardinales Rocchettis, necnon roſaceis, ſive purpureis Cappis induti, galeriſque Cardinalitiis decorati, Muliſque pulcherrimè phaleratis conſidentes, & in ſingulis lineis, aut ordinibus bini, hoc ſubſequebantur ordine:

Ordo equitatus, & comitatus ad Portam Ferream uſque.

Cardinales Presbyteri.

Hieronymus Bernerius Cardinalis de Aſculo.
Antonius Maria Cardinalis Gallus,
Marianus Perbenedictus Cardinalis de Camerino.
F. Gregorius Petrochinus Cardinalis de Monteelparo.
Benedictus Cardinalis Juſtinianus.
Auguſtinus Cardinalis Cuſanus.
Franciſcus Maria Cardinalis de Monte.
Octavius Cardinalis Paravicinus.
Hieronymus Cardinalis Matthæjus.
Octavius Cardinalis Aquaviva.
Federicus Cardinalis Borromæus.
Laurentius Cardinalis Priulus, Patriarcha Venetiarum.
Octavius Cardinalis Bandinus.
Franciſcus ex Comitibus S. Georgii Card. S. Clementis.
Camillus Cardinalis Burgheſius.
Cæſar Cardinalis Baronius.
Laurentius Cardinalis Blanchettus.
Franciſcus Cardinalis de Avila.
Ferdinandus Cardinalis de Guevara.
Pompejus Cardinalis Arigonus.

Cardinales Diaconi.

Franciſcus de S. Flora Cardinalis Sfortia.
Alexander Perettus Cardinalis Montaltus.
Odoardus Cardinalis Farneſius.
Antonius Facchenettus Cardinalis Sanctorum Quatuor.
Petrus Cardinalis Aldobrandinus.
Cynthius Cardinalis S. Georgii.
Bartholomæus Cardinalis Cæſius.

Hi tres ultimi pares incedebant, Cardinale Aldobrandino medium inter equitandum tenente locum: nàm ex octo, ac viginti Cardinalibus, qui huic feliciſſimo ingreſſui interfuerunt, ſolus Cardinalis de Verona ob decrepitam ætatem non equitavit, ſed in Eccleſia Cathedrali Sanctiſſimum D. Noſtrum expectavit.

Hos ſubſequebantur Prælati Sanctiſſimi Domini Noſtri in Cappella Aſſiſtentes, Rocchettis, ac lacernis, necnon pileis, ſeu galeris cum flocculis, ac funiculis ſericeis viridibus, ad Prælatos pertinentibus, induti, Muliſque phaleratis inſidentes. Cęteri Prælati tam Archiediſcopi, quàm Epiſcopi Mantelletto, & Rocchetto, pileiſque conſuetis amicti gradiebantur. Hunc in modum Epiſcopos Protonotarii ſubſequebantur, deindè Referendarii Mantelletto, & pileo ſolito induti. Ex Prælatis autèm, qui Patriarchali, vel Archiepiſcopali, aut Epiſcopali ſaltèm dignitate inſigniti erant, circitèr quadraginta glorioſo Clementis VIII. ingreſſui interfuerunt: nàm ex variis Italiæ partibus, ad ſplendidiſſimam, ac ſumptuoſiſſimam novitatem videndam, Ferrariam advenerant. Hoc deniquè ordine à ſacra Sancti Georgii Æde ſupèr ligneum Pontem ſatis longum, qui tranſitum Padi ad Ferrariæ Portam, utì diximus, facit, ac jungit, itum eſt.

Prælati omnes.

Protonotarii.

Referendarii.

Ecce autèm inter eundum, ipſo ſupèr Ponte, Ferrariæ Magiſtratum Sapientum nomine vocitatum, Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi VIII. obviam procedentem, Claveſque Civitatis in pollubro argenteo deferentem. Hinc Vir ex Magiſtratu Primarius, quem Judicem Sapientum vocitare ſolent, factis verbis quibuſdam ad promptam obedientiam, & ad perpetuam fidei obſervantiam pertinentibus, Claves ipſas obtulit, quibuſcum unà cum triginta nobiliſſimis Ferrariæ Adoleſcentibus ditiſſimè, ac pulcherrimè indutis, de quibus infrà loquemur, Magiſtratus pedeſter trans uſquè Pontem comitatus eſt.

Claves Civitatis Papæ oblatæ.

Adoleſcentes nobiles.

Hoc loco Sanctiſſimus D. Noſter à Mulo deſilivit, Domicilioque è Portæ regione ex

Sanctiſſimus D. N. à Mulo deſiliens.

tabulis ad indumenta Ecclesiastica susciplenda constructum, successit: Cardinales autèm Sanctissimum Sacramentum intrà usquè Civitatis Portam sequebantur, Diaconis Cardinalibus duobus, hoc est, Sfortia, & Montalto exceptis, qui tanquàm Papę Assistentes ad pedes desilivere, ut Sanctissimum D. N. vestibus Ecclesiasticis induerent. Domicilium hoc pulcherrimis aulæis, conchiliatisque peristromatis, necnon picturis doctâ manu effictis splendidissimè intùs erat ornatum, extràque florum, ac frondium varietate contectum. Ad Domicilii, seu Cubiculi hujusce ingressum, Ferrariæ Antistes universo cum Clero suo præsto adfuit, Crucemque Sanctissimo D. Nostro deosculandam obtulit, quâ exosculatâ, domicilium sibi paratum duobus cum illis Cardinalibus nupèr commemoratis ingressus est. Dum autèm Sanctissimus D. N. vestibus Sacerdotalibus, & Pontificalibus indueretur, Episcopus cum Clero festinantèr in Civitate reversus est, & inter Oratores, & Clavarios Papæ locum sibi cum Clero destinatum suscepit.

Domicilium ex tabulis cōfectum.

Sed antequàm progrediar longiùs, inutile futurum non puto, si ob moram interpositam, & ob mutatam, uti ostendemus, aliquâ ex parte seriem iam descriptam, obque Clerum cum Episcopo interjectum, Equitatus, & Comitatus universi ordinem brevissimè, ac summatìm reputamus: rerum namquè continuata progressio rem enarratam dilucidam reddit, necnon memoriæ plurimum confert.

Ordo brevis Equitatus, & Comitatus.

Hoc itaque ordine à Porta Civitatis ad Forum usque Cathedralis Ecclesiæ itum est: Sarcinaria jumenta, seu Muli Clitellarii, Muliones, & Bajuli. Duo Tabellarij. Quinque Equitum Turmę quinque Centuriis distinctę. Ductores Turmarum, Vexilliferi, ac Tubicines suis in locis. Clavarii S. R. E. Cardinalium unà cum aliis quibusdam. Eorundem Cardinalium Caudatarii. Tonsor, ac Sutor Papæ cum bulgis. Scutiferi Papæ, & alii. Achinea cum scala. Duodecim Achineæ sine sessoribus. Lecticæ duæ, Sella gestatoria à quatuor Parafrænariis rubeas indutis vestes delata. Equilis Præfectus. Adjutores, sive Cubiculi Papæ Adjuvantes quatuor. Cubicularii ex minùs intimis. Advocati Consistoriales. Sacellarii, seu Cappellani Papæ. Cubicularii, quos vocant honoris, & ex intimis. Cubicularii etiàm ex intimis quatuor, pileos purpureos, & Pontificios hastis affixos gestantes. Viri Ferrarienses titulis clari, Proceres Romani, sive Barones, & alii insignes Viri. Acolythi, Abreviatores, Clerici Cameræ Apostolicæ, Auditores Rotæ, Subdiaconi Apostolici, Oratores quatuor, Episcopus cum Clero Ferrariæ. Clavarii Papæ, & alter cæremoniarum Magister. Subdiaconus Apostolicus Crucifer. Clerici Cappellæ Pontificiæ duo laternas argenteas hastis affixas deferentes: Clerici Cathedralis Ecclesiæ Ferrarienses viginti cerea funalia ardentia gestantes. Asturco cum Capsula Sanctissimi Sacramenti à Parafrenariorum altero manu ductus, Helvetiis hinc indè incedentibus, Apostolici Palatii Sacrista. Post Sacristam septem, ac viginti S. R. E. Cardinales ordine mutato.

Umbella ex serico albo à Canonicis delata.

Hinc ob hujus etiam generis varietatem, universam Equitatus, & Comitatus seriem dictis de causis repetendam dijudicavi. Hoc enim loco S. R. E. Cardinales alio equitarunt ordine: nàm à Sancto Georgio ad Portam usquè Civitatis Cardinales, senioribus præeuntibus, Sanctissimum D. Nostrum subsecuti sunt: A Porta verò ad Cathedralem usquè Ecclesiam iidem Cardinales, Junioribus præeuntibus, Sanctissimum D. Nostrum præcesserunt, Rocchettis, necnon purpureis Cappis induti, galerisque Cardinalitiis ornati, Mulisque pulcherrimè phaleratis confidentes, & in singulis item lineis, aut ordinibus bini hunc in modum:

Ordo equitandi per Civitatem servatus.

Cardinales Diaconi.

Cardinalis Cæsius.
Cardinalis S. Georgii.
Cardinalis Aldobrandinus.
Cardinalis SS. Quatuor.
Cardinalis Farnesius.

Cardinales Presbyteri.

Cardinalis Arigonus.
Cardinalis de Guevara.
Cardinalis de Avila.
Cardinalis Blanchettus.
Cardinalis Baronius.
Cardinalis Burghesius.
Cardinalis S. Clementis.
Cardinalis Bandinus.
Cardinalis Priulus.
Cardinalis Borromæus.
Cardinalis Aquaviva.
Cardinalis Matthæjus.
Cardinalis Paravicinus.
Cardinalis de Monte.
Cardinalis Cusanus.
Cardinalis Justinianus.
Cardinalis de Monteelparo.
Cardinalis de Camerino.
Cardinalis Gallus.
Cardinalis de Asculo.

Hi tres ultimi pares incedebant ob causam nupèr assignatam, Cardinale de Asculo interequitante.

Cardinales Assistentes.

Hoc deniquè loco, post scilicèt Cardinales Presbyteros, duo Cardinales Diaconi, Sfortia, & Montaltus, tamquàm Papæ Assistentes, propè Sanctissimum Dominum Nostrum equitabant.

[*Tiberius Cerasius Thesaurarius.*]

Hos Quæstor generalis, sive Ærarii Apostolicæ Sedis Præfectus, quem nunc Thesaurarium generalem vocant, equitando subsequebatur, ad anteriorem Sellæ, sive ephippiorum partem sacculos duos ex holoserico rubeo

Argētea moneta in Populum sparsa.

rubeo confectos habens, nummis argenteis plenos: is enim tùm ad dimovendam turbam, tùm etiàm ad excitandam Populorum lætitiam per singulas viarum regiones certis passuum intervallis in Populos dispergebat monetam, julios scilicèt argenteos, & nùmmos illos, quorum singulus quisque tribus juliis argenteis constat, eosque italicè testones appellant.

Monetæ sparsæ per Civitatem declaratio.

Nummus unus ad anticam, idèst ad anteriorem partem duabus clavibus in formam Crucis laureâ sub coronâ coaptatis signatus erat, hisce literis: SINE CLADE: Ad posticam verò stemma gentilitium Clementis VIII. erat impressum, his characteribus insignitum: CLEMENS VIII. PONT. MAX. Nummus alter ad anteriorem partem, Justitiæ, ac Pacis imaginibus invicem sibi manum porrigentibus, ac sese osculantibus, signatus erat hisce literis: DEOSCULATÆ SUNT. Ad alteram nummi partem sculpta erat Clementis VIII. imago his item cum literis: CLEMENS VIII. PONT. MAX.. Propè Quæstorem, sive Thesaurarium equitantem, nummosque argenteos dispergentem, Parafrænarius Papæ, pedester gradiens, Claves Civitatis in pollubro argenteo gestabat.

Claves Civitatis.

Adolescentes Ferrariæ nobiles.

Post Thesaurarium triginta ex primariis Ferrariæ Familiis Adolescentes ibant pedestres, detectoque capite Summum Pontificem antecedebant, omnes telâ ex serico, argentoque contextâ, sago autem, ac palliolo ex panno nigri coloris holoserico acu pictis induti; aureis item torquibus insigniti, necnon ense, ac pugione, manubriis argento coopertis ad latera accincti. Pileos intereà, quos vulgò bireta vocant, rosulis aureis, margaritisque, sive unionibus, ac gemmis circumcircà ornatos manu gestabant. Nobiles itaque Adolescentes hunc in modum decorati Sanctissimum D. N. præcedebant.

His præeuntibus, Sanctissimus Dominus Noster Clemens sequebatur byssinâ talari, sive tunicâ (quam Albam item appellant) necnon stolâ, & pluviali coloris albi sericeo, sacrisque imaginibus bellissimè picturato, aureis etiam, phrygiisque operibus exornato, indutus; Tiarâ insuper, turbinato, seu acuminato capitis tegumento, quod Regnum mundi vulgò vocitare solent, quinquies centenis nummum aureorum millibus, & ampliùs æstimatâ, insignitus; sumptuosissimæque Sedi insidens, super octo Parafrænariorum, qui vestibus longis, ac rubeis induti erant, humeros sublatus, solemnissimâ pompâ, & admirabili majestate gestabatur, multis hinc indè Helvetiis machærophoris, hastiferisque stipatus.

Umbella, & serico rubeo à nobilibus Civ. delata.

Viri præterea ex optimatibus Civitatis, Magistratum gerentibus, suprà Sanctissimi Domini Nostri caput Umbellam ex sericeo, & undato rubei coloris panno, aureisque operibus ornato, quem damascum vocant, initio gestarunt; deindè Viri ex ejusdem Civitatis primariis honori simul, & labori succedentes. Sanctissimum Dominum Nostrum Helvetii milites permulti subsequebantur: deindè Hieronymus Pamphilius Rotæ Auditor cappâ violaceâ indutus ad suscipiendam, ac tenendam Mitram, vel Tiaram Pontificiam velum collo adaptatum deferens: ad cujus dextram Silvius Antonianus Cubiculi Papæ Præfectus, nunc verò S.R.E. Cardinalis; & Ludovicus Angelita Pincerna, sive pocillator, nunc in Antoniani locum suffectus, ad sinistram: ambo rubeis vestibus, capitiis ad collum inversis, induti equitabant.

Rotæ Auditor.

Cubiculi Præfectus.

Pincerna.

Hos subsequebatur Medicus rubeâ item veste amictus. Huic autem succedebant Prælati omnes juxtà seriem, ac pompam nuper descriptam. Hoc tandèm loco equitabant Turmæ Equitum, quos levis armaturæ, seu celeres vocant. Indè varia vehiculorum genera, & magno quidèm numero, Equites item, ac pedestres permulti. Hoc ordine, Pontificioque apparatu è Domicilio illo ligneo propè Portam constructo ad Cathedralem usque Ecclesiam itum est.

Medicus.

Prælati.

Turmæ Equitum.

Porta, quæ in hoc glorioſissimo Clementis VIII. ingressu Civitatem ingredientibus sese offert, ad gloriam ejusdem Clementis, necnon equitatus, & comitatus Pontificii commoditatem recens aperta fuit; gentilitiisque Papæ stemmatibus, Cardinalium item Aldobrandini, & Sancti Georgii, excellentissimique Joannis Francisci Aldobrandini armorum utriusque militiæ S. R. E. Ducis, aut Capitanei Generalis, necnon Civitatis Ferrariæ, erat insignita. Infrà verò gentilitia Papæ stemmata, hæc legebatur Inscriptio;

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

FERRARIAM BELLO PETRI ALDOBRANDINI CARD. IMPERIO FELICITER GESTO, ATQUE INCRUENTA PRORSUS VICTORIA RECUPERATAM INGREDIENTI EXULTANS SE EUM IN TERRIS ESSE NACTUM DOMINUM, QUO CÆLUM APERITUR PORTAM HANC PRIMUM APERUIT, ALDOBRANDINÆQUE GLORIÆ ÆTERNUM DICAVIT POP. FERRARIEN.
ANNO DOMINI MDIIC.

Ad hæc Sanctissimo Domino Nostro Ferrariam ingrediente, in lætitiæ inusitatæ signum de tàm sumptuoso, tàm felici, tàm glorioso, deque tàm ab omnibus expectato Clementis VIII. ingressu, & minora, & majora bellica tormenta disploſa sunt. Per omnes intereà Civitatis vias, quâ transeundum erat, exteriores domorum parietes tapetis colorum multiplicitate textilibus, necnon terrestrium animalium, & volucrum, humanarumque imaginum varietate contextis vestiti extabant. Variæ item, ac perpulchræ imagines per pictoriam artem, & quidem scitissimè penicillo repræsentatæ hinc inde conspiciebantur. Quæ sanè omnia non sine magnâ spectabantur voluptate, dum oculi, menteſque ea intuentium mirificè pascerentur.

Viarum Civitatis apparatus.

Erant insuper adeò plena loca viarum omnia, ut multi è speculis in editissimo loco sitis, necnon e quibusdam ædificiorum projectis

Frequentia Populorum mira,

ctis, qualia sunt suggrundia, idque genus alia, idèst prominentium quædam tectorum partes, non sine ipsorum periculo, nec etiam absque aliorum illùc spectantium admiratione prospicerent. Fenestræ omnes tapetis discoloribus ornatæ cernebantur; undè ex nobilissimis Ferrariæ Familiis primariæ fœminæ, aliæque tàm indigenæ, quàm exteræ magno sanè numero mulieres Sanctissimum Dominum Nostrum in throno, seù solio majestatis suæ super humeros hominum gestato sedentem, & cum universo equitatu, & comitatu transeuntem fixo aspiciebant obtùtu. Prætereà dum Quæstor, seù Thesaurarius in biviis, aut triviis, vel quadriviis argenteos nummos ad turbam, ut diximus, dimovendam, atquè ad Populorum lætitiam excitandam, vel potiùs jam excitatam augendam, dispergeret, exitum rei cum voluntate maximè congruentem sortiebatur. Verbis enim sat explicari nunquàm posset, quanta omnium gentium commotio, lætitiæ, risus, strepitus, acclamationisque plena, in pecuniis dispergendis fiebat.

Structuræ viarũ picturatæ.

In quibusdam, & quidem præcipuis viarum locis pro arcubus, quos triumphales vocant, quædam ex telis picturatis structuræ, quæ prospectivæ vulgò appellantur, quæque perpulchrum efficiebant prospectum, cernebantur. Hinc propè Montis Portam, quam vulgò *Montagnæ Portam* vocitare solent, hujus generis structura quædam quatuor sustentata columnis viridantium foliorum varietate, vestitis extabat, ubi turrita Fœmina cernebatur picta, Ferrariam repræsentans, manumque porrigens hirsuto Homini, innixo vasi aquam non effundenti, per quem Hominem Padus fluvius exsiccatus, sororibus Phaëthontis hinc indè astantibus, significatur: per quas fit allusio ad fabulam illam Phaëthontis, qui cum à Sole, patre impetrasset, ut uno die currus ejusdem habenas sibi permitteret, aurigandique imperitus, cœlum, & terram combureret, à Jove fulmine, ut Ovidius fabulatur, è curru excussus; in Padum fluvium decidit. Suprà ipsas Imagines penicillo effictas hæc legebantur verba:

Lib. 2. Metamorph.

CLEMENT. VIII. PONT. MAX.

FERRARIA RECUPERATA.

Infrà verò hi versus:

Exanimum Clemens fluviorum respice Regem
Quo sine spes vitæ me quoque nulla fovet.
Hic me aluit, genuitq; illi da fundere lymphas
Vivere da natæ posse Parentis ope.
Sic armis quia victa tuis rediviva vigebo
Aldobrandino munere tuta Pado.

Ad Glaream viam, à terra lapidosa, qualis in fluviorum ripis, vel maris littoribus esse solet, olìm dictam, quam nunc *Giaram* vocant, structura alia, quatuor itèm viridantibus columnis sustentata, variis ornata picturis ad rem bellicam pertinentibus extabat, hisque illustrata verbis Victoriam præferentibus:

CLEMENTIS VIII. PONT. MAX.

GLORIOSISS. AC PROPE DIVINÆ DE FERRARIEN. BELLO VICTORIÆ, EX QUA SINE SANGUINE SINE DOLO PARTA INTER VICTOREM, ET VICTOS SPECIOSUM REDINTEGRATUR CERTAMEN HINC SINCERI OBSEQUII INDE PATERNÆ BENEFICENTIÆ.

In via, quæ ducit ad Saracinum, ad ejus dextram, quâ itur ad Sacram Sancti Francisci Ædem, alia itèm structura quatuor viridantibus suffulta columnis cernebatur, ubi stemmata gentilitia Clementis VIII. picta fuerant, & quædam Imago, idèst Pax, facem extinguens extabat hac inscriptione:

FELIX BELLUM, EX CUJUS SE MIRE DESTRUENTIS ROGO
PAX AUREA IN FERRARIENSEM POPULUM EVOLANS
SUO OCCURRIT AUCTORI.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

Indè ad Sancti Francisci, atquè illinc ad illam, & longam, & amplam viam, quam Judeccham vocant, deventum est: ad cujus introitum, undè viæ Sancti Spiritus initium sumitur, ad Judecchæ scilicèt latus, structura itèm alia tribus distincta portis, aliquot insignibus, necnon Aligeris, variisque figuris, & Imaginibus extabat hisce verbis illustrata:

CLEMEN. VIII. PONT. MAX.

CLEMENTIÆ NON INTER INNOCENTES CESSANTI, SED FIDE, ET VIRTUTE LACESSITÆ ITA OMNIBUS SUCCURRENTI, UT ILLE OMNIBUS VENIT.

Ad Judecchæ viæ frontem propè Castelli, sive Arcis fossam, in ejusdem Arcis munimentum constructam, magnæ altitudinis columna erecta cernebatur, trabibus ædificata, teliisque picturatis marmora perbellè referentibus contecta. In ejus fastigio fœminea Imago coronata Gloriam repræsentans, duasque coronas sinistrâ tenens manu; dextrâ verò parvulam gestans Imaginem, picta extabat. Columna ipsa intèr duas statuas supèr duabus, & altis quidèm basibus erectas cernebatur: quarum una ad dextram, S. Petrum; altera ad sinistram, S. Paulum referebat. Ad Columnæ basim Inscriptio legebatur in hanc verborum formam.

CLEMENTIS VIII. PONT. MAX.

FIRMISSIMO MONIMENTO NON TITULORUM SAXIS INCISORUM, SED SOLIDISSIMÆ INTERNIS ANIMORUM JUDICIIS INFIXÆ GLORIÆ.

Hinc

Hinc siniſtrorſum extat via, quâ itur ad Eccleſiam Cathedralem, ad cujus fores Religioſorum quatuor, ac decem Sodalitates, duodecimque Laicorum Conventus ad pia opera exercenda inſtituti, quos Confratrias, vel Confraternitates appellant, optatiſſimum Sanctiſſimi D. N. Clementis VIII. adventum præſtolabantur ipsâ in via, quam nupèr commemoravimus, necnon in alia, quam Judeccham appellant, hinc indè longo ordine conſiſtentes, ea videlicèt ſerie, quæ in Supplicationibus, ac Litaniis, ſeu proceſſionibus obſervari ſolet, altero alterum ſubſequente. Id quod ad confuſionem Equitatus, & Comitatus evitandam jure factum videtur. Eandem etiàm ob cauſam Milites pedeſtres omnes jàm indè à S. Georgii Porta longo itèm ordine hinc indè per vias conſiſtentes cernebantur. Hunc deniquè ordinem eandem ob rem, Sanctiſſimo D. N. Clemente VIII. ad Judeccham adventante, Equitum Turmæ ſervaverunt.

Via nanquè à S. Georgio ad Cathedralem uſquè Eccleſiam, etsì longiſſima, unius videlicèt milliarii, & ampliùs ſpatium complectens, tantam tamèn frequentiam, tàmque longum ordinem capere haudquàquam poterat. A Columna itaque ipſa (ut eò, undè digreſſi ſumus, revertamur) ad Cathedralem Eccleſiam tenebatur: in qua ſanè via, nonniſi acclamationes, tubarum clangor, tympanorumque ſonitus, necnon ſclopporum, ac tormentorum, ſivè bombardarum boatus audiebantur; ità verò, ut ob ingentem immenſumque ſtrepitum, cælum tonare, terra tremere, tectaque nutare viderentur: minora enim, ac majora tormenta bellica tàm in Foro, quàm in Arce, magno numero diſploſa fuerunt.

Poſtquàm verò ad Eccleſiæ fores perventum fuit, ſtatim Capſula Sanctiſſimi Sacramenti ab Aſturcone dimota, à quatuor primariis ejuſdem Eccleſiæ Canonicis ad Aram uſquè maximam delata fuit, ad cujus dextram ſupèr parvum Altare decentiſſimè ornatum, ad Capſulam ſolam ſtatuendam conſtructum, repoſita fuit.

Dum hæc agerentur, S. R. E. Cardinales è Mulis deſilivere: Sellâ inſupèr geſtatoria à Parafrænariis humi demiſsâ, Tiaràque, quam Regnum appellant, depoſitâ, Sanctiſſimus D. N. è manu Epiſcopi Ferrarienſis aſperſorio ſuſcepto, ſe, & adſtantes aquâ benedictâ levitèr aſperſit; deindè Tiarâ iterùm inſignitus, thureque ab ipſomet Pontifice in Thuribulum immiſſo, acerrâ, ſeu naviculâ thuriferâ ab eodem Epiſcopo ſibi ſubminiſtratâ, Sanctiſſimus D. N. ſtans, ab Epiſcopo ingeniculato thurificatus fuit. His peractis, eodem Epiſcopo Hymnum Sanctorum Ambroſii, & Auguſtini præcinente, Cappellæ Pontificiæ Cantores, alternantibus Choris, eundem Hymnum jàm præcentum miro variarum, optimarumque vocum concentu decantarunt. Dum autèm Hymnus caneretur, itum eſt ad Altare majus, Sanctiſſimo D. N. pedeſtre incedente, anteriores Pluvialis fimbrias Cardinalibus Diaconis, qui Aſſiſtentium munere fungebantur, geſtantibus; Protonotariis anteriores Albæ fimbrias deferentibus, Oratoreque Regis Galliarum poſteriores, & extremas Pluvialis, & faldæ partes geſtante, Crucifero præeunte, Cardinalibuſque Duodetriginta ſubſequentibus: Cardinalis enim de Verona eoùſque in Eccleſia expectavit, hiſque omnibus interfuit.

Acceſſus ad Eccleſiam, in eamque ingreſſus.

Poſtquàm autèm Sanctiſſimus D. N. ad Altare majus pervenit, antè ſacratiſſimum Chriſti corpus, genibus flexis, & ſuper pulvinar holoſerico rubeo contectum, faldiſtorioque aptatum, procumbens; cubitiſque eidem faldiſtorio innixus, ſupplicibus palmis religioſiſſimè, diùque oravit, donèc ſcilicèt Cantores canendi finem fecerunt. Cantato itaque Hymno, erudito ſcilicèt, ac ſuavi muſicorum concentu expleto, Epiſcopus Ferrarienſis Eccleſiaſticis adhùc indumentis amictus; ad ſiniſtrum majoris Altaris cornu, ſine Mitra ſacros decantavit Verſiculos, Cantoribus reſpondentibus. Hiſce tandèm finitis precibus, ſacram præcationem, ſive orationem pro Papa cantando recitavit.

Ad Altare majus acceſſus.

His omnibus ritè peractis, Sanctiſſimus D. N. è faldiſtorio ſurrexit, ac ſeſe ad Altare contulit, genuum flexione humi projectus, venerabunduſque Sanctiſſimum Sacramentum adoravit; deindè ſurgens, oſculatus eſt Altare, ac tandèm ad Populum ſe convertens, Cruciferumque antè ſe habens, omnibus illic adſtantibus beneprecatus eſt, ſolemnem ſcilicèt benedictionem, plenariamque Indulgentiam elargitus: quam dictus Epiſcopus promulgavit. Tanta autèm erat utriuſque ſexus Chriſtifidelium frequentia, quantam ampliſſima Eccleſia undique capere poterat, magno itèm numero Gentibus in Foro ad valvas Eccleſiæ, & in tota Arcis viâ præſtolantibus, quæ præ nimia Populorum frequentiâ ingredi non valverunt: nàm ex multis Italiæ partibus ob Clementis VIII. adventum, Ferrariam Populi convenerant.

Benedictio, & plenariæ Indulgentiæ promulgatio.

Poſt benedictionem, & Indulgentiam Populis elargitam, Sanctiſſimus D. N. in Eccleſiæ Chorum ab Altaris tergo ſitum receſſit, ubi Pontificalibus indumentis exutus, è Templo egreditur, Muloque inſidens in Arcem ſeſe recepit: ad cujus Portam Claves ipſius Arcis à Clemente Sanneſio Equite, cuſtodiæque Arcis Duce, aut Capitaneo, necnon Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi D. Cardinalis Aldobrandini Cubiculi Præfecto, eidem SS. D. N. oblatæ fuerunt. Qua in re SS. D. N. Clemens VIII. præ quadam paterna animi pietate ſubridens, riſum cum lacrymis commiſcere viſus eſt, claveſque manu tetigit.

Receſſus Papæ in Arcem.

Arcis Claves Clemẽti VIII. oblatæ.

Hæc de ſplendidiſſimo apparatu, & Comitatu, quo Sanctiſſimus D. N. Clemens VIII. Ferrariam nupèr, ac divinitùs recuperatam felicitèr ingreſſus eſt. Cujus rei cauſa noſtrum de origine, & antiquitate deferendi Sanctiſſimum Sacramentum pro Viatico antè Romanum Pontificem, longum iter conficientem; necnon de Romanis Pontificibus, qui hunc Ritum obſervarunt; ac demum de

Scribendi occaſio.

recenti Societatis SS. Sacramenti Ferrariam usquè protectione Commentarium conſcripſimus. Hæc de itinere Societatis Sanctiſſimi Sacramenti, necnon de ſplendidiſſima, ac ſolemniſſima pompa, quâ Sanctiſſimus D. N. Clemens VIII. cum Sacroſancto Viatico Ferrariam ingreſſus eſt. Nunc reliquum eſt, ut nonnulla ex præcipuis rebus ab eodem Clemente Ferrariæ geſtis explicemus, ex quibus, cur illùc acceſſerit, colligere quis facilè poterit.

De rebus præcipuis à Sanctiſſimo D. N. Clemente VIII. Ferrariæ geſtis.

QUamvis Ferraria recuperata jam eſſet, Ferrarienſi Ducatu in feudum à Romanis olim Pontificibus conceſſo, nunc tandem aliquandò ad Romanam Eccleſiam ob lineam Alphoſi II. finitam devoluto; eâ tamen Romani Pontificis præſentiâ multis de cauſis indigebat, ut verus videlicèt Dominus, ac Paſtor ab omnibus tàm Nobilibus, & Optimatibus, quàm Civibus, ac popularibus agnoſceretur, eoſdemque Pontificiâ majeſtate (quâ in terris nil profectò præſtantius eſt, nil majus, nil deniquè admirabiliùs) tàm in ipſa obedientia, quàm in fidei obſervatione, ac religione confirmaret, confirmatoſque beneficiis, ac favoribus, necnon privilegiis quantoperè poſſet, in eadem obedientia, & fidelitate, ac religione augeret, legibus ad optimum univerſi Magiſtratus pro Civitate adminiſtranda regimen ſancitis. Quæ ſanè omnia ſex menſium intervallo ingenue, ac liberaliter præſtita fuiſſe conſtat.

Romani Pontificis præſentia Ferrariæ neceſſaria.

Harum rerum initium, ac fundamentum ab ipſa religione, quæ eſt pietas in Dei cultu, divinarumque rerum cæremoniis conſiſtens, deſumptum eſt, ac ſingulis diebus incrementum recepit, nullâ temporis opportunitate ſeſe offerente prætermiſſâ, tàm in divina re faciendâ, & in Dei verbo per Concionatorem explicando; quàm etiàm in paupertate largis eleemoſynis ſublevandâ, variiſque in rebus deniquè ſacris exercendis, & excolendis.

Res præcipuè ad obedientiam, ac fidē Populorum excitandam, & conſervandam neceſſariæ.

Hinc aliquot Pontificiæ Cappellæ, ad ſacroſanctum Dei cultum pertinentes, habitæ ſunt, quæ in divinis laudibus, ſacriſque myſteriis celebrandis, Pontificiam majeſtatem unà cum S. R. E. Cardinalium Collegii ſplendore perbellè demonſtrare ſolent.

Cappellæ Pontificiæ.

Prima Cappella fuit in die ſancto Pentecoſtes (Veſperis in ejuſdem vigiliâ ſolemnitèr, præſente cum Collegio S. R. E. Cardinalium Papâ, celebratis) in eâque Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Cardinalis de Aſculo Miſſam cantavit ipsâ in Eccleſia Cathedrali, Sanctis Georgio, & Maurelio dicata, in qua Presbyteratus ordinem olim ſuſcepit. Orationem verò ad Sanctiſſimum illum diem, in quo Spiritus Sanctus igneis linguis ſuper Diſcipulos unum in locum congregatos deſcendit, pertinentem, ſententiis, ac verbis ornatam, habuit Carolus Trottus Ferrariæ Civis, nunc Epiſcopus Balneoregienſis.

Cappella prima.

In die Sanctiſſimæ Trinitatis (pridiè illius diei Veſperis more ſolito celebratis) Miſſam cantavit, Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Cardinalis Bandinus. Eâ in Miſſa orationem excultam ad ipſam ſolemnitatem ſpectantem habuit Gaſpar Levalorius Theologus, & Presbyter Ferrarienſis.

Cappella ſecunda.

Alia Cappella fuit 19. Maji pro gratiarum actione ob pacem inter Henricum IV. Galliarum, & Philippum II. Hiſpaniarum, Reges, conciliatam in ipſa Legatione, quâ functus eſt Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Alexander Medices Cardinalis, & Archiepiſcopus Florentiæ. Eâque in Cappella (ſolemniſſimâ ſupplicatione, ſeù proceſſione priùs celebratâ) Miſſam cantavit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Cardinalis S. Clementis; orationem luculentiſſimam ad rem tantòperè deſideratam, & penè deſperatam, pertinentem, habuit Julius Cæſar Stella Romanus, Sanctiſſimi D. N. ab intimo Cubiculo, Vir ſanè perpolitis literis, fertiliſſimoque ingenio præſtans.

Cappella tertia.

Die 20. Maji, in feſto ſcilicèt Sanctiſſimi Corporis Chriſti die, ſolemniſſimâ pompâ Romæ fieri conſuetâ, ſupplicatio, ſeu proceſſio (pridiè illius diei Veſperis ſolemnitèr decantatis) celebrata fuit, in qua Sanctiſſimus D. N. Clemens VIII. pedeſter; ſacratiſſimam Hoſtiam intrà pretioſiſſimum loculum, quem Tabernaculum, vel Cuſtodiam appellant, occluſam, magnâ cum lacrymarum effuſione, pioque animarum ſolatio religioſiſſimè geſtavit, pluviâ tantæ ſolemnitati adverſante.

Cappella quarta.

Proceſſio in die Corporis Chriſti.

In feſto Nativitatis die Sancti Jo: Baptiſtæ Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Burgheſius Miſſam cantavit.

Cappella quinta.

In die Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli (Veſperis in eorundem Sanctorum vigiliâ ſolemniter celebratis) Cappella item fuit, in qua Miſſam, à Romano Pontifice decantari ſolitam, cantavit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Auguſtinus Valerius, Cardinalis de Verona pro Sanctiſſimo D. N. qui adversâ valetudine impeditus, eam celebrare non potuit.

Cappella ſexta.

In die Aſſumptionis Beatæ Mariæ ſemper Virginis (Veſperis pridiè illius diei ſolemniſſimè celebratis) Miſſam à S. R. E. Cardinalibus decantari conſuetam, ſolemniſſimo ritu cantavit Sanctiſſimus D. N. ut hac etiam actione Pontificiâ Ferrariam cohoneſtaret. Evangelium hujus Miſſæ cantavit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Petrus Aldobrandinus Cardinalis Diaconus, Epiſtolam verò Subdiaconus Apoſtolicus.

Cappella ſeptima.

In Exequiis Philippi II. Hiſpaniarum Regis, die ſcilicèt 13. Octobris, Miſſam cantavit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Cardinalis de Avila: Orationem verò Alexander Burgius, Vir ſanè doctiſſimus, & Burgi S. Sepulchri Epiſcopus, habuit: eâque oratione variis dicendi luminibus ornatâ, univerſam Philippi Regis laudatiſſimam vitam mire complexus eſt.

Cappella octava.

In

Cappella nona.

In ſolemnitate omnium Sanctorum Miſſam cantavit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Cardinalis de Aſculo: orationem verò, variâ eruditione refertam, & ad ſolemnitatem ipſam pertinentem, habuit V. I. Doctor, Thomas Martinellus Cæſenas.

Cappella decima.

In die omnium Chriſtifidelium defunctorum Miſſam cantavit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Cæſar Cardinalis Baronius.

Cappella undecima.

In Exequiis pro omnibus S. R. E. Cardinalibus defunctis Miſſam cantavit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Cardinalis Paravicinus, præſente S. R. E. Cardinalium Collegio, abſente Papa, qui eis intereſſe non ſolet.

Rebus hiſce ſacris, atquè id genus aliis, Sacramentorum ſcilicèt frequentatione, Sanctiſſimus D.N. unà cum S. R. E. Cardinalium Collegii ſplendore, Pontificiam majeſtatem, non minùs admirandam, quàm venerandam apud omnes declaravit.

Aliæ res pro obedientia, & fidelitate Populorum cõſervanda.

Aliis deinde conſiliis Sanctiſſimus D. N. Clemens Pontificiam poteſtatem, non minùs amandam, quàm formidandam demonſtravit; iiſdemque tanquàm ſuaſoribus, & quidem ſcitiſſimis, promptam obedientiam, perpetuamque fidelitatem, in clavibus Civitatis offerendis jàm ſponte promiſſam, ſibi conciliavit, conciliatamqne confirmavit, totque tanquàm firmiſſimis columnis corroboravit, corroboratamque ſtabilivit. In rebus nànque tùm publicis, tùm privatis, Ferrariam gratiis, & privilegiis, necnon legibus, ac dignitatibus ampliſſimè cohoneſtavit, & dies in ſingulos cohoneſtat, ac ditat.

Arcis novæ conſtruendæ ſtudium, & conſilium.

Privatis autèm rebus ſilentio prætermiſſis; quæ ad Univerſitatem, ſeù ad publicam rem pertinent, breviſſimè commemorabimus, ab Arce nova initium ſumentes. Hanc enim, non ut frænum, more Tyrannorum, Ferrariæ iniiciat, grandi pecuniâ ædificandam curat; ſed ut Civitatem (ſi locum perpendas, ac probè examines) ab hoſtibus tueatur, ac defendat, defenſamque cuſtodiat; cuſtoditam ſtativis præſidiis foveat, & conſervet, proprium Arcis nomen inſequutus; etenim Arx ab arcendo videtur dicta, quòd ſcilicèt arceat, hoc eſt, accedere illùc hoſtes prohibeat, & illinc depellat.

Conventus ad Padum navigabilem reddendum, & Valles exſiccandas habitus.

Conventum intereà, ſivè aliquòt S.R.E. Cardinalium Congregationem viris peritiſſimis in ea adhibitis, ad Padum navigabilem reddendum, & ad Valles exſiccandas Sanctiſſimus D. N. inſtituit. Padus nànque præter aquulas, ac torrentes, amnes varios circiter triginta, Solino teſte, cui Plinius, Mela, & alii aſſentiuntur, in eum ſeſe exonerantes, colligit; hinc inuſitatis interdùm incrementis abundat, & intumeſcit, ità verò, ut immenſos agros ſummâ finitimorum jacturâ inundet, ac vaſtet: nàm ſupèr alveum egreſſus, agrum Ferrarienſem adeò demergere non rarò ſolet, ut plurimis in aruis non ſecus atque ipſo in flumine ducantur navigia, ſicuti anno à Chriſto nato MDXXII. contigit, quo Padus pluviarum magnitudine adeò excrevit, & intumuit, agrumque Ferrarienſem ità demerſit, ut in multis ejuſdem Territorii partibus perindè atque ipſo in Pado navigia ducerentur, perque Urbem Ferrariam ad Francolinum uſquè perpetuo quaſi ſtagno navigaretur, ut F. Leander ad Lombardiæ Ciſpadanæ calcem narrat, ubi varias de harum inundationum cauſis opiniones videre licèt. Quare ſicut ex frequentibus Padi inundationibus Valles perpetuis ferè paludoſis, aut ſtagnantibus aquis affluunt, ità Ferrarienſes, & Padi Accolæ, ſivè finitimi, perpetua ferè damna pati ſolent. Si autem navigabilis reddatur Padus, & Valles deſiccentur (ſicuti hac in re Sanctiſſimus D. N. Clemens omnes induſtriæ, ac potentiæ nervos contendit) quanta iiſdem utilitas oritura ſit, haud facilè dici poteſt.

Inundationis cauſæ.

Nova Ferrariæ gubernandæ norma.

Quod ad optimum Ferrariæ regimen ſpectat, novam Civitatis gubernandæ normam Sanctiſſimus D. N. inſtituit, effecitque ut Comitia, vel Conventus, ſeu Conſilia vulgò dicta, in quibus conſultari, ac deliberari ſolet, centum Viris, quos appellant Conſiliarios, conſtarent. Ex his Conſiliariis ſeptem, ac viginti Primarii à Romano Pontifice cooptantur. Ex aliis Civibus quinquaginta quinque à veteribus Conſiliariis creantur. Duodeviginti ex Univerſitatibus Artificum, qui vulgò Artiſtæ nuncupantur, eligendi ſunt: univerſi nànque Conſiliarii, qui ſunt centum Viri, tertio quoque anno immutantur. Singulo intereà quoque anno ex his Conſiliariis omnibus, Magiſtratus, nomine Sapientum vocitatus, decem Sapientibus, unoque Sapientum Judice conſtans, creari ſolet: Judex enim ex ſeptem, ac viginti primariis cooptatur: Sapientes octo ex quinquaginta quinque: duoque reliqui Sapientes ex decem, & octo Artificibus, vel (ut ajunt) Artiſtis Conſiliariis eliguntur. Hæc de Centumviratu Ferrarienſi, ac Magiſtratu, cujus tota vis eſt, ut præſit, præſcribatque recta, & utilia. Sicut autem Populo præeſt Magiſtratus; ità Magiſtratui præſunt leges, ut Cicero in libro de Legibus docet.

Cic. lib. 3. de legib.

Viis hiſce omnibus, idque genus aliis, charitate, ac prudentiâ plenis, Sanctiſſimus D. N. Clemens perpetuam Ferrarienſium obedientiam, & fidelitatem cum amore conjunctam Sibi, & S. R. E. comparavit.

Quamvis autèm hæc à Sanctiſſimo D.N. Ferrariæ geſta, totum hominem, magnamque temporis partem jure poſtularent; Conſiſtoria tamèn tùm publica, tùm ea, quæ ſecreta dicuntur; Conventuſque itèm varii ad Chriſtianam Rempublicam gubernandam pertinentes, uti Romæ fieri ſolet, innumeris ferè negotiis pertractatis, audientiis denique tùm publicis, tùm privatis præſtitis, non defuerunt.

Conſiſtoria Ferrariæ habita.

Principum in Ferrariam acceſſus.

Sanctiſſimus D. N. Clemens aliquòt intereà Italiæ, aliarumque Regionum Principes ad ſuos ipſius pedes exoſculandos recepit, & quidem ſplendidiſſimè. Poſtremò autem Sereniſſimam Margaritam Auſtriæ Archiducciſ-

Inũdatio Padi anno 1522.

cissam, Caroli Archiducis (fratris Maximiliani Imperatoris) filiam, proneptem Imperatoris Ferdinandi, consobrinamque Rodulphi Imperatoris, ac tandèm Hispaniarum Reginam; necnon Serenissimum Albertum ejus sobrinum, & Austriæ item Archiducem, Maximiliani Imperatoris filium, Ferdinandi Imperatoris nepotem, Rodulphique Imperatoris fratrem, Philippi III. patruum, Idibus Novembris, die scilicèt xiij. regio sanè apparatu excepit. Hinc Illustrissimi, ac Reverendissimi DD. Cardinales Sancti Clementis, & Bandinus, Sanctissimi D. N. Legati à latere ad Insulam usquè tribus milliariis à Ferraria distantem; cæteri verò Cardinales ad Portam Angelorum usquè, Reginæ obviam prodiere: omnesque deindè Reginam, & ejus Matrem, Archiducemque comitati sunt ad Palatium usquè, ubi Sanctissimus D. N. in publico Consistorio, Reginam, ejusque Matrem, & Archiducem, primùm ad pedem, deindè ad manum exosculandam admisit; Archiducem verò sinu etiàm, & complexu recepit. Postridiè, honoris causâ visitationibus opera data est, verbis ultrò citròque habitis, omni humanitate plenis: Cardinales intereà etiàm à Regina ipsa illustrissimi nominis titulo cohonestati fuere, Archiducisque sereniss. ac religiosissimi Principis dextram ubique tunuerunt.

Hispaniarum Regina, & Archidux Austriæ.

Regni, & Cæt. Reginæ obviam procedentes.

Consistorium publicum.

Decimoseptimo Kalendas Decembris, hoc est xv. Novembris die, Sanctissimus D. N. Missam de Spiritu Sancto præsentibus S. R. E. Cardinalibus, solemnissimo ritu cantavit, in qua tàm Philippi III. Hispaniarum Regis, & Margaritæ Reginæ, quàm Alberti Archiducis Austriæ, & Isabellæ Hispaniarum Infantis Matrimonia (Symbolo jàm in Missa, in qua Sacrosanctum Evangelium Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Cardinalis Cæsius decantavit, expleto; lectoque Offertorio) celebravit. Margarita enim per Procuratorem Albertum Archiducem Austriæ, Philippo III. Hispaniarum Regi absenti in matrimonium collocata fuit: Isabella verò Philippi II. Filia, & Hispaniarum Infans, etiàm absens, per Procuratorem D. Antonium de Cordova, & Cardona, Sessæ Ducem, Serenissimo Archiduci Austriæ presenti nupta est.

Cappella duodecima pro matrimoniis celebrandis.

Matrimonia.

Postquàm verò Sanctissimus D. N. deindè Cardinalis Diaconus, & Subdiaconus Apostolicus Sanctissimam Communionem sub utràque specie sumpsere; Regina etiàm, ejusque Mater, necnon Archidux Albertus, ac Sessæ Dux, sacratissimum Christi corpus è manibus summi Pontificis susceperunt. Missâ deniquè completâ, Sanctissimus D. N. auream Rosam, in quarta Dominica Quadragesimæ benedici solitam, Reginæ dono dedit, cæremoniis præstitis in ea tradenda, fieri consuetis.

Communio.

Rosa aurea Reginæ data.

Splendidissimum, verèque regium apparatum, quo Serenissimi Principes Ferrariam ingressi sunt, & à Sanctissimo D. N. Clemente VIII. excepti, in matrimoniumque collocati, aliis describendum reliqui. Si enim apparatum ipsum, & in Civitatem Ferrariam eorundem Principum ingressum, nobilissimumque Comitatum, Tragœdiamque de Judith, & Holoferne ex Scripturæ sacræ Historiâ desumptam, & coràm Serenissimis Principibus actam, necnon dona ipsi Reginæ à Clemente VIII. data vellem enarrare, sermonem nimis longum texerem, vel potiùs librum conficerem, à nostro sanè instituto alienum. His de causis hanc scribendi provinciam aliis relinquendam dijudicavi. Hoc tamèn loco tres tantùm apponam Inscriptiones, ad Reginæ adventum pertinentes, quarum prima ad Portam Angelorum nuncupatam, ingredientibus sese offerebat in hanc verborum formam:

Apparatus regius, & Tragedia.

ANGELI GAUDENT MORTALES EXULTANT
MARGARITAM
AUGUSTI SANGUINIS PIETATIS VIRTUTUMQ.
OMNIUM
SPLENDORE LUCIDISSIMAM
SIMUL LÆTISSIME EXCIPIUNT

Altera ad anteriorem ejusdem Portæ parietem in hæc legebatur verba:

URBEM ADVENTUS TUI LUMINE ILLUSTRATAM
REGINA
REDDE NUNC HOSPITIO GLORIOSAM

Tertia ad atrii Palatii arcum è regione Cathedralis Ecclesiæ hisce verbis:

PHILIPPO, ET MARGARITÆ AUSTRIACIS
AVITA IMPERATORUM GLORIA SUAQUE
PIETATE INCLYTIS
UT CATHOLICORUM REGUM SOBOLES
PROPAGETUR
MATRIMONIO DIVINITUS JUNCTIS
ANNI MULTI LIBERORUM COPIA PERPETUA
FELICITAS

Hæc de Serenissimis Principibus à Sanctissimo D. N. Clemente VIII. regio apparatu exceptis, & in matrimonio conjunctis: His intereà rebus omnibus peractis, xiv. Kalendas Decembris, hoc est, decimâ octavâ Novembris die, Serenissimi Principes è Ferraria discessere, Genuam versùs, ubi triremes conscensuri erant, profecti. Nunc reliquum est, ut in Urbem Romam reditum aggrediamur.

Ut autèm Sanctissimus D. N. Clemens Ferrariam cælestibus item donis cumulatam redderet, VI. Kalendas Decembris, hoc est, vigesimâ sextâ Novembris die, cum de discessu jàm cogitasset, Ferrarienses in Ecclesia Cathedrali, ab omni anathematis vinculo, siquod incurrissent, irretitos absolvit, eisdemque omnem prosperitatem cum Dei gratia conjunctam precatus est, ut infrà videre licet.

Mira Clemētis VIII. pietas in Ferrarienses.

Abso-

Absolutio, & Precatio pro Ferraria, ejusque Ducatu.

DEUS misericordiarum, qui nihil odisti eorum, quæ fecisti, sed omnium misereris, qui in toto corde suo ad te convertuntur, respice propitius supèr Populum tuum, & super Civitatem istam nostram dilectam: & quod paternę charitatis effectu pro illius, & totius Ferrarienſis Ducatus salute à nostra humilitate geritur, Tu cælesti tuâ benedictione confirma. Nos enim auctoritate tuâ, & beatorum Apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & nostrâ, quam nobis immeritis tradidisti, absolvimus iterùm, atquè iterùm omnem Populum Civitatis, & Ducatus Ferrariæ ab omni vinculo excommunicationis, anathematis, suspensionis, & interdicti, omnibusque Ecclesiasticis censuris, & pœnis olim à nobis, aut aliis Summis Pontificibus, prædecessoribus nostris, quovis modo illatis, & ab eis incursis; & tuam clementiam deprecamur, ut ab eis pestilentiam, sterilitatem, & famem, & noxios spiritus procellarum, & tempestatis, & aquarum, ac fluminum inundationes, & omnia iracundiæ tuæ flagella avertas; donesque eis aeris salubritatem, & fertilitatem frugum terræ, & abundantiam divinæ gratiæ tuæ, ut in omni pace, concordiâ, & pietate Tibi, & Ecclesiæ tuæ sanctæ serviant, sintque à te perpetuò benedicti, quemàdmodum Nos eos benedicimus ✠ in nomine Tuo, & in nomine Unigeniti Filii tui, & Spiritus Sancti. Amen.

Hac re statim confectâ, in viam cum universo Comitatu Centum versus sese dedit, cum pridiè illius diei Societas Sanctissimi Sacramenti illùc adveniſſet. Reliquum est itaque, ut reditum in Urbem Romam, sequenti Commentarii nostri Parte, comprehendendum describamus.

PARS QUARTA.

De Societatis Sanctissimi Sacramenti Clementi VIII. Pont. Max. præeuntis in Urbem reditu.

ANteà quàm Hispaniarum Regina Ferrariam adventaret, Sanctissimus D.N. de reditu in Urbem cogitans, Anselmum Dandinum, Protonotarium Apostolicum, viarum Curatorem, seu Præfectum instituit, ut vias ob anni tempus suprà quàm cuique credibile sit, lutòsas, & abruptas; quin, ut uno verbo dicam, deterrimas, & in Romanulæ præsertim regione viatoribus penè invias, complanandas, ac purgandas, glareâque sive terrâ lapidosâ tegendas curaret.

Hac re absolutâ, vij. Kalendas Decembris, hoc est, xxv. Novembris die, S. Catharinæ consecratâ, Societas Sanctissimi Sacramenti, aliquâ ex parte immutatâ, sed auctâ Hieronymo Provenzale Neapolitano, Archiepiscopo Surrentino: Carolo de Comitibus Romano, Episcopo Anconitano: Alphonso Vicecomite Mediolanensi, Episcopo Cervienſi, nunc verò S. R. E. Cardinale: Fratre Alexandro Romano, Episcopo Forolivienſi, & F. Joanne Mariâ Bresegellenſi, Sacri Palatii Magistro: necnon Cubiculariis Papæ, Gondisalvo de Campo, Hispano; Fulvio Vicedomino, & Octavio Bojardo Regienſibus; Ludovico Comite Anguissola Placentino; & Luca Cavalcante Florentino; viæ sese commisit è Farraria, decedens, in eam Equitatus seriem & instructionem, ac pompam, quam in Tertiæ hujusce nostri Commentarii partis initio explicavimus. Die 25. Novemb. Pag. 51.

Postridiè verò Sanctissimus D. N. Societatem Sanctissimi Sacramenti itinere unius diei præeuntem sequens, discessit juxtà institutum in egressu ab urbe Roma observatum, & loco nuper laudato conscriptum: Sanctissimum verò Sacramentum Bononiam usquè delatum non fuit, propterea quòd Sanctissimus D. N. adversâ valetudine impeditus, immaculatam Hostiam Deo pro universis Christifidelibus offerre, sacratissimumque Christi Corpus in Arculam reponere non valuit, sicut in discessu ab Urbe Roma factum esse constat. Bononia tamèn magnificentissimum edidit apparatum, quem deindè conscriptum, typisque æneis representatum Victorius Benaccius Bononiæ in lucem emisit. Die 26. Novemb. Pag. 44. 45. sequ.

Die itaque Sanctæ Catarinæ dicatâ, sine Sacramento Ferrariâ discessimus, Rhenum suprà Pontem ex navigiorum connexione, tabularumque desupèr compagine constructum, transeuntes; deindè ad dextram fluminis ripam supèr aggerem progredientes venimus Centum, vel à centum piscatorum olim tuguriis, aut casis, Leandro teste; vel à Celtarum (ut ajunt) Colonia nuncupatum, Oppidum sanè honestissimum, ac frequentissimum, necnon peropulentum, agro fœcundo, frumento scilicèt, præsertìm verò Die 25. Novemb.

verò canabe, cujus mercatura valdè illìc exercetur.

Die 26. Novemb. Sequenti nos die per Oppidulum, muris tamèn cinctum, satisque honestum, quod Plebem vocant; deindè per Argiram, Castellum parvum, transeuntes, venimus Bononiàm, Civitatem antiquam, religiosissimam, & nobilissimam, necnon Apostolicæ Sedi obsequentissimam, eidemque mirandum in modum addictam, à Felsine primùm Rege Thusco conditore Felsinam, deindè à Bono successore Bononiam, vel à Gallis Boiis post Thuscos expulsos, Bojoniam, postremòque euphòniæ causâ Bononiam, ut ajunt, nuncupatam, Viris sanctitate, ac doctrinis, necnon honestissimis artibus, omnique dignitate, ac tandem supremâ hisce in terris illâ Pontificiâ insignitis ornatissimam, agro fertili, amœnoque septam, cui totius Europæ perpaucas, ut multa uno verbo complectar, Civitates comparari haudquàquam posse censeo.

Die 27. Novemb. Postridiè Sanctissimus D. N. solemni absque pompâ Bononiam ingressus est, tresque dies in hac Civitate Societas Sanctissimi Sacramenti permansit. Tertio Kalendas Decembris, hoc est xxix. Novembris die, quæ

Die 29. Novemb. fuit Dominica Adventus prima, Joannes Fontana, Episcopus Ferrariensis ex Sanctissimi D. N. Assistentibus unus, in Ecclesia S. Petronii celeberrimâ, in qua habita est Cappella, coràm Summo Pontifice annuàtim fieri solita, Missam cantavit. Orationem habuit Ordinis S. Dominici Procurator generalis, F. Paulus Mirandulanus doctrinâ excultus.

Die 30. Novemb. Ultimâ verò die, Sancto Andreæ Apostolo consecratâ, Sanctissimus D. N. eàdem in Ecclesia Sancti Petronii, qui Bononiæ patronus est, rem divinam, præsente S.R.E. Cardinalium Collegio, magnàque Populorum frequentiâ adstante, faciens, ex sacratissimis Hostiis duabus, unam de more absumpsit: alteram verò, completâ Missâ, sacerdotalibus exutus indumentis, mozzettâ deindè, ac stolâ indutus, intrà vasculum crystallinum, quod custodiam Sanctissimi Sacramenti appellant, repositam, in Capsula, sive Arculâ suis manibus maximâ cum veneratione collocavit. Claviculam denique, quâ suis itèm manibus Capsulam obseravit, Apostolici Palatii Sacristæ, cui Sanctissimi Sactamenti cura ex officio Sacristatus demandari solet, assignavit. Hac re statim peractâ, iisdem cæremoniis, quas in ipso à Basilica Sancti Petri Romæ, necnon ab Urbe recessu observatas fuisse constat, Societas Sanctissimi Sacramenti, à Magistratu Bononiensi, cæterisque Civitatis Nobilibus, omnium itèm Ordinum Religiosis, & Confratriis, cerea funalia ardentia ad tria millia deferentibus, ad Portam usquè Civitatis comitata, viæ sese commisit, admirandâ hinc indè utriusque sexus Christifidelium, necnon ex ipsis Ædium fenestris frequentiâ religiosè spectante. Quâ verò ibatur, domorum parietes tapetis, & aulæis, variis etiàm picturis, & imaginibus ornati, non sine maximâ, religiosissimæ Civitatis pompâ cernebantur.

Part. 3. Pag. 50.

Nos itaque à Porta, quæ in Æmiliam ducit viam, exeuntes, transivimus Idicem, torrentem in hieme interdùm rapidissimum, & ad Castellum Sancti Petri, frumenti, cæterarumque frugum copiâ, lino itèm, pomisque abundans, maximumque glasti, herbæ scilicèt, quâ infectores cæruleum colorem pannis inducunt, proventum habens; Imolam, Forum Cornelii à Cornelio aliquo veteribus dictam, pervenimus, Civitatem tàm disciplinarum, quàm armorum gloriâ viris illustribus insignem. Ejus Incolæ sunt nobiles, lauti, & opulenti, ingenio acri, & ad virtutem gnavo, sive ad literas, sive ad militiam, vel ad mercaturam, seù ad alia quævis studia sese applicent. Civitatis ejusdem situs est perbonus, ager optimus, ac fœcundus, magnâ frumenti copiâ, vino itèm, oleo, aliisque frugibus affluens; campestriaque perjucunda, amœnosque habens colles. Hac in Civitate cœnatum, pernoctatumque fuit.

Sequenti autèm die, quæ fuit Decembris prima, Santernum flumen transivimus, deindè per Castellum Bononiense nuncupatum, frumento, vino, glasto, aliisque frugibus abundans, transeuntes, venimus Faventiam, quam amnis Lamon, vel Anemo secat, urbem à suburbiis dividens, ponteque lapideo conjunctus, quo Civitas suburbiis, & Æmilia sibi viâ cohæret. Viris insignibus satis clara est, Maximoque Figulorum excellentium numero celeberrima, cujus ager opimus, & frumenti, ac vini fertilis est, & linis abundans. Hac in Civitate nihil immorati fuimus, properantes ad Forum Livii, à Livii salinatoris nomine appellatum, Civitatem jucundam inter Roncum, & Montonum amnes sitam, viris tàm dignitatum, quàm disciplinarum præstantiâ insignibus illustratam, cælum perbonum, ac jucundum habentem, agrumque præterea magnam frumenti vinique ubertatem, zeam quoque, quàm speltam vocant, hordeum item, oleum, rubiam lanis, & coriis rubro colore tingendis idoneam; necnon glastum, herbam etiam, quâ tinctores ad cœruleum colorem pannis inducendum utuntur; anisum intereà, fœnum græcum, cuminum, & coriandrum denique affluentèr ferentem. Hac in Civitate pernoctatum, & in Ædibus Episcopalibus cœnatum fuit, ubi ab Episcopo honestissimè fuimus excepti.

Die 1. Decēb.

Postridiè transivimus propè Forum Pompilii à Pompilio aliquo Romano ità denominatum, vel Forum Popilii, non Populi, ut vulgò corruptè proferunt, olim usu Ecclesiæ Romanæ Civitatem, atquè unum ex quatuor Foris à Plinio in Æmilia memoratis, inter campos peramœnos, ac fœcundos jacens, venimus Cæsenam, vel Cæsemnam, civitatem antiquam, à cædendo dictam, quasi amne cæsam, idest, divisam. Hanc enim Cæsis, amnis exiguus, nunc *Cæsola* vulgò

Die 2. Decēb.

Cæsena.

vulgò vocitatus, dividit. Hujus etiàm Civitatis ager Sapi, quo Cæsenæ ferme muri alluuntur, & Rubicone, quem ab eàdem Civitate milliario distare constat, fluminibus dividitur, ac secatur, copiàque rerum omnium ad usum vitæ abundat. Civitatis Incolæ nobiles sunt, ingenio, atquè opibus pollentes. Hac in Civitate Ædificiis perhonestis compluribus exornatâ, præsertim verò magnificentissimâ ad Ædes Beati Francisci Bibliothecâ, pretiosis, ac raris Codicibus refertâ, & à Malatesta Novello constructâ, pernoctavimus, totâque sequenti die immorati fuimus, dum Sanctissimus Dominus Noster Meldolæ, quod est Oppidum sâtis munitum, & lautum, rebus item ad vitam utilibus affluens, & Joannis Francisci Aldobrandini ditioni subjectum, commoraretur, ut nonnisi unius diei itinere, & quidem juxtà institutum brevissimo, Societas Sanctissimi Sacramenti à Summo Pontifice abesset.

Die 3.

Die 4. Decembris.

Quartâ autem Decembris die è Cæsenâ, quò Sanctissimus Dominus Noster vesperi venturus erat, discessimus, & Sabinianum, Oppidum nobile, ac lautum, & frumento in primis affluens, pransum venimus, transeuntes Rubiconem fluvium, seù potiùs torrentem perexiguum, satis tamèn celebrem ob Romanorum de armis inibi deponendis decretum: lege enim prohibitum fuerat, ut nè quispiam armatus cum Exercitu torrentem illum, Cisalpinæ Galliæ, & Italiæ arva disterminare solitum, injussu S. P. Q. R. in Italiam proficiscens, transgrederetur, sicut Inscriptio ad Rubiconis transitum marmore incisa, & jamdiù à Cæsenatibus instaurata, quæ etiamnùm legitur, rem ità esse aperte docet. Hæc de Rubicone. Nos deinde sumpto prandio per Castrum Sancti Archangeli Ariminum, Mareciam fluvium subter Pontem lapideum labentem, & juxtà muros Arimini in Adriam defluentem transeuntes pervenimus, ibique pernoctavimus. Pons hic ex quatuor Pontibus est ab Octavio (ut ajunt) Augusto, sumptu miro, & artificio in Flaminiâ Viâ constructis unus, Flaminiamque Æmiliæ, simùlque suburbia Civitati jungens. De hac Civitate nihil est, quòd hoc loco dicamus, cùm de eâ alio in itinere, ab Urbe scilicèt Româ Ferrariam usquè, satis dictum sit. Idem aliis de locis, per quæ hoc in itinere transivimus; faciemus, sola locorum nomina exprimentes.

Rubicon, torrens celeberr.

Die 5. Decembris.

Posterà die Arimino discessimus, & Concam, fluvium rapacissimum, Crustumium à Plinio dictum, super Pontem ligneum transivimus, Catholicam versùs, ubi pransi sumus; deindè pernoctatum Pisaurum venimus, ubi ab Urbini Duce in ejus Palatio excepti fuimus, & quidem splendidissimè.

Die 6. Decembris.

Die sequenti pransum, cœnatumque venimus Fanum, Argillam fluvium, qui Civitatem ferè alluit, transeuntes.

Die 7. Decembris.

Postridiè pransi, è Fano discessimus, Metaurum, & Cesanum super ligneum miræ longitudinis Pontem transeuntes, cœnatum, pernoctatumque Senogalliam profecti fuimus.

Posterâ die per Casam Crematam, & Flumesinum super Pontem ligneum ad maris littus transeuntes, Anconam pervenimus, itinere sanè asperrimo, & suprà quàm credi potest, molesto: perpetuus nàmque imber minutissimâ quadam glacie permistus, vento flante, cujusque cædebat faciem. Anconæ pernoctavimus, & in Episcopio cœnavimus à Carolo de Comitibus Romano, Anconæ Antistite, splendidissimè, mira scilicet rerum omnium lautitiâ, & copiâ excepti. Omnes interèà Prælati eodem in Episcopio pernoctarunt.

Die 8. Decembris.

Sequenti die Lauretanam Domum per Camuranum viâ deterrimâ, Musonem fluvium propè Lauretum Civitatem super Pontem transeuntes, pransi devenimus.

Die 9. Decembris.

Sequenti die Prælati omnes, multique alii ex Sacerdotibus Hostiam immaculatam Deo in ipsa Sacratissima Domo religiosissimè obtulerunt, atquè inibi Apostolici Palatii Sacrista Missam solemni Ritu decantavit: E cujus manu multi Presbyteratus ordine haud insigniti, præsertim verò nonnulli ex primariis Societatis viri, Sanctissimam Communionem sumpserunt: cæteri ex eàdem Societate homines augustissimo, & Sacratissimo Cibo à Lauretanæ Domus Parocho refecti fuere.

Die 10. Decembris.

Hac ipsâ die Anno salutis MCCXCIV. Sanctissima Domus è Dalmatia in Agrum Recinetensem, in quo præsens in tempus jacet, ab Angelis fuit asportata, cùm priùs è Nazareth Anno à virgineo partu MCCXCI. eodem Angelorum ministerio ipsam Domum in Dalmatiam usquè translatam fuisse constet. Quarè in Ecclesia Lauretana, hac ipsâ itèm die illius Translationis annua coluntur sacra: quibus peractis, pransum fuit; deinde statìm discessimus, ac Recinetum pervenimus, Sanctissimo Domino Nostro ex Ancona ad eandem Sacratissimam Domum adventante.

MCCXCIV.

MCCXCI.

Hac in Civitate, ubi hoc ipso anni tempore insignes celebrabantur nundinæ, sequenti etiam die immorati sumus, dum Sanctissimus D. Noster intrà Sacrosanctam Domum rebus sacris, necnon Religioni, & Christianæ pietati operam daret, Illustrissimosque, ac Reverendissimos S. R. E. Cardinales, Aldobrandinum scilicèt Nepotem suum, & Cesium ordine Presbyteratus insigniret, Beatissimæque Mariæ semper Virgini donaria offerret.

Die 11. Decembris.

Posterâ die à Recineto discessimus, Potentiam flumen super Pontem ligneum transeuntes, & pransum Maceratam ivimus; deindè cœnatum, pernoctatumque Tolentinum devenimus. Hoc in loco Asturcone, quem Achineam vocant, ob vias abruptas, & suprà quàm narrari potest, lutosas, ex pedibus laborante, Arcula Sanctissimi Sacramenti cum Umbella parva (quam Baldacchinum vulgò appellant) lecticæ instar, à duabus Mulis albis pulcherrimè phaleratis vehi cœpta, Romam usquè hunc in modum delata fuit: duabus nàmque phalangis, teretibus scilicèt fustibus, & quidem longis, atquè crassis, holoserico panno rubeo decenter ornatis,

Die 12. Decembris.

Arcula Sanctissimi Sacramenti Lecticæ instar delata.

Arcu-

Arculæ subjectis, & supèr Mulas impositis, Capsula ipsa intèr utrasque phalangas supèr planitiem lecticæ, ad hoc solum ministerium ex holoserico panno confectam firmata, & ferramentis quibusdam auratis connexa, tutissimè asportabatur. Quæ profectò res magnam retinebat venerationem, ac majestatem.

Die 13. Decembris. Sequenti die, Tolentino discessimus, Belfortio, & Valcimarâ transeuntes, indèque à Chiento flumine Pulverinam pransum ivimus. Ex hoc loco Amuciâ transeuntes, Serravallem cœnatum, pernoctatumque devenimus.

Die 14. Decembris. Postridiè, Sacris juxtà institutum quotidianâ consuetudine firmatum, peractis, sumptoque deindè prandio, per Collem floridum, perque Villas aliquot propè chartarum officinas transeuntes, Fulgineum devenimus, ubi ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Cardinale Sabello Perusiæ Legato excepti fuimus, & quidem splendidissimè.

Die 15. Decembris. Sequenti die pransi, per Sanctum Jacobum, Villam; necnon per Trebulam (*Trevi* vulgò vocitatam) transeuntes, Spoletum profecti fuimus.

Die 16. Decembris Feria iv. quatuor temporum. Postridiè à Spoleto per Vallem Stretturæ vulgò dictam transeuntes, Interamnam ivimus pransum ad Ædes Episcopales, ubi magnificentissimè fuimus excepti: Indè sumpto prandio, discessimus, Narem fluvium propè Collem Scipionis, *Coldiscepolo* corruptè dictum, transeuntes, Narniam advenimus, ubi incœnati pernoctavimus, quià erat ex quatuor anni temporibus unum, in quo ex Ecclesiæ præcepto jejunatur.

Die 17. Decembris Feria v. Posterâ die ex Narniâ Otriculum, sive Ocriculum, accessimus pransum: Pransi deindè Tiberim suprà Pontem ex navigiorum connexione, tabularumque desupèr compagine constructum, transeuntes, Burghetum ivimus, indèque ad Civitatem Castellanam cœnatum, pernoctatumque profecti fuimus.

Die 18. Decembris Feria vi. quatuor temp. Die sequenti à Civitate Castellanâ per Arinianum, vel Arianum Oppidum (quod *Avignanum* dicunt) à propinquâ olìm Jani arâ vocitatum, non procul à Monte Soracte transeuntes, pernoctatum ad Castrum Novum pervenimus, ubi eandem ob causàm paulò superiùs enarratam prandium sine cœnâ sumpsimus.

Die 19. Decemb. Sabb. quat. temp. Vigilia Sancti Th. Apost. Postridiè à Castro Novo, itinere non parùm molesto, & proptèr imbrem, ac viam luto sanè, multisque in locis abruptam, ad Primam Portam pransum devenimus, mirum in modum madefacti. Sumpto deindè prandio, haud cœnaturi ob Vigiliam S. Thomæ Apostoli, necnon ob causàm nupèr assignatam, à Prima Porta discessimus, omnium laborum, & incommodorum ob Romæ sanctæ vicinitatem obliti. Ex hoc loco Romam usquè, multa olìm ædificia hinc indè cernebantur, quendamque Romæ vicum, sive suburbium quoddam efficiebant, sicut stratæ viæ Flaminiæ pars, ædificiorumque vestigia, & ruinæ, quæ adhùc supersunt, apertè demonstrant. Hinc Porta ipsa Romam proficiscenti occurrens, Prima nuncupari pridem cœpit, & ad hanc usquè diem, eandem ob rem ità vocitatur. Dum ad Pontem Milvium, quo primus in Romæ suburbia datur ingressus, adventaremus, eccum universum ferè Populum Romanum, ac Senatum cum Clero venerabundum, ac lætabundum Societati Sanctissimi Sacramenti obviam venientem, necnon ad Portam usquè Flaminiam, nunc Populi vulgò vocitatam, Sanctissimum Sacramentum comitantem. Prima porta cur sic dicta. Pons Milvius.

Ventum tandèm aliquandò fuit, universâ Urbe mirum in modum exultante, tormentisque bellicis in lætitiæ, ac venerationis Sanctissimi Sacramenti signum displosis, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ vulgò Populi vocitatam: ubi supèr Altare præcipuum, quod majus passìm vocant, Capsula Sanctissimi Sacramenti honorificentissimè collocata fuit. Erudito deindè, ac suavi concentu à Cappellæ Pontificiæ Cantoribus peracto, perque sacram precationem à primario Ecclesiæ Viro decantatam concluso, Indulgentiæ non solùm pro adstantibus, verùm etiàm pro iis omnibus, qui Sanctissimum Sacramentum comitati fuerunt, extrà Ecclesiam præ admirandâ, & incredibili sanè frequentiâ ad Aream præstolante, promulgatæ fuerant. His peractis, Apostolici Palatii Sacrista, Ecclesiasticos Viros in custodiam Sanctissimi Sacramenti singulâ quaque nocte observari jam solitam, nocturnas vigilias alternatìm acturos, cereis, ac lampadibus perpetuò ardentibus illìc adhibitis, destinavit.

Die 20. Decembris. Posterâ die peculiari nomine, atquè cultu Domino Deo consecrata; pridiè tamen diei, qui Sancto Thomæ Apostolo est dicatus, cum universâ Societate suis ordinibus distinctâ, ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Populi nuncupatâ discessimus, ac per viam amplissimam, & longissimam, quam Cursum vocant, necnon per alia loca Urbis primaria, & nobiliora, hoc est, ad Sanctum Marcum; Indè ad Cæsarinos per viam Vallis, & Parionis, quæ Papæ olìm dicebatur, ac per Montem Jordanum, ac viam Argentariam, Pontemque Ælium, quem Sancti Angeli nunc appellant, per Burgum deniquè novum ad Aream Sancti Petri, Confratriis omnibus, Cleroque tàm Sæculari, quàm Claustrali, necnon Senatu, Populoque Romano concomitantibus, innumeris ferè intereà funalibus cereis ardentibus, atquè, ut uno multa complectar verbo, sacrâ cum pompâ, & maximè quidèm solemni supèr sumptuosissimæ Lecticæ planum, eum in modum, quem nupèr explicavimus, continuâ ferè pluviâ tantæ Urbis lætitiæ, ac celebritati adversante, ad Basilicam Sancti Petri Sanctissimum Sacramentum delatum fuit. Pag. 71. & seq.

Viarum apparatus. Parietes viarum omnium, per quas cum Sanctissimo Sacramento, longissimo sanè tractu, ad duo scilicèt milliaria itum est, tapetis, & aulæis, holosericisque variorum colorum pannis, atquè picturis ornati passìm cernebantur. Ad miram universæ Urbis lætitiam

titiam, & venerationem ergà Sanctiſſimum Sacramentum declarandam, tàm in Adriani mole, nunc Arce Sancti Angeli appellata, quàm etiam in Sancti Petri Areâ, & majora, & minora tormenta bellica loco, ac tempore, & maximo quidèm numero, diſploſa fuere; ità verò, ut terribili boatu cælum crepitare, terra quati, ac tecta deniquè nutare viderentur.

Ad Baſilicæ tandèm Sancti Petri ſcalas, ubi Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini S. R. E. Cardinales præſtolabantur, perventum eſt. Indè Arculâ Sanctiſſimi Sacramenti è lecticæ plano depoſitâ, ab octo Sancti Petri Canonicis ſupèr humeros ad Altare primarium Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo erectum, delata fuit, atquè inibì decentiſſimè collocata. Poſtquàm verò Cappellæ Pontificiæ Cantores Litanias Sanctiſſimi Corporis Chriſti dulci, & eruditâ diverſarum vocum modulatione, alternantibus choris, finem decantandi fecerunt, Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Hieronymus Cardinalis Ruſticucius, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Vicarius, Eccleſiaſticam precationem ad Sacroſancti Corporis Chriſti myſterium pertinentèm, decantavit: Deindè Indulgentias pro iis, qui Sanctiſſimum Sacramentum comitati fuerant, Magiſter cæremoniarum promulgavit.

Cappellæ Pontificiæ Cantores.

Indulgentiæ promulgatæ.

Ut autèm gaudium univerſę Urbis benè, cumulatèque perfectum foret, Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens VIII. mirum in modum ab omnibus expectatus, ac deſideratus, veſpertino tempore adventante, horâ ſcilicèt xxii. ipſomet Dominico die Romam ingreſſus eſt, Sacro purpuratorum Patrum Collegio, necnon variis Antiſtitum, & Prælatorum, Illuſtriumque Virorum ordinibus, ac deniquè Senatu, Populoque Romano comitatus, Helvetiis itèm macherophoris hinc indè ſtipatus: Equitibus autèm haſtatis, & galeatis, quos celeres, aut levis armaturæ vocant, atquè itèm Cataphractis, quos armorum homines vulgò appellant, præeuntibus.

Equitatus, & Comitatus.

Hoc equitatus, & comitatus ordine Sanctiſſimus Dominus Noſter ad Baſilicam Sancti Petri profectus eſt, Populis per ſingulas regiones, immò per certa earundem regionum intervalla acclamantibus, inexplicabilemque lætitiam indicantibus, tormentis bellicis loco, ac tempore diſplofis, ut immenſo illo ſonitu, ac boatu, immenſam univerſæ Urbis lætitiam cælum undiquè, ac terra reſonarent, ac reboarent. Ventum eſt tandèm aliquandò ad maximam Baſilicæ Aram, Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo conſecratam, ubi Sacratiſſimum, & Auguſtiſſimum Chriſti Corpus pro Viatico in itinere aſportatam Sanctiſſimus Dominus Noſter religioſiſſimè adoravit, eidemque tùm publicam, tùm privatam obtulit orationem, univerſo comitatu de Summi Pontificis incolumitate, ejuſdemque in Urbem reditu, gratias agente. Deindè Summus Pontifex ſolemnem Benedictionem, & Indulgentiam juxtà formam Eccleſię Sanctæ conſuetam univerſis illìc adſtantibus (quorum frequentia tanta erat, quantam locus, & quidem ampliſſimus, capere poterat) clementèr elargitus eſt: quam unus ex Baſilicæ Sancti Petri Canonicis promulgavit.

His peractis, Sacroque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegio dimiſſo, Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens in ſellâ geſtatoriâ vectus, ſuiſque Cubiculariis, cæteriſque Illuſtribus Viris comitatus, in Aulam Vaticanam ſeſe recepit, totâ Urbe ſuprà, quàm dici poteſt exhilaratà.

GRATIARUM ACTIO.

CHRISTO gratiâ Salvatori, Deo, & Homini, Æterni Patris Filio, intrà Beatæ Mariæ ſemper Virginis uterum Spiritus Sancti obumbratione concepto, & incarnato, qui Clementem VIII. ſuum in terris Vicarium, ſalvum, & incolumem longo in itinere duxit, ac reduxit: mihique quamvis peccatori, & indigno famulo, de ſuo ipſius Auguſtiſſimo Corpore ſub ſpecie Panis ſacramentalitèr, ac mirabilitèr occultato, ſuiſque Fidelibus in ſpiritualem, & quotidianum cibum, necnon in Viaticum tradito, conſcribenti, divinam ſuam opem tulit; meqùe ad meæ functionis exitum (quod ad immaculatam Hoſtiam in itinere pro Viatico geſtatam pertinet) atquè ad mei Commentarii hac de re conſcripti finem tandèm aliquandò perduxit. Amen.

AN

SUMMO PONTIFICI

SACRUM FACIENTI

Conveniat uti Sacris Vestibus colore viridi affectis.

ARGUMENTA QUINQUE.

I. PRO parte negativâ hæc afferuntur argumenta : Nulla extat memoria, quòd Papa solemnitèr præsertim Sacrum faciens usus fuerit Sacris vestibus colore viridi affectis, ergò hujusmodi vestes illi non conveniunt.

II. In Cæremoniali Romano nulla penitùs mentio fit paramentorum viridis coloris, nedùm pro Summo Pontifice, sed nec pro ullo alio in Pontificio Sacello celebrante, ergò nullus est illorum usus in Cappella.

III. Virìdis color communi omnium sententiâ significat spem ; At Papæ nihìl restat in terra sperandum, cùm illam assequutus fuerit dignitatem, quæ in mundo nedùm majorem, sed nec parem habet. Ergò &c.

IV. Ampliùs, Papa illius vices gerit, de quo Sponsa ejus canit : *Dilectus meus candidus, & rubicundus* ; Ergò candida tantùm, & rubentia paramenta Papæ conveniunt. Cant. cap. 5.

V. Postremò Papa quemàdmodùm in cæteris ità in paramentorum coloribus debet esse singularis; convenit ergò, ut pro viridi colore, quo passìm utuntur inferiores Sacerdotes, induet candidum, reliquis coloribus digniorem, ut qui lucis plùs est particeps.

Pro parte affirmativâ, quæ mihi probabilior videtur : hæc faciunt : In Missàli Romano, à quo Pontifex in Sacro faciendo nunquàm recedere solet, regulis ità decernitur : *Viridi colore utitur in officio de tempore ab Octavâ Epiphaniæ usquè ad Septuagesimam, & ab Octavâ Pentecostes usquè ad Adventum exclusivè, exceptâ Dominicâ Trinitatis, & exceptis Dominicis infrà Octavas occurrentibus, in quibus color Octavarum servatur, exceptis etiàm Vigiliis, & quatuor Temporibus.* Propter quam causam dictæ Dominicæ appellantur, *Dominicæ virides*. Innocentius præterea in lib. 3. cap. 9. Myster. Missæ, & qui in cunctis eum imitatus est Guillelmus Durandus Rationalis sui lib. 3. cap. 18. colorem viridem inter principales colores, quibus Ecclesia Romana utitur, reponunt, & cùm ab hujusmodi lege nullus omninò Sacerdos, nec Episcopus excipiatur, nec ulla appareat ratio exceptionis, & in Officiis divinis ritè persolvendis semper servanda sit rubrica generalis, ubi non obviat specialis, nullâ ratione explodendus est color viridis à Summi Pontificis paramentis.

Præterea Papa cæteros omnes colores in dicta rubrica nominatos in suis paramentis admittit, hoc est præter album, & rubrum, qui non vertuntur in dubium, violaceum, & nigrum, ut patet ex Cæremoniali Romano in feria vj. Parasceves, & in Sabbato Sancto; videtur ergò admittendus, & color viridis, violaceo, & nigro longè clarior, & vilui humano gratior, & delectabilior.

Ampliùs, Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ, æquè, ac quicunque inferiores, ac simplices Sacerdotes, induunt coloris viridis paramenta, non aliâ ducti ratione, nisi quià ità decreverunt Rubricarum Missalis Apostolicâ auctoritate firmatarum conditores, priscorum Patrum auctoritatem sequuti. Quam igitur ob causam non convenit Pontifici dictum colorem recipere ? quem, ut est legum omnium piarum fons, & origo, maximè decet earum servandarum Magistrum, & exemplar se præstare, & eò magis, quo verisimilitèr timendum sit, quòd aliqui cernentes, vel audientes Summum Pontificem coloris viridis paramentis non uti, & ipsi, hujus exemplo commoti eundem colorem à suis itidèm sacris indumentis reiiciant.

Accedit, quòd si propter aliqua mystica, seù aliàs rationi consentaneam causam color viridis à Summi Pontificis indumentis sacris meritò reiiciendus videretur, ob eandem causam ab omnibus, & singulis paramentis, quibus Sacrum facturus vestitur, esset explodendus, quod haudquàquàm servatur. Nàm Smaragdi, & Jaspides pretiosæ gemmæ, quæ in colore viridi quæcumque alia eo colore affecta longissimè superant, in nobilioribus paramentis Papæ æquè, ac aliæ pretiosissimæ gemmæ locum obtinent, utpotè in Cruce pectorali, in Annulis, in Mitris, in Tiarâ, in Regno ; immò, & una ex tribus spinulis, quę Sacrum facientis Pontificis pallio de more affiguntur, pretioso lapide viridi exornatam esse oportet.

Postremò ejusdem coloris paramentis induendus est Summus Pontifex Missam plenam, & sine cantu celebrans in Dominicis, quas appellant *virides*, quibus vestiendus esset, si in cantu, & solemni apparatu eisdem diebus Sacrum faceret; nulla enim est ratio diversitatis, immò si aliquandò receditur à ritibus in Missali præscriptis, magìs in solemnitèr, quàm in privatìm celebratis Missis id contingit. Nullum enim extat decretum Rubricis Missalis obvians in Missis per Pontificem in Cappellâ privatâ, seù secretâ celebrandis; qualia habentur in iis, quæ in Cappellâ majori, solemni apparatu celebrari consueverunt: quorum unum illud est exactissimè servatum, de non faciendis commemorationibus Dominicarum, seu Sanctorum diebus, in quibus, ut dicunt, fit Cappella, putà quòd in Missa, sicut nec in Vesperis Sanctissimæ Trinitatis nulla fiat commemoratio Dominicæ, & multò minùs Sancti, cujus festum in dicta Sanctissimæ Trinitatis Festivitate occurreret, quam tamèn ipse Pontifex privatim Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerens, haudquàquàm prætermitteret. Omitto, quòd primis quatuor Quadragesimæ Dominicis contrà dicti Missalis regulas binæ prætèr tres cantantur orationes, videlicèt contrà Paganos, & pro Papa; At in Missis solemnitèr, sivè per ipsum Pontificem, sivè per alium Sacro Purpuratorum Patrum Senatu præsente in memoratis Dominicis celebrari solitis, viridis tantùmmodò coloris paramenta semper in usu fuerunt; & de hoc quidèm fidem faciunt Brocardi Cæremoniarum Magistri Diaria, in quibus refertur, sedente Sixto IIII. Dominica II. post Epiphaniam, de more Sacro Cardinalium Cœtu præsente, Episcopum Clunigen. celebrasse sacris vestibus viridis coloris vestitum. De ipso verò Pontifice, & de sibi ministrantibus Cardinalibus apertissima est in antiquo manuscripto Cæremoniali Regula, sub rubrica, De Coronatione Papæ extrà Urbem in hæc verba. *Induitur omnibus ornamentis viridibus pretiòsis, & solemnibus, quià dies Dominica hoc requirit, quibus Romanus Pontifex uti solet in Missarum solemniis.* Mox de Cardinali Episcopo illi ministrante subiicitur: *Cùm autèm Episcopus Cardinalis ad locum suum reversus fuerit, ut dictum est, induitur Superpellicco, Amictu, & Pluviali viridi cum Mitrâ simplici.* Et inferiùs sub rubrica, De iis, quæ fiunt post Missam, & de paramentis Papæ, Cardinalium, & aliorum Prælatorum habetur: *Omnibus, ut præmissum est, ritè peractis, ipse Papa, & omnes Cardinales, & alii Prælati, & Subdiaconi, Judices, & Scrinarii, quilibet gradu suo dispositis viridibus paramentis &c.*

Nulla igitùr dubitatio reliqua esse potest, an Summo Pontifici Sacra facienti viridis coloris indumenta conveniant.

RESPONSIONES,

Ad singula Argumenta.

AD I. Nec obstant argumenta pro altera parte allata. Non quidèm primum, nàm refellitur respondendo; ideò non extare memoriam de facto, propterea quòd nèc etiam Pontificem illis Dominicis, vel eo tempore alicubi scriptum reperitur, Missam celebrasse, quo cærimoniæ mandant paramentorum viridum usum. Des igitur mihi quòd celebraverit, & ostendam tibi, quod non aliis, quàm virentis coloris vestibus usus fuerit, cùm ità fieri decreverint Rituum Sacrorum Auctores; & quòd hujusmodi lex de Paramentis viridibus in Capella servata fuerit, demonstrat suprà relatum exemplum Episcopi *Clunigensis*, Dominica 2. post Epiphaniam in dicti coloris vestibus celebrantis. Quòd si instes, de Missis planè, & privatìm per Summum Pontificem nullam talem penitùs inveniri factam mentionem. Respondetur hoc non esse mirum, & frustrà requiri. Quòniam, qui nostram ætatem præcesserunt, quemàdmodùm, nèc qui modò vivunt cæremoniarum Magistri, quorum est Sacras Papæ functiones scriptis mandare, de Missis planè, & sinè cantu celebratis aliquid adnotandi curam sibi sumpserunt.

Cum igitùr manifestum appareat, ob eam, & solam causam Pontificem à multis retròactis annis citrà in Missis solemnibus paramentis virentibus usum non fuisse, quia in Dominicis, quas *virides* appellatas dicimus, ipsum solemni apparatu, ut olim, celebrare, in desvetudinem iverit. Reliquum esset declarare, ob quam causam in Missis privàtim à Pontifice dictis, in coloris viridis locum albus, quo adhùc in præsentiarum SS. D. N. Sacrorum Canonum observantissimus utitur, irrepserit. Hujus mutationis originem, ut quod sentio, liberè fatear, casum potiùs, vel necessitatem, quàm maturam aliquam, & ratione factam deliberationem, causam fuisse facilè mihi persuadeo. Nempè quòd Summo Pontifici ex improviso, una dierum, ut ità loquar, *viridium* post multos annos, quibus Pontifices in illis celebrare desierant, se celebrare velle declaranti à Ministris candida pro virentibus præparata, oblataque fuerint paramenta, non sanè quòd illa illius diei officio convenire opinati fuerint, sed quia viridia ob dissuetudinem jam dictam, ampliùs in promptu non haberent, quemàdmodùm, nec modò in Sacrario Pontificio nigri coloris Pontificis propria extant, quià nequè in Parasceve, nec pro defunctis in Capella majori, nostrâ tempestate, quod tamèn olìm in more erat celebrare nunc soleant. Et quid simile ab ipso Pii V. Pontificatus initio evenisse haud difficilè crediderim, qui aliquot priores dicti sui Pontificatus annos, Sacrificium Missæ Domino quotidiè offerebat, quod non ità facilè eorum, qui ipsum præcesserunt, aliqui tùm ob malam corporis valetudinem,

tùm

tùm ob ingraveſcentem ætatem minimè præſtare potuerunt, & quoniàm etiàm in perperàm factis, aliquandò plus valet exemplum, quam ratio, hinc forte evenit, ut quod ad aliquem defectum ſupplendum quodàmmodò coacti veteres fecerunt Papæ miniſtri, ità receptum, ac deinceps religiosè ſervatum fuerit, ut de illo ad veterem, & legitimam formam reſtituendo ferè nullus tractare audeat. Cum tamen S. M. Gregorius XIII. ad ſervandas Miſſalis regulas Capellanis tàm in ſecreto, quàm in majori ſacello quotidie celebrantibus pro albis, quibus, & ipſi in temporibus viridibus utebantur, virentia reſtituerit paramenta, idipſum procul dubio, & pro ſe facturus, ſi diutiùs poſteà vixiſſet. Sed ut ad propoſitum noſtrum revertamur, in ſummâ ea ſit primi Argumenti ſolutio. Ideò non extare memoriam uſus paramentorum viridium in Miſſis ſolemnibus, quià nec quòd Pontifex in dictis Dominicis ſolemniter à tempore, à quo ejuſmodi memoria deſideratur, celebraverit, nihil ſcriptum reperitur: De Miſſis verò non ſolemnibus, nihil haberi in ſcriptis, quià de his non fuit, nec eſt conſuetudo aliquid adnotare.

Ad II. Conſimili ferè ſolutione ſecundæ quoque argumentationi ſatisfacimus, nempè quòd ſi de Miſſis non cantatis agitur, non eſt mirum, quod in libro Cœremoniali nullum penitùs verbum de colore viridi in eis utendo verbum fiat, cum ejuſmodi libri ſolummodò Miſſarum, & Officiorum, quo ſolemni ritu in Capella majori perſolvuntur, cœremonias, & regulas contineant. De iis verò, quæ ſolemni apparatu de more celebrantur, fatemur in recentiori, & quod nunc habemus præ manibus typis tradito, rituum in Capella Pontificia ſervandorum volumine, de virenti colore nullam fieri mentionem. Cujus rei cauſa eſt, quia nec ullum in eo eſt verbum de die aliquo, aut officio, quod ejuſmodi colorem expoſcat, nàm compilationis ejus tempore ab Innocentii videlicèt VIII. Pontificatu citrà, haud ampliùs in uſu erat, ut Dominica 2. poſt Epiphaniam Miſſa cum apparatu ſolemni celebraretur, ideò de hujuſmodi colore, quo Pontifex, ſeù quilibet alter celebrans, ac Miniſtri parandi eſſent, verbum facere ſupervacaneum fuiſſet. Quemàdmodùm è contra, qui paulò ſupèr memorati Pontificis ætatem præceſſerunt, Cœremoniarum ſcriptores, frequentem coloris viridis mentionem faciunt, propterea quòd ſuprà ſæpè repetita Dominica die ſolemnis Miſſa, Papa, & Cardinalibus præſentibus celebrabatur, & in ea, ſicut & in Adventus, & Quadrageſimæ diebus Dominicis, ſermo habebatur. Conſtat hoc ex ſupraſcripto memorato Cœremoniali Manuſcripto, in quo ſub rubrica: in quibus diebus coràm Papa fiat ſermo, ſcriptum legitur: *In prima Dominica poſt octavam Epiphaniæ, quæ dicitur Dominica de Nuptiis, cum eſt (Papa S.) Romæ, & prædicatur antè Miſſam.*

Ad III. Tertium quoquè Argumentum in eo fundatum, quod virens color ſit ſpei ſymbolum, & quod Papæ nihil reſtat ſperandum, facilè ſolvitur, nempè in multorum ità ſentientium gratiam primam propoſitionem admittendo, ſecundam verò penitùs negando; Nàm cum, ut ſummatìm dicam, ſpes duæ ſint ſpecies, prima quidem de ſurſum deſcendens, triumque Theologicarum virtutum, de quibus beatiſſimus dicebat Apoſtolus: *Nunc autèm manent fides, ſpes, & charitas*, vna; altera naturæ hominum inſita, quatuor naturalibus affectibus, ſeù paſſionibus, quas Poeta hoc verſu complexus eſt.

Hinc homines metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque.

annumerata, pro quibus ſuperandis perpetuò bellandum eſſe hoc alio carmine apertiſſimè admonuit Boetius

Gaudia pelle, timorem, ſpemque fugato, nec dolor adſit

quâ ſanè (ſi quis Pontificem carere dixerit,) cum hominem eſſe propèmodùm negaverit, & eundem alterâ ſpoliare idem erit, ac veri Chriſtiani nomine indignum eum affirmare. Verùm de hac non eſt diſputatio, nàm licèt Pontifex ejus vices in Terris gerit, cui ob id, quòd ab ipſo primo ſuæ conceptionis inſtanti ſempèr fuerit comprehenſor, ejuſmodi ſpes uſui non fuit, Pontifici tamen tamquàm puro Viatori, non minùs, ac cæteris Chriſtifidelibus ſpem neceſſariam eſſe, haudquàquam dubitandum eſt; nec obſtat, quòd ſtatim à ſua Aſſumptione Sanctiſſimus, ac Beatiſſimus appelletur. Beati verò jàm videant, ac poſſideant, quod ſperabant: Id enim de comprehenſoribus, & qui jàm in re beati ſunt, verè dicitur, non autem de Viatoribus, quos ſpe tales eſſe confitemur, de quorum numero ipſum quoquè Summum Pontificem exiſtere minimè dubium eſt, cui ſpem eò magis neceſſariam eſſe intelligimus, quo cum virtutibus tàm longe ſuperare convenit alios, quo differentius præ illis nomen habet.

Ad alteram igitur ſpei ſignificationem propoſitam redeuntes, hoc eſt, quam humanam diximus, de qua diſputationem eſſe indicat adducta probatio, reſpondetur argumento ſupèr ea fundato ità: Quòd licèt Papæ haud neceſſaria ſit ſpes pro dignitate in Dei Eccleſia adipiſcenda, ſunt tamen innumera, & prope infinita ſibi ſperanda, deſideranda, & procuranda bona, ſine quibus ſibi à Deo datam poteſtatem ipſas res terrenas nec rectè, nec felicitèr adminiſtrare valebit. Nàm quomodò ad fortia, ardua, & difficilia manum apponet, niſi ſpe illa conſequendi excitatus, & animatus! Ait enim B. Apoſtolus: *Debet in ſpe qui arat, arare, & qui triturat ſpe collegendi fructus.* Et ne in re manifeſtiſſima declaranda, fruſtrà laboremus, adeò neceſſarium animantibus exiſtimarunt ſapientes ſpei fulcimentum, ut illius quandam imaginem ipſis quoquè brutis animalibus pro ſua ipſorum vità ineſſe docuerint, tandiù enim canis perſequitur leporem, & accipiter Avem, quamdiù cernunt vicinam prædam, quam factam diſtantem ceſſant inſequi, de illa capienda deſperantes. Accedit quòd cujuſvis

generis homines non Christiani in mundi hujus bonorum spe fideles quoque ipsos superant, cum tamen spem Theologicam, quia fide carent, minimè habeant. Confirmatur deniquè hæc veritas ipsius Dominici Salvatoris nostri exemplo, cui, quatenus comprehensori spe infusa minimè opus fuit, licet quatenus Viatori impassibilitatem, immortalitatem corporis speraret.

Facit quoquè non parum ad idem argumentum refellendum, quod non solùm à recentioribus scriptoribus, verùm etiam à Patribus accepimus viridi colore varia, ac diversa significari Papæ convenientissima: nam B. Hieronymus in Isaiæ cap. 4. per Jaspidem coloris viridis lapidem pretiosum, interpretatur virum Sanctarum Scripturarum testimoniis roboratum, in disputando fortissimum.

P. Augustinus in de Genesi contrà Manichæos lib. 2. cap. 4. exponens verba illa, *viride agri*, pro eo, quod nos in vulgatâ legimus *virgulatum agri*, dicit per viride intelligendum esse invisibilem creaturam, hoc est animam, & per agrum corpus. Cui sententiæ astipulari videtur S. Gregorius, qui novem lapides pretiosos enumeratos ab Ezechiele Cap., inter quos recensetur, & Smaragdus dicit significare novem choros Angelorum. S. Ambrosius item in Apocal. scriptum reliquit, per Smaragdum Dei misericordiam, per Jaspidem fideles sæculares incipientes, per Smaragdum Prædicatores, & Perfectos, per Jaspidem significari Christi Divinitatem.

Joannes Prierius Valerianus lib. 12. Hieroglyphicorum, de Gemmis cap. Smaragdus, affert quòd Smaragdus signum sit virginitatis, eoquòd portatus à rem veneream exercente spontè frangitur. Petrus verò Berchorius in suo reductorio morali cap. 118. dicit per virentem colorem significari honestatem, propterea quod honestas non minùs delectat oculos mentis, quàm viror oculos corporis, & per Smaragdum in colore viridi omnia superantem, repræsentari perfectum virum, item quod significat gratiam Spiritus Sancti, & ipsam quoquè Beatiss. Virginem Dei Genitricem. Et cap. 83. sentit, quod Jaspis, quià non est tam perspicui coloris, vt Smaragdus, sit fidei, vel etiam pœnitentiæ Symbolum, sed ne longiùs digrediamur, hæc in eum finem sint relata, ut quisque intelligat, quemàdmodum propter tot, & alia per virentem colorem insignium Auctorum testimonio significata, ejusmodi color non est rejiciendus à Papa, ità proptèr spem per illum, ut vulgò fertur, significatam eidem dictum colorem minimè disconvenire. Accedit quòd etiam ob eandem causam, & albus esset ab eo explodendus, cum Bartholomæo Cassaneo Teste, Argentum, quod inter alba, & quidèm meritò reponit, & Joan. Prierio superiùs memorato auctore, flores, & in primis lilium intèr omnes flores candidissimum, signa sint spei. Ampliùs coloris viridis substantia eadem fuit olim, quæ nunc, nec plus, vel minùs significativa modò, quàm olim, quare igitur tunc Summus Pontifex eo induebatur, nunc verò ab eo rejicitur. Sed jam quartæ argumentationi satisfaciamus.

Ad IV. Quartum quoquè Argumentum nullam facit difficultatem, tùm quia in solo allegorico sensu fabricatum est, tùm etiam quia eàdem ratione rejiciendi essent à paramentis Pontificis niger, & violaceus color, quorum utrumque Cœremonialis liber, ut paulò suprà diximus, in usu Papæ admittit, & de violaceo usus ipse frequentissimus demonstrat; eo enim in Missis planè dictis Papa utitur, non minus, quàm cœteri Sacerdotes, juxtà Romani Missalis Rubricam: Verùm quià cum Rituum sacrorum ratio quæritur, vix aliam, quam mysticam, & allegoricam afferri posse causam responderem; quod argumentum aptissimè concludit de Pontificis Vestibus familiaribus, & domesticis, & extrà divina officia adhibitis, licèt, & in illis in Capella nempè, maiori, ut plurimum solis rubris, & albis induatur. Nam Pontificis, sivè domi se continentis, sivè in publicum prodeuntis vestes omnes subtaneæ, non nisi albæ sunt, & vestis linea, quæ Rochetum vulgò dicitur, sempèr candidissima est. Capitium verò, & Biretum, & quæcumque alia superinduit pro temporis opportunitate indumenta, & ipsi quoque Galeri semper sunt rubei coloris. Matutinis quoque horis, sivè Natalis Domini, sivè Defunctorum, & horum etiam vesperis Papa interest, cappâ, seù paludamento rubro super Albam indutus; immò & in Adventu, & in Quadragesima ad sacra audienda non accedit Pontifex, nisi albâ, & rubro Pluviali vestitus, & in ipso mane Paraſceves super albam rubicundi coloris cappâ induitur, eo servato discrimine, ut in Adventu, Quadragesimâ, Jejuniorum, & hujusmodi aliis ferialibus diebus rubræ vestes sint laneæ, in aliis verò sint ex serico contextæ, & confectæ, ex quibus quisque facilè deducere potest, quòd nedum extrà, sed etiam intrà divina Mysteria, nisi Papa ipse officium faciat, præterquàm à Sabbato Sancto vsque ad ejus Octavam, quandò in solis albis apparet, sempèr prodit candidus, & rubicundus. Qua in re illud non est sinè consideratione prætereundum, quod Papa, sivè rubrà, sivè alba, sivè violacea, seù nigra, sivè viridia paramenta superiora accipiat, subtaneæ vestes semper candidæ sunt, immò & ex ipsarum superadditarum vestium sacrarum amictus sempèr candidus est, sicut & ipsa longa, & ampla camisia, quæ propterea alba nuncupatur, cujus mysticæ cœremoniæ à me postulanti rationem, eam si non certam, saltèm rationi non absonim reddendam putarem. Quod scilicèt bina illi colores, candidus scilicet, & rubicundus, quibus Sponsa Christum Sponsum suum describit, & quodammodo depingit, binas in eo coeuntes naturas significant, hoc est candidus videlicèt Divinam, rubrus verò humanam; Nam de illo legitur: *Candor est lu-*

cis

ci æternæ, rubor verò propria eſt nota hominis, qui de terrâ rubrâ formatus creditur, proptèr quod primus hominum parens vocatus eſt Adam, quod latinè rubens, ſivè rubeus interprætatur. Et cum naturam divinam omninò immutabilem fide credamus, humanam verò mutabilem eſſe, pluſquam ſatis experientiâ ipsâ doceamur, convenientiſſimè à Patribus decretum fuiſſe dicimus, vt interiores veſtes, quæ nunquam non albas eſſe oportet, nullam patiantur mutationem; nam quemàdmodum ſi Deus mutaretur, non eſſet Deus, ità alba ſi alium colorem ſuſciperet, non eſſet alba, ſuperindutum verò rubrum diverſas ſortiatur alterationes, non quidèm quòd in aliam tranſeat naturam, ſed quòd, ut Propheta prædixit, quid in ea patiatur, ſicut & de ipſo per illum colorem ſignificato Deo Homine, Propheta vaticinatus eſt dicens: *Vidimus eum leproſum, & percuſſum à Deo, non erat in eo ſpecies, neque decor.*

Et hinc non ineptè forſitàn poſſet accipi ratio, quare Papæ indumenta ſacra plures, quàm non ſacra recipiant varietates, & mutationes, nempè quod veſtes illæ familiares, quarum vnæ albæ ſemper ſunt, & aliæ rubræ in Pontificem Chriſtum Dominum noſtrum Deum, & hominem ſimplicitèr repræſentant, at quibus in ſacris Officiis induitur, ideò in diverſos, & varios colores tranſmutantur, ut ob fidelium oculos quodammodo ſtatueret, quæ Sancta Mater Eccleſia recolit multiplicia ſponſi ſui myſteria, vt pro illorum varietate ad amantiſſimo Redemptori noſtro condolendum, vel congaudendum commoveantur, & in eis, quæ intèr mortales degens proptèr eos complevit, eidem, & Sanctis cum eo in Cœlis regnantibus conformes pro viribus ipſo cooperante nos reddere ſtudeant. Quod ſi quis ejuſdem propoſitæ materiæ, & Tropologicam interpretationem aliquam audire cupiat, non ineptè diceretur, per quotidiana indumenta, quæ nunquàm non alba ſunt, & quæ ejuſdem coloris ſacra facturus Pontifex, prima ſuperinduit paramenta, quæ ſunt Amictus, & Alba, nunquàm in alium colorem mutanda, Innocentiam, & vitæ puritatem, ac munditiam certiſſimò ſignificant, ſine ipſa enim nedùm in ſacris, ſed nec in terrenis rebus gerendis Dei Miniſtros unquàm eſſe oportet; In quem ſenſum fideles quoſque qui carne, & mente candidiſſimus fuit Apoſtolus Joannes eos admonuit in hæc verba: *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida.* Et de Chriſti Divinitate primò, & mox de vitæ puritate per Albam Camiſiam ſignificatis illuſtre Teſtimonium perhibet S. Germanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum dicens: *Alba divinitatis ſplendorem indicat, & Sacerdotis ſplendidam converſationem.* Quod ſapientiſſimè intelligens S. Cyprianus caput ſpiculatori daturus Dalmaticam exuit, & in lineis remanſit, quam ſententiam ſequutus Durantes in ſuo Rationali in fine tertii libri ità ſcripſit: *Hinc eſt, quod Summus Pontifex Cappâ rubeâ exteriùs ſemper apparet indutus, cum interiùs ſit indutus candidâ veſte: quia etiam interiùs candere debet per innocentiam, & charitatem, & exteriùs rubere per compaſſionem, ut videlicèt oſtendat ſe ſemper paratum ponere animam pro ovibus ſuis: quia perſonam gerit illius, qui pro nobis univerſis rubrum ſecit indumentum ſuum.* Hæc Durantes. Quæ verò, Albis ſemper remanentibus, pro officiorum varietate modò unius modò alterius coloris paramenta ſuperinduuntur cœtera, multiplicium virtutum ornamenta repræſentare arbitrarer. In Aaron quoque indumentis ſignificata, quorum pars (ut idem Durantes doctè conſideravit) major opere Polymito ſcilicèt vario proptèr varietatem virtutis indicandam elaborata erat, de qua dicit Pſalmographus: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*; nam etsi verum eſt, quod virtutes ſunt connexæ, illud etiam à veritate non diſcordat, quod quemàdmodum Sanctorum hominum alius hac, alius illâ virtute alios excelluit, quam ob cauſam jure dicitur de pluribus & diverſis: *Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervavit legem excelſi.* Et de ſanctis mulieribus: *Elegit eam Deus, & præelegit eam.* Ità per diverſa paramenta multiplicibus coloribus exornata ſignificari poſſe virtutes inſignes, quibus Sancti, & Sanctæ Dei Regni Cœleſtis gloriam ſibi compararunt, putà alii ſanguinis effuſione, alij virginitate, alij carnis maceratione, alij in proximos charitate, vel aliis propè infinitis virtutum meritis, & propterea ſupèr albas perpetuò remanentes diverſorum colorum hujuſmodi virtutes ſignificantium paramenta adhiberi. Sed ut cuique de hac conſideratione liberum erit ſentire quòd voluerit, nullus tamen inficias ire poterit, colorum alii lætitiam, alii mœſtitiam, alii ne dum hoc conſimiles affectus præſeferre, verùm, & eoſdem per illos nutriri, & augeri, & propterea pro divinorum officiorum multiplicitate explenda, diverſorum colorum Paramenta præparari, quibus ejuſmodi affectus in fidelibus ejuſmodi colorum diſtinctiones inſpicientibus, & conſiderantibus excitentur. Hincque inſtitutum eſt, ut in Natali, Reſurrectione, Transfiguratione Domini, & in Sanctiſſimæ Genetricis ipſius feſtivitatibus albis uteremur; in Pentecoſte, in Martyrum diebus feſtis, rubeis induamur; in Dominicis, quæ Gabriele, Biele, & ipſo Durante etiam Teſtibus, peregrinationis hujus noſtræ ſpatium repræſentant, viridibus veſtiamur. Ab Adventu uſquè ad Natalem Domini diem, & à ſeptuageſima uſque ad Reſurrectionem propter mœſtitiam violaceis utamur: Et in Paraſceve hoc eſt in morte Domini, & in pro Defunctis præ cœteris obſcuro, & mœſtiſſimo colore nigro tincta paramenta adhibeamus.

Ad V. Poſtremo Argumento reſpondemus juremerito, & nos approbantes, quòd quemàdmodum in cunctis aliis, ità & in paramentis condecet Summi Pontificatus manifeſtam prærogativam, & ſingularitatem apparere, ſed illam non quidem in minus, ut

P. Au-

P. Auguſtini verbis loquar, ſed in plus habere, conſiſtere, hoc eſt ut Papa tremendum myſterium ſacrificium oblaturus plura quàm alii Sacerdotes paramenta accipiat, pluribuſque ornamentis exornetur. Manifeſtiſſimè patet hoc per ſingulos ordines ſacros, & gradus Eccleſiaſticos diſcurrentibus. Nam Diaconus præter manipulum accipit ſtolam: Epiſcopus præter paramenta Sacerdotalia calceatur caligis, & ſandaliis, eidem traduntur Crux pectoralis, chirothecæ, annulus, baculus paſtoralis, & mitra: Archiepiſcopis, & Patriarchis adduntur Pallium, Spinulæ, & Crux, quæ eis in publicum prodeuntibus nunquàm non præferenda eſt. Papa verò, ut vaſorum, miniſtrorum, & pretioſorum ornamentorum incomparabilitèr majorem numerum taceam, prætèr jam dicta omnia cum cæteris ſibi ſubditis Sacerdotibus communia, adduntur Phanon, & Tiara, quod vocatur Regnum; item non ſolùm numero plura, ſed & pretioſiora ſibi reſervantur; hinc eſt, quod in Capella ſua, ipſo præſente, vel etiam abſente, nullus nec quidem ex DD. Cardinalibus induit paramanta margaritis, ſeù aliis gemmis exculta, præterquàmquòd Cardinalis celebrantis caput mitrâ lapidibus pretioſis exornatâ operitur, & quod Cardinales Epiſcopi Pluvialibus induti ornamentum pectoris, quod vocant firmale, margaritis ornatum eſſe oportet, quo tamen carent cæteri omnes Epiſcopi non Cardinales: Superantur nihilominùs Cardinalitia firmalia à Pontificio, quod illa oblonga, hoc verò rotundum: illa tres tantùm cumulos habent margaritarum, hoc autem quatuor. Et hujus ſolutionis argumento illorum etiam opinio refellitur, qui ſentiunt non decere Romanum Pontificem in Miſſis pro Defunctis nigri coloris paramentis uti. Primò quidem quoniàm (ut de viridibus paulò ante dictum fuit) hoc eſſe minuere, & non augere Pontificia ornamenta, & quod ætate noſtra violaceas pro nigro colore veſtes ſacras induat, potiùs incuriâ, quàm ratione introductum eſſe ſuſpicor. Primò quidem quoniam ex Cæremoniali Romano in Officio Feriæ vi. in Paraſceues, ut ſuprà etiàm retulimus, conſtat ejuſmodi colorem à Papæ ſacris veſtibus non excludendum. Hac veritate refellitur dictum illorum, qui aſſerunt Pontificem non debere per ſe ipſum ſolemnitèr celebrare pro Defunctis, nàmque ex manuſcripto veteri cæremoniali habetur, quòd Alexander IV. de conſilio DD. Cardinalium decrevit, ut ipſe Summus Pontifex, Aſſiſtentibus ſibi de more Cardinalibus, quotannis Non. Septembr. pro Pontificibus, & Cardinalibus defunctis celebraret; Et quod alio in loco in eodem Cæremoniali dicit, Papam non ſolere pro Defunctis ſolemnitèr celebrare, intelligendum eſt, ut ibidem ſubditur, pro Defuncto Imperatore, Laico videlicèt, nec pro Rege, aut alio quocumque magno Principe. Quod verò officio Defunctorum nigra potiùs, quàm violacea paramenta conveniant, nemo eſt qui dubitet. Nam Cæremoniales libri omnes admonent pro Defunctorum officiis nigra indumenta paranda eſſe, & licèt omnes ferè adiiciant, pro nigro licere uti violaceo, id magis indulgendo, quàm ac ſi paria ſint, æquè utrumque approbando. Nam nec ſuprà relatus Innocentius niſi quatuor ſolos, videlicèt album, nigrum, rubrum, & viridem uſui Eccleſiaſtico proprios enumerat, & ſubindè quaſi in ſubſidium violaceum approbat dicens. *Quatuor ſunt principales colores, quibus ſecundum proprietatem dierum ſacras veſtes Eccleſia Romana diſtinguit, albus, rubeus, niger, & viridis*, cujus numeri rationem reddens ſubinfert: *Nàm & in legalibus indumentis quatuor colores fuiſſe leguntur, Byſſus & Purpura, Hiacyuthus, & croceus*. Eandem ſententiam affert Durantes & ipſe ſuprà allegatus, qui enumeratis dictis quatuor coloribus, tamquàm principalibus ſubdit: *Eccleſia etiam Romana violaceo, & croceo colore utitur*, & uterque pro noſtra opinione liquidò facit, cum ambo dicant *nigris coloribus utendum in die afflictionis, & abſtinentiæ pro peccatis, & pro Defunctis, ab Aduentu ſcilicèt uſquè ad Natalis vigiliam, & ſeptuageſimâ uſque adSabbathum Paſchæ*, proptèr quam cauſam ſcilicèt ob triſtitiam referunt, quòd in die Sanctiſſimorum Innocentium aliqui utebantur nigris Indumentis, ſubiicit nihilòminus Durantes, quod ætate ſua eo die, ſicut in Dominica lætare, quæ dicitur de Roſa, nempè quartâ Quadrageſimæ utebantur violaceis, & poſt pauca ſubnectit. *Violaceo autem colore uti in diebus, quibus eſt uſus nigri coloris non eſt inconveniens*. Undè Eccleſia Romana utitur violaceo à prima Dominica Adventus uſquè ad Miſſam vigiliæ Nativitatis Domini incluſivè, & à Septuageſima uſquè ad officium vigiliæ Paſchæ excluſive, & in calcem capitis alios dies explicat, quibus modò Eccleſia Romana utitur, violaceo colore, videlicèt, in quatuor temporibus Septembris, & in vigiliis Sanctorum, in quibus eſt jejunium; quando Miſſa eſt de vigilia, & in diebus Rogationum, & in Miſſa, quæ dicitur in die Sancti Marci, de officio Litaniæ. Cum ergò ii ſint dies, in quibus dicunt ſacrorum Rituum Præceptores, loco nigri coloris licet uti violaceo, reſtat, ut ſempèr cum agitur officium mortuorum, utendum ſit nigro, & non violaceo colore: Et eo minùs hoc videtur indulgendum illis, qui ob paupertatem à comparandis ſupradictorum omnium colorum ſacris veſtibus ſe excuſare non poſſunt: quod Dei gratiâ in caſu noſtro non contingit. Undè ſalvâ cujuſcumque meliùs ſentientis opinione, cenſerem, quod Papa vel ſolemnitèr, vel planè celebrans Miſſam pro Defunctis, nigris & non violaceis indumentis eſſet parandus.

Hæc mihi de Themate propoſito dicenda occurrerunt; quæ ſicut fuſiùs ſcriptis mandavi, ità ſpontè cujuſcumque meliùs ſentientis cenſuræ ſubmitto, paratus me, & cum gratiarum actione illi ſubſcribere.

DE

DE
SANCTORUM APOSTOLORUM
PETRI, ET PAULI
PRÆLATIONE,
SIVE IMAGINIBUS
Utra ſcilicèt inter eas collocandas præferenda ſit?
COMMENTARIUS.

Cur in Bullis præſertim Pontificiis Sancti Pauli Apoſtoli Imago ad dextrum Beati Petri latus: In numiſmatibus autèm ad ſiniſtram ſemper ponatur?

Cur itèm aliis in locis S. Paulus modò dextrum, modò ſiniſtrum Beati Petri latus occupare cernatur?

TAMETSI de Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli imaginibus, vtra ſcilicèt ſit præferenda, non deſint, qui ſcripſerint, iidem tamèn, cur B. Pauli Apoſtoli Imagini dextrum ſemper B. Petri latus in Bullis Pontificiis concedi ſoleat, in numiſmatibus autèm non itèm; cur tandèm aliis in locis idem Paulus, modò dextram, modò ſiniſtram occupet partem; veriorem, ſeù potiſſimam rationem, vèl cauſam (ſalvo meliori judicio) afferre mihi quidèm viſi non ſunt, etiàmſi nonnulli ex variis auctorum opinionibus, præſertim verò ex Petro Damiano, qui primus (quòd ſciam) in hanc rem conſcripſit, multas rationes hinc indè conglobatas conſarcinarint, & ſuos in Libellos congeſſerint. Id verò, ut planum fiat, reſque ipſa cuique pateat, rationes varias, longo ab aliis ſermone contextas, quæ dextram Beato Paulo convenire docent, pauciſſimis recitabo verbis, quodque deniquè ſentio ex ingenii mei ſcrinio brevitèr depromam, & in medium proferam, ut ſuam quiſque de hac re ſententiam (aliorum ſcriptis diligentèr perluſtratis, & noſtro Commentario collatis) ferre tandèm aliquandò queat. Quam profectò rem efficiam, ut eis morem geram, qui me, de hoc argumento cum illis verba facientem, ad ſcribendum impulerunt.

Rationes, quæ B. Petro, tamquàm Apoſtolorum Principi, dextram ſuo ipſius Jure tribuendam perſuadent, ego brevitati conſulens, ne fruſtrà tempus conteratur, ſilentio prætermittam; propterea quòd hac in re nemo unquàm dubitavit, ſed multi potiùs id myſterii genus neſcientes, cur ſcilicèt B. Paulo dextra dari ſoleat, admirati ſunt, & ad hanc uſquè diem admirari non deſiſtunt, nodi hujuſce diſſolutionem poſtulantes.

Rationes, quas pro dextra B. Paulo tribuendâ in medium affert Petrus Damianus olìm Epiſcopus Oſtienſis, & S. R. E. Cardinalis, vir ſanè non minùs ſanctitate, quàm eruditione clarus; multæ ſunt, quarum prima ab antiquitate deſumpta eſt. Is enim Damianus in divinis ſcripturis non mediocritèr eruditus, ſecularíumque literarum non ignarus, qui anno à Virgineo partu ML. floruit, Paulum ad Petri dextram jam indè à Conſtantini Imperatoris, & Silveſtri Papæ ætate, perpetuis futuris temperibus depingi, & collocari ſolitum fuiſſe apertè affirmat, eâ in Epiſtola, quam ad Deſiderium Abbatem ſcribit. Hunc autèm locum B. Paulo convenire ex eo inibi argumentatur, quòd Paulus fuit ex Tribu Beniamin, qui *filius dextræ* nuncupatur. Hùc accedit, quod Paulus (ait Damianus) poſt glorioſam Chriſti Aſcenſionem, ab eodem Chriſto, & Salvatore noſtro ad Apoſtolatum vocatus fuit, Petrus autèm antè Chriſti paſſionem, & Aſcenſionem, in hac ſcilicèt mortali vitâ, Collegio Apoſtolico fuit adſcriptus, illiuſque Princeps conſtitutus. Per præſentem autèm, & mortalem vitam ſiniſtra, per futuram immortalem, & cœleſtem, dextra perpulchrè repræſentatur. Adde etiam quòd Paulo Ethnicorum, ſivè Gentilium multitudo, ad Dei dextram collocanda

Petri Damiani Rationes.

ML.

P. Damianus lib. 2. epiſt. 16.

Beniamin hebraicè, filius Dextræ latinè interpretatur.

canda per fidei Sacramenta, commissa fuit; & deniquè vita contemplativa, quæ per prædicationem designatur, tradita fuit; Petro autèm circumcisio, & vita præsens hoc est activa, quæ per Domini Jurisdictionem repræsentatur: hæc enim sinistram, illa verò dextram non inconcinnè præferre solet.

Hæc ex prolixa Damiani Epistola omni à me brevitate decerpta sunt: quæ quàmvis vera sint, & non minùs docti, quam ingeniosè excogitata, ut ejus in scriptis videre licet, in quibus multa scitu digna explicantur, ad solum tamèn sensum tropologicum spectant, nec sunt nisi rationes morales: & præterea potissimam causam, cur scilicèt Paulus in Bullis, præsertim Pontificiis dextrum B. Petri latus occupare cernatur, non solùm non explicat, sed eam nec innuere quidem, nec saltèm adumbrare videtur. Hinc, vt illud, quòd sentio in medium afferam, prænotandum censeo, quod nihil derogat Primatui, ac dignitati Petri, præferri, vel non præferri ejus Imaginem Imagini Pauli: sicuti nihil derogavit Regiæ dignitati Salomonis, quod Bersabee illius Mater, ad ejus dexteram aliquandò consederit. Nequè derogat supremæ Majestati Dei, quod Christus sedeat in Cœlis ad ejus dexteram. Nequè demùm ipsius Petri derogat dignitati, quòd duæ Epistolæ canonicæ ab illo scriptæ, in catalogo Sacrarum Scripturarum postponantur Epistolis à Paulo scriptis, nec non alteri scriptæ à Jacobo. Nam præeminentia, & dignitas Petri non est repetenda à situ Imaginis, vel Epistolæ illius, sed à Primatu eidem per Christum concesso, quando dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super Terram erit ligatum, & in Cœlis, & quodcumque solveris super Terram erit solutum, & in Cœlis. Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquandò conversus confirma fratres tuos. Pasce agnos meos. Pasce oves meas.*

g. Reg. cap. 2.

Hebræor. c. 1. n. 3. & cap. 10. n. 12. & c. 12. num. 2.

Matth. c. 16. num. 18. Lucæ cap. 22. num. 32. Joan. c. 21. n. 16.

Quòd autèm ad Imagines Petri pertinet, quæ interdùm ad sinistram, & Pauli, quæ interdùm ad dexteram positæ reperiuntur, duplicis generis rationes, seu congruentiæ, possunt de hac re assignari. Aliæ sunt physicæ, seù hystoricæ. Aliæ morales, vel tropologicæ. Primò generis una est: quòd licèt apud Hebræos, & Romanos, alioſque populos Occidentis, ut dicemus dextera manus reputata semper fuerit, & reputetur adhùc dignior; nihilòminùs apud plures Orientales, ac præsertim apud Græcos in rebus Ecclesiasticis, sinistra dignior dexterâ reputatur. Et cum aliqui usus ab antiquis Græciæ Patribus frequentati per totum Orbem Ecclesiasticum se diffuderint, quando adhùc Imperatòres Catholici, post Imperii Sedem apud Constantinopolim, à Constantino Magno positam Italiæ, aliisque Regionibus Occidentalibus præerant; nec adhùc erant divisæ inter se Latina Ecclesia, & Græca proptèr Schisma Photianum, & proptèr azimum, vel fermentato adhibendum: sed ex utràque gente una constituebatur Ecclesia Dei Catholica; facillimè ab usu Græco potuit evenire, quòd Imago Petri à sinistris tamquàm in digniore loco, & Imago Pauli à dextris, tamquàm in loco minus digno, inceperint collocari. Talitèr ut ubi nunc reperitur Imago Petri ad sinistram, & Pauli ad dexteram; prima dicatur præcedere juxtà Ritum Græcum. Ubi verò reperitur oppositum nempè Imago Petri ad dexteram, & Imago Pauli ad sinistram, prima præcedere dicatur juxtà Ritum latinum.

Alia ratio, sivè congruentia potest esse, quòd locus dignior sacrarum Imaginum, cum primò introductæ sunt in Ecclesia colendæ, vel ob aliam causam spiritualem, honorandæ, non ille reputabatur, quem ipsæ Imagines inanimatæ tenebant, sed quem habebant respectu ad homines eòsdem adoraturos, vel honoraturos. Locus autèm dignior populi in Ecclesiâ positi est ad dexteram ingredientium. Undè viri dum intrant in Ecclesiam à dextris, fœminæ verò à sinistris se collocant. Quæ divisio antiquitùs religiosè observabatur, & alicubi nunc quoque fidelitèr custoditur. Ut ergò sacræ Imagines à Christianis colendæ in digniore loco reponerentur, oportebat, quòd è regione dexteræ partis populi adstantis essent sitæ, quæ est sinistra Altaris, vel earum rerum, quæ sunt ad Altare. Hancque ob rationem incœpit Imago B. Petri collocari in sinistrâ, tamquàm in loco digniore, Imago verò D. Pauli in dextera, tamquàm in loco minus digno: consideratâ dexterâ, & sinistrâ, non ut in se sunt, sed respectu ad populum utrumque Imaginem veneraturum. Hac ratione non reputantur in digniore loco Ecclesiæ consistere Mulieres, tametsi è regione, quæ respicit ad cornu Altaris dextrum, seù Evangelii permaneant: Nec in loco minus digno Viri censentur existere quantùmvis è regione, quæ respicit ad cornu Epistolæ, seù ad sinistram Altaris consistant, quia populi situatio dat legem huic rei, & faciat ut locus ille, qui è regione positus, proùt in se est, & de natura suâ esset locus sinistræ, adeòque minus dignus, evadat respectivè ad populum, locus dexteræ adeòque honoratior. Itaque ubicumque cernitur Imago D. Petri ad sinistram, & D. Pauli ad dexteram, prima dicitur præcedere, non ratione loci, ut in se, sed ratione respectus, quem habet ad populum exadversò cernentem. Ubi verò Imago Petri est ad dexteram, & illa Pauli ad sinistram, prima dicitur præcedere ratione loci, ut in se considerati, absque ulla habitudine ad populum.

Tertia ratiò, confirmatoria præcedentis est, quòd de facto antiquitùs in rebus Ecclesiasticis, esse ad dexteram, vel ad sinistram, non considerabatur respectu ad Altare, sivè ad Imagines, & res sacras, ut in se sumptas; sed respectu ad populum exadversò positum. Patebit hoc infrà ex Hugone Cardinali, & Micrologo, & Durando, & ex aliis, quos videbimus pro dexterâ, & sinistrâ reputare, non eas ut in se, sed eas sub habitudine ad populum intuentem. Prætereà notandum est, quòd sicuti reperitur Imago Pauli ad dexteram,

Infra Pag. 87.

ram, & Petri ad sinistram, hoc non evenit, nisi in illis locis, & rebus sacris, quæ ob oculos, & è regione intuentis posita sunt: Nam si utraque Imago sit, non in faciem, sed à latere intuentis, uti si essent pictæ in pariete laterali Ecclesiæ, vel in alio simili loco; Petrus ad dexteram, & Paulus ad sinistram positus esset. Idem accidit si utraque Imago sit non in rebus sacris, sed in profanis. Et ita in numismatibus, in quibus Imagines Apostolorum non exhibentur populo ad cultum, neque ad fidem exercendam, neque ad significandam dignitatem, vel jurisdictionem spiritualem, Petrus dexteram, Paulus verò sinistram occupat partem. Quo fit ut satis constet, Petrum nullibi esse ad sinistram Pauli, nisi in rebus sacris, & ubi populum, seù cernentes directè prospicit, retinere: adeòque esse quidèm in sinistra respectivè ad locum ut in se est; sed esse in dextera respectivè ad populum ei obsequia venerationis, vel honoris præstantem: sicque esse non in minus digno, sed in digniore situ.

Quarta ratio deducitur ex eo, quòd licèt in rebus sacris apud Ecclesiam Latinam, dextera manus sit dignior sinistrâ, tamen hoc non est in quarto modo dicendi per se: non enim semper, & in omnibus rebus id verum est, cum plura sint, quæ tametsi de sui naturâ digniora, dexterum tamen locum non occupant, sed sinistrum. Ità Archipresbyter in Cathedrali, prout in se, tanto est dignior Archidiacono, quanto Presbyter Diacono dignior est: Archipresbyter enim significat Priorem, vel Principem Presbyterorum: & Archidiaconus Principem, vel Priorem Diaconorum significat. Nihilòminus Archidiaconus de jure præcedit Archipresbyterum. Pariter Minister tenens librum à Pontifice celebrante legendum est Antistes dignior inter adstantes Capellæ, cui proximè succedens Præsul tenet candelam. Et tamen dum uterque simul ad Pontificem accedunt, ille qui tenet librum stat à sinistris, tenens verò candelam stat à dextris. Ulteriùs dum Præpositus, vel alia dignitas Cathedralis cantat Missam paratus cum Diacono, Subdiacono, & Presbytero Assistente; ad Gloria in Excelsis, & ad Credo sedet cum suis Ministris hoc ordine: Celebrans in médio; Subdiaconus ad ejus sinistram: Presbyter Assistens ad dexteram; & ad aliam hujus dexteram, Diaconus. His ità lineatim dispositis, cernitur quod Celebrans tametsi dignior, tamen sedet à sinistris Presbyteri Assistentis minus digni.

Omittimus, quòd si Cardinalis, vel Canonicus Ordinis Presbyteralis, in defectum unius Diaconi assistat ad Tronum Pontificis, sedet à sinistris, quantùmlibet in se sit dignior, occupante dexteram Cardinali, vel Canonico Diacono, tametsi minus digno, similitèr omittimus, quod Cardinalis dignior in Ecclesia proprii tituli, dat dexteram alteri Cardinali minus digno, ut honoret illum, tamquam advenam. Qua ratione quoque observatur in Sacello Pontificio, quòd si exponantur Imagines argenteæ SS. Petri, & Pauli, prima à sinistris ponitur, & secundà collocatur ad dexteram Altaris cedente Petro in domo propriâ præeminentiam Paulo. Si verò celebretur Capella Pontificia in alia Ecclesia, tunc præfata Imago Petri situatur ad dexteram, & Imago Pauli ponitur ad sinistram Altaris.

Hæ res usquèmodò recensitæ, ostendunt; quod in functionibus sacris, & in Ecclesia Latina, non semper ille, qui dignior est occupat locum dexterum, & qui minus dignus, locum sinistrum, sed interdùm observatur oppositum: quarum rerum præcedentia, & respectivè postcedentia licèt non sine causa ab initio fuerit introducta; Nihilominùs ea rum rationem veram difficile est speculari, sufficitque pro ratione usus Ecclesiæ. *Traditio est*, inquiebat D. Joannes Chrysostomus, *nihil quæras amplius*. Itaque si in aliquibus Imaginibus antiquis Petrus ad sinistram, & Paulus reperitur positus ad dexteram; Non benè infertur Imaginem Petri esse in loco minus digno: quippè in rebus Ecclesiasticis apud Latinos, ut vidimus, dextera non semper est locus digniori obtingens, sed interdùm pertinet ad minus dignum, juxtà circumstantias rerum, personarum, temporum, & locorum.

S. Jo. Chr. homil. 4. ad Thessalon.

Cœterùm summa summarum est, quod Imago D. Petri, sivè in una, sivè in alia parte ponatur cum Imagine D. Pauli, semper ad dexteram est, quia ipsa facit locum illum, in quo reperitur, digniorem cunctis aliis locis. Et sicut si viveret nunc in terris D. Paulus, ubicumque se collocaret, sivè ad dexteram, sivè ad sinistram Pauli, semper esset ad dexteram, quia illius Primatus, & Officium Vicariale Christi redderet locum illum digniorem, etsi fortè aliòquin minus dignum; ità ubicumque ponatur Imago, Petri, sivè ad dexteram, sivè ad sinistram Pauli, semper est in loco digniore, quia Vir per eam repræsentatus, vi sui Primatus, & dignitatis, vertit locum quemlibet, etiam minus dignum, in magis dignum. Idem succederet in Papa ejusve Imagine, quæ ubicumque ponatur cum Imagine alterius Præsulis, vel cum persona alterius Episcopi, sive ad dexteram, sive ad sinistram, semper est in loco digniore propter suam excellentiam, & dignitatem.

Hæc quòad rationes physicas, vel historicas. Quo verò ad rationes morales, vel tropologicas, Paulum aliòquin Petro minorem; quòad aliqua æqualem, & quantum ad vocationis tempus, præstantiorem eo fuisse fateri non vereor. Hocque jacto quæsiti nostri fundamento, atque explicato, viam statim præcludemus, osque obserabimus, non solùm iis, qui Paulo dextrum Petri latus temerè, vel fortuitò, sivè per imperitiam datum esse opinati sunt; sed iis etiam, qui ex quibusdam veterum Scriptorum locis sinistram nobiliorem antiquitùs apud omnes; adeòque etiam in Ecclesiâ Latinâ fuisse commentati sunt, ut hujus generis nodum dissolverent. E quorum numero Cassanæus fuit in Catalogo gloriæ Mundi: vel potiùs apud

Paulus Petro minor, & quantum ad vocationis tempus præstantior.

Cas-

Cassanæi opinio. Cassanæus par. 3. con. 2. Nebriss. con. 5 Tho. con. 31. Cassanæus p. 3. con. 2. & 31.

Cassanæum Antonius Nebrissensis Grammaticus, homo Hispanus, qui in annotatione ad quinquaginta Scripturæ loca, in B. Thomam Doctorem Angelicum; non minùs injustè, quàm impudenter invehitur. Hinc Cassanæus eòdem Catalogo, dum Nebrissensis opinionem tuetur, opinionem S. Thomæ commentum quiddam audacter affirmat; Paulumque strictum Ensem tamquàm Satellitem, & Stipatorem gestare, cum Nebrissensi somniat. Dextra enim dignior sinistrâ semper fuit apud Hebræos, & etiam apud Romanos, necnon, & apud aliquos alios populos. Si autem Nobiliores sinistrâ in parte antiquitùs sedisse, aut ambulasse comperiantur, id vel commoditatis, vel præsidii, vel obsequii causâ factum esse dicas oportet, modò duo tantum fuerint sedentes, vel inambulantes. Id quod nostrâ quoque Tempestate aliquibus in locis fieri solere constat, dum Seniori, sivè Nobiliori, aut digniori locus parieti propior, commoditatis causâ, aut cujusdam præsidii, vel obsequii gratiâ in incessu dari solet. Dextra enim inter ambulandum, aut sedendum minus tuta interdùm esse potest.

Quamvis autem B. Petrus Apostolorum Princeps, hisce in Terris manens nec ad Majestatem Principatus retinendam, nec ad suam indigentiam ostendendàm, milites, aut Satellites, seù Stipatores (qui & laterones, à latere, per syncopem latrones dicti sunt, ut Varroni placet, quod circùm latera Dominorum suorum, sivè Principum esse soleant, ad latus eorum iungendum, claudendum; aut tegendum, obsequii, aut præsidii causâ) habuerit; Cassanæus tamen B. Petro Apostolorum Principi B. Paulum tamquàm Comitem, sivè Stipatorem, ac Satellitem, ad ejus dextram collocatum tribuit, dicens: *Nam quid sibi vult gladius ille: quem Paulus habet strictum, nisi quod est Petri comes, Stipator, atque Satelles?* Hæc Cassanæus, qui mihi hac in re admirationem cum risu excitat. Ego verò ensem illum strictum à B. Paulo gestari mihi persuadeo, vel propter mortem, quam per gladium passus est ipse, vel quia plus cæteris laboravit, ac profecit in prædicando Dei Verbo, quod ab ipsomet Paulo ad Ephesios scribente gladius appellatur hisce verbis: *Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est Verbum Dei.* Et ad Hebræos. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Vel demùm quia Civis Romanus erat. Ensis verò Civium Romanorum erat insigne. Beatus itaque Paulus ad B. Petri dextram, non tamquàm comes, Stipator, Satelles, aut latero, ut ejus latus obsequii; sivè præsidii causâ cingat, claudat, aut tegat, sed tamquam digniorem locum occupans collocari solet, ob rationes, quas infrà explicare studebimus. Loquendo in sensu, quod locus ille sit dignior, quatenùs dextera, ut in se est locus dignior sinistrâ.

Varro de lingua latina lib. 6.

Cassanæi opinio confutatur.

Utcumque igitur sit, quod Nebrissensis ex quibusdam veterum Scriptorum locis ingeniosè explicatis de sinistræ apud Ethnicos præstantiâ, sivè nobilitate colligit; illo tamen Ethnicorum usu in Ecclesia Sancta, quæ Sacrarum Scripturarum exemplis imbuta, nobilitatem non sinistræ, sed dextræ tribuere solet, opus haudquaquàm erit. Usus namque sivè ritus Ecclesiasticus non ab Ethnicis, vel exteris Nationibus, dum necessitas non urget, est mutandus, sed à Scriptura Sacra, quam tamquàm rerum normam sibi ob oculos ponit Ecclesia, desumendus est. Quis autem tàm in veteri, quàm in novo testamento sinistram dextrâ præstantiorem animadvertit unquam? Immò contrà quisnam dextram sinistrâ digniorem, ac nobiliorem esse inibi non invenit? Sexcenta, ut sic dixerim exempla in hanc sententiam congesta possem enarrare, quæ ego brevitati consulens, silentio involvenda esse censeo. Iis enim in locis dextra, vel fælicitatem, & prosperitatem; vel gloriam, atque æternam vitam; vel virtutem, & fortitudinem; vel digniorem locum, & potiora bona, idque genus alia præseferre solet. Sed ut multa prætermittam, illud Ephraim, & Manasse, in Geneseos libro exemplum mysterio insignitum sese offert examinandum, & meditandum, quo per dextram super Ephraim, & per sinistram super Manassen, à Jacob, manibus commutatis, instàrque Crucis coaptatis, porrectam; primatus Ephraim super Manassen explicatur.

Virgil. lib 5. Æneas. Ovid. lib. 5. fast. Horat. libr. 2. Serm. Salust. in 2. hist. Senec. lib. 3. ep.

Gen. 40.

In tertio itèm Regum libro ad Dei dextram Angelos bonos, ad sinistram verò malos, locatos esse videre est, si locus ipse juxtà Doctorum interpretationem diligentèr examinetur. Istucipsùm apud Evangelistas de bonis ad dextram, de malis verò ad sinistram futuro in Judicio, universoque illo examine faciendo, collocandis videre licet.

3. Reg. 22.

Matth. 15. Marc. 14. Luc. 23.

Propheta item David Spiritu Sancto afflatus dextram sinistrâ digniorem vult innuere, dum de Filii Dei ad dexteram Patris sessione in hanc loquitur Verborum formam: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Per hanc enim Christi Filii Dei sessionem ad sui Patris dextram, cuncti ferè Sacrarum Scripturarum Interpretes, præcipua, & potiora Patris bona intelligi volunt. Hæc Patris bona Genebrardus de Christo Domino explicat his verbis: *Sede à dextris: Juxtà, inquit, me qui esce, præside, mecumque regna, fruere meâ gloriâ, esto mihi proximus, particeps esto meorum bonorum, potentiæ, & majestatis; Esto suprà omnem virtutem, & principatum, esto superior omnibus rebus creatis, esto propè me in loco celsissimo, potissimo, honoratissimo: Regna æquali potentiâ mecum, si ad Divinitatem, simili & proxima; si ad Humanitatem, potestatem exercendo super omnia in Cœlo, & in Terra.* Hæc & multò plura Genebrardus. Quamvis autèm Deus cum sit incorporeus, nihil habeat dextrum propriè, nihilque sinistrum, metaphoricè tamen; & more humano Filius Dei ad Patris dextram sedere dicitur, B. Athanasio Teste, qui ait: *Vocabulum autem Sessionis, dignitatis significationem præsefert: quamquàm alioqui, qui sedet, finibus ejus loci,*

Pfal. 109.

Genebr. in pfal. 109. pag. 711.

Marc. ult.

Athanas. de communi essentia Trin. & de SS. sess.

loci, in quo sedet circumscribitur: verùm circumscribi videtur, cum quæ illius sunt, ad corporalia transferuntur. Scriptura enim Deum, nequaquam hominem facit, sed nostro more de eo loquitur, ut res, quæ super nos sunt, sub istiusmodi naturâ manifestet. Hucùsque B. Athanasius in lib. de communi, ac individuæ Trinitatis essentiâ; In libello item de Quæstionibus hunc ait in modum: *Dexteram Dei cum audis, ne locos, vel figurarum positiones circumscribe. Dextrum etenim, & sinistrum sunt finitorum, quæ describi possunt. Deus autem increatus est, & infinitus, cui nulla adscribitur forma, & qui nec ipse circumscribi queat. Dextram verò Dei, quando audieris, Majestatem Dei, & gloriam intellige.* Hæc B. Athanasius. Dextra igitur, & sinistra in Deo qui membra non habet, propriè haudquaquam sunt, ut Athanasius, & Augustinus Doctores Sancti, cæterique Theologi omnes testantur; illa tamen ad Divinitatem relata æqualitatem Patris, & Filii, ad Humanitatem verò, præcipua illa, & potiora Patris; paulò superiùs enarrata, significat. Quamvis autem in augustissima, & divinissima Personarum Trinitate, in qua nulla extat inæqualitas, Filius ad Dextram Patris sedere dicatur; Patrem tamen ad Filii sinistram, & ad Spiritus Sancti Dextram, aut Spiritum Sanctum ad amborum lævam sedere minimè dicimus, nec sentire debemus, etiamsi juxtà Intellectus nostri captum, ita esse cogitemus, si Sanctissimæ Trinitatis personas longo sedentes ordine imaginemur, dum hujus generis sedendi ordinem mente concipimus.

Quæst. 79. de Christi gloria

Augustin. lib. Symb. 2. 3. & 4. c. 7.

Salomon intereà, ut debitum Matri suæ honorem præstaret, Bethsabee Matrem suam ad sui dexteram sedere voluit, sicut in eodem Regum Tertio legitur; in hæc verba: *Venit ergò Bethsabee ad Regem Salomon, ut loqueretur ei pro Adonia. Et surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dextram ejus.* Hæc ibi -- Quem locum Alphonsus Tostatus explicans ait: *Istud erat ad magnum honorem: magis ibi honorabatur Bethsabee, quam Rex: nam ad hoc, quod honoraretur magis Rex, debebat sedere Bethsabee ad sinistram illius.* Hæc Tostatus. Nunc in modum Matres, atque Uxores à Regibus, Principibus, & Magnatibus, præsertim Christianis, in actionibus privatis hac tempestate honorari solent. Ad hanc honorandi consuetudinem alludit fortassè illud Psalmi de Sponso, & Sponsa; hoc de Christo, & Ecclesia mysticè intellectum; *Astitit Regina à dextris tuis.* Immò fœminæ, & quidem non absque consilio, adeò à viris cohonestatæ sunt semper, ut antiquitùs Romæ in communi confessu, illæ à dextris, hi autem à sinistris consederint. Id quod etiam ad hunc usque diem frequentèr fieri solet; idemque olim in Ecclesiis factum fuisse, monumenta ipsarum Ecclesiarum vetustissima docent, locis virorum, ac fœminarum distinctis. Hæc item inferiores cohonestandi consuetudo apud Principes aliquando viguit, ac viget. Hi enim filios adolescentes in privatis actionibus ad dextram collocare solent. Istùcipsum legitur de Constantino Constantii Filio, ut videre est in vita ipsius Constantini Magni apud Eusebium, qui Constantinum Magnum adolescentem, Constantio Patre in Britannia degente, cum Seniore Augusto Galerio semper ad ejus dextram incedentem in Palestina se vidisse testatur. Constantius namque Imperator ab Urbe discessurus, ut in Britanniam proficisceretur, Constantinum Filium Adolescentem, sed natu majorem, tamquam hæredem Imperii futurum, ibidem reliquit ut ipse ab Adolescentia Imperio assuesceret. Erant autèm in Imperio cum Constantio Collegæ tres, Galerius, videlicèt, Maximianus, Severus, & Maximinus. Inter quos Constantinus, sicut Moyses parvulus inter Tyrannos, educabatur. Is deindè in Palæstina primario apud eos honore dignatus fuit, & ad dextram Galerii Maximiani, qui cæteros Collegas anteibat ætate, incedere visus est. Quare si dextera inter eos Augustos non fuisset nobilior, Constantinum adolescentem honore primario dignatum fuisse falsò scripsisset Eusebius dicens: *Erat enim cum his, qui fuerant paterni Imperij Collegæ, quomodo ille cum Prophetis, ut anteà dixi. Et usque à puero pubertatem ingressus, apud eos honore primario fuerat. Quem ipsi vidimus, cum Palestinam obiret, Regum Seniori Comes. Hujus ad dextram conspicuus omnibus, jam tum Regium quendam sensum callere videbatur.* Cum itaque inferiores, hoc est fœminas, & adolescentes à viris cohonestandi antiqua consuetudo, per dextram eis concessam ad hanc usque nostram tempestatem, in qua dextra dignior, quàm sinistra existimatur, non parum vigeat, dextram omninò digniorem sinistrâ fuisse, ac esse fatendum est.

3. Reg. c. 2.

Alphons. Tostat.

Pf. 44.

Euseb. lib. 1.

Euseb. in vita Constant. li. 1.

Quòd autèm inter aliàs itèm Nationes dextera nobilior, quàm sinistra fuerit existimata, illud de tribus Numidiæ Regulis confidentibus exemplum in Bello Jugurthino, à Salustio conscriptum, satis bellè indicat hisce verbis: Micipsa namque Numidiæ Rege defuncto, ejus filii, Jugurtha videlicèt, Adherbal, & Hiempsal Reguli unum in locum convenerunt, ut omnibus de rebus ad regnum pertinentibus inter sedendum colloquerentur, ac disputarent. Cum autem Hiempsal Jugurtham odio prosequeretur, illo natu minor Jugurthæ, quamvis natu majori, sed genere inferiori, utpotè ex concubina progenito, honorem præstare dedignabatur. Hinc ipse Hiempsal ad Adherbalis dextram assedit, ne nobiliorem locum Jugurthæ, etsi Seniori concederet. Hiempsal verò à fratre Adherbale vehementer rogatus, vix tandem ad sinistram sese contulit. Hoc de ipsius dexteræ nobilitate exemplum in hanc extat verborum formam: *Hiempsal, qui minimus ex illis erat, naturâ ferox, etiam ante Ignobilitatem Jugurthæ, quia materno genere impar erat, despiciens, dextrâ Adherbalem assedit, ne medius ex tribus, (quod apud Numidas honori ducitur) Jugurtha foret. Deindè tamen, ut ætati*

Salust. in Bello Jugurthin. non procul ab initio.

concederet, fatigatus à Fratre vix in alteram partem transductus est. Hæc ibi Salustius ad Verbum.

Aristot. to. 5. l. 2. de part. anim. c. 2. & tom. 7. probl. sect. 21. & lib. de Cœlo.

Aristoteles itèm Philosophorum Princeps, diligens rerum abstrusarum indagator, in iisdem verò pensitandis Judex acerrimus, & à Platone Præceptore suo Anagnostes, hoc est lector indefessus, nuncupatus, non semel dextram sinistrâ potiorem, ac nobiliorem esse affirmavit; Nobilioremque Mundi partem, Orientem scilicèt in dextra collocauit. Idem Pythagoras, Plato, Plutarchus, & alii esse statuerunt, Dextram itaque Nobiliorem, quàm sinistram esse, dicas oportet.

Plutarch. li. 2. Plat. Phil. c. 10.

Concil. Nic. Constantinop & Chalced. in prima Actione.

Neque ordo sedendi Legatorum Apostolicæ Sedis in Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Chalcedonensi, & aliis Œcumenicis Conciliis quicquam obstat; quìn potiùs nostram de dextera sententiam apertissimè confirmat. Quamvis enim illi ad sinistram, quæ ingredientibus Ecclesiam sinistra est, sederint; quia tamen juxtà Sacram Aram, ad Absidis caput sitam, simul sederent, & in medio, vel Absidis, vel Altaris, tàm Evangelii Codex, quàm Sacra Crucifixi Imago, quæ dexteram partem prospicientibus ad Ostium ab Ecclesiæ Absidè faciebat, eminebat, Legati Apostolicæ Sedis eà positione non ad sinistram, sed ad dexteram verè, & propriè dexteram, cujus relatio est ab Evangelii, & Crucis positura, residebant. Propter quam rem locus Evangelii in Altari, ubi illud recitari solet, dexteræ nomine nuncupatur, sicut alius Altaris locus sinistra vocitatur. Ad locum autem Evangelii Legati Præsidentes residebant.

Ego itaque Conciliorum Œcumenicorum exemplis munitus sinistram, ut in se, non verò, ut relatam ad Populum assistentem, in Ecclesia Latinâ, dexterâ nobiliorem; aut digniorem nunquàm fuisse credam: quia esto quod apud Ethnicos, & præsertim apud Romanos in quibusdam rebus, quæ ab iis vocabantur sacræ, præsertim verò in auguriis, & auspiciis capiendis, sinistra potior extiterit, quàm dextera; Ecclesia tamen Catholica, Gentilium superstitiones funditùs evertere studens, eas ut ritu diverso aboleret, diligenter curabat, sicut à nobis alibi de Amburbiali, de Februis, deque Supercalibus, necnon de cæteris id genus superstitionibus, demonstratum est. Necessitas autem non urgebat ulla, nec ulla saltèm congruentia suadebat, ut sacrosanctæ Scripturæ ritibus posthabitis, & exemplis; Ethnicorum ritus admitterentur.

Auctoris opuscula.

Hùc accedit, quòd sinistra, tàm in tonitruis, & auguriis, quàm in auspiciis, ab avium volatu, & garritu, sivè à cantu, vel à gestu eorundem, quasi ab avibus spectandis, ità nuncupatis, superstitiosè ab Ethnicis observata, non absolutè prospera, seù fœlix, sed in ordine ad ejus dextram postulata largientis dicebatur, ut optimè Donatus ait, illum Virgilii locum (*Intonuit lævum*) explicans hisce verbis: *Quod Virgilius dixit (lævum) debet hoc prosperum intelligi; Nam ejus in hac causa hæc est ratio: læva in aliis contraria significatur: In sacris autem signis idcircò prospera accipiuntur, quæ sunt læva, quia sacrificantis, vel precantis latus lævum, dexterum est ejus, qui postulata largitur.* Hæc Donatus. Et hunc in modum pro re prospera, & fœlici, in auguriis, & auspiciis à Varrone, & Festo sinistrum sumi, & intelligi, facilè mihi persuadeo. Hunc itèm in modum, ac sensum intelligendos esse puto augures, qui in sinistra exorientes, in dextra occidentes ponunt, teste Varrone in lib. 4. Epistolicar. quæstionum. Nàm sinistra, reverà, absolutè sumpta, nonnisi pro adverso, noxio, ominoso, & ignobili accipi solet, quia sinistra ità nuncupatur, ut Isidorus, & alii interpretes ajunt, quòd quæ sinistrâ manu fiunt, minus rectè fieri videantur. Hinc sinistra cornix apud augures, pro re adversa, & infelici, hoc est malum omen significante sumebatur, ut Virgilius intelligi voluit per hæc verba:

Virgil. lib. 5. Ænead.

Varr. lib. 6. de ling. lat. Fest. Põp. de verb. signific.

Varr. lib. 4. vel 5.

Sinistræ manus effectus.

Sæpè sinistra cavâ prædixit ab ilice cornix. Virg. Eclog. 1.

Et

Antè sinistra cavâ monuisset ab Ilice cornix. Eclog. 9.

Et Ovidius

Dii precor, à nobis omen removete sinistrum. Ovid. ep. 10.

Contrà verò, quod dextera, sivè dexter pro fœlici, ac prospero apud veteres Scriptores sumi soleat, docent nos, quæ infrà leguntur exempla. Virgilius in 4. Æneidos hunc ait in modum:

Adsis ò placidusque juves, & sydera Cœlo Dextra feras. Virg. lib. 4. & 5.

Et in VIII.

Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.

Ovidius in 1. fastorum libro in ipsa ad Janum Invocatione ait:

Dexter ades Ducibus, Ovid. lib. 1.

Et infrà

Dexter ades, patribusque tuis, populoque Quirini.

Horatius in primo Sermonum libro ait:

Nemo dexterius fortuna est usus.

Quintilianus: *Adsit Domitianus dexter, ac volens.* Quintilian. lib. 4. in proœ.

Multa in utramque sententiam exempla enarrare possem, quæ brevitatis causâ hìc silentio prætermittenda censeo.

Nec dextera Jacob Patriarchæ super Ephraim ad sinistram partem, nec sinistra ejusdem super Manassen ad dexteram constitutos, manibus Patriarchæ Jacob mysteriosè commutatis, & in Crucis formam, ut sic dixerim cancellatis, suas naturas, suasque significationes amiserunt, seù vices suas; suumque ordinem mutaverunt, immò validè retinuerunt. Ephraim namque minor natu per dextram Jacob ex benedictione illa Patriarchali sibi collatam, major super Manassen primogenitum fratrem, sed per sinistram minorem effectum evasit: Nam etiamsi Ephraim, sinistra Manasses viceversa, in dextram sit commutata, ad sinistram Gentilis Populi, in Judaici Populi dexteram commutatam alludens; Dextra tamen, & sinistra Patriarchæ Jacob (cujus dextræ, ac sini-

Gen. 48.

stræ vis per ejus benedictionem est attendenda) suas naturas, suosque proprios significatus, necnon effectus denique sibi proprios omninò retinuerunt. Si autem ex mysterio statum Populi Gentilis in statum Judaici Populi conversum per vices Ephraim, & Manasses commutatas præseferente, sinistræ dignitas, aut nobilitas desumpta est; Id omnibus in rebus Ecclesiasticis factum esse, vel fieri saltèm dicas oportet: non enim de re vna, quàm de altera major ratio esse videtur, Dextrum tamen, ac sinistrum in rebus Ecclesiasticis non ità se habent, præsertim verò in Sacrificii incruenti Arâ, in qua Cornu Evangelii dextrum, cornu autem Epistolæ sinistrum respectu Crucis in medio positæ vocantur. Ea namque Altaris pars dextra nuncupatur, & est nobilior, non solum quia dextra est, sed propter item lectionem Evangelicam, quæ ibi recitatur, Christi prædicationem repræsentans. Adde etiam quòd ad eam partem sacer Canon universus celebratur, per quem augustissimum, ac divinissimum offertur Sacrificium. Ad sinistram verò partem legitur Epistola, quæ officium Joannis Baptistæ designat, & legis, ac prophetiæ figuram gerit, teste Durando.

Durandus.

Huic verò ritui in Ecclesia Sancta Dei usitatissimo legendi Evangelium ad Altaris dextram, Epistolam autem ad sinistram, non adversatur illud, quod Hugo de Sancto Victore in speculo Ecclesiæ scriptum reliquit, dicens: *Meritò in sinistra parte legitur Evangelium*; Nec item illud Micrologi dicentis; *ad sinistrum verò cornu Altaris habent librum, cum legunt Evangelium, vel cum sacrificant, ut in dextera parte sint expeditiores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda Altaris Sacramenta*. Hæc Micrologus. Cùm enim Evangelium ad eam Altaris partem, in qua nunc recitatur, legi semper consueverit; dextrum, ac sinistrum dictis in locis nonnisi respectu Sacerdotis, seù Populi ad Altare conversi, sumenda esse conjectandum, ac fatendum est. Nam Populi ad Altare conversi dextrum est sinistrum Altaris: hujus autem sinistrum, illius dextrum esse necesse est. Hinc Durandus, dum Sacerdotis in Altari mutationem, quæ fit à cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, deindè ab hoc ad illud, contemplatur; affert in medium rationem, cur id fieri soleat: Nam (ut ipse ait) in principio Missæ Sacerdos ad dextram consistit; cum verò pronunciat Evangelium, convertitur ad sinistram; & circà finem iterùm redit ad dexteram; quia cultus Dei primò fuit in Populo Judaico tamquam in dextra; deindè transivit ad Gentes, tamquam ad sinistram; Et in fine Mundi revertetur ad Judæos, tamquam ad dexteram. Hæc ad sensum Durandus, qui in re ipsa comprobanda hos recitat versus:

Hugo c.7.

Micrologi de Eccl. obs. c.9.

Durand. lib. 4. div. off. cap. 29.16.24.

Est ratio, cur pars Altaris dextera, Missæ
Principium, finemque tenet, mediumque sinistra:
Dextera Judæos, Gentiles læva figurat:
Cæpit ab iis, defertur ad hos, refertur ad illos
Nostra fides, & erunt omnes in fine fideles.

Quis igitur iis omnibus diligenter pensitatis, dextrum, ac sinistrum ab Hugone, Micrologo, & à Durando, respectu Sacerdotis, aut Populi ad Altare conversi sumpta fuisse inficias ire audeat? Nemo planè hominum, nisi tantos viros in rebus Ecclesiasticis eruditissimos, ac versatissimos, hunc ritum in Ecclesia Dei adeò usitatum ignorasse impudenter dicat. Ad hunc fortasse respectum, sive sensum pertinet exemplum illud, quod Sophronius Hierosolymitanus Archiepiscopus in Homilia ad Populum habita, deindè in Nicæna Synodo lecta, recitat, affirmans, se in quodam Templo valdè insigni, vidisse picturam repræsentantem Imaginem Domini Nostri Jesu Christi, ipsiusque Matrem, ac Dominam nostram, Deiparam semper Virginem Mariam, à sinistris ejusdem Christi Domini, à dextris verò Joannem Baptistam Salvatoris nostri præcursorem. Picturæ namque dextra solet interdum appellari sinistra, quia ipsa Picturæ dextra est ad sinistram illius, qui aspicit, ad Picturam conversus, ut nuper id luce clarius esse vidimus. Quod denique pars Altaris dextra sit cornu Evangelii dictum, ex eo comprobatur, quòd in Cappellâ Pontificiâ Summus Pontifex, & Cardinales Episcopi, & Presbyteri ad eam partem; ad alteram verò Cardinales Diaconi sedere conspiciuntur; Ad dextram item Summi Pontificis sedent Cardinales, ad sinistram verò Prælati assistentes: Hinc Oratores Principum inter Cardinales, ac Summum Pontificem manentes, non sedent, sed stare cernuntur. De sinistræ, aut dextræ nobilitate hactenùs, ut per B. Petri dextram, eamque sinistrâ digniorem, B. Paulo dari solitam, eidem nobiliorem semper locum dari tandem aliquandò comprobemus; loquendo, ut innuimus in sensu, quòd locus ille sit dignior, quatenùs dextera, ut in se, est locus dignior sinistrâ.

Nicæna Synodus.

Pro hac re comprobanda scitu dignum videtur, quonam modo Paulus alioquin minor; quoad aliqua æqualis, & major Petro jure dici queat: Paulus namque fuit minor Petro, vel quantum ad potestatem Prælationis, vel quantum ad jurisdictionem; solus enim Petrus dictus est *Cephas*, Hebraicè, vel Syriacè (Hieronymo teste) id est firma, & solida Petra, ideò per Joannem Petro à Christo dicitur: *Tu vocaberis Cephas*, quod interpretatur, *Petrus*, idest Petra solida. Hinc in Evangelio B. Matthæi Syriacè conscripto legitur: *Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Adde etiam, quod Petrus à Petra, Græca voce dictus est, vel Cephas græce, hoc est totius Ecclesiæ caput à Christo constitutus, & in plenitudinem Potestatis assumptus, cæteris in sollicitudinis partem vocatis. Paulus autem fuit æqualis Petro, ex officio Prædicationis, & fidei defensionis: Paulo namque Præputij, Petro autem, quamvis omnium Gentium, præcipue tamen circumcisionis Evangelium commissum fuit, ut idem Paulus ad Galatas 2. testatur. Et hanc ob causam,

Paulus minor æqualis, & major Petro ex Augustino Triumpho de pot. Eccl. q.7. art. 2. ad primum arg.

Hieronym. Joann. 2.

Matth. 16.

S. Tho. lib. 4. sent. d. 11. art. 5. q. 3. & 22. q. 33. ar. 4. ad 2.

præsertim (ut controversiam inter Hieronymum, & Augustinum Doctores Sanctos hac in re subortam, silentio involuam) Paulus reprahendere Petrum jure poterat, sicut Augustino Triumpho, & aliis placet. Immò S. Thomas, quamvis Paulum, quantum ad regiminis auctoritatem, minorem Petro fuisse dicat, illum tamen quantum ad authoritatis executionem huic æqualem fuisse affirmat.

Hieronym. ad Aug. epist. 89., & Aug. ep. 17. to. 2. S. Tho. lect. 2. ad Galat. 2.

D. Tho. ead. 22 ubi supra &c.

Pauli denique vocatio fuit præstantior Petri vocatione, si ejusdem vocationis tempus, & locus diligenter examinetur: Paulus enim fuit à Christo ad Apostolatum vocatus, summumque scientiæ, ac electionis vas effectus, & ad tertium usque cœlum raptus, audivit arcana verba, quæ homini loqui non licet: Deindè Collegio Apostolico fuit adscriptus, post gloriosam Christi Resurrectionem, ejusdemque in Cœlos Ascensionem. Petrus verò ante Christi passionem, dum Christus in hac mortali vita miseriis, & ærumnis plena, commoraretur. Quis autem Christi in Cœlo regnantis statum nobiliorem, aut digniorem ejusdem, in Terra ante passionem conversantis, statu, fuisse negare audebit? Nemò planè hominum, si uterque status accurate perpendatur: quantò enim immortalis vita mortali est præstantior, & dignior, glorificatioque miseriis, & ærumnis sublimior, & glorioſior; tantò nobiliorem, ac sublimiorem Pauli vocationem, si ea vocationi Petri comparetur, fuisse, dicas necesse est. Considerata ergo manu dexterâ, ut in se, & quatenus hæc in suo conceptu formali, ac ex naturâ suâ est dignior sinistrâ (tametsi propter rationes physicas, & in circumstantiis Imaginum Petri, & Pauli, superiùs recensitas, eadem verè dignior non sit, nec habeat rationem dignioris loci, sed minus digni) adhùc eam optimè dicitur convenire Paulo propter sequentes rationes tropologicas illi faventes, & præsertim propter sublimiorem ejus vocationem ad Apostolatum, factam in tempore magis digno, quàm fuerit vocatio Petri. Et hæc est Innocentii III. doctrinæ in sermone de quatuor Evangelistis dicentis: *Per sinistram enim mortalitas; per dextram verò immortalitas designatur; Secundum illud, læva ejus sub capite meo, & dextera illius complexabitur me. Propter hanc inquit causam in picturis Ecclesiæ Paulus ad dextram, & Petrus ad sinistram Salvatoris statuitur.* Hæc Innocentius hujus nominis tertius S. Bonaventura, dum B. Paulo dextram B. Petri dari solitam meditatur, ait hunc in modum: *Paulus dicitur Beniamin adolescentulus, ideſt filius dexteræ, ideſt filius gratiæ, ideſt post resurrectionem vocatus. Undè in picturis Paulus in dextra, Petrus in sinistra ponitur.* Hæc S. Bonaventura.

2. Corinth. 12.

Supra fol. 82. & seq.

Innocent. III serm. de 4. Evangel.

Cantic. cap. 2.

S. Bonavent. in Psal. 55.

S. Thomas idem ferè scribit, dum hæc B. Pauli ad Galatas scribentis ità interpretatur verba: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, &c. quasi dicat: Apostolus*, ait S. Thomas, *sum, non ab hominibus scilicèt adscriptus Collegio Apostolico, nec per hominem, scilicèt Christum in mortali carne viventem; sed sum Apostolus, per Christum jam suscitatum, & glorificatum: Et quia (inquit) præsens vita significatur per sinistram, futura verò per dextram, in quantum ista est cœlestis, & spiritualis, illa verò temporalis: ideò Petrus, qui vocatus fuit à Christo adhùc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte; Paulus verò, qui vocatus fuit à Christo glorificato, ponitur in parte dextera.* Hæc Sanctus Thomas.

Gal. 1. lect. 1.

Idem ferè scriptum reliquit Augustinus Trimphus de Ancona: Hic enim dum Paulum diversis de causis minorem ex aliis, æqualem, & majorem Petro esse considerat, Beatum Paulum majorem Sancto Petro ob ipsam vocationem esse, ait, hisce verbis: *Major autem (scilicèt Paulus) prærogativâ Electionis, quia electus fuit à Christo post resurrectionem, & glorificationem. Undè in Bulla Papæ Paulus ponitur à dextris, Petrus verò à sinistris.*

Augustin. Triumph. q. 7. ar. 2. ad primum arg.

Guillelmus Durandus eadem Innocentii verba recitat, quæ paulò superiùs citata sunt. Deindè, postquam *per sinistram mortalitatem, per dextram verò immortalitatem designari* affirmavit hæc subjecit verba: Et propter hanc causam in picturis Ecclesiarum, Paulus ad dexteram, & Petrus ad sinistram statuuntur Salvatoris: Et in Bulla Papæ caput Pauli à dextris Crucis, & caput Petri à sinistris.

Guillel. Durand. lib. 7. c. 44. num. 6.

Quamvis autem B. Pauli post Christi glorificationem, ejusdemque in Cœlos Ascensionem ad Apostolatum vocati electio, vera sit causa, cur scilicet in Summorum Pontificum Bullis, sive in plumbeis earundem Bullarum sigillis, & aliis quibusdam in locis, eidem Paulo dextrum Petri latus dari soleat; potissima tamen esse non potest: talis enim si esset, atque ut Theologi loquuntur, immediata, & ab aliis non dependens, non solum dictis in Bullis, aut sigillis, sed etiam in numismatibus, & in cæteris locis quibuscumque B. Paulus dextram sibi vindicaret partem. Id quod ubique aut semper fieri non videmus.

Non desunt qui dextrum B. Petri latus B. Paulo dari velint, non solùm propter præstantiam temporis, in quo B. Paulus ad Apostolatum vocatus fuit, verùm etiam propter vocationis Excellentiam, per quam ejus conversio fuit omni admiratione digna: quia fuit in ea conversione aliquid suprà naturam, & præter naturam, & contrà naturam, ut Ægidius Columnius Doctor fundamentarius, ait hisce verbis: *Fuit enim in ipsa conversione aliquid suprà naturam: quia natura nunquàm facere potest talem lucem, quæ Paulum visu exteriori privaret, adgenerando ejus oculis squamas, sicut in Paulo ex Actuum Apostolorum capite nono factum esse constat.* Fuit etiam in eâ conversione *aliquid præter naturam: quia lux illa oculos Pauli adeò læsit, quòd sociorum oculos illæsos reliquit. Fuit denique in eâdem conversione aliquid contrà naturam, dùm Paulus in perversa manens voluntate, hoc est in ipso actu perse-*

persequendi Ecclesiam Dei conversus fuit. Hæc ex Doctore nostro Ægidio. Si autèm vocationis excellentia in Sanctorum Apostolorum prælatione sufficeret, tamquàm causa immediata, & ab alia non dependens, Beatus Paulus omnibus in locis dextrum Beati Petri latus occuparet: quod esse non constat; Cur verò B. Paulus in plumbeis præsertim Literarum Apostolicarum Sigillis dextrum B. Petri latus occupare semper cernatur, cur item in numismatibus sinistrum, alibi autèm modò dextrum, modò sinistrum teneat, apud Auctores, qui in hanc rem scripserunt, nihil scriptum invenire potui. Hinc pro nodis hisce dissolvendis, rem altiùs censeo repetendam, nempè à Bullæ plumbatæ nominis interpretatione, si meam inter tot, tantosque viros, qui de hac materia scripserunt, opinionem interponere liceat. Apostolicæ itaque literæ, plumbeo munitæ signo, Bullæ appellantur; sed Bullæ rectiùs à græca voce Βυλὴ, dictæ, hoc est *Bule*, e litera in a, more nostro mutata, ut videre est in hac voce, *Mater*, quæ græcè Μητηρ vocitatur; dicitur-que *Bulla*, sivè *Bula*, quasi consilium, sententia, vel decretum, ut Budæus in commentariis linguæ Græcæ, interpretatur: Bulla enim duplici, ll, pronunciata, sivè scripta, pro auratis clavorum capitibus ad valvas, sivè fores decorandas inventis, capi solet; vel triumphantium insigne est, quod in Triumpho Romani, olim superstitionibus dediti præ se gerebant, inclusis intrà eam Bullam remediis, quæ adversus invidiam crederent valentissima: eratque Bulla ipsa, teste Macrobio lib. 1. Saturnalium, rotunda, & in cordis figuram formata, quam antè pectus in collo annectebant, ut Bullam inspicientes, ità demùm se homines cogitarent, si corde præstarent: eaque (ut ait Asconius) argentea erat, vel aurea, infantibus itèm ingenuis ad collum suspendi solita: quam Festus Pompejus de verborum significatione, à Græca voce Βυλὴ, dictam affirmat, quod consilium latinè dicitur: vel quia, ut ipse ait, eam partem corporis Bulla contingat, idest pectus, in quo naturale manet consilium. A cujus rei specie, sivè formâ, vèl similitudine, Plutarcho auctore in Problematibus, tumor etiam inanis, figuram rotundam habens, qui cernitur in aquis momento temporis enascens simul, & evanescens, dicta est Bulla, quæ spiritu quodam in aqua excitatur, præsertim verò, dum bullit, vel spumam facit. Undè apud Varronem, in præfatione de re rusticâ, sivè de agricultura, sub initium, proverbiali locutione dicitur, *Homo Bulla*, quia scilicèt similis Bullæ vita hominis sit fluxa, & momento caduca.

Bullæ nomen undè originè trahat.

Βυλὴ, ideſt Bula, quasi consilium, vel sententia seù decretum

Bullæ varii significatus.

Macrob. c.6.

Ascon. Ped.

Fest. Pomp.

Plutarch. in probl.

Varro.

Homo bulla quid.

Bulla igitur Pontificia unica l. scribi pronuntiarique debet, & quippè quæ à consilio, vel decreto, ac potestate deducta est: In Bullis namque Summorum Pontificum consilia, sivè sententiæ, vel decreta continentur, quæ voluntatem eorundem, seù auctoritatem, ac plenitudinem potestatis demonstrant. Hinc Petrus Rebuffus, qui suâ in Praxi 3. p. Signaturæ in Bullæ declaratione contra rei veritatem in plumbeis literarum Apostolicarum Sigillis, nisi locus Typographorum, aut correctorum, seù potius corruptorum insciti sit mendosus, *Petrum ad dextram, Paulum ad sinistram extare* ait, ipsaque plumbea sigilla, juxta illum Bullæ sensum primo loco explicatum, ad earundem literarum ornatum facere, in declaratione Bullæ Cœnæ Domini opinatus est, vim, atque Etymologiam Bullæ non advertens, dum inquit: *Bullæ etiam dicuntur ornamenta, quibus singula decorantur. Hodiè verò* (ait) *quia literæ Romanorum Pontificum ornantur plumbo; ideò illæ literæ sic plumbo decoratæ dicuntur Bullæ.* Hæc Rebuffus, cujus opinio vulgaris, aut popularis est vim Bullæ propriam, aut occultiorem Etymologiam non attingens: Bulla itaque Pontificia, vel potius *Bula*, sivè plumbeum sigillum ab Italis vernacula lingua *Bullum* passim vocitatur, à consilio, & à decreto dictum, auctoritate, sivè plenariâ potestate est insignitum, si diligentèr examinetur: ad cujus Bullæ dextram Paulus, ad sinistram vero Petrus, ob causam enarratam, in plumbo incisi cernuntur semper. Hanc verò plenitudinem potestatis, & coactivæ præsertim tàm spiritualis, quàm temporalis, Summis Pontificibus à Deo datam, Christus Dominus, & Salvator noster in hac mortali vitâ, vel ante suum in Cœlos ascensum exercere visus est, quando faciens quasi flagellum de funiculis, omnes ementes, & vendentes de Templo ejecit, & mensas nummulariorum, & Cathedras vendentium columbas evertit. Qua in re pro tuendo Patris honore tantam exercuit potestatem, quantam verbis explicare nemo potest, si omnia diligenter examinentur. Quamvis enim Christus, Deus scilicèt, atque homo, in hac mortali vita plenitudinem Potestatis eminentissimè habuerit semper, ut ex luculentissimo B. Joannis Testimonio cap. 3. constat, dicentis: *Omnia dedit ei Pater in manus* (*hoc est plenitudinem scientiæ, ac potestatis, ut Lyranus interpretatur*) *eam tamen potestatem ante resurrectionem, executioni omninò mandasse visus non est*. Hinc ipsamet veritas Christus Dominus, ac Salvator noster, omnipotentiâ insignitus, nonnisi post suam gloriosam resurrectionem, & glorificationem se plenitudinem potestatis habuisse per Beatum Matthæum, testatus est in hanc verborum formam: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra*. Quamvis namque Christus plenitudinem Potestatis eminentissimam, quantum ad divinitatem ab æterno, & quantum ad humanitatem, jam indè à suæ Conceptionis instanti, auctoritativè haberet in Cœlo, & in Terra; eam tamen post suam resurrectionem executivè habuisse narratur; quià sicut propter nostram Redemptionem è Cœlo descendit, nostram assumens carnem, ità miserijs, & ærumnis (ut sic dixerim) passibilitati factus obnoxius; Cruci tandem ignominiosè affigi voluit, suam potestatem non omittens eminentissimam, sed ad gloriosæ tantum Resurrectionis, & glorificationis

Rebuff. opinio Prax. 3. p.

Artic. 4.

Rebuff. vim Bullæ nescivit.

Matth. 21.

Joan. 2.

Joan. 3.

D. Tho. 3. p. q. 43. ar. 3. ad 2.

Matth. 28.

Ibid. D. Tho

usque tempus intermittens. Hinc B. Hieronymus hujus generis potestatem Christo Domino datam, seù potius declaratam post Crucis affixionem, & Resurrectionem contemplans ait: *Illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui posteà resurrexit. In Cœlo autem, & in Terra data est potestas, ut, qui ante regnabat in Cœlo, per fidem credentium regnet in Terris.*

Hieron. lib. 4. comment. in Matth. sub fin. cap. 28.

Cum itaquè B. Paulus post admirabilem & glorioſam Christi resurrectionem, glorificationemque, ejusdemque in Cœlos ascensum fuerit ad Apostolatum vocatus, paucis post diebus, vel mensibus (ut nonnulli volunt) vel secundo post ascensum anno (ut Isidorus ait) Sanctorum Apostolorum Collegio adscriptus, eo scilicet tempore, in quo plenitudo potestatis promulgata jam fuit, jure ipso suo, in Pontificiis præsertim Bullis, in quibus Pontificiæ potestatis plenitudo, sive auctoritatis executio manifestè apparet, dextrum Petri latus occupare semper solet. Nec mirum id cuiquam videri debet: propterea quòd Paulus vas electionis à Christo effectus, de Tribu fuit Beniamin: quod enim Hebraice *Beniamin* dicitur, latine *filius dexteræ* nuncupatur. Adde etiam, quòd Paulus electus fuit Prædicator Gentilitatis, quæ dextram Judæorum erat occupatura, & re nunc ipsâ occupat. Hùc tandem accedit; quòd Paulus ad id præstandum electus fuit post glorificationem, per quam dextera designatur, & in qua glorificatione Christus ipse, ut Sanctus Evangelista Matthæus testatur, suam, suique hisce in Terris Vicarii plenitudinem potestatis in hæc promulgavit verba: *Data est mihi omnis Potestas in Cœlo, & in Terra.* Ex his ergò dexteræ Symbolis, Paulus suo sibi Jure dextram Petri vindicare cernitur, in Bullis præsertim Pontificiis plumbeo Sigillo munitis, in quibus plena potestas, sivè auctoritatis executio, tempore tantùm glorificationis dextram repræsentans, promulgata, resplendet. Hinc in Numismatibus, in quibus nec potestas repræsentatur, nec dextra ullo modo adumbratur, Petrus ad dextram, Paulus verò ad sinistram effingi solet.

Isidor. lib. de vita, & obitu Sanctorum.

Matth. 20.

Dictam igitur ob causam B. Paulus ad dextram in Sigillis plumbeis, Petrus verò ad sinistram impressi semper cernuntur: quamvis enim Paulus, ut diximus, quantum ad regiminis auctoritatem fuerit minor Petro, ex auctoritatis tamen executione fuit ei æqualis: ambo namque fuerunt Episcopi; sed licet inter eos eadem adesset potestas, illa tamen Pauli erat subordinata. Hinc B. Paulus in Pontificiis præsertim Bullis, in plumbeis videlicet sigillis dextram occupat partem, quia executio Potestatis, quæ in Bullis expressè apparet, atque exercetur, promulgata fuit, exercerique cæpta eo tempore, quo B. Paulus conversus, fuit ad Apostolatum vocatus. Adde etiam, quòd in Bullis crux invenitur semper, ut intra videre licèt.

Crux in Bullis.

Nec fortuitò, nec ad cujuscumque arbitrium, nec per imperitiam fieri solere credendum est, ut aliis, scilicèt in locis Paulus modò ad dextrum, modò ad sinistrum Petri latus collocetur. Si enim Christus Dominus, & Salvator noster, vel Crux inter Petrum, & Paulum ponatur, Paulum ad Christi dextram, Petrum verò ad sinistram collocandos non dubito: propterea quod Christus, qui à morte resurrexit, quique ad dextram Patris sedet, non solùm glorificatus, sed suorum item glorificator est, totiusque Glorificationis caput, auctor, & Dominus. Quæ sane omnia, & dexteram, & plenitudinem potestatis in glorificatione patefactam, & promulgatam, præseferentia Paulum, dexteræ filium nuncupatum, Gentilitatisque ad dexteram Judæorum sessuræ Magistrum, & Apostolum, atque in ipsa Glorificatione à Christo vocatum, ad latus Christi dextrum, Petrum autem in mortali vita, per quam (teste Gregorio) sinistra designatur, ante scilicèt Christi passionem, & Glorificationem vocatum; ad sinistrum Christi latus collocandos esse omninò persuadent. Id quod etiam observandum reor, si Christus Cruci affixus, vel sola Crux, Imaginem Christi, nostramque salutem repræsentans, inter eosdem Apostolorum Principes intercedat: Nam Christus homo ex sua ipsius ad Crucis usque mortem humilitate, Resurrectionem, immortalitatem, nèc non sui Corporis Glorificationem, per quam dextera significatur; suprà quàm dici, aùt cogitari potest promeruit, ut S. Paulus ad Philippenses testatur in hanc verborum formam: *Humiliavit semetipsum factus obediens usquè ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum: & omnis lingua confiteatur, quià Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hæc S. Paulus, qui hisce profectò verbis, Crucem non solùm Redemptionis nostræ Typum, sed exaltationis item Christi; vel Corporis glorificationis Instrumentum fuisse docet: Animæ namque gloriam à suæ Conceptionis Instanti Christus accepit. Quòd autem Christus non ante, sed post passionem per Crucem in Resurrectione; atquè in Cœlum Ascensu fuerit glorificatus. Id S. Evangelista Joannes apertè docet, dum rationem, cur Spiritus Sanctus in plenitudine, & in signo visibili ante Christi passionem datus non fuerit, in medium affert hisce verbis: *Nondùm enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus.* Alio item in loco Evangelista Sanctus innuit tempus, in quo Christus fuit glorificatus; dùm Scripturæ cujusdam mysterium ante Christi passionem à Discipulis ignoratum fuisse ait in hæc verba: *Hæc non cognoverunt Discipuli ejus primùm: sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo.* Hinc Salvator ipse Christus, paulò antè passionem, hoc est, postremâ illâ in Cœna cum Discipulis facta, abeunte Juda, præoccupativè dixit: *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Per passionem igitur, & Crucem Chri-

Regula collocandi Imagines SS. Apostolorum.

Gregorius.

Philipp. 2.

Joan. 7.

Joan. 12.

Joan. 13.

Christus Dominus exaltationem, & glorificationem, atque totam potestatis executionem promeruit.

Quòd autèm Christus Dominus per Sacratissimæ Crucis lignum, exaltationem, & glorificationem omni potestate, sivè Dominatu, & Imperio refertissimam promeruerit, comprobatur ex Prophetico illo David oraculo, quod in Hymno Dominicæ Passionis mysteria recensente legitur in hunc modum:

Hymnus Theodulphi, vel Fortunati, aut Sedulii, vel Ambrosii ad resp. Dom. passion.

Dicens in nationibus Regnavit à Ligno Deus.

Quòd certè Oraculum de Christi Salvatoris nostri glorioso Principatu per augustissimam, & sacratissimam Crucem acquisito deductum, è Davidico Psalmo, juxtà Psalmorum editionem, nècnon iuxtà eam, quam Italam, vel Romanam vocant, & Ecclesia Sancti Petri Romæ habet, multisque ab hinc sæculis legit, desumptum est hisce verbis:

Psal. 95.

Dicite in nationibus Dñus regnavit à Ligno.

Quas sanè voculas (à ligno) Justinus Martyr contrà Tryphonem è Bibliis ablatas jam fuisse testatur, grandemque Judæis hac in re dicam impingit. Quamvis autèm in Hebraica, & Græca item, atque Septuaginta Interpretum editione dictæ voculæ desiderentur, leguntur tamèn in Psalmo 95., non solùm à Justino Martyre, verùm etiam à S. Cypriano, à Tertulliano, à S. Ambrosio, à B. Patre Augustino, & à S. Leone Papa hujus nominis primo. Hinc Tertullianus in Libro adversus Judæos, hunc novum regnandi modum per salutiferæ Crucis lignum meditatur in hanc verborum formam: *Solus novus, Rex Sæculorum, Christus Jesus novam gloriam, & potestatem, sublimitatemque suam in humero extulit, Crucem scilicèt, ut secundùm priorem Prophetiam exindè Dominus regnaret à Ligno*: Hæc ibi, &infrà: *Infignitèr crucifixus est.* Et B. Hieronymus. *Gloria Salvatoris triumphantis patibulum est; Crucifigitur, ut homo, glorificatur, ut Deus, Christus ità que Dominus, ac Redemptor noster, Deus, & homo in unitate hypostatica per lignum Sanctissimæ Crucis à terrâ exaltatus, & glorificatus, regium, & gloriosum Principatum, omnemque potestatem adeptus fuit. Juxtà illud B. Joannis dictum si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

Dica, idest, judicium, actio, & libellus actionem continens interpretatur. Psal. 95. Cyprian. Tertul. Ambros. August. Leo I.

Hieronym. ad Hedibiam q. 9.

Joan. 12.

Paulus igitur (ut quæsitum à nobis propositum, paucis comprehendamus verbis, comprehensumque concludamus) non fortuitò, nèc ad cujusvis arbitrium, sed suo quodam jure (ut paulò superiùs dictum est) in Bullis præsertìm Pontificiis obtinet dextrum Petri latus ob rationem assignatam; Si autem intèr eos Christus, vèl Crux ipsa intercedat; Christi etiàm, vèl Crucis dexteram, Petro sinistram obtinente, occupare solet, ac debet. Nàm per Christum Salvatorem nostrum, atquè itèm per Crucem ipsam nonnisi Christi repræsentatur glorificatio, in quâ B. Paulus ad Collegium Apostolicum fuit vocatus, eidemquè per conversionem omni admiratione dignam adscriptus.

Conclusio.

Notandum.

Nèc nostræ hulc observationi, & quasi normæ refragatur Tabula illa vetustissima antè Constantini Magni Imperatoris tempus (ut ajunt) depicta, quæ Romæ in sacro Basilicæ S. Petri Keliquiario diligenter custoditur, ac devote asservatur: Nàm in eâ, cujus exemplar asservatur in Bibliotheca nostra Angelica, Petrus ad dexteram, Paulus verò ad sinistram, pièti cernuntur, partem, quià Christus intèr eos medius non extat, sed suprà illos in Cœlo stare conspicitur, aùt repræsentatur, atquè hunc fere semper in modum, seù ordinem dispositi cerni solent, quandò scilicèt Christi, vèl Crucis saltèm Imago, vèl Christi Mater Maria semper Virgo filium in sinu gerens non est intèr eos. Id quod longo temporum intervallo ad hanc usquè diem, factum, observatumque esse animadverti. Hinc in numismatibus, & aliis in locis quibuscumque Petrus tamquàm Collegii Apostolici caput, dextrum Pauli latus sibi vendicat, vendicareque sibi debet, ut primatu, quem intèr cæteros Apostolos à Christo accepit, suo ex Jure potiatur.

Imagines, quæ Constantino apparuerunt.

Quòd autem jàm indè à Constantini Magni, Sylvestri Papæ primi temporibus Sanctus Paulus ad Salvatoris nostri dextram, & Sanctus Petrus ad sinistram pingi consueverint, ut Petrus Damianus ad Desiderium Abbatem scribens testatur, ex antiquissimo B. Constantiæ, Constantini Magni Imperatoris filiæ, Templo constat, quod est in viâ Nomentana propè Sanctam Agnetem: Nàm ad ejusdem Templi lævam ingredientibus sese offert *Absidula* opere musivo exornata, in quâ cernitur Salvatoris Imago, ad cujus dextram S. Paulus, & ad sinistram S. Petrus repræsentari conspiciuntur. Cum verò reliquum musivum ipsius Templi sacrum infrà aliud non sacrum ab eâdem Constantia extructum esse credatur, & hujusce *Absidulæ* reliquo operi persimile opus esse videatur, has quoquè Sanctorum Apostolorum Imagines paris esse antiquitatis credendum censetur.

CCCXXV.

Petrus Damianus lib. 2. Epist. 37. Primus locus

In Absidè itèm Ecclesiæ Sanctorum Cosmæ, & Damiani Romæ à S. Fœlice Papa Anno Domini DXXX. opere musivo constructa, S. Paulus ad Salvatoris nostri dextram, & S. Petrus ad sinistram repræsentari cernuntur. Sed quià Imago dicti Pontificis tempore Gregorii XIII. ceciderat, loco ejus Imago S. Gregorii Magni suffecta est, ut ait Pompejus Ugonius in libro de Stationibus Urbis Romæ; Vir quidèm non minùs eruditus, quàm accuratus.

Locus secundus. Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani DXXX.

Pompejus Vgon. p. 178.

Hujusce itèm rei extat exemplum valdè insigne in Sacrario Pontificio, intrà Palatium Vaticanum sito. Hoc enim in loco Ligni Dominicæ, ac salutiferæ Crucis frustum satis grande intrà crystallinam, & auream Crucem inclusum asservatur. In quo Imago Christi Cruci affixi cernitur inciså: ad cujus dextram Beatus Paulus, ad sinistram verò Beatus Petrus conspiciuntur. Quòd sanè pretiosi Ligni frustum gemmis ornatum Basilicæ Lateranensi repositum circà annum Domini DCXC. à Sergio Papa hujus nominis primo, ut Beda in lib. de temporum ratione, & Anastasius Bibliothecarius in Vita Sergii, nècnon

Locus tertius Apostolici Palatii Sacrarium.

DCXC.

Respondetur tacitæ objectioni.

Pan-

Panvinius in libello de septem Urbis Ecclesiis testantur. Panvinius autèm hæc addens verba ait: *Hanc Ligni Sanctissimi portionem excidio Vrbis sub Clemente VII. à militibus aliquot, theca argentea direpta, ablatam Pontifex prodigiosè, & non sinè ope divinâ recuperavit; & aureâ, crystallinâque Cruce inclusam in Palatio Vaticano, ubi est Sacristia, vel Sacrarium Pontificium servari jussit.* Hæc Panvinius; De hac Sanctissimi Ligni portione Commentarium conscripsi, ac typis mandandum curavi Anno Dom. 1609.

Commentarius de Ligno Crucis.

Locus 4.

Ecclesia S. Mariæ in Portico.

Sapphyrinus lapis.

Id ipsum ferè videre licet in Ecclesia, quæ olim apud Ethnicos, templum (ut ajunt, *Pudicitiæ*, nunc verò *S. Maria in Porticu* nuncupatur: In sacra enim hac æde super Altare majus Sapphyrina diligentèr custoditur Tabula, & maxima veneratione asservatur. In qua *B. Maria semper Virgo, Christum filium in sinu gestans* impressa cernitur, dextram ejus partem occupante B. Paulo, sinistram verò B. Petro. Hanc autem Tabulam tempore Joannis Papæ hujus nominis primi, circà annum Domini 523. Sacris Imaginibus insignitam, e Cœlo miraculosè descendisse, & Gallæ Sanctæ Fœminæ, Symmachi Patritii Romani filiæ, apparuisse, vetustatis monumenta testantur. Id quod per Sapphyrum, flavi, aut cœlestis perspicui coloris gemmam, quæ hominem, ut ajunt, castum, & pudicum reddit, divinitùs factum reor, ut superstitiosâ falsæ pudicitiæ Deæ veneratione posthabitâ, veræ Pudicitiæ Reginæ Templum illud consecraretur, sicut à Joanne primo factum esse constat. Sunt, qui velint, Ecclesiam hanc in ædibus dictæ Gallæ fuisse constructam, & lapidem illum non Sapphyrum, sed lazulum [quem stellatum vocant] flavo scilicet, ac cœlesti colore, aureisque, ut peritiores volunt, crepusculis nitentem esse contendant, ut reverà id ita esse vidi: nam *Matris, & Filii Imagines* aureis vestibus indutæ, multisque Stellulis, sivè Rosulis, ramusculisque aureis item duobus circumseptę, necnon Pauli ad dextram, Petri autem ad sinistram extantes effigies, lapide in ipso lazulo innatæ videntur.

DXXIII.

Sapphyri natura.

Lapis lazulus.

Locus 5. Patriarchium Lateranen.

Ad Lateranense Patriarchium in Aula semidiruta, quæ leonina nuncupatur, eo quod à Leone hujus nominis III. qui Romæ Carolum Magnum Imperatorem coronavit, constructa dicitur circa Annum Domini DCCCX. Beatus Paulus ad Salvatoris nostri dextram, Beatus autem Petrus ad sinistram, opere musivo picti cernuntur. Infrà verò Imaginem B. Petri Leo Papa III. & Carolus Magnus conspiciuntur, tabulæ quadratæ similitudinem circà verticem habentes. Id quod viventium insigne est, ut Joannes Diaconus ait. Qua ex re vixisse illos eo tempore, quo illud opus musivum factum fuit apertè colligitur. Eundem item in modum in Aula Conciliorum dicta, ejusdemque Leonis tempore constructa, nunc verò omnino diruta, Apostoli Sancti cernebantur picti, Paulus videlicet ad Salvatoris dextram, Petrus autem ad sinistram.

DCCCX.

Vide libellum in S. Greg. Opusculũ Sacramentorum. Jo: Diacon. in Vita B. Greg.

Hujus item rei Exemplum opere vermiculato, seù musivo, circa Annum Domini DCCCXX. constructo à Paschale Papa hujus nominis primo, ut inscriptiones indicant, non semel repræsentatum videre est in Ecclesia Sanctæ Praxedis non solùm in primaria dictæ Ecclesiæ Absíde, sed etiam in Oratorio, quod *Hortus Paradisi*, vel *Sancta Maria libera nos à pœnis Inferni*, nuncupatur, hisce namque in locis S. Paulus ad Salvatoris nostri dextram, B. verò Petrus ad sinistram picti, seù collocati conspiciuntur.

Locus 6. Eccl. S. Praxedis. DCCCXX.

Ad vetustissimæ Ecclesiæ, quæ Sanctæ Mariæ in Dominica, sivè Domnica, vel ad Naviculam nuncupatur. Absídem, à Paschale hujus item nominis primo constructam, circà Annum Domini DCCCXVII. & ejusdem Pontificis tempore opere musivo pictam, B. Paulum ad Beatæ Mariæ semper Virginis, Christum filium in sinu gestantis, dextram, B. verò Petrus ad sinistram picti cernuntur.

Locus 7. DCCCXVII.

Ad Absídem itèm Ecclesiæ S. Cęciliæ opere musivo, circà Annum Domini plus, minusve DCCCXVII. pictam tempore ejusdem Paschalis primi, qui, ut ait Bibliothecarius, Ecclesiam à fundamentis restituit, Beatus Paulus ad Salvatoris dextram, Beatus autèm Petrus ad sinistram locati conspiciuntur.

Locus 8. DCCCXVII.

In Ecclesia S. Marci extrà Absídem opere musivo pictam Beatus Paulus ad Salvatoris dextram, B. autèm Petrus ad sinistram conspiciuntur. Quod sanè opus à Gregorio IV. circà Annum Dñi DCCCXXXIII. factum fuit, ut Inscriptiones, quæ inibi leguntur, & Gregorii ejusdem Imago docent. Gregorius namque in Absíde ipsa una cum aliis Sanctis pictus cenitur, Tabulæ quadratæ similitudinem circà verticem habens. Quæ sanè Tabula viventis insigne est, ut nuper à nobis ex Joanne Diacono dictum fuit.

Locus 9. Eccl. S. Marci. DCCC XXXIII.

In Ecclesia S. Pudentianæ, omnium Urbis Basilicarum, quæ modò Romæ supersunt (ut ait Panvinius) vetustissima, à Pio hujus nominis primo eidem Sanctæ, circà Annum Domini CLIV. Pompejo Ugonio teste, consecrata, extat vetustissimum Absídæ musivum, Christi Salvatoris nostri, & Sanctorum Apostolorum Imaginibus ornatum, atque admodùm elegans. In quo B. Paulus Salvatoris Christi dextram, Sanctus verò Petrus sinistram occupare cernuntur. Quamvis autèm Ecclesia vetustissima sit, musivum tamen ab Hadriano Papa hujus nominis III. circà Annum Dñi DCCCLXXXIV. factum esse Pompejus Ugonius in Historia Stationum narrat, literis quibusdam inter se complicatis, quæ inibi legebantur, notamque compendiariam efficiebant, admonitus.

Locus 10. Eccl. S. Pudẽtianæ. Panvinus. CLIV. Pomp. Vgon. DCCC LXXXIV.

Idem olim videre licebat suprà Sacellulum quoddam perantiquum, quod erat in Atrio veteri Basilicæ Sancti Petri Romæ propè Othonis II. Imperatoris porphyreticum Sepulchrum, circà Annum Dñi MC. con-

Locus 11.

constructum, & infrà celeberrimam Joti Pictoris fluctuantem Naviculam, quæ nunc ex ruinis ejusdem veteris Basilicæ, atque Atrii jussu Pauli V. Pontificis Maximi diligentèr extracta, & ornata, in Atrio Basilicæ novæ Sancti Petri sita cernitur, Basilica eadem ab eodem summo Pontifice ad perfectionem redacta non sine perpulchro, & miro Basilicæ, atque Atrii Artificio.

Anno Dom. MCCXVIII. Pont. Hic. XIII.

Idem ferè in Ecclesia S. Mariæ Transtyberim ad Absidem opere musivo, tempore Innocentii II. circà Annum Dñi MCXXXIV. vermiculatam cernitur, in qua *B. Maria semper Virgo Christum filium in sinu gestans conspicitur* B. Paulo dextram Sancto autem Petro siniſtram occupante partem.

Locus 12. Eccl. S. Mariæ Transtyb. MCXXXIV.

Ad præcipuam Basilicæ S. Mariæ Majoris, vel ad Præsepe frontem, quæ Basilicam Lateranensem spectat, suprà porticum ab Eugenio Papa hujus nominis III. circà Annum Domini MCL. constructam, & à Petro, & Jacobo ex Illustrissima Columnensi familia S. R. E. Cardinalibus vermiculatam, circà Annum Domini MCCXC. Beatus Paulus ad Salvatoris nostri dextram, Beatus autem Petrus ad siniſtram opere musivo picti cernuntur.

Locus 13. S. Mariæ Majoris Basilica.

MCCXC.

Idem ferè cernebatur in Sacello, quod in Porticu S. Petri extabat, & S. Maria ad Febres vocitatur. Erat enim pictura illa vetustissima, quæ olim vel in Sacrario, vel inter Columnas Porticus ejusdem sita erat; infrà quam verò Corpus S. Gregorii Magni humatum olim jacebat. Hoc enim in loco B. Paulus ad dextram Beatæ Mariæ filium, in sinu gestantis, Sanctus verò Petrus ad siniſtram picti conspiciebantur.

Locus 14. S. Petri Porticus.

Idem, ac splendidius quidem observatum olim cernebatur in vetustiori S. Petri Basilica ad Sacelli Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Absidem, tempore Innocentii III. circà Annum Domini MCC., cujus absidis exemplar in nostra Bibliotheca Angelica asservatur.

Locus 15. Sacellum SS. Petri, & Pauli

MCC.

In Abside Basilicæ S. Joannis in Laterano à Nicolao IV., circà Annum Domini MCCXC. opere musivo constructa, Salvator noster conspicitur, ad cujus dextram B. Petrus, & ad hujus item dextram S. Paulus picti cernuntur. In hac Abside non solum integra Salvatoris nostri Imago, & ad ejus dextram, & siniſtram Beati Apostoli, & alii Sancti repræsentantur; Sed in superiori ejusdem Absidis parte Facies illa Salvatoris resplendet, quæ Populo Romano in Basilicæ dedicatione miraculosè apparvit, quæque ab omni semper incendio, quod passa est Ecclesia ipsa, remansit illæsa. Hinc in dicta Abside, quam Nicolaus IV. à fundamentis restituit, hæc legitur inscriptio.

Locus 16. Basilica S. Jo: Lateran. MCCXC.

Nicolaus IV. filius S. Francisci sacrum Vultum Salvatoris reponi fecit in loco, ubi primo Miraculosè apparuit, quando fuit ista Ecclesia consecrata.

Beatus itaque Paulus ad Savatoris, & S. Petri dextram collocatus conspicitur.

Ad Basilicæ S. Pauli Absidem jussu Honorii III., qui fuit ex nobilissima Sabellorum familia, vermiculatam, sive opere musivo pictam, B. Paulus ad Salvatoris nostri dextram, & Beatus Petrus ad siniſtram extare cernuntur. Id quod factum constat, circà Annum Domini MCCXVII. Nam Honorius Papa hujus nominis III., qui Pontificatum susscepit Anno Domini MCCXVI. & obiit Anno Domini MCCXXVII. in Abside commemorata, ad Salvatoris pedes prostratus jacere cernitur, & sub eo hæc leguntur: *Honorius Papa III.* Quæ sanè verba ad ejusdem item Absidis leguntur culmen. Hujusce Absidis exemplar in Bibliotheca nostra Angelica asservatur.

Locus 17. Basilica Sancti Pauli.

MCCXVII.

MCCXVI.

MCCXVII.

Honor. III.

Id quoque conspicitur ad Absidem Ecclesiæ S. Clementis, circà Annum Domini MCCXCIV. vermiculatam, ut inscriptio ad siniſtram Absidis latus aureis literis insignita, ostendit. Beatus enim Paulus ad Salvatoris nostri dextram, & Beatus Petrus ad siniſtram opere musivo picti cernuntur.

Locus 18. Eccl. S. Clementis. MCCXCIV.

Idem ferè cernitur ad præcipuam Basilicæ S. Pauli frontem ab exteriori Basilicæ parte opere musivo pictam tempore Joannis XXI. qui dictus est XXII., summusque Pontifex Anno Domini MCCXVI. renunciatus. Insignia verò Clementis VI. vel Gregorii XI. ejus Nepotis, qui Apostolicam Sedem ex Avenione Anno Dñi MCCCLXXVI. Romam reportavit, ad ejusdem frontis fastigium conspiciuntur, ob aliquam fortasse murorum reparationem ab hoc, vel ab illo præstitam.

Locus 19. Basilica Sancti Pauli.

MCCXVI.

M C C C LXXXVI. Apostolica Sedes ex Avenione Romam reportata.

Istùc ferè ipsum repræsentatur suprà majus Altare Basilicæ Lateranensis in terculo illo, seù ciborio, in quo Sanctissima Beatorum Petri, & Pauli capita diligenter, ac devotè asservantur; ibi enim ad partem illam, quæ vergit ad Scalam Sanctam extant nonnullę Imagines satis vetustę à Leonardo Vincio, circà Annum Domini MCDXCIV. depictæ, nunc autem recenti colore illustratæ, quarum media est Christus Dominus Cruci affixus, ad ejus dextram Mater Domini, deindè Paulus: Ad siniſtram verò Joannes, deinde Petrus picti cernuntur. Ad Angelos item ejusdem Ciborii extant Imagines Sanctissimorum Apostolorum Petri, & Pauli marmoreæ, quarum illa ad siniſtram, hæc autem ad dextram sitæ cernuntur.

Locus 20. Basilica Lateranen.

MCDXCIV.

Locus 21.

In Ecclesia S. Laurentii in Lucina vetustissimæ ad Absidem extant picturæ, inter quas B. Paulus ad Salvatoris nostri dextram, B. autem Petrus ad siniſtram picti conspiciuntur.

Locus 22. Eccl. S. Laurentii in Lucina.

Idem ad Ecclesiæ Sanctorum Quatuor Coronatorum, necnon ad Sacrarum Ædium S. Chrysogoni Absidem videre licet, ibi enim B. Paulus ad dextram Salvatoris, Petrus autem ad siniſtram: hìc verò B. Paulus ad dextram Beatæ Mariæ semper Virginis, & S. Petrus ad siniſtram picti conspiciuntur.

Locus 23. Eccl. Ss. Quat. Coron. S. Chrysogon.

In Ecclesia S. Andreæ, quæ erat ubi nunc

Locus 24. Eccl. S. Andreæ.

nunc est Ecclesia S. Antonii, propè Basilicam S. Mariæ Majoris. Absis erat musivo picta, quæ solo prophanata, & in hominum usum conversa nunc supereſt, & in ea cernitur Sanctus Paulus ad Christi dextram, & S. Petrus ad sinistram. Musivum autem constructum fuit à Simplicio Papa Anno Domini CDLXXIV.

Locus 25. Eccl. S. Venantii.

In Ecclesia S. Venantii propè Baptisterium, vel S. Mariam ad fontem juxtà Basilicam Lateranensem, ad Absidem Anno Domini DCXXXVIII. constructam, S. Paulus ad dextram, & S. Petrus ad sinistram picti repræsentantur, inter quos Apostolos Beatæ Mariæ semper Virginis cernitur Imago, suprà quam Imago Salvatoris repræsentatur.

Locus 26. Eccl. S. Praxedis.

In Ecclesia S. Praxedis ad Absidem, musivo item pictam Anno Dñi DCCXXVIII. S. Paulus ad Salvatoris dextram, & S. Petrus ad sinistram picti cernuntur.

Locus 27. Eccl. S. Mariæ in Palmis.

In Ædicula S. Mariæ in Palmis propè Portam Salariam Romæ, Sanctus Paulus ad dextram B. Mariæ semper Virginis filium in sinu gestantis, & S. Petrus ad sininistram picti repræsentantur.

Locus 28. Basilica Lateran.

Id ipsum prætereà ætate nostra non sine validissima ratione observatum conspicimus in laqueari, sive contignatione illa Basilicæ Lateranensis Absidi adhærenti, quam suis impensis Clemens VIII. magnificentissimè construendam curavit. In hac enim Contignatione auro ditissima, necnon Sculpturis, ac picturis ornatissima, quæ Majori imminet Altari, B. Paulus ad Salvatoris nostri dextram, S. autem Petrus ad sinistram collocati cernuntur.

Locus 29. Anno Dom. MDC. Pontif. Anno XI.

Istuc denique ipsum factum esse constat ab eodem Paulo V. Burghesio Romano Pontifice Maximo in primaria Porta Palatii Apostolici Montis Quirinalis, Marmoreis Imaginibus perpulchre ornata, in qua Deipara Maria semper Virgo Filium in sinu gestans repræsentatur, ad cujus dextram S. Paulus, ad sinistram verò S. Petrus collocati cernuntur.

In primaria item Porta Palatii Vaticani idem asservatum cernitur, veteri musivo instaurato tempore Pauli V. Burghesii Romani Pontificis Maximi.

Locus 30.

Hunc tandem aliquando usum pingendi, seù collocandi Sanctorum Apostolorum Imagines, mirum in modum illustrabimus, si antiquam summorum Pontificum in Sacratissimis Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Capitibus, sivè Craniis collocandis consuetudinem explicabimus. Hæc enim in Oratorio Sancti Laurentii, quod nunc Sancta Sanctorum, vel Sacellum S. Salvatoris, ad fastigium Scalæ Sanctæ situm, nuncupatur, asservabantur, ut Panvinius in suo de septem Urbis Ecclesiis libello testatur hisce verbis: *In eodem Oratorio dìù* [*ut dixi*] *jacuerunt Apostolorum Petri, & Pauli capita, quæ Innocentius Papa III.* [*ut ex hac inscriptione liquet*] *sub Altari S. Salvatoris æreis armariis recondidit.* Hæc Panvinius; quo deindè in loco post verba statim citata, Imagines Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli impressæ cernuntur, Paulus scilicèt ad dextram, Petrus verò ad sinistram, in eundem, ut puto ordinem, quo dictas Imagines eò in loco positas Panvinius invenit, cum hac inscriptione:

Panvinius de septem Vrbis Eccl. pag. 189. De Oratorio S. Laurentii.

In Panvinii libro pag. 190.

Hoc Opus fecit fieri
Dominus Innocentius Papa III.

Innocentius hujus nominis III. Anno Domini MCXCVIII. Pontifex Maximus renunciatus fuit. MCXCVIII.

Obiit verò Anno Domini MCCXVI. MCCXVI.

Quarè hoc annorum intervallo Imagines ipsas dicto in Oratorio in eum, quem expressimus Ordinem, collocatas fuisse fatendum est. Immò Panvinius ait. *Qui verò Apostolorum capita in eo Oratorio primus recondiderit, non inveni. Illud certè ex vetusto Rituali libro constat, eodem in loco antè annos plùs, minùs noningentos sub Sergio Primo, qui Anno DCLXXXVII. Pontifex factus est, servari solita fuisse.* Hùcusque Panvinius. Ex hoc deinde Oratorio pretiosissima Sanctorum Apostolorum capita ab Urbano V. in Basilicam S. Joannis Lateranensis translata suprà ferculum, seù Ciborium, ad hanc rem erectum, fuerunt collocata, B. Paulo dextrum S. Petri latus occupante. Qua in re pro iis, qui ab Urbe absunt, libet enarrare, quæ Panvinius de hac translatione scribit: Verba ejus sunt hæc: *In media Basilica Lateranensi posticum versus extat Ara Maxima, sivè Altare majus Basilicæ marmoreum: super cujus etiam marmoreo ciborio quatuor columnis cum capitulis Corinthiis sustentato, in Tabernaculo ferreis cancellis optimè circumcluso, & munito extant Sacratissima Apostolorum Petri, & Pauli capita, ab Vrbano Papa V., quandò Romam ex Avenione venit, ex Basilica S. Laurentii, quæ Sancta Sanctorum dicitur, excepta, & in eo loco Thecis argenteis clusa collocata. Jacuerant autèm in Sancti Laurentii Basilica, ut infrà aperiam, multis annis. Vrbanus porrò videns ea digno in loco, ut par erat, haud servari: fabricato ad id aptè ferculo illo marmoreo, Thecas argenteas gemmisque, margaritis inæstimabilis pretii unionibus refertas, seù capita fabricari fecit, in quibus pretiosissima Apostolorum crania collocavit, & diligentissima sub custodia* [*quemadmodum hactenus fit*] *observari mandavit.* Hæc Panvinius de Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli craniis, quæ magnâ veneratione, ac diligentiâ custodiuntur in Ciborio illo marmoreo, quod est in editissimo loco situm, catenis, & Ostiolo ferreis munitum, necnon *quatuordecim* clavibus omninò diversis clausum, quarum duæ à Summo Pontifice, tres à Lateranensi Capitulo, duæ à Societate S. Salvatoris, sex à Conservatoribus Urbis Romæ, una verò à Priore Caporionum conservantur: clavium autèm aliquæ Ostiolo, & aliquæ catenis deserviunt. Cum igitur in Ciborium illud nonnisi paucissimis hominibus, & rarissimè quidèm, & non sine maxima difficultate, vel non sine urgenti necessitate, ingrediendi facultas concedi soleat; Nos tam pro iis, qui ab Urbe absunt, quàm

Panvinius ubi suprà ex Bibliothec. pag. 191.

CM. Sergius I. DLXXXVII.

Vrban. V.

Locus 31. Panvin. pag. 119. De Basil. Lateran. in qua Ss. Apostolorum capita custodiuntur.

Vrban. V. Ex Avenione Romam profectus. Sancta Sanctorum.

Notandum de Ciborio S. Joannis in Laterano. Ciborium quatuordecim clavibus clausum.

pro

pro iis, qui Romæ degunt, hoc loco apponenda cenſemus, quæ intrà Ciborium extant, veluti ſunt ſimulachra illa argentea, & inſcriptiones aliquot, quæ multa ſcitu digna complectuntur, præſertim verò cum Paulus ad dextram, Petrus autem ad ſiniſtram collocati eo in loco cernantur. Nam Thecę illę argenteę (quarum quęlibet, ut Papirius Maſſonius in Vita Urbani V. refert mille ſeptuaginta Marchis ponderant) umbillico tenus [ut ego ipſe vidi] ad Imaginum Sanctorum Apoſtolorum ſimilitudinem, & ad Coloſſęam formam effictę, intrà quam pretioſiſſima Petri, & Pauli capita, ſeù potius crania eſſervantur, ſunt gemmis, & margaritis refertiſſimę, in primis autem S. Petri Tiara, quam Regnum Mundi paſſim appellant.

Lib. 6.

Ad imaginem Beati Pauli infrà pectus orbiculatim legitur hæc Inſcriptio, characteribus, ut ajunt, piccardis, argento inciſa: *Dominus Vrbanus Papa V. fecit fieri hoc opus Anno Domini MCCCLXIX. ad honorem Capitis B. Pauli.*

Vrban. V.

MCCCLXIX

Paulò inferiùs de dono Caroli V. Francorum Regis: *Carolus Dei gratiâ Rex Francorum, qui coronatus fuit Anno Dñi MCCCLXIV. donavit præſens Lilium in honorem Beati Pauli, quod eſt poſitum in pectore ejus. Hoc opus fecit Joannes Bartholomæus de Senis Aurifaber.*

Carolus Francorum Rex.

MCCCLXIV.

Lilium hoc eſt aureum, & prægrande ſeptem gemmis, quatuor adamantibus, & quatuordecim unionibus, ſivè margaritis ornatum, ac ditatum. Adamantes ſunt ſatis grandes: Uniones verò videntur eas habere conditiones, aut qualitates omnes, quæ ipſas uniones inſignes, ac pretioſas reddunt, juxta Plinii ſententiam, dicentis: *Vnionum dos omnis in candore, magnitudine, orbe, levore, & pondere conſiſtit.*

Adamantes.

Vniones.

Vnionis qualitates.

Ad imaginem Beati Petri extat alterum ejuſdem qualitatis, & quantitatis Lilium cum iiſdem Inſcriptionibus, mutato ſolùm nomine Beati Pauli, cujus loco legitur nomen Beati Petri; Paulus autèm (utì diximus) ad dexterum Beati Petri latus extare cernitur.

Ad imaginem Beati Petri in lamina argentea, infrà Lilium, hi duo inciſi verſus leguntur:

Erigat, ut propriam Sedem tua Petra, redibit
Hùc Vaticana Paſtor ab Arce Petre.

Ad imaginem B. Pauli in lamina itèm argentea, infrà Lilium, hi duo alii verſus inciſi leguntur

Cedit Apoſtolicus Princeps tibi Paule; vocaris.
Nàm dextræ natus, Vas, Tuba clara Deo.

Hoc diſticho Beatus Paulus *filius dexteræ* appellatur, propterea quòd, utì non ſemèl diximus, fuit de Tribu Beniamin, teſte Ambroſio Sancto: quæ ſanè vox hebraica, latinè, filius dexteræ interpretatur, ob idque ipſi Paulo dextram dari nonnulli contendunt, quià ſicut Beniamin poſtremus inter fratres ſuos, omnibus fratribus prælatus, & filius dexteræ in libro Geneſeos appellatus legitur, ità & Beatus Paulus intèr Apoſtolos poſtremus, & quaſi filius dexteræ, nuncupatus, dextram Apoſtolorum Principis occupat. Verùm hæc ratio cum aliis in verſu pentametro in medium allata non ſufficit, quià ſi ſatìs eſſet omnibus in locis Beato Paulo dextræ locus daretur. Quod ità eſſe non conſtat, ut ſuperiùs demonſtravimus. Quamvìs autem res ità ſe habeat, hoc tamèn in Ciborio Beatus Paulus, vel tamquàm filius dexteræ dictus, vel quià poſt glorificationem vocatus fuit, ad dextram Beati Petri extare cernitur, nullâ re aliâ intèr eos intercedente: Utcumque verò ſit nè iſt recenſendis pro re à nobis initio propoſitâ explicandâ, exemplis Romæ à me viſis longiorem, quàm ſat eſt, contexamus orationem; dextram B. Paulo, ſiniſtram Beato Petro (picturis quibuſdam, & perpaucis quidèm, iiſque venerandam non redolentibus vetuſtatem, exceptis) dari ſolitam pro comperto habemus, dummodò intèr eos Chriſtus, vel Crux, ſivè *Beata Maria ſemper Virgo filium in ſinu geſtans* intercedat. Id quod non ſolùm in picturis mille ab hìnc, & ampliùs annis opere muſivo factis per univerſam Italiam obſeruatum inveni, dum ego Sodalitatis Auguſtinianæ à ſecretis unà cum Generali Magiſtro Spiritu Vicentino eam viſitandi gratiâ peragravi. Sed ad hanc item uſquè diem intèr pingendum, & quod magìs eſt, intèr Miſſàm ſolemnitèr celebrandam, ſicut intèr divina Officia coràm Summo Pontifice, & Sacro Cardinalium Collegio recitanda, in Sacelli Pontificii Altare, argenteis Sanctorum Apoſtolorum Simulachris ornato, paſsìm obſervatur, ut infrà oſtendemus. Hùc fortaſsè ſpectat Sacrarum Epiſtolarum ordo, in quo, quamvìs Paulus intèr Apoſtolos ſit poſtremus, tamquàm poſtremo loco vocatus, ejus tamen Epiſtolæ intèr cæteras Jacobi, Petri, Joannis, & Judæ Epiſtolas, juxtà temporum ſeriem digeſtas, primarium obtinent locum. Nàm B. Paulus (cui Evangelium præputii, ſicùt & Petro Circumciſionis commiſſum fuit) anteà Saulus, deindè verò ex Lupo in agnum mutatus, ex Perſecutore Eccleſiæ Defenſor, & Prædicator Veritatis, ac Doctor Gentium effectus, quatuordecim ſcripſit Epiſtolas, tùm publicâs, tùm privatas, in quibus ipſe ardentiſſimo Jeſu Chriſti amore flagrans, nomen Jeſu quingentiès exprimit. Hìnc ſuprà id, quod dici poteſt, Amator Jeſu Chriſti factus, ad Galatas ſcribens, ait: *Chriſto crucifixus ſum Cruci*, hoc eſt, *per paſſionem ex fide procedentem*, ut inquit Lyranus. Immò paulò inferiùs ait: *Vivo autem jam non ego* (ideſt vetus homo, ut Gloſſa interlinearis interpretatur) *vivit autèm in me Chriſtus*, hoc eſt, habitans in me per gratiam vivificantem, Lyrano interprete; Anima enìm per peccatum mortua, per gratiam Dei vivificatur, ad Deum converſa. Hunc in modum Beatus Paulus vivificatus,

Gen. 35.

Regula obſervanda in SS. Apoſt. collocan.

Auctor hujus libri fuit jam à ſecretis Ordinis S. Auguſtini.

Epiſtolarum ordo.

Galat. 2.

Jeſu Nomen quingentiès expreſſum in Epiſt. Pauli.

Galat. 2.

Lyranus.

Ambroſ. de Benedict. Patriarch. c. 12.

Beniamin. quid.

Crux fundamentum Ecclesiæ.

Collegio Apostolico adscriptus, post Christi glorificationem emanantem à Cruce ipsâ Ecclesiæ Catholicæ fundamento, ad Galatas item scribens ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi, per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Nam in Beato Paulo per Christum Cruci affixum Mundi concupiscentia nullam habens virrutem, mortua erat, tamquàm Cruci affixa: quia Mundi gloriam (interprete Beato Augustino) non quærebat, nec ipse à Mundi gloriâ quærebatur. Ideò & se Mundo, & Mundum sibi crucifixum gloriabatur. Non enim nisi in Cruce Domini, ideſt in fide, ac prædicatione Jesu Christi Cruci affixi gloriabatur; quia quod Judæis scandalum, & Gentibus stultitia videbatur, ipsi Paulo sapientia, & gloria fiebat, & erat. Hinc Beatus Pater Augustinus locum Apostoli ad Galatas scribentis nuper citatum explicans ait: *Ideò Crux in fronte credentium* (ubi est sedes verecundiæ) *figitur, ut de nomine ejus fides non erubescat, & magis Dei gloriam, quàm hominum, diligat.* Quarè Beatus Paulus eodem in loco nuper citato se stigmata Domini Jesu, hoc est, militiæ Christi signa, suo in corpore ferre gloriabatur, dicens; *Ego enim stigmata Domini Jesu in Corpore meo porto.* Beatus namquè Paulus in suo gestabat corpore cicatrices plagarum, ac verberum, sivè notas passionis Christi, & characteres Crucis, tamquàm tropheum, & insigne regium altius, & cunctis visendum attollebat, & in illis gloriabatur; quia per Crucem Christus fuit exaltatus, & glorificatus; post cujus glorificationem per Crucis trophœum explicatam, Beatus Paulus ad Apostolatum fuit vocatus. Quarè ad Corinthios scribens, ait: *Non enim judicavi me scire aliquid inter nos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum.* Sicut autem nonnisi Christum Crucifixum scire profitebatur, ità etiam hunc ipsum suis in Epistolis semper prædicabat, & nonnisi in illo, & in illius Cruce gloriabatur. Hinc non solùm ejus Epistolæ inter Jacobi, Petri, Joannis, & Judæ Epistolas primarium obtinent locum; sed ipsemet Apostolus Paulus, quamvis inter Apostolos postremò vocatus, dextrum Christi latus occupare solet, modò inter eos, ut non semel dictum est, Christus, vel Crux, in qua, teste Origène, fundata est Ecclesia; sivè etiam Beata Maria semper Virgo, Filium in sinu gestans, intercedat. In aliis autem locis Beatus Petrus dextram, Paulus verò sinistram occupare solent, Bullis, sivè Literis Summorum Pontificum plumbeo signo munitis, exceptis, in quibus non solùm ob Crucem inter eos impressam, verùm etiam ob rationem in medium nuper allatam, B. Paulo dextrum B. Petri latus datum semper inveni: Bullas enim circiter sexcentas in variis Tabulariis, sivè Archivis asservatas, vidi, in quibus partem à B. Paulo dextram, à Beato autem Petro sinistram occupatam nunquàm non reperi. Cuique tamen horum in Ecclesiâ sibi dedicatâ, dextra, re quavis inter eos intercedente, concedi solet, ut in Basilica S. Petri Romæ observatur, dum argentea Sanctorum Apostolorum simulachra ad Altaris ornatum adhibentur. Hinc Episcopi in muniis Ecclesiasticis propriâ in Ecclesiâ exercendis primarium locum obtinent, etiamsi alii Episcopi, vel Archiepiscopi dictis muniis intersint; quisque enim suâ in Ecclesiâ, tamquàm habens Jurisdictionem, primum locum occupare solet, ac debet. Quem sanè usum ad hanc rem demonstrandam in Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Simulachris collocandis observatum inveni, cæteris verò in locis dextrum B. Petri latus B. Paulo dari solet, ac debet, conditionibus, quas non semel in medium attulimus, perspectis, & observatis; sicut in Apostolici Palatii Cappellâ à Sixto IV., & in Cappellâ Apostolicâ Montis Quirinalis à Paulo V. constructâ fieri semper solet; Ibi enim, dum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Simulachra inter Sacrum faciendum, vel inter divina Officia decantanda ad ornatum Altaris collocantur, S. Paulus ad dextrum Crucis latus, Sanctus verò Petrus ad sinistrum collocati semper cernuntur, ut nuper dictum fuit.

Huic determinationi, sivè conclusioni Sanctus Pater Augustinus, Doctor eximius, & S. Leo Papa, hujus nominis Primus adversari videntur. Nam Sanctus Pater Augustinus de Beatis Apostolis Petro, & Paulo sermonem habens, incertum esse ait, uter alteri præponatur, & in hanc loquitur vorborum formam: *Ergò Beati Petrus, & Paulus eminent super omnes Apostolos, & peculiari quâdam prærogativâ præcellunt. Verùm, inter ipsos, quis cui præponatur, incertum est. Puto enim, illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione; & simili eos Fidei devotione vixisse, quos simùl videmus ad Martyrii gloriam perveniſſe. Non enim sinè causâ putemus factum, quod unâ die, uno in loco, Tyranni unius toleravere sententiam. Unâ die passi sunt, ut ad Christum paritèr pervenirent, uno in loco, nè alteri Roma deesset: sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrumque constringeret. Dies ergò pro merito: locus pro gloriâ, persecutor decretus est pro virtute.* Hæc Sanctus Augustinus de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo in serm. 3., quem Lovanienses, & Lugdunenses Sancto Maximo Episcopo Taurinensi, alii verò Sancto Ambrosio adscribunt.

Sanctus Leo de iisdem Apostolis loquitur in hæc verba: *De quorum meritis, atquè virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum; quia illos, & electio pares, labor similes, & finis fecit æquales.* Hæc Leo in primo de Natali Apostolorum Petri, & Pauli sermone, qui legitur in quintâ die infrà Octavam Apostolorum Petri, & Pauli.

His objectionibus satisfieri posse censemus, si dicamus, incertum esse, quis cui inter duos Apostolos, Petrum scilicet, & Paulum sit præferendus, non quantùm ad eorundem Imagines collocandas, nequè etiam quantùm ad Jurisdictionem, vel quantùm ad auctoritatem,

Galat. 6.

Orig. Serm. de Cruce.

S. August. de verb. Apost. Serm. 2. circà med. tom. 10.

Corinth. 1.

Augustin. ubi supra. Pro hac sententia Augustini vide tom. 6. Glossarum bibliorum.

Galat. 6.

Corinth. 2.

Regula observanda in SS. Apostolis collocc.

Origen. in Serm. de Cruce.

Crux in Bullis extat semper inter Apostolos Petrū, & Paulum.

Bullæ circiter sexcentæ in Archivis asservatæ.

Vsus collocandi Apostolos in Basilica S. Petri.

Vsus collocandi Apostolos in Cappella Sixti IV., & Pauli V.

S. Augustin. Serm. de Sanctis tom. 10., & legitur in 7. die infrà Octav. Apost. Petri, & Pauli sub nomine S. Maximi Episcopi Taurinensis.

S. Ambros. tom. 5. serm. 12.

S. Leo Serm. 1. in Natali Apostolor. Petri, & Pauli.

Objectionum solutiones.

tem, aut potestatem Regiminis Pontificiam, & Pastoralem (Paulus enim hac in re Petro fuit minor, & inferior) nec quantùm ad insignem miracula faciendi prærogativam, cùm ad Beati Petri umbram sanarentur infirmi, sed (ut S. Thomas in Epistola ad Galatas ait) quantùm ad Auctoritatis executionem, in qua Paulus fuit Petro æqualis, nec non quantùm ad potestatem Ordinis (uterque enim fuit Episcopus) vel quantùm ad auctoritatem prædicandi, & merita passionis, qua (ut suprà dictum est) sub uno, eodemque Tyranno, ac persecutore passi sunt, ut æqualis crudelitas amborum virtutem experiretur, ac probaret. Hinc electio (ut ait S. Leo) fecit pares, quatenùs ambo immediatè à Christo ad Apostolatum fuerant vocati, labor item eosdem fecit similes quantùm ad executionem prædicandi. Finis tandèm æquales, quantùm ad mortem sub ejusdem Tyranni crudelitate consumatam. Quantùm verò ad nonnullas eminentias, Paulus fuit Petro major, præsertìm verò (ut Doctori Angelico placet) in sex prærogativis: Quarum prima fuit, quantùm ad vocationem, factam post Christi glorificationem *Act. 9.* Secunda, quantùm ad scientiam, in qua, ut S. Hieronymus in Apologia ad Pammachium, & Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ testantur super omnes Apostolos majorem in modum effulsit: Tertia, quantùm ad Secretorum Dei cognitionem, per raptum ad tertium usque Cœlum 2. Corinth. 12. Quarta, quantùm ad bonorum operationem, quia omnibus aliis abundantius laboravit, in prædicando præsertìm prima Corinth. 15. Quinta, quantùm ad Virginitatem, prima Corinth. 7. Sexta quantùm ad malorum perpessionem 2. Corinth. 11. Adde Septimam, & Quintæ, & Sextæ adsimilem juxtà Beati Chrysostomi sententiam, de Beati Pauli laudibus dicentis: *Homo ignobilis, abjectus, & circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio, & Romanos, & Persas, & Parthos, & Medas, & Indos, & Scythas, & Æthiopes, & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis.* Hinc idem Chrysostomus de laudibus Pauli Sermone admodùm prolixo comprehensis, dum Paulum multis, & veteris, & novi Testamenti Justis, aut Sanctis comparare studet, eos tamen à Paulo longè superari eloquenter ostendit hisce verbis: *Cui te ò B. Paule Justorum veteris Testamenti, vel Novi videam comparare? Omnium quippè virtutem, quasi in Arca quadam, sed cum multo prorsùs cumulo condidisti. Denique si totum contrà Te aliquis singulorum Justorum appendat chorum, inveniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depressam.* Et infrà, inquit: *Etiamsi Angelorum, etiamsi Justorum hominum circumvolem choros, non invenio comparationem, cui non tàm cumulo meritorum Paulus occurrat.* Hæc Chrysostomus.

S. Thom. in Epist. ad Galat.

S. Augustin.

Pauli eminentiæ, vel prærogativæ septem.

S. Thom. in 2. Corinth. c. 12 in lect. 3.

Prærogativa prima.

Secunda.

D. Thom. 2. 2. quæst. 175. art. 2. ad 1. Hieronym. Euseb. lib. 3. hist. Eccles. cap. 24.

Tertia.

Quarta.

Quinta, & Sexta.

Septima.

Chrysost. homil. 4. de laudibus Pauli tom. 3.

Chrysostom. hom. 8. to. 3.

Quis igitùr Paulum, qui Petro, quantùm ad potestatem Regiminis, & Jurisdictionem Pontificiam est minor, sed quantùm ad potestatem ordinis, sive etiam executionem prædicandi est æqualis; quià teste Ambrosio 2. ad Galatas in prædicatione Gentium primatum habebat, sicùt Sanctus Petrus in prædicatione Circumcisionis, quantùm ad electionis, vocationisque tempus, & quantùm ad tot, tantasque prærogativas, majorem Petro esse, quis (inquam) inficias ire audeat? Quisve tandem dictis de causis in Bullis Pontificiis dextrum Petri latus Paulo tribuendum neget? Vel *si intèr eos Christi Salvatoris imago, vel Crux ipsa intercedat*, quis dextram Christi, vel Crucis partem, Petro sinistram occupante, Paulo concedendam ambigat? Paulus enim, ut multa paucis de ipso comprehendam, fuit anteà Ecclesiæ Persecutor, & Lupus; posteà Defensor, & Agnus; olìm Saulus, idest superbus, vel sepultus; deindè Paulus, hoc est modicus, vel pusillus latinè, & humilitate insignis. Fuit item Angelus terrestris, & homo cælestis, prædicator veritatis, cælestium secretorum arca, Christianæ Religionis columna, Fidei fundamentum, pudicitiæ amator, Scriptor Evangelicus, objurgator vitiorum acerrimus, Ecclesiæ splendor, fons sapientiæ, puteus eloquentiæ, cujus Epistolæ universum terrarum Orbem illustrarunt, cujus verba tonitrua videbantur, ut Hieronymus de ipsius dicendi sublimitate hunc in modum testatur, dicens: *Quotiescumque Paulum lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua.* Hæc, & alia à Chrysostomo, & à Doctore Angelico enarrata de Paulo, post Christi ascensum ad Apostolatum vocato, plenariæque auctoritatis executione insignito, quis eidem in Pontificiis præsertìm Bullis, aliisque in locis juxta regulam præscriptam, dextrum latus tribuendum esse negabit? Desistat ergò, quisquis ille sit admirari, cur Paulus interdùm Petro præferatur, nec id per imperitiam, nec fortuitò, nec ad cujusvis arbitrium, nec temerè factum esse, nec ob id Petro potestatem diminui ullo pacto opinetur; quandoquidèm idipsum de Moyse tamquàm Prophetâ, & de Aaron tamquàm Pontifice Summo in Lege veteri factum esse constat; alterum enim alteri prælatum fuisse Exod. 6. invenimus; Aaron enim & primogenituræ, & Sacerdotii summi ratione ipsi Moysi præponitur. Contrà verò Moyses, tamquàm Propheta, verba à Deo immediatè suscipiens, & Populo per Aaron tamquàm per interpretem præbens, ipsi Aaron præfertur? Hinc Sanctus Ambrosius ait: *Ergò in causa Prophetiæ Moyses sicùt Propheta præfertur: ubi autem causa, & munus, & officium Sacerdotii est, præfertur Aaron, sicùt Sacerdos.* Huic veritati Franciscus Turrianus in adnotatione ad cap. 33. Apostolicarum Constitutionum, aperte subscribit, dum Constitutionem Petri, & Pauli à Clemente Primo conscriptam recitat hunc in modum; *Ego Paulus, & Ego Petrus constituimus, &c.* Hoc enim ordine in manuscriptis Codicibus Paulum, & Petrum se reperisse testatur; quàmvis eorum collocatio immutata sit ab

Paulus quomodò Petro Minor æqualis, & major. S. Ambros. in cap. 2. ad Galat. tom. 3.

Saulus idest Sepultus Paulus idest pusillus.

Hieronym. ad Pammach. to. 2. epist. 50.

Moyses, & Aaron quomodo inter se præferantur.

S. Ambros. in cap. 10. Levitici tom. 1.

Franc. Turrianus tom. 1. Concilior. in quo sunt explanationes Constitutionũ Apostolicarũ per Clementem 1. lib. 8. cap. 33. pag. 263.

Concil.tom.1. pag.145. c.33.

iis, qui dictæ collationis rationem ignorabant, ut videre est in ipso Textu, qui in eodem Conciliorum tomo impressus invenitur contrà ordinem in Codicibns manuscriptis repertum; qui tamen ordo dignitati, aut primatui Petri Apostolorum Principis derogare non potest, ut ipse Turrianus dicto in loco, & rectè quidèm docet.

Epistolæ itèm B. Petri post S. Jacobi Epistolam in Bibliorum canone locantur, ac recensentur, quippè quæ post eam conscriptę sunt, ut Lyranus testatur, Beati tamèn Petri Principatui, ac prærogativis non derogatur. Nàm Petrus, in quo fuit Fidei unitas, pœnitentiæ veritas, amorisque soliditas, teste Beato Bernardo extitit Apostolorum Princeps, primus Confessor Dei, atquè Discipulus, Pastor humani generis, Claviger æthereus, Christi amator maximus, anteà Simon, qui, obediens, interpretatur, eo quod obediens fuerit Domino dicenti: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*. Deindè à Christo Domino Petrus fuit nuncupatus, hoc est, agnoscens, quatenùs Christum agnoscens, dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Vel Petra, sivè Cephas syriacè, ideſt, Petra solida, Ecclesiæ scilicèt fundamentum. Undè vicissìm audire meruit: *Tu es Petrus* (sivè Petra solida, vel magna, ut vox ipsa Syriaca sonat) *& supèr hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Vel Cephas græcè, quod latinè Caput interpretatur, dictus est, Princeps videlicèt Apostolorum, & Ecclesiæ Caput, quippè, qui Antiochensi Ecclesiæ post Christi Domini Resurrectionem, & in Cœlum Ascensionem, & Spiritus Sancti missionem, septem prefuit annis, Sacrosanctumque Evangelium in Ponto, Galatia, Cappadociâ, Asiâ, & Bithiniâ prædicavit. Secundo verò anno Claudii, ad expugnandum Simonem Magum Romam pervenit, ubì annis quinque, ac viginti ejusdem Urbis Pontificatum tenuit, tamquàm universalis Ecclesiæ caput ad ultimum usquè, hoc est, quartumdecimum Neronis annum. Petrus Mare pedibus calcavit, præteriens, languidos umbrâ suâ sanavit, claudis gressum restituit, Paralyticis membra reparavit, Viduam defunctam Dorcadem, idèst Tabitham mortuam suscitavit. Ananiam, & Sapphyram, reos perfidiæ, mortis etiàm animadversione damnavit, Simonemque Magum per aera volantem ad terram collisit. Quibus in rebus, & Spiritualem, ac temporalem potestatem sibi à Christo Domino datam patefecit. Petrus fuit Sacerdos magnus, Summus Pontifex, Princeps Episcoporum, primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham; ordine Melchisedech; dignitate Aaron; auctoritate Moyses; judicatu Samuel; unctione Christus. Ei Jurisdictionis claves traditæ sunt, eidemque oves concreditæ omnes: Immò ipse non modò ovium, sed & Pastorum omnium Pastor fuit; aliis namquè in sollicitudinis partem accitis, solus Petrus in plenitudinem Potestatis vocatus est. Quid enìm per claves Beato Petro à Christo Domino datas, nisi supremam in universam Ecclesiam potestatem eidem collatam intelligere possumus, ac debemus? Hìnc soli Petro post trinam confessionem negationi trinæ respondentem, bis non sinè mysterio dictum fuit à Christo: *Pasce Agnos meos*; Tertio autèm; *Pasce oves meas*. Per quæ sanè verba munus Pastorale quodcumque intelligendum dicas oportet. Nàm veri Pastoris officium est, non solùm præbere cibum, sed oves itèm ducere, ac reducere, præesse, regere, tueri, & castigare. Hìnc Petrus, ut uno verbo cuncta comprehendam, supremus fuit hisce in Terris Pastor, Judex videlicèt, ac Princeps omnium, qui erant in Ecclesia, cujusmodi omnes ejus Successores, & Christi Vicarios esse apertè fatemur.

S. Bernard. in sententiis per num. tem. expl.

Petri nomina, & gesta.

Simon ideſt obediens.

Petrus ideſt agnoscens.

Matth. 16.

Cephas ideſt Petra solida tom. 1. Matth. 16.

Matth. 16.

Cephas, ideſt caput.

Petri gesta.

Petri nomina.

Joan. 21.

Quamvis itaquè Beato Petro claves Jurisdictionis, ac potestatis, Beato autem Paulo Sapientiæ claves datæ sint; qui tamèn Paulo dextram Petri in collocandis Apostolis tribuit, Apostolorum Principis potestati, vel Jurisdictioni, atquè prærogativis derogare ob rationes in medium allatas non est censendus, regulâ, quam explicavimus, observatâ. Quamvis itèm in eorundem Sanctorum Apostolorum Imaginibus ordine disponendis ritus antiquorum non observetur, citrà tamèn errorem id quoque fieri posse opinor. Commentarium autèm in hanc rem conscripsi, ut potiùs aliorum, qui me (ut initio dixi) ad scribendum impulerunt, satìs, quàm meæ voluntati facerem, eodemque temporis intervallo, ab iis, qui Beato Paulo dextram Beati Petri, nec fortuitò, nec per imperitiam tribuerunt, dextram sinistrâ digniorem existimatam fuisse demonstrarem. Id, quod pro viribus præstare adlaboravi.

Quos

Quos de hac re aliquid scripsisse, vel mentionem saltèm fecisse inveni, hoc loco subiiciendos putavi.

1 *Petrus Damianus in Epist. ad Desiderium Abbatem, qui etiam primus in hanc materiam scripsisse censetur.*
2 *S. Thomas in Prologo epist. 1. ad Galat. lect. 1. Jo: 16., & in 2. Corinth. cap. 12. lect. 3.*
3 *Innocentius III. in sermone de quatuor Evangelistis.*
4 *Augustinus Triumphus de Potest. Eccles. q. 7. art. 2. ad primum argum., & in cap. 2. ad Galat.*
5 *S. Bonaventura in Psalm. 67.*
6 *Joannes Ludovicus Vivaldus in opere Regali Notab. 4.*
7 *Joannes de Silva in tract. de Benef. 1. part. quæst. 5.*
8 *Ludovicus Gomessius in cap. 1. de Constitut. lib. 6. n. 57.*
9 *Bartholomæus Veronen. in tract. de Imp. elig. in verbo Ratione dignitatis.*
10 *Antonius Nebrissensis in adnot. ad quinquaginta Scripturæ Sacræ loca.*
11 *Guillelmus Durandus lib. 7. de Divin. Offic. cap. 44.*
12 *Joannes Beleth de Divin. Offic. cap. 138.*
13 *Pariss. Crassus in Epist. ad Leonem X.*
14 *Franciscus Turrianus in Constitutiones Apostolicas.*
15 *M. Attilius Serranus in lib. de septem Urbis Ecclesiis pag. 64.*
16 *Franciscus Mucantius in libello ad Gregorium XIII.*
17 *M. Antonius Georgius Bononien. in Epist. ad Gregor. XIII. eundem.*
18 *Cæsar Baron. Card. tom. 2. Annal. Eccles., ut in Appendic. ad eundem, & tom. 3.*
19 *Robertus Bellarminus Card. in Controvers. tom. 1. lib. 1. de Pont. Rom. cap. 27.*

PERORATIO.

QUID ego tandèm hac in re unus è multis, inter tot bonarum literarum choriphæos præstiterim, in iis præsertìm, quæ ad sacras Petri, & Pauli imagines in Sigillo Pontificio collocatas pertinent, emunctæ naris Viri judicent, meas hasce lucubratiunculas, qualescumque sint, cum aliis conferentes. Hæc namquè pro vetustissima, & recenti Petri, & Pauli Apostolorum imagines pingendi, suoque ordine disponendi consuetudine, summo sanè jure defendenda, literis mandanda judicavi.

IMAGINES

SS. APOSTOLORUM PETRI, ET PAULI

EX ICONIBUS,

Quę Constantino Magno apparuisse dicuntur, & in Sacrario Sancti Petri asservantur;

NECNON EX NUMISMATIBUS

Exque itèm Historiis Ecclesiasticis ad vivum expressæ,

PETRUS quidèm non crassâ corporis staturâ fuit, sed quæ aliquantò esset erectior, facie subpallidâ, & albâ admodùm: capilli, & capitis, & barbæ crispi, & densi, sed non admodùm prominentes fuere: oculi quasi sanguine respersi, & nigri, supercilia prope evulsa; nasus autem longior ille quidem, non tamèn in acumen desinens, sed pressus, simusque magìs. Hæc Nicephorus lib. 2. cap. 37.

Infrà

PAULUS autèm corpore erat parvo, & contracto, & quasi incurvo, atquè paululùm inflexo, facie candidâ, annosque plures præseferente, & capite modico: oculis multa inerat gratia: supercilia deorsum versum vergebant: nasus pulchrè inflexus, idemque longior: barba densior, & satìs promissa; eaque non minùs, quàm capitis coma, canis etiam respersa erat. Hæc Nicephorus ubì suprà.

Inferiùs

AMBO autèm Christi Discipuli, cùm inspicerentur, divinum quiddam præseferebant: Spiritu Sancto, & divina gratiâ ità referti, ut qui eos viderent, fideles ex aspectu solo arcanam quamdam, & latentem conciperent gratiam, moresque, & vitam unâ cum fide ritè confirmarent, & in melius converterent. Hæc Nicephorus ubi suprà.

INSCRIPTIONES,

Quæ ad Imagines SS. Apostolorum Petri, & Pauli suprà Ciborium Ecclesiæ Lateranensis collocatas, multisque unionibus, sivè margaritis, atquè gemmis onustas leguntur.

Ad Imaginem Beati Petri infrà pectus orbiculatìm legitur hæc Inscriptio characteribus, ut ajunt, Piccardis, argento inciſa.

DOMINUS URBANUS PAPA V. FECIT FIERI HOC OPUS ANNO DOMINI MCCCLXIX. AD HONOREM CAPITIS B. PETRI APOSTOLI.

Paulò inferiùs

CAROLUS DEI GRATIA REX FRANCORUM, QUI CORONATUS FUIT ANNO DOMINI MCCCLXIV.
DONAVIT PRÆSENS LILIUM AD HONOREM B. PETRI, QUOD EST POSITUM IN PECTORE EJUS.

HOC OPUS FECIT JOANNES BARTHOLI DE SENIS AURIFABER.

Lilium aureum est prægrande unionibus quatuordecim, & crassis quidèm; septem gemmis, & quatuor adamantibus ornatum.

Ad imaginem Beati Pauli eædem Inscriptiones ad verbum leguntur, mutato solùm nomine Beati Petri, cujus loco legitur nomen Beati Pauli.

INFRA LILIUM.

Ad imaginem Beati Petri in lamina argentea hi duo inciſi versus leguntur.

Erigat, ut propriam Sedem tua Petra, redibit.
Hùc Vaticanâ Pastor ab Arce, Petre.

Ad imaginem Beati Pauli in lamina itèm argentea infrà Lilium hi duo alteri versus inciſi leguntur.

Cedit Apostolicus Princeps tibi Paule; vocaris
Nàm dextræ natus, Vas, Tuba clara Deo.

Hoc Distichò Beatus Paulus *filius dexteræ* appellatur, propterea quòd fuit de Tribu Beniamin: quæ sanè vox Hebraica, latinè, Filius dexteræ interpretatur: ob idque ipsi Paulo dextram dari nonnulli contendunt. Verùm hæc ratio cum aliis in versu pentametro assignata non sufficit; quià si satis esset, omnibus in locis Beato Paulo dextræ locus daretur. Quod ità esse non constat, ut meo in Commentario diffusè ostendo; in quo propriam, ac genuinam hujus rei rationem explicare pro viribus adlaboro, Petri Damiani, & Mucantii, cæterorumque Auctorum scriptis diligentèr examinatis.

PRÆFATIO
DE
CANONIZATIONE
SANCTORUM

Ad Ornatiſſimum Virum

CHRISTOPHORUM OBRIUM GALLUM.

UPERIORIBUS diebus (mi ſuaviſſime Obri, non minùs doctè, quàm piè, etſi piiſſimè) dum de noſtris bonarum artium ſtudiis, præſertìm verò de gravioribus rebus in ſanctâ Dei Eccleſiâ fieri conſuetis, more noſtro colloqueremur, in ſublimem de Sanctorum videlicèt Canonizatione ſermonem ab occaſione peropportunâ de Raymundo propèdiem (ut ajunt) canonizando, nobis ſubminiſtratum incìdimus. Verùm quoniàm ea, de quibus obitèr diſputavimus, ſolertiori ſanè indagine, maturiorique judicio indigere videbantur, hæc, te amicè poſtulante, Bibliothecâque itèm meâ ſatìs numerosâ perſuadente, ac pollicente, ſubſecivis horis conſcripſi; conſcripta verò, amicorum (ut optimè noſti) rogatu divulganda permiſi. Quamvìs autèm illius generis homines; quos vitilitigatores ex vitiis, & litigatoribus Cato elegantèr appellavit: defuturos haùd putem; ob eos tamèn, quos meam hanc qualemcumque induſtriam, ab re non præſtitam, æqui boniquè facturos confido; quæ temporis anguſtiâ elucubravi, in lucem edere non ſum veritus: tempeſtiva enìm res, hoc eſt ſuo tempore præſtita, etiamſi contemptum potiùs, quàm invidiam ex ſe mereatur, quandam tamèn apùd bonos feſtivitatem, & gratiam conſequi ſolet. Utcumque autèm ſit, hæc ſunt, quæ de Canonizatione Sanctorum mihi dicenda videntur, prævià nominum explicatione; quæ circà eorum etymologiam verſatur: quâ explicatâ, Canonizationis definitionem aggrediemur, ac cętera deindè omnia in Sanctis canonizandis examinanda, & dignoſcenda, explanando perpendemus.

Plin. Veſpaſ. Imper. ad calcem Præf. in lib. hiſt. natural.

AUCTORES

IN COMMENTARIO CITATI

Ordine alphabetico digesti.

A

Abdias Babylonicus.
Ado Trevirensis.
Agatho P.
Albertus Magnus.
Alcuinus Monachus.
Alexander P. III.
Alexander P. IV.
Alexander Alensis.
Amalarius Fortunatus.
Anastasius Bibliothecarius.
Anselmus.
Ascensius.
Ægidius Romanus.
Antherus P.
Aloysius Lipomanus.
Alphonsus Tostatus.
Augustinus Triumphus.
Averroes.
S. Augustinus Episc. Hipponensis.
S. Antoninus Archiep. Florentinus.
Aristoteles.

B

Baptista Platina.
Balthasar Pisanellus.
S. Basilius Magnus.
Bartholomæus Fumus canonista.
Bartholomæus Cassanæus.
S. Bernardus.
Benedictus Pererius.
Bibliotheca SS. PP.
Bibliotheca Vaticana.
Bonifacius VIII.
S. Bonaventura Episcop. Card. Albanensis.
Burchardus Vuormaciensis Episcop.

C

Canonistæ in cap. 1. de reliqu., & ven. Sanct.
Canones SS. Apostolorum.
M. Cato.
Cæremoniarum liber.
Cæsar Baronius S. R. E. Card.
Claudius Ælianus.
S. Clemens P. I.
Cornelius Tacitus.
S. Cyprianus.
S. Cyrillus Alexandrinus.
Cornelius Jansenius.

Concilia
- Anciranum.
- Africanum.
- Constantiense.
- Florentinum.
- Tridentinum.

Corpus Canonicum.

D

S. Damasus P.
Didacus Covarruvias.
S. Dionysius Areopagita.
Dominicus Bañes.

E

Eusebius Cæsariensis.

F

S. Fabianus P.
S. Felix P.
Festus Pompeius.
Florus Magister.
Franciscus Penia Rotæ Auditor.

G

Gabriel Biel.
Gerardus Vossius.
S. Gregorius Magnus.
Gregorius IX.
Gregorius Nunnius.
Gregorius Turonensis.
Gratianus Monachus.
Glossa ord., & interlinearis.
Guillelmus Durandus.

H

Hegesippus hist.
Henricus S. R. E. Cardinalis Ostiensis.
Herodianus hist.
S. Hieronymus.
Hieronymus Vielmius.
Hildephonsus Episc. Toletanus.

I

Jacobus de Fara Castellanus.
Jacobus Pamelius.
Joannes P. IX.
Joannes P. XXII.
Joannes à Cælaia.
Joannes Garzo.

Joan-

Joannes Driedo,
Joannes Gerſo,
Joannes Neapolitanus canoniſta.
Joannes de Turrecremata S.R.E. Cardinalis.
Joannes Viguerius Granatenſis,
S. Joannes Chryſoſtomus.
Innocentius P. III.
B. Iſidorus Epiſc. Hiſpalenſis,

L

Laurentius Surius,
S. Leo P. Primus.
Liber ritualis, vel Cæremoniarum,

M

Macrobius,
M. T. Cicero.
Martinus V.
Martinus Smetius.
Martinus Cromerius.
Menſurius Carthaginenſis Epiſcopus.
Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis,
S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus.

N

Nicolaus III.
Nicolaus de Lyra.
Nonius Marcellus.

O

Optatus Milevitanus:
Origenes Adamantius.

P

Petrus in Itinerario Clementis,
Petrus Lombardus,
Pierius Valerianus,
Plato.
Plinius.
Philaſtrius,

R

Rabanus Maurus.
Raphael Volaterranus.
Robertus Bellarminus S.R.E. Cardinalis,

S

Sulpitius Severus.
Svetonius Tranquillus.
Sylveſter Canoniſta.
Symeon Metaphraſtes.

T

Teſtamentum Vetus, & Novum,
Theodorus Balſamo.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Waldenſis
Thomas Stapletonus.
Titus Livius.
Troilus Malvitius Juriſconſultus,

V

Valerius Maximus,
Vſuardus.
Victor Uticenſis.

CATALOGUS
AUCTORUM,

Quos de Canonizatione Sanctorum aliquid ſcripſiſſe invenit, ac legit hujuſce Commentarii Auctor.

SANCTUS Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, ex Ordine Fratrum Prædicat. tom.8. quodlib.9. qu.7. art.16. more ſcholaſtico.

Henricus de Seguſia Archiepiſcopus Ebredinenſis Card. Oſtienſis in aurea Juris civilis, ac Pontificii Summâ, lib.3. Rubr. de Reliq., & vener. Sanctorum n.3.

Auguſtinus Triumphus Anconitanus ex Ord. Fratrum Eremitar. S.Auguſtini more itèm ſcholaſtico in Summa de Poteſt. Eccleſiæ quæſt.14., 15., 16., & 17.

Joannes Franciſcus de Pavinis in Canonizatione S. Bonaventuræ in fin. operum ejuſdem Sancti tom.7. Opuſc.

Joannes Andreæ Juriſconſultus Bononienſis, & Canoniſtæ in cap.1. de Reliqu., & ven. Sanctorum.

Thomas

Thomas Waldenſis ex Ord. Fratrum Carmelitarum, Natione Anglus, in Opere inſigni contra Witclef, & Huſſitas tribus voluminibus diſtincto, lib. de Sacrament. tom. 3. tit. 4. cap. 122.

B. Antoninus Archiep. Florentinus ex Ord. Fratr. Prædic. par. 3. ſummæ tit. 12. cap. 8. §. 1., & 2.

Joannes Gerſo, Natione Gallus, Cancellarius Pariſienſis par. 2. in opuſc. contra impugnantes Ord. Carthuſ., & aliis in locis.

Joannes de Turrecremata ex Ordin. Fratrum Prædic. S. R. E. Cardinalis tom. 4. par. 3. ſuper Decret. de conſecr. diſt. 3. n. 22.

Thomas de Vio Cajetanus ex Ord. Fratrum Prædic. S. R. E. Cardinalis tom. 1. opuſc. Tract. 15. de Indulg. ad Jul. Card. cap. 8.

Joannes Driedo tom. 1. lib. 4. cap. 1. de variis dogmatibus, & libris apocryphis:

Bartholomæus Caſſanæus Burgundus in Catal. gloriæ Mundi par. 3. conſiderat. 48., 49., 50.

Sylveſter de Prierio Pedemontanus ex Ord. Fratrum Præd. Magiſter Sacri Palatij p. 1., ſummæ, verbo, Canonizatio.

Bartholomæus Fumus Villaurenſis Placentinus ex Ord. Fratrum Prædicator. Inquiſitor, in ſumma armilla, verbo, Canonizatio.

Joannes Viguerius Granatenſis ex Ordine Fratrum Prædicatorum in Inſtitutionibus Theolog. de Virtute fidei, ver. 4. de Canonizat. n. 104., vel cap. 10. §. 3. ver. 15.

Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis ex Ordine Fratrum Prædicatorum lib. 5. de locis theolog. cap. 5. concluſ. 3.

Dominicus Bañes Mondragonenſis ex Ord. Fratrum Prædicator. Commentar. in 2. 2. S. Thomæ qu. 1. art. 10. dub. 7.

Troilus Malvitius Juriſperitus Bononienſis, Tractatuum tom. 14. ex recent., ex vetuſt. tom. 15. de Canonizat. Sanct. dub. 1., 2., 3., & 4.

Joannes de Neapoli Canoniſta ex Ord. Fratrum Prædicatorum.

Jacobus Caſtellanus de Fara Canonicus Lateranenſis.

Joſephus Maſcardus Juriſconſultus Sarzanenſis Protonotarius Apoſtolicus vol. 1. de probationibus concluſ. 262.

Petrus de Arragona ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Commentar. in 2. 2. S. Thomæ qu. 1. art. 10.

Cæſar Baronius S. R. E. Cardinalis in Not. ad Martyrologium die 4. Martii.

Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis è Societate Jeſu tom. 1. Controverſ. lib. 1. de Beatificat., & Canonizat. Sanctorum cap. 7., 8., 9., & 10.

Petrus Galeſinius Protonotarius Apoſtolicus de Vita, & Canonizatione S. Didaci Complutenſis.

Franciſcus Penia Rotæ Auditor, de Vita, Miraculis, & Actis Canonizationis ejuſdem Sancti.

Gregorius Nunnius Coronel Luſitanus ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Auguſtini tom. 1. de Optimo Reipublicæ ſtatu lib. 3. cap. 11.

Severinus Cracovienſis ex Ordine Fratrum Prædicatorum de Vita, Miraculis, & Actis Canonizationis S. Hyacinthi.

IN COMMENTARIUM

Fr. Angeli Rocchæ Camertis Apoſtolici Sacrarii Præfecti.

DE CANONIZATIONE SANCTORUM.

EPIGRAMMA.

POMPEII UGONII.

DUm jubar Heſperiæ Raymundum, vindicat aris.
Solemni Clemens Religione Pater.
Te Ritus, operiſque fides, & certa poteſtas
Clavigeri ætherei, Roccha, docente patet.
Quis neget hoc? Sancti Clemens pia comprobat acta,
Clementis factum pagina docta probat.

EJUSDEM.

SParſa voluminibus, longâque ambage librorum,
Exiguum profert hoc tibi Lector opus.
Quæ ratio hinc diſces, qui mos, quæ ſumma Poteſtas
Nomina det Faſtis ritè colenda ſacris.
Utq; Patris Latii nequeat mens provida falli,
Æthere quem lapſi flaminis aura regit.

Certa

Certa quibus conſtent etiam miracula ſignis,
Quæ nulla Stygius luſerit arte Draco.
Utque Deum vano falſorum diſtet honore,
Cælitibus veris jure tributus honor.
Tanta brevi dices claudi potuere libello?
Angelico clauſit Angelus ingenio.

EJUSDEM.

SUmma Petri Sedes falli quià neſcia Cæli
Sedibus adſcriptos, qui meruere probat.
Nec negat hoc quiſquam, veterum niſi more Gygantum
Impia in æternum, qui movet arma Deum.
Angele tu aſſertor vero, cęleſtibus armis,
Defenſorque Sacræ Religionis ades.
Non ſecùs ac contrà Superis Babylona minantem,
Cęlica pugnavit cum Michaele cohors.
Adversùs Fidei certant tua ſcripta rebelles,
Et liber hic clypeus, lancea, fulmen erit.

EJUSDEM.

EPheretro emiſſa quondam Jovis alite, Cęlum
Credidit Auguſtis ſe dare Roma ſuis.
Scilicèt hac vanà ludebat imagine gentes,
Impia conſtituens numina, templa, ſacra.
At Petri, qui jura tenet, ſolumque Sacerdos
Cęlicolas merito donat honore pios.
Nempè quod æquarunt animi candore columbas
Turtur, & ut Superis ingemuere bonis.
Hìnc avis in morem petierunt ęthera pennis;
Et ſeſe Aligeris inſeruere choris.
Hoc calathis oblata docent, dum Sacra litantur.
Munera, quæ populus pendulus ore videt.
Tu Ritus cauſas aperis, ſenſuſque latentes;
Angelus es, Cęlo tu quoque mente volas.

EJUSDEM.

SÆpè latet vitium virtutis imagine tectum,
Fucat, & ingenuus pectora nigra color.
Falſa quoque humanas ludunt miracula mentes,
Tartara cum vires exeruere ſuas.
Non tamèn his credat falli quis fortè Parentem,
Qui Chriſti in terris ſceptra, vicemq; gerit.
Namq; ſuis faſtis ſignat, quæ nomina, Cęlo
Aureis inſcripſit jam Deus antè notis.
Nè dubites, ſatìs eſt Rocchæ triviſſe libellum,
Unum pro cunctis, quod tibi tradit opus.

ANTONII BOSII.

UT latos campos proventu frugis opimæ
Exiguus ſuperat ſi benè cultus ager.
Sìc doctâ ſcriptum Rocchæ brevitate libellum
Anteferas magnis jure voluminibus.
Cęlicolum quidquid ſacro debetur honori,
Hic oculis, Lector, ſubdidit ille tuis.
Quid numeras chartas? pendas ſi pondera rerum,
Non poterat (dices) plenior eſſe liber.

DOMINICI TEMPESTÆ.

INclyta Cęleſtem in numerum, quos facta tulerunt,
Romanus toto comprobat orbe Pater.
Tu ſacri Ritus ſeriem, faciemque, modumque
Angele ab antiquis tradis originibus.
Hiſtoriæ tibi ſacra fides debebit, & ipſa
Sacra cohors ſtudiis officioſa tuis.
Vivet opus per te, viveſque perennis eorum
Munere, qui Cęli promeruere decus.

PETRI MARIONII.

CÆlicolum illuſtres titulos, & nomina pandis
Sintque ſacra in terris, qua ratione doces.
Romanumque probas non poſſe errare Parentem,
Qui sùmi in terris ſceptra Tonantis habet.
Quippe patent veris illorum teſtibus acta,
In faſtos, quorum nomina digna refert.
Hæc tu tàm docte, & tantà brevitate recenſes
Angele, ut ingenio ſit decus omne tuo.

DOMINICI ANCAJANI.

IMpia ſacrilegum concedant carmina vatum,
Non Venus, aut turpis Juppiter aſtra tenēt.
Fabula ſunt illi, paucos capit aula Tonantis,
Quos fictę haùd voces, vera ſed acta probant.
Hìnc ſe Pontificum divinâ potentîâ jactat,
Noſcit & æthereas, qui tenuere domos.
Sìc homini sìc aſtra patent, ut Roccha libello
comprobat, haùd alia ſunt adeunda via.
Et Superi jam, cui meruit traduntur honores,
Et dat, cui ſuperas fas reſerare fores.

PAULI THUNNI.

POntificum fidus ſacris comes, atquè miniſter
Egregiè ſtudium ponere Roccha ſoles.
Nàm ſacra cùm tractes, ſacræ quoque jura tueris
Sedis, & es gemino gratior officio.
Ecce Patris ſummi per te defenſa poteſtas,
Qua meritò in faſtos nomina ſacra refert.
Nec minùs aſſertus Sanctis honor ætheris alti
Templa, quibus terris jure locanda doces.
Eſt ſacrum Vaticanâ tibi munus in aulâ
Angele, ſed ſacrum non minùs ingenium.

NICOLAI VESPÆ.

CÆlicolæ magni quamvìs ſublimis olympi
Regia, vos claro numinis ore beat;

Nè tamèn humanos etiã contemnite honores,
Et juvet hic templis ritè, sacrisque coli.
En hoc Succeſſor Petri vos munere donat,
Dum meritis veſtris arbiter æquus adeſt.
Angelus id factum firmâ ratione tuetur,
Doctrinæ promens uberioris opes.
Vos modo de Cęlo fas eſt utrisque favere,
Queis veſtrum cordi cernitis eſſe decus.
Paſtorem ſervate pium, dat qui aurea templa,
Atquè illum calamo, qui data jure docet.

THOMÆ FEDERICI.

DUm magna exiguo comprendis Roccha libello,
Quo meritis Cęlum debita templa doces.
Ingenii vires non terræ finibus arctas,
Ingenio celeri, ſed ſupèr aſtra volas.
Indè igitùr referent Cęli tibi pręmia cives,
Hic impar meritis eſt decus omne tuis.

HIERONYMI CALICIS.

INſignes pietate viros, quos intulit aſtris,
Præmia virtuti, qui Deus æqua refert.
Ut colat, ut votis tellus, ut thure precetur,
Judicio, & ſummi pendet ab ore Patris.
Ecquis erit terris hæc qui cæleſtia pandat?
Angelus è Cęlo nuncius ecce venit.

ALFONSI FERRI.

ANgelus æterno Superi vos ornat honore,
Nomina dum faſtis veſtra ſacranda refert.
Huius vos ceptis præſenti numine adeſte,
Et precibus gratis conciliate Deum.
Non erit ut quiſquam vos abneget æthere dignos,
Dum vivent docti ſcripta diſerta viri.

DE SANCTORUM CANONIZATIONE COMMENTARIUS.

CAP. PRIMUM.

Sanctitatis nomen, undè originem trahat.

NOS de Sanctorum Canonizatione verba facturi, ab ipsiusmet Canonizationis definitione Commentarium nostrum auspicabimur, Eloquentiæ latinæ Patrem hoc loco imitaturi, ex Aristotelis doctrinâ dicentem: Omnis enim, quæ à ratione suspicitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur. Anteà verò quàm definitionem aggrediamur, nominum etymologiam explicare libet, ut ad ipsam definitionem indagandam facilior nobis reddatur aditus.

Cic. lib. 1. de Off. Aristot. 6. Topic.

Sanctum ab Ethnicis nonnisi à sanguine hostiæ nuncupatum narrat Isidorus in suo Etymologiarum libro: *Nihil enim apud eos* (inquit) *dicebatur sanctum, nisi quod hostiæ sanguine fuisset consecratum, aut conspersum.* In veteri etiàm lege omnia sanguine animalium in sacrificiis sanctificabantur, aut mundabantur, Beato Apostolo teste, qui ait: *Et omnia penè in sanguine secundum legem mundantur, & sinè sanguinis effusione non fit remissio.*

Isid. lib. 15. cap. 4.

Hebr. 9.

Hac ratione Beati omnes in cœlo existentes, sancti dicuntur, reque ipsâ sunt, quià in sanguine Agni immaculati à suis peccatis mundati olim fuerunt, juxtà illud Apocalipseos dictum: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Quòd autèm Latini appellant sanctum, Græci Ἅγιον dicunt, quasi sine terra: propterea Beati in Cœlo verè nuncupantur sancti, quià tàm operis, quàm desiderii terreni sunt omninò expertes. Hæc de nomine sanctitatis, ut ad canonizationis vocem accedamus.

Apocal. 1.

CAP. II.

Canonizatio, undè dicatur.

Ex Isid. lib. 6. c. 15. Et Dist. 3. c. 1. Canon.

CAnonizatio ortum habens à voce Græca, *Canone*, qui à Latinis *regula* nuncupatur, examinatio ad regulam interpretari potest. Si itaquè universa alicujus vita ad totius perfectionis regulam examinetur, reque vera ipse omni ex parte perfectus, ac vere Sanctus inveniatur, is dubio procùl canonizatus, hoc est canonicè approbatus, vel ad regulam examinatus, Sanctorum catalogo adscribendus judicatur: Regula enim, ut Isidoro placet, dicta est, quòd rectè ducat, nec aliquandò trahat aliorsùm; vel quòd regat, normamque rectè vivendi, agendive præbeat; seù distortum, pravumque corrigat. Vel, ut alibi Isidorus ait, dicitur regula, quòd sit recta, quasi rectula, impedimentum non habens.

Isid. ubi suprà dist. 3. c. 2. Regula, & Isid. lib. 19. c. 18.

Hinc sicut superstitiosa, & falsa inter fictos Ethnicorum Deos relatio à Græcis *Apotheosis*, & à Latinis *Deificatio* vocabatur; Dii verò ex hominibus facti Græcè Δαίμονες Dæmones, ob scientiam, ut ait sanctus Pater Augustinus, ità dicti, latinè *Divi*, *& Indigetes*, quasi in Diis agentes, vel nullius rei indigentes vocitabantur; & indigitatio, seù potiùs indigetatio prò Deificatione, ut reor, à Macrobio usurpata, sumebatur; ità, & jure quidem in Sancta Dei Ecclesia homines inter Cœlicolas canonicè relati, Sancti nuncupantur; veraque item, & sacra inter Sanctos relatio prò sanctificatione *canonizatio* vocitatur. Quarè Ascensius in Daphnide Virgiliano relationem Ethnicorum in Divos *Apotheosim*, à verbo Ἀποθεόω, quòd est Deifico, vocavit: quæ quibus cæremoniis apud Romanos fieri consueverit, Herodianus in libro de Romanorum Imperatorum vitâ, & rebus gestis quarto elegantèr scribit. Quamvis autem hujus generis in catalogum Sanctorum relatio satis bellè sanctificatio dici posset; visitato tamèn nomine *Canonizatio* passim vocitatur, atquè hunc in modum à Theologis, & Canonistis definitur.

S. Aug. lib. 9. de Civ. Dei c. 20. tom. 5.

Macrob. lib. 1. somn. c. 9.

Ascensius.

Herod. lib. 4. sub initium.

CAP. III.

Canonizationis propria definitio.

CAnonizatio est canonica, & publica sanctitatis alicujus hominis approbatio, qua quis Catologo Sanctorum adscriptus declaratur, & solemniter promulgatur, cunctisque Christifidelibus invocandus, divinique officii celebratione venerandus proponitur:

Canonistæ in c. 1. de reliqu., & ven. Sanct. Viguer. Silvestr. & alii.

nitur : Catalogus namquè non eſt ſermo univerſalis, ut nonnulli, & ineptè quidem, ſcripſerunt; ſed eſt enumeratio, ac recenſio, à verbo Καταλέγω, vel Καταλέγομαι, quod eſt recenſeo, & connumero, dictus.

CAP. IV.

Sanctos Canonizandi auctoritas ad ſolum Romanum Pontificem, vel ad Concilium legitimè congregatum pertinet.

Cyp. lib. 1. ep. 37. & lib. 3. ep. 6.

CUilibet olim Epiſcopo in ſuâ Diœceſi, aùt Provincia Sanctos canonizare licebat, ut apud Sanctum Cyprianum videre eſt: ſanctus namque Cyprianus ad Clerum ſuum ſcribens, hortatur, ut omnem humanitatem, & curam ergà Confeſſores (hoc eſt Martyres) tùm vivos, tùm in carcere defunctos adhibeat; necnon diem, quo quiſquè ex hac vita decedit, in codices diligentèr referat ad memoriam eorundem ſingulo quoque anno concelebrandam. De Confeſſorum mortis die conſcribendâ Sanctus ipſe in hanc loquitur verborum formam: *Deniquè, & dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum intèr memorias Martyrum celebrare poſſimus (quamquàm Tertullus fideliſſimus, & devotiſſimus frater noſter conſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt) & celebrentur hic à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiſcum, Domino protegente, celebrabimus.* Hæc S. Cyprianus; ex cujus verbis Canonizatio ab Epiſcopis in ſua Diœceſi celebrari conſueta nobis indicatur. Quæ deindè conſuetudo abrogata fuit, & ad varios abuſus amovendos rationabilitèr ab Alexandro III. vetita: ita ſcilicèt, ut ne quis tempus in poſterùm pro ſancto venerari inciperet abſque Romani Pontificis approbatione.

Confeſſorum nomine Martyres intelliguntur.

Vide Iacob. Pam. in ep. 9. Cypr.

S. Cypr. ep. 37.

Alex. III. lib. 3. Decretal. tit. 45. de reliqu. & ven. SS. c. 1. & 2.

Sanctos itaque canonizandi auctoritas ad ſolum Romanum Pontificem pertinet. Hanc concluſionem non ſolùm ex communi tàm Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententiâ omninò confirmamus, ſed duabus etiàm rationibus comprobamus. Sicut enim Chriſtus Dominus ſolus eſt, qui in Eccleſia triumphante ſanctificat, ut ipſemet in Levitico teſtatur, dicens: *Ego Dominus, qui ſanctifico eos*; ità in Eccleſia militante ad ſolum Romanum Pontificem, qui eſt Chriſti Vicarius, ſanctificationis approbatio, & promulgatio pertinet. Prætereà ſicut ad ſolum Romanum Pontificem quæſtionis de fide definitio, aùt determinatio pertinet; ità etiàm publica, & externa Sanctorum veneratio, quæ eſt quædam fidei proteſtatio. Quamvis autèm Epiſcopus in ſua Diœceſi, aùt Provincia Sancti alicujus canonizati feſtivitatem, aùt ſolemnitatem indicere poſſit; ad ſolum tamèn Romanum Pontificem, qui eſt univerſæ Eccleſiæ militantis, cùm plenitudine poteſtatis iudex, & caput, vèl ad Concilium legitimè congregatum, Sanctum quemque canonizare, ejuſdemque venerationem, aut ſolemnitatem Eccleſiæ univerſæ obſervandam proponere, ſivè indicere pertinet.

Viguer. de virt. fid. 104. vers. 4.

Lev. 21.

Canonizatio eſt fidei quædam proteſtatio.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regular. cap. 12. Verbo Dies etiam feſti. & diſtin. 12. c. de his. Turrecr. lib. 2. de Eccl. c. 52. Bannes in 2. 2. S. Th. q. 1. art 10.

CAP. V.

De antiquitate Canonizandi Sanctos.

QUamvis eâ ſolemnitate, quâ hodiè in Sanctis canonizandis Eccleſia Catholica uti ſolet, Eccleſiæ primitivæ Sancti cathalogo Beatorum adſcripti non fuerint; ritu tamèn aliquo in Codices referebantur à Notariis, & Diaconibus, qui eorundem animi ſubmiſſionem, ſivè humilitatem, & patientiam; pietatem, abſtinentiam, & charitatem; miracula deniquè, actaque omnia, & quæcunque illa ſint, quæ veram hominis ſanctitatem præſeferunt, ac facilè declarant, juſſu Romanorum Pontificum conſcribebant: Res itèm Martyrum geſtas, necnon varias proptèr juſtitiam perſecutiones, & cruciatus omnes, ac necem pro Chriſti fide ſuſceptam literis mandabant. Jamquè indè à naſcentis Eccleſiæ primordio, ut infrà ſtàtim oſtendemus, juſſu eorundèm Romanorum Pontificum, Sanctorum nomina, necnon dies, quibus ex hac vita decedebant, in codices referebantur. Ex hoc deindè annotandi, conſcribendive genere originem poſteà ſumpſerunt Martyrologia, quæ vocantur, quorum primus auctor fuit Euſebius, cujus Martyrologium Sanctus Hieronymus in latinum tranſtulit, Bedà ſub initium Retractationum in Acta Apoſtolorum atteſtante. Illum imitati ſunt idèm Beda, Ado Treverenſis, & Florus quidam, ut ait Pamelius: juſſu autèm Caroli Magni ſuum congeſſit Martyrologium Uſuardus. Illud tamèn, quòd à Romana Eccleſia fuit congeſtum, atquè concinnatum, hodiè in omnibus Eccleſiis legitur. Apud Græcos idipſum, ſed prolixiùs præſtitit Symeon Metaphraſtes. De Martyrologiis, occaſione ſuadente, hactenùs, ut ad noſtrum de antiquitate canonizandi Sanctos inſtitutum accedamus.

Iacob. Pamel. in ep. 27. & vpr Beda to. 6.

Ad hanc rem præſtandam jàm indè, utì diximus, ab Eccleſiâ primitivâ, anno ſcilicèt à Verbo incarnato nonageſimo tertiò S. Clemens hujus nominis primus, ſeptem Urbis regiones Notariis diviſit, eiſque juſſit, ut res Martyrum geſtas conſcriberent, ſicut Platina, Anaſtaſius Bibliothecarius, Damaſus, & alii, qui vitas Romanorum Pontificum literis mandarunt, perſpicuè teſtantur. Idem intereà Sanctus Anterus Papa, innovando, ſtatuit, dum anno à Chriſto nato 236. res Martyrum geſtas diligentèr exquiſitas, & à Notariis conſcriptas in ærarium Eccleſiæ reponendas curavit. Sanctus aùtèm Fabianus anno ſalutis noſtræ 236. Notariis ſeptèm totidèm Diaconos adjunxit, quibus mandavit, ut res Martyrum geſtas, ac dies mortis eorundem à Notariis conſcriptas ad cæterorum exemplum, qui Chriſti fidem profitebantur, colligerent. Sanctus deniquè Fœlix hujus nominis primus, anno à Virgineo partu 271. Mar-

Anno Domini xciij.

Platina.

Anaſtaſ. Bibl. & alii.

Anno Domini ccxxxvj.

Anno Domini ccxxxvj.

Anno Domini ccixxj.

ty-

Platina. tyrum gloriæ (ut ait Platina) consulens, decrevit, ut singulo quoquè anno statis diebus sacrificia in eorundem Martyrum memoriam celebrarentur: quæ sanè res canonizatum jàm Sanctum apertè declarans, & concludens, à cæteris, qui proxime successerunt, Pontificibus observata semper fuit.

Anno Domini CCXCVI. Tempore itèm Diocletiani Imperatoris, & Marcellini Papæ, & Martyris circà annum Domini 296. plus minusve, aliquem canonizandi ritum fuisse quis dicat necesse est. Nàm Mensurius Carthaginensis Episcopus, qui eo seculo floruit, illos, qui ex Diocletiani edicto sacros codices dare nolebant, eamque ob causam martyrium subibant, in Martyrum numerum referri debere censuit: facinorosos autèm, fiscique debitores, hoc est ære alieno grandi obstrictos, vel onerosâ multis debitis vitâ carere volentes, vel purgare sese, vel facinora sua quasi abluere, vel certè pecuniam acquirere, & in carcere de obsequio Christianorum delitiis perfrui putantes, ultròque ob id persecutoribus, occasione persecutionis captatâ, sese offerentes, inter Sanctos connumerari idem Mensurius vetuit. Hæc ex B. Patre Augustino in Breviculo suo, in quo rem totam diligentèr scribit.

S. Aug. Coll. 3. diei c. 5. to. 7. circà ann. Domini CCCC.

Optatus quoque Milevitanus Sancti Patris Augustini contemporaneus, aliquem etiàm canonizandi ritum tunc temporis fuisse monet, dum Lucillam factiosam fœminam à Cœciliano reprehensam, quòd ipsa antè sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem, os nescio cujus hominis jam demortui, etsi Martyris, sed non dùm, ut ille ait, vindicati, hoc est, nondùm probati, ac recepti, vel canonizati, exoscularetur, expressè narrat.

Opt. Milev. lib. 1. contra Parmen.

Ex Biblioth. Vaticana circa ann. Dom. CCC. L. Asservantur in Bibliotheca Vaticana codices manuscripti, & quidem vetustissimi, *Lectionarii* nuncupati, Martyrum res gestas complectentes, in quibus videre licet, quomodò Ethnici sanctorum hominum reliquias, vel in mare proiiciendas, vel proterendas, & conculcandas curabant, nè (ut ajebant) Deificarentur, hoc est, ut Christiano more loquamur, nè Sanctorum catalogo adscriberentur.

Vict. Vtic. lib. 1. non procul à fine. Ex to. 7. Bibl oth. SS. Patrum circa ann. Domini CCC. XXX. Huic fere adsimile Victor Uticensis in primo de persecutione Wandalorum libro scriptum reliquit, ubi de Armogaste Martyre in hanc loquitur verborum formam: *Quem* (Armogastem scilicet) *cum Theodoricus Regis filius, qui ejus Dominus erat, pœnis non valentibus, capite truncari jussisset, à suo prohibetur Jocundo Presbytero, dicente sibi: Poteris eum diversis afflictionibus interficere: Nam si gladio peremeris, incipient Romani* (hoc est Christiani) *Martyrem prædicare.* Hùcusque Victor, qui per Romanos nonnisi Christianos intelligi voluit: frequentèr enim in historiis Christiani per Romanos intelliguntur, quatenùs Roma Christianitatis caput est, atque sedes, peculiarique nomine sancta Dei Ecclesia Romana vocitatur. Hæc sanè omnia nonnisi quendam canonizandi ritum præseferunt, non eâ tamen insignitum solemnitate, quâ, sicut diximus, Ecclesia hodiè uti solet.

Troylus Malvitius Jurisconsultus Bononiensis in tractatu de Canonizatione Sanctorum, Apollionem quendam Eremitam, Natione Græcum, primum canonizatum fuisse ait: quem tempore Christi quadam in silva Pastoribus prædicasse, Salvatorem nostrum esse verum Messiam, ob idque clavis ligneis à Judæis fuisse occisum, ac tandèm à Nicolao hujus nominis primo, cui hoc (inquit) martyrium à Deo revelatum fuit, in Sanctorum numerum relatum fuisse scribit. Id quod quantum ad martyrium, & canonizationem pertinet, apocryphum esse reor: quià nec de nomine, nec de re ipsa apud ullum scriptorem mentionem factam esse inveni. Adde etiàm, quòd Malvitius dictam historiam se legisse ait in quodam vetustissimo codice, quem tamèn titulo, & Auctoris nomine carere fatetur. Troylus Tractatuum tom 14. Dub. 3. n. 46.

Ego verò cum Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinale, docto, & pio in primis Viro, primam Canonizationem à Leone III. Anno Domini DCCCIII. solemnitèr celebratam fuisse opinor. Leo enim in Germaniam profectus, Imperatoris Caroli, & Hildebaldi Archiepiscopi Colonienſis rogatu Werdam, Imperiale Oppidum, sese contulit, ibique Missâ ab eodem Hildebaldo solemnitèr decantatâ, Suitbertique vitâ, quam Sanctus Marcellinus ejus socius, & conterraneus conscripsit, perlectâ, dictum Suitbertum Episcopum Werdensem in Sanctorum numerum retulit, ut Sanctus Ludgerus Episcopus Monasterienſis in Epistola ad Rixfridum Trajectensem Episcopum de miraculis ejusdem Svitberti scribit in hæc verba: *Pridiè nonas Septembris S. Leo Papa de assensu paritèr, & consensu suorum Cardinalium, cæterorumque Prælatorum illic coram adstantium, solemnitèr Suitbertum catalogo Sanctorum Confessorum adscripsit.* Hæc ex Laurentio Surio in secundo de historiis Sanctorum Tomo. Quæ sanè omnia, hoc loco à me recitata, solemnitatem canonizandi Sanctos apertè demonstrant. Antè solemnem Suitberti canonizationem aliæ fortasse canonizationes fuerunt à Romanis Pontificibus solemnitèr celebratæ, quas invenire non potui. Cæteri antè Leonem tertium Pontifices, si non solemni, eo saltèm ritu, quem nupèr diximus, Sanctorum canonizationes præstiterunt. Hæc de antiquitate canonizandi Sanctos, ut causas canonizandi aggrediamur. Rob. Bellarm. tō. 1. controv. lib. de Sanctorum beatitudine, & canoniz. c. 8. Laur. Surius tom. 2. Die 11. Mart. c. 9. pag. 39.

CAP. VI.

De Causis Canonizandi Sanctos.

AD subortas longo post tempore fraudes, aut fallacias tàm hæreticorum, quàm aliorum itèm sceleſtorum hominum cavendas, necnon ad ambitionem cum affectu humano adjunctam reiiciendam, sivè ad simulatam sanctitatem detegendam, major in Canonizatione Sanctorum investigatio præstari cœpit. Hæretici enim, atquè Schismatici cruciatus, ac necem passi pro Christi nomine aliquibus visi sunt: quos tamèn à Catholica fide

alienos Ecclesia Dei non recepit: Martyrem nàmque Christi, ut ait S. Pater Augustinus multis in locis, non pœna facit, sed causa: & quidquid patiuntur ii, qui extrà Ecclesiam Catholicam sunt, perfidiæ pœna non martyrium esse censetur. Exemplis autèm Pseudomartyrum silentio prætermissis, exemplum de Hermanno quodam hæretico fictæ sanctitatis homine, hoc loco subiiciendum censeo: is enim vitâ functus, sanctitatis opinionem, ac venerationem consequutus fuit, totoque viginti annorum intervallo retinuit: cujus corpus post dictum annorum spatium (teste Platina) Bonifacius VIII. exhumari, comburique jussit, diligentissimâ de ipsius hæresi, fictâque sanctitate, habitâ inquisitione.

Aug. tom. 2. ep. 61. & 166. & aliis locis.

Platina in Bonif. VIII. de Hermanno hæretico.

Bonif. VIII.

Affectus item humanus, cum ambitione conjunctus, fuit in causa, cur ex hac vita piè decedentes, tùm consanguineos, tùm affines, & amicos tamquàm Sanctos, pro suo quisque arbitrio, & affectu veneraretur, patrociniumque ab eis publicè imploraret. Hinc perturbatione, atque confusione subortâ, ille, qui à quibusdam uti Sanctus colebatur; ab aliis magno cùm scandalo irridebatur. His, aliisque de causis res tanti ponderis, ac momenti, cujusmodi Sanctorum canonizatio est, non nisi morâ interpositâ, & quidèm longâ, diligentissimâque habitâ investigatione, mediis intercedentibus, & Principum, & Civitatum, Nationumque summis precibus, ut scilicèt veritas ipsa splendidiùs eluceat, in annos plurimos differri solet, ac jure debet. Id quod, exemplis hoc genus multis silentio prætermissis, in canonizatione Sancti Stanislai Episcopi Cracovienſis, & Martyris, qui Anno 175. post martyrium Catalogo Sanctorum fuit adscriptus, factum constat.

Canonizatio cur diù differri debeat.

Stanislai canonizatio.

Cùm enim sub Innocentio IV. Pontifice Maximo diù, multùmque pro eo canonizando laboratum esset, Raynaldo Episcopo Cardinale Ostiensi (qui Innocentio successit, & Alexander IV. nuncupatus fuit) dictam Canonizationem, ut Surius testatur, mirum in modum impediente, Stanislaus Raynaldo adversâ valetudine gravissimè laboranti, omnique vivendi spe destituto, ac moribundo, vigilanti tamen, ac decumbenti, ut idem Surius ait, apparuit, eique in signum sanctitatis suæ mandavit, ut illicò sanus è lecto surgeret. Raynaldus itaque expresso Dei miraculo sanus omninò, ac statim effectus, Stanislai canonizationi majorem deindè in modum totâ re perspectâ suffragatus est. Hæc de causis, & antiquitate canonizandi Sanctos, ut ea, quæ ad canonizationem pertinent, explicemus.

Laur. Surius in Stanislao tom. 3. die 8. Maii prope finem.

Stanislai apparitio, & miraculum.

CAP. VII.

Quænam sint illa, quibus præviis in Canonizatione solemni, Sanctorum Catalogo adscribi quis potest.

QUàmvis multi sint, qui de rebus ad Canonizationem celebrandam pertinentibus aliquâ ex parte conscripserint; omnes tamèn uno consensu eadem ferè scriptis hac in re mandarunt. Hæc itaque rei tanti ponderis, ac momenti perneccssaria, quanti est Canonizatio, ordine juxtà intellectus mei captum immutato, multis intereà rebus additis, divisioneque rerum dicendarum præviâ, hoc loco censeo enumeranda: aliqua enim ad Canonizandum, aliqua ad Canonizantem, aliquà verò ad canonizandi formam pertinentia nobis hoc in Commentario sese offerunt consideranda.

CAP. VIII.

Quænam in eo, qui canonizandus est, requirantur.

FAma inculpatæ vitæ longâ temporum serie, ad finem usquè vitæ inclusivè nunquàm interrupta, pro quovis canonizando in primis requiritur, ac postulatur. I.

Vitæ autèm rectitudo, catholicâ fide præviâ, & factis, & dictis comprobatur: nàm circà spiritualia, & corporalia misericordiæ opera; circà item castitatem, sobrietatem, & abstinentiam; circà bonos mores, actus, & labores multos, vèl pro fide, vèl pro animarum salute constantèr toleratos, & circà denique virtutes omnes, præsertim verò circà Christianam humilitatem versatur. II.

Vitæ sanctimonia potest esse simulata, & ficta, cujusmodi vita Hypocritarum est. Hypocrita enim est alienæ personæ simulator; undè Histriones, & alii fabularum actores *Hypocritæ* propriè vocitantur à verbo Græco ἀπὸ τοῦ ὑποκρίνειν, quod intèr alia simulare significat: & sicut in Comœdiis, ac Tragœdiis actio ipsa *hypocrisis* dicitur, ità à Rhetore *hipocrisis* appellatur, quam Latini *pronunciationem* vocant, in gestu, motuque præcipuè consistentem, cui Demosthenes primas, secundas, & tertias tribuit. Hinc per metaphoram, seù per translationem homines illi, qui ab ea, quam simulant, personâ longissimè absunt, dùm aliud in pectore, aliud in ore, atquè in externis actionibus gerunt, ut probi, ac pii esse videantur, translatè *Hypocritæ*, hoc est *simulatores* vocitari solent, eorumque actio *hypocrisis* appellatur. Vera itaque vitæ integritas, & innocentia miraculis interdùm illustratur, ac declaratur. III.

Hypocritæ nomen undè dicatur.

Hypocrisis duo significat.

Quàmvis verà vitæ sanctitas sinè miraculis pro aliquo canonizando sufficiat, contrà verò, non item, ut S. P. Augustinus docet; ea tamèn miraculis splendidius comprobatur, ac demonstratur, dummodò in eis veri miraculi conditiones non desiderentur. IV.

CAP. IX.

Miracula vera ad Canonizationem præstandam pertinentia quomodò à non veris discernantur.

MIraculorum investigatio diligentissima esse debet; propterea quòd tàm à malis, quàm à bonis hominibus fieri possunt, immò,

immò, & à Dæmonibus ipsis mirabilia quædam perpetrari solent, quæ tamèn miracula reverà non sunt, ut infrà ostendemus: Miraculum nàmque propriè sumptum, sicut S. Thomas, Doctor Angelicus, ac cæteri Doctores Theologi docent, illud est, quod fit prætèr totiùs naturæ creatæ ordinem, sub quo omnis virtus creata continetur: si enim lapis, qui suapte naturâ deorsùm tendit; non prætèr totiùs naturæ, sed tantùm ipsius lapidis naturæ ordinem à quopiam sursùm projiciatur, id haudquàquam miraculum dici potest.

S.Tho. p.1.q. 110.art.4.& q. 114 art.4.

Quàmvis iis ex rebus, quas hùcusquè de propriâ miraculorum naturâ conscripsimus, veræ miraculorum conditiones fuerint explicatæ; hoc tamen loco ea, quæ Cardinalis Ostiensis, & Bartholomæus Cassanæus in hanc rem scripta reliquerunt, in medium afferre libet. Hi enim quatuor in miraculis, pro aliquo canonizando requiri volunt: quorum primum est, ut miraculum non ex arte, aut Dæmone fiat: secundum, ut sit contrà naturam: tertium, ut non ex vi verborum, sicut panis in verum Christi corpus miraculosè transubstantiatur, sed ex merito hominis fiat: quartum est, ut miraculum ad fidei corroborationem fiat: herba, enim, ut ajunt, hominis ministerio transit in vitrum, nullâ fidei corroboratione intercedente. Hæc ex Cassanæo, & Ostiensi, post Glossam. Ea itaque opera, in quibus dictæ conditiones desiderantur, miracula reverà dici non possunt. Nunc reliquum est, ut mirabilia Dæmonum, aùt Magorum opera examinentur, ne falsa pro veris miracula suscipiantur.

Card.Ost.lib.3 Summæ de relìq.& ven.SS.

Cassanæus p. 3. Catal. glor. mundi cõsid. 49.

Ex Glossa in c.1. de Reliq.& ven.SS. lib.6. in verbo, Sedis Ap.

CAP. X.

Miracula vera quomodò à bonis, & malis Christianis, & non vera à Magis, ac Dæmonibus fiant.

MIraculum propriè sumptum, nonnisi à Deo fieri potest: si autèm ab Angelo, vel à Sancto aliquo verum fiat miraculum, id virtute tantùm divinâ factum fuisse dicas oportet. Fit quoquè verum miraculum, non solùm à bonis, sed etiàm à malis Christianis. A bonis, ut ait S. Thomas, nonnisi per publicam fit justitiam, quæ in toto mundo est, sicut lex publica in Civitate, hoc est, ut ait S. Bonaventura, per fidem veram, quæ verè justificat, & à veritate prædicatur, ad ipsorum sanctitatem, necnon ad Dei gloriam indicandam, & ad prædicatam veritatem confirmandam. A malis autèm Christianis istùcipsum, Deo concedente, fieri nonnunquàm potest, non propriè per publicam justitiam, sed per publicæ justitiæ signa, quià ipsi fidem habent, & opera videntur habere, Christi nomen invocantes, vèl aliqua sacramenta exhibentes. Hæc ex Doctore Angelico, & Sancto Bonaventura. Hinc S. Matthæus Evangelista, malos Christianos in die Judicii universalis dicturos hisce testatur verbis: *Domine Domine nonnè in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Prophetia enim, necnon dæmones ejiciendi, & miracula faciendi facultates sunt gratiæ gratis datæ, quæ, ut ajunt Theologi omnes, cum peccato mortali stare possunt. Hujus autem generis facultates malis Christianis à Deo interdùm conceduntur, non ex meritis eorum, qui operantur, sed ex invocatione nominis Christi ad condemnationem eorum, qui Christi nomen invocant; atque ad utilitatem eorum, qui talia vident, & audiunt, ut, quàmvis ea signa facientes contemnant, Deum tamèn, ad cujus invocationem tanta fiunt miracula, venerentur, & colant. Nàm, & Saul, & Balaam, & Caiphas prophetaverunt, nescientes quid ipsimet dicerent: Pharao, & Nabuchodonosor somniis futura cognoverunt: Et in actibus Apostolorum filii Scævæ Sacerdotum Judæorum Principis, dæmonia ejicere videbantur. Judas denique Apostolus cum animo proditoris multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur. Hæc ex Beato Hieronymo in Sanctum Evangelistam Matthæum. Mali nàmque Christiani ex fide absquè charitate, sine qua vitam æternam mereri haudquàquàm possunt, dictis de causis dæmones ejicere, miracula operari, & prophetare queunt. Hinc Chrysostomus de talibus dixit: *Sed considera: quia in nomine Christi se prophetasse dicunt, non in spiritu: Prophetant enim in nomine Christi, sed in spiritu Diaboli, quales sunt divinatores. Dæmonia ejiciunt in nomine Christi, habentes spiritum inimici; Magi autèm non ejiciunt, sed ejicere videntur, colludentibus sibi Dæmonibus: faciunt, & virtutes, ideſt miracula non utilia, & necessaria, sed inutilia, & vana.* Hæc Jo: Chrysostomus, qui malos Christianos, fidem tamèn habentes, & Christi nomen in miraculis faciendis invocantes cum magicam artem exercentibus videtur confundere: Magi enim mirabilia quædam faciunt interdùm, quæ reipsà miracula non sunt, utì ostendemus; eaque nonnisi per pactum, ut ait S. Thomas, ac cæteri Theologi, cùm dæmone initum perpetrant: Mali verò Christiani, per publicæ justitiæ signa, veluti Christi nomen invocando, vera miracula, sed divinâ quidèm virtute faciunt. Miraculum nàmque propriè dictum, quod est, utì diximus, extrà totius naturæ creatæ ordinem, causam habens omnibus omninò occultam, à solo Deo fieri potest: à bonis autèm, & malis Christianis eo, quem explicavimus, modo. Dæmones itèm, qui exactissimâ omnium rerum scientiâ insignes conditi fuerunt, quibus etiam integra, & splendidissima post lapsum remanserunt naturalia, mirabilia quædam efficiunt, quæ tamèn miracula non sunt, quia causam omnibus omninò occultam non habent, nec extrà totius naturæ creatæ ordinem sunt, cujusmodi, ut ait S. Thomas, vera miracula esse debent.

S.Thomas.

S.Bonaventura.

S.Th. p.1. qu. 110. artic. 4. Et S. Bonavent. lib. 2. sent. d.7. p.2. q.2.ar.2.

Matth.7.

Prophetia, & aliæ gratiæ gratis datæ cum peccato stare possunt.

1. Reg. 10. Num 23. Jo. 11. Gen. 41. Dan. 2. Act.19.

Hier.lib.1.c.7 tom.6.

Chrys. in c. 7. Matt. Chrysost. hom. 14. in c. 7. Matt. tom.2.incerti Auct.

S.Tho. p.1.q. 110.ar.4.ad 2.

Miraculum verum quodnam sit.

S.Tho. p.1.q. 110.ar.4.ad 2. & q.105.ar.7. in corp.

CAP. XI.

Opera Dæmonum mirabilia ab Augustino narrata, cur miracula dici non queant.

DIctum in modum facta esse, credendum est, opera Dæmonum illa, quæ S. P. Augustinus in Libro de Civitate Dei de Diomedis, & Ulyssis sociis; illis in volucres, his verò à Circe saga in alias bestias immutatis, dequè Arcadibus in lupos, dequè aliis per esum casei in asinos conversis, narrat. Hæc, & id genus alia superficie tenùs, ut ait S. P. Augustinus, hoc est Dæmonum ludificatione fieri queunt. Hinc in libro de spiritu, & anima de aliis Dæmonum præstigiis (quas omnes mirabili eorundem perspicacitati, necnon experientiæ tàm magno sæculorum numero exercitatæ, motusque aërei corporis miræ velocitati adscribit) in hanc loquitur verborum formam: *Dæmones, & acrimonia sensus (hoc est subtilitate cognitionis) & celeritate motus aerei corporis, terrenorum corporum sensum facilè præcedunt, & quædam cogitata prænunciant, quæ homines mirantur propter tarditatem terreni corporis. Accessit autèm Dæmonibus per tàm longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longè major experientia, quam hominibus potest evenire propter brevitatem vitæ. Idcircò quædam futura prædicunt, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt, & seducunt. Undè quædam mulierculæ post Satanam conversæ, Dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt se, & profitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum Deâ, vel cum Herodiade, & Minervâ, & innumera mulierum multitudine equitare, earumque jussionibus obtemperare. Ipse nàmque Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cum mentem cujusque mulierculæ cæperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugaverit, illicò transformat se in diversarum personarum species, ac similitudines: & mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, modò læta, & modò tristia; modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per dævia quæque deducit. Et cum solus hoc patitur spiritus infidelis, nec in animo, sed in corpore evenire opinatur; idcircò omnis stultus, & hebes, qui hæc omnia, quæ spiritu fiunt, etiàm in corpore accidere arbitratur, cum Ezechiel, & alii Prophetæ, Joannes etiàm Evangelista, & Apostoli in spiritu, non in corpore visiones viderint.* Hæc Augustinus ad verbum: quæ ferè omnia ex Concilio Ancyrano, à Gratiano inserta leguntur. Toto autèm illo tempore, quo homines arte diabolicâ sopiti existunt, à Dæmone, ait Ægidius, eorum corpora juxtà naturæ exigentiam sustentantur; aliquo scilicèt alimento, & subtili quidèm in ea corpora latenter immisso.

Lib. 18. c. 16. 17. 18. tom. 5.

Aug. ubi sup.

S. Aug. lib. de Sp. & an. c. 28. tom. 3.

Gagæ. Concil. Ancyranum c. 24. & 26. q. 5. c. Episcopi.

2. Cor. 11.

Ezech. 3.

Apoc. 2. & 4.

2. Cor. 12. Decreti 3. p. d. c. Epi. 26. q. 5.

Ægid. lib. 2. sent. d. 3. q. 2. ar. 5. dub. 1. in cor. post med.

CAP. XII.

Opera Dæmonum mirabilia, quæ non sunt miracula quot modis fiant.

DÆmonum opera miracula non sunt, quia vires naturæ, uti ostendemus, non superant; sed iis, qui talium operum causas, aut talia faciendi modum ignorant, mirabilia videntur: ea enim Dæmones faciunt, aut humanorum sensuum illusionibus, aut naturalium rerum operatione, naturales videlicèt rerum causas disponentes, mirâque celeritate adjuvantes, activa denique passivis applicantes, vel corpora hùc, atque illùc deferentes: Angeli nàmque, tàm boni, quàm mali omnium rerum cognitionem, ac scientiam callent exactissimam, eisque ad nutum, quantum ad motum, res corporeæ obediunt, ut id Theologi omnes magno consensu affirmant. Hinc Dæmones ob naturalem omnibus spiritibus inditam facultatem, si à Deo interdùm non impedirentur, tot, tantaque nobis inferrent damna; quot quantaque à nobis excogitari non possunt.

Angelorum bonorum, & malorũ scientia.

CAP. XIII.

Quomodò sensus hominum à Dæmonibus ludificentur ad eorundem illusiones cavendas.

QUod ad sopitos, aut ludificatos, tàm exteriores, quàm interiores sensus attinet, Ægidius Columna Romanus, Doctor ex instituto S. P. Augustini fundamentarius, id tribus modis fieri posse, tàm rationibus, quàm exemplis docet, & fusissimè quidèm. Nos autem hac in re brevitati consulentes, eandem rem paucis explicabimus verbis. Humanorum itaque sensuum tùm exteriorum, tùm etiàm interiorum ludificatio tribus modis, ratione scilicèt objecti, medii, & organi, quantum ad figuram, colorem, & imaginationem, fieri potest. Objectum, ut de sensu visus loquamur, est res sensata visibilis, quæ visui sese offert: Medium est aër perspicuus, per quem res visibilis ipsi visui offertur: Organum autèm, hoc est instrumentum videndi, est oculus. Duo prima facillimè à Dæmonibus, & quantùm ad colores, & quantùm ad figuras immutari possunt, ut S. P. Augustinus in Libro de Civitate Dei testatur, dicens: *Quòd enim homines coloribus, & corporibus veris, hoc Dæmones figuris fictis facillimè possunt.*

Ægid. lib. 2. sent. d. 8. qu. 2. artic. 5. dub. 1. later. in resol.

Aug. li. 18. c. 5.

Hujus autèm generis illusiones, vel per fictionem colorum, vel per immutationem sensuum ab es fieri solent: modica enim in sensu mutatio, ut Ægidius noster ait, ludificat sensum, ità tamèn, ut quod non est, ei appareat, sicut phreneticis evenire solet, quibus ob ascensum, ut ità dicam, fumositatum ad cerebrum, quæ reverà non vident, videre videntur. Istùc ferè ipsum nobis dormientibus accidere interdùm constat, calore,

Ægid. lib. 2. sent. d. 8. qu. 2. art. 5. dub. 1. Lat.

qui

qui animæ ſenſitivæ inſtrumentum eſt, à corde ad interiora ſublato; hinc ſenſus exteriores ſopitos manere neceſſe eſt. Hæc ex Ægidio Columna, qui loco nupèr commemorato ait, immutari etiàm poſſe organum phantaſticum, hoc eſt imaginativum inſtrumentum, quod eſt medius cerebri ventriculus, in quo phantaſmata, ſive ſpecies eorum tàm præſentium, quàm abſentium à communi ſenſu phantaſiæ, ſeu imaginativæ ipſi oblatæ imprimuntur. Sicut autem, inquit Ægidius, organo phantaſtico, per fumoſitatum aſcenſum deſiccato, dormientes ſibi videre videntur, quæ non vident; ità, & Dæmon tali deſiccatione dictum organum immutando facere poteſt, ut falſæ imaginationes, aut ſpecies, quales ſunt, quas dormientes videre ſibi videntur, hominibus ſuo ipſius arbitratu, ſenſibus ſopitis, appareant, niſi à Deo impediatur. Homines autèm hunc in modum illuſi, quàmvis non dormiant, dormientibus tamèn, ſenſibus immutatis, aut ſopitis, aſſimilantur: Dæmones enim, quibus ad nutum res corporeæ, quantùm ad motum, uti diximus, obediunt, omnem figuram in quamcumque figuram, omnemque colorem in quemcunque colorem convertere videntur, humore oculorum, ut ajunt, variato, vel alterato.

Ægid. ubi ſupra.

Ægid. ubi ſupra.

CAP. XIV.

Dæmonum Præſtigiæ declarantur ad eorundem illuſiones cognoſcendas.

Dictis jàm modis Dæmonum fiunt illuſiones de hominibus in aves, in lupos, in aſinos, & in alias beſtias mutatis, quas S. P. Auguſtinus in libro de Civitate Dei, & de ſpiritu, & anima, ut vidimus, enarravit. Hinc idem S. Doctor in eodem libro de hujus generis Dæmonum præſtigiis nupèr recitatis, ſeù de metamorphoſibus, hoc eſt de transformationibus apparentèr tantùm, aut ſuperficie tenùs præſtitis in hanc diſputat verborum formam: *Nèc ſanè Dæmones naturas creant: ſi aliquid tale faciunt, de qualibus factis iſta vertitur quæſtio, ſed ſpecie tenùs, quæ à vero Deo ſunt creata, commutant, ut videantur eſſe quod non ſunt. Non itaquè ſolùm animum, ſed nec corpus quidèm vllâ ratione crediderim Dæmonum arte, vel poteſtate in membra, vel lineamenta beſtialia veracitèr poſſe converti; ſed phantaſticum hominis* (organum ſcilicèt imaginativum) *quod etiam cogitando, ſivè ſomniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cum corpus non ſit, corporum tamèn ſimiles mirâ celeritate formas capit; ſopitis, aut oppreſſis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſum neſcio quo ineffabili modo figura corporea poſſe perduci, ità ut corpora ipſa hominum alìcubi jaceant; viventia quidèm, ſed multò gravius, atquè vehementius, quàm ſomno, ſuis ſenſibus obſeratis.* Hùcuſque Sanctus Doctor, qui in eodem libro, & capite præſtigioſum etiàm narrat exemplum de ſtabulariis quibuſdam fœminis, quæ caſeum viatoribus manducandum præbentes, in jumenta farcinas oneroſas deferentia, eos malis artibus convertebant: idquè in quadam Italiæ regione fieri ſolitum ſe audiviſſe teſtatur, dum in eâ moraretur. Immò, ut ipſe inquit, quidam nomine Præſtantius illud ipſum ajebat ſuo contigiſſe Patri, qui caballum ſe factum, annonam inter alia jumenta militibus aliquandò bajulaſſe affirmabat. Hæc ex Auguſtino, qui hac in re ſuam profert ſententiam dicens: *Quæ onera, ſi vera ſunt corpora, portantur à Dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falſa cernentibus.* Ex quibus Auguſtini verbis, partim vera, partimque falſa; veras ſcilicèt fuiſſe farcinas à Dæmonibus delatas, falſa verò jumentorum corpora per Dæmoniacam illuſionem nupèr explicatam extitiſſe colligimus: Dæmones enim (quibus ad nutum res corporeæ, quantùm ad motum localem, obediunt) ædificia integra, quàmvis magna, è loco ad locum transferrent, aliaque majora, & pejora quidèm, niſi à Deo impedirentur, efficerent.

Aug. ubi ſup. pag. 112.

Aug. lib. 18. c. 18. de Civ. Dei to. 5.

Aug. lib. 18. de Civ. Dei c. 18. tom. 5.

Dæmonum mira poteſtas

Quòd autem Dæmones nihil mali, niſi Deo permittente, hominibus inferre poſſint, id ex eo nobis exploratum, manifeſtumque fit, quòd Dæmones à corpore humano, ut Evangeliſtæ Sancti teſtantur, expulſi, nec in gregem quidèm porcorum, niſi Chriſto annuente, ingredi potuerunt: eorum tamen poteſtas, non impedita, tanta eſt, quanta poteſt eſſe maxima. Hinc B. Job de Dæmonis poteſtate ait: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret.* Hæc B. Job. Tanta verò Dæmonis poteſtas in tribus actionum generibus verſari ſolet, ſenſuum ſcilicèt tàm interiorum, quàm exteriorum ludificatione; naturalibus inſuper rerum cauſis; & corporum è loco ad locum translatione, & maximâ quidèm celeritate. Duas primas actiones, nuper explicavimus; tertiam hoc loco exemplis explicare libet.

Matth. 8. Marc. 5. Lucæ 8.

Job. 41.

Pag. 112. & 113

Inſigne hujuſcè actionis exemplum illud eſt, quod Sanctus Matthæus Evangeliſta ſcribit de Chriſto Domino, qui à Dæmone, non ſolùm hortatore, ut Joanni Chryſoſtomo placet, ſuper pinnaculum templi, & in montem excelſum aſſumptus fuit; ſed reipsà, & ut ità dicam, corporalitèr aſportatus, Sancto Gregorio Magno innuente, qui ait: *Quid ergo mirum, ſi ſe ab illo permiſit in montem duci, & tentari, qui pertulit etiam à membris illius crucifigi?* A Dæmone igitur eò delatus fuit, non quaſi ex neceſſitate, ſed quià, ut ait Origènes, Chriſtus eum ſequebatur, ad tentationem quaſi athlèta ſpontè procedens. Hunc in modum Angelus ille bonus Prophetam Habacuch capillo capitis apprehenſum ex Judæa Babylonem uſque aſportaſſe, indequè eum in Judæam reportaſſe apud Danielem Prophetam legitur. Hoc boni Angeli, illud autèm mali operâ; hoc Deo jubente, illud Deo ſaltèm permittente, factum eſſe conſtat: neutrum tamèn miraculum fuit, quippe quod ſuprà totiùs naturæ creatæ ordinem, ſeù facultatem non extitit. Hunc in modum fuit Simonis Magi volatus. Is enim à Dæmoni-

Matth. 4.

Greg. hom. 16 in Matth. to. 3

Card. de Turrecre. Alber. Magn. in Matt. S. Tho. 3. p. q. 4. art. 1. ad 2. Orig. in Luc.

Dan. 14.

Abdias Babyl. lib. 1.

Suet. in Ner. c.12. Hegesipp. lib. 3.c.2. Cyrill.Catech. Epiph.hær.21 Philastr. de hær.c.3.

bus in aera evectus, Nerone Imperatore, universoquè Populo intuente, atque obstupescente, ut Scriptores tàm sacri, quàm profani testantur, volare videbatur: quem tamèn ad Beati Petri Apostoli preces, à Dæmonibus, Deo jubente, destitutum, in terram statìm præcipitem corruisse, atque extinctum debitas persoluisse pœnas legimus.

Aug.ep.86.de hær.1. contra Fulg.Donatistam c.23. & alii.

Dæmones itèm, ventis vehementibus, ac turbulentis excitatis, ædificia ipsa, quamvis maxima, funditùs diruere, Deo permittente, ſtàtim possunt, sicut contrà Job factum esse constat. Terram quoquè vi ventorum concutere, & maris aquas ab imo incredibili hominum jacturâ commovere queunt. Res etiàm præsentes, vèl eas invisibiles reddendo, vèl aliò transferendo ab hominum conspectu repentè subtrahere possunt, sicùt Plato, & Cicero à Gyge factum commemorant: id quod non annuli, quem gestabat, ut fabulosè ajunt, virtute, sed Dæmonum artificio factum fuisse credendum est. Arte itèm Dæmonum, sanguinem, & carnes, necnon saxa pluisse apud T. Livium legimus. Miro eorundem artificio Statuæ, vel aliæ res inanimatæ ab ipsis motæ, more hominum ambulare; immò etiàm tàm inanimantes, quàm animantes, rationis tamèn expertes, loqui visæ sunt. Quæ sanè omnia tàm à Livio variis in locis; quàm à Valerio Maximo in eo de Miraculis capite narrantur, multaque in eam rem exempla recensentur. Hunc in modum, sermonibus articulatis ab Angelo in aere formatis, Asina Balaam more humano loquuta fuisse legitur. Hæc, & id genus alia, ac ferè innumera, & quidèm admiranda, quamvis à Dæmonibus fieri queant, miracula tamèn, ut suo jam loco explicatum est, haudquàquàm sunt: sed ad falsitatem miraculorum cognoscendam, illusionesque Dæmonum cavendas hoc loco enarrare visum fuit, ut in Canonizatione alicujus tractanda, cautior quisque reddatur.

Plato lib.2.de Rep. Cic.lib.3.offic.

Liv.lib.3.& 7.

Dec.1. & aliis in locis.

Liv. l. 3. & 7. Dec.1., & 3. Dec.l.4.& 7.2. bello Punico, & aliis in locis.

Val.max. lib. 2.c.8.Num.22

CAP. XV.

Dæmones quomodò in corporibus assumptis appareant, explicatur, ad eorundem illusiones cavendas circà miraculum suscitandi mortuos in canonizatione alicujus potissimum tenens locum.

ANgeli intereà tàm boni, quàm mali, quotiescunque alicui apparere volunt, corpus ex aëre, crassis quibusdam vaporibus admixto assumunt, ut corpus ipsum visibile, & coloratum appareat, non secùs atque nubes variis coloribus admixtæ à nobis cernuntur. Corpus itaque ab Angelis tàm bonis, quàm malis ex aëre per aliquam vaporum admixtionem, formâ extrinsecâ, vel effigie quacunque ex arbitrio formatum, visibile, atque coloratum apparet, & cum eis ſtàtim evanescit. Ut autèm (quod est difficilius) palpabile fiat, tactuique resistat corpus aëreum, id ad nutum Angelorum (sicut ad ipsorum nutum movetur, & ſtat) juxtà omnium Theologorum consensum fieri affirmamus. Angeli verò tàm boni, quàm mali in corporibus assumptis, vitæ opera exercere non possunt, quàmvis aliqua in eis interdùm exercere videantur: quià sunt corpora aerea, non animata; & propterea corde carentia, cui operationes præsertim vitæ adscribuntur. Quàmvis itèm Angeli in corporibus assumptis loquantur, vèl potiùs loqui videantur: locutio tamèn illa propriè dici non potest: non est enim vox ab animali, nèc veris organis, vel instrumentis ad vocem pertinentibus formata: nèc sonus ille per imaginationem conceptus dici valet, cum ibi virtus imaginativa non sit. Nec vox illa proprii intellectus interpretativa est, cum ex Angelo, & corpore illo assumpto unum per se non fiat. Est tamèn ibi nonnihil locutioni adsimile, sicut instrumenta illa, ex quibus reddi vox debet, naturalia non sunt, sed naturalibus similia esse dicuntur. Hæc ex Ægidio Romano, & aliis Theologis de corporibus à Dæmone assumptis, ut vivorum, & mortuorum apparitiones aggrediamur.

Corpus Angelorum assumptum, quomodo formetur.

Angeli num in corporibus assumptis proprie loqui dicantur.

CAP. XVI.

Vivorum, & mortuorum apparitiones ad illusiones itèm Dæmonum in Canonizatione alicujus cavendas explicantur.

ILlum etiam in modum Angeli, sive boni, Deo jubente; sive mali Deo saltèm permittente, ad alicujus mortui, vel viventis personam repræsentandam; illi scilicèt ad utilitatem, & consolationem; hi verò ad ludificationem præstandam apparent juxtà S. Patris Augustini sententiam in libro de spiritu, & anima dicentis; *Cum homines mortui, sive vivi, hominibus dormientibus, vel vigilantibus apparent, non in ipsis rebus, ut sunt, videntur, sed in quibusdam similitudinibus rerum. Istud autèm angelicis operationibus fieri credimus per dispensationem providentiæ Dei, benè utentis bonis, vel malis secundum inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum: sive hìnc instruantur mentes mortalium, sivè fallantur, sivè consolentur, sivè terreantur; sicut unicuique vel præbenda est misericordia, vel irroganda justitia ab eo, cui misericordiam, & judicium non inanitèr decantat Ecclesia.* Hùcusque Augustinus, qui postquam mortuorum, vel vivorum apparitiones in corporibus ministerio Angelorum formatis, & assumptis fieri explicavit, quę dixit, ratione comprobavit, & confirmavit hisce verbis: *Ibi siquidèm sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, nequè audiunt, quæ aguntur, aut eveniunt in ista vitâ hominibus. Ita tamèn est eis cura de vivis, (quamquàm quid agant, omninò nesciant) quemàdmodùm cura est nobis de mortuis, quàmvis quid agant, utique nesciamus. Nesciunt quidem mortui, quid agatur: sed dum hic agitur, postea audire possunt ab eis, qui hinc moriendo ad eos pergunt: non quidèm omninò, sed quantum finitur eis indicare, & eos oportet audire.*

Aug. lib. de spiritu, & anima c.29. to.3.

Pſal.100.

Aug. ubi suprà.

Mortui quomodo sciant quæ hìc agùntur.

Sci-

Scire etiàm possunt ab Angelis, qui hìc nobis præsto sunt, & animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiàm Dei revelante cognoscere possunt quæ hìc aguntur, quæ necessarium est eos cognoscere. Hęc Augustinus de mortuorum apparitionibus: nùm autèm mortuorum fiant apparitiones per eorundem prędentiam, an personas mortuorum Angeli in corporibus assumptis repręsentent, revocat in dubium dicens: *Quidam etiàm ex mortuis ad vivos rapi possunt, non per propriam naturam, sed per divinam potentiam. Utrùm tamèn ista fiant per eorum præsentiam, aut per Angelos suscipientes eorum personam, affirmare non audeo. Deus enìm omnipotens, qui est ubìque præsens, per angelica ministeria usquequàque diffusa potest præbere ista hominibus solatia, quibus in hujus vitæ miseriâ judicat esse præbenda.* Hęc S. Doctor de apparitionibus mortuorum angelico ministerio prędtitis: atque hunc in modum Sanctus Ambrosius ad altare Mediolani rem sacram faciens, somnoque correptus, exequiis Sancti Martini Turonis interesse potuisset, si verum esset, quod Gregorius Turonensis hac de re scripsit: eòdem nàmque tempore Sanctus Ambrosius inter celebrandum Mediolani, & Turonis in Sancti Martini exequiis (ut ajunt) visus fuit: fieri enim potuit, sicut Ægidius noster ait, ut Sanctus Ambrosius somno complexus, & consopitus, per visionem imaginativam, & virtute quidem divinà exequias illas adeò clarè viderit, ut iis interfuisse sibi visum fuerit, sicut dormienti, & per somnum aliquid videnti evenire frequentèr solet. Personam insupèr, aut Imaginem Beati Ambrosii ministerio angelico in corpore assumpto repręsentatam illìc fuisse censendum est. Hinc factum fuit, ut, qui dictis exequiis adfuerunt, Beatum Ambrosium iis interfuisse sinè dubitatione crediderint, dummodò historia enarrata concedatur; sed hac in re S. R. E. Cardinalis Baronius, Vir, & sacris Ecclesiasticarum rerum historiis, & Christianâ pietate insignis, Gregorium Turonensem redarguit, dum Sanctum Ambrosium antè Beatum Martinum, diem suum obiisse perspicuis argumentis demonstrat. Si autèm vera hoc loco fuisset historia à Gregorio enarrata, nonnisi illum in modum à nobis explicatum Sanctus Ambrosius Beati Martini exequiis interfuisset. Hęc de mortuorum, ac viventium apparitionibus ministerio Angelorum tàm bonorum, quàm malorum prędtitis mihi dicenda videbantur, ut vera à falsis miracula, prędertìm verò in ipsa mortuorum suscitatione faciliùs dignoscantur, necnon ad fallacias, & illusiones Dęmonum cavendas cautior quisque reddatur; opera enim Dęmonum mirabilia revera sunt, & ab iis, qui miram eorum scientiam cum longa experientia conjunctam, atquè potestatem non impeditam ignorant, miracula tànquam à Sanctis viris facta existimantur; quę tamen sunt Dęmonum ludificationes ad mentes hominum decipiendas prędtitę; vera nàmque mortuorum suscitatio, quę potissimum in Canonizatione tenet locum, à solo Deo, & à Sanctis, divinâ tamèn virtute, utì diximus, fieri potest. Quâ in re suscitatio Samuelis per Pythonissam, prędtita, seù tentata, nobis hoc loco sese offert examinanda.

Greg. Turon. lib. 1. Mirac. S. Mart. cap. 5. tom. 7. Bibl. Ss. Pp. Surius tom. 6. die 11. Nov. ad finem. Lippom. p. 2. comp. eadem die.

Quomodo S. Ambrosius exequiis Sancti Martini interesse potuisset. Ægid. quo lib. 1. q. 1. ad arg. & quod lib. 2. q. 17.

Card. Baron. in Annot. ad Martyrol. die 11. Novemb. Et in Annal. tom. 5. pag. 34. Anno Dom. 397. & tom. 3. Anno Dom. 351. pag. 580.

CAP. XVII.

Suscitatio Samuelis Prophetæ incantationibus Pythonissæ tentata examinatur ad Dæmonum illusiones cavendas circà suscitandi mortuos miraculum, in canonizatione alicujus potissimum tenens locum.

QUàmvis à Pythonissa, maga illa, Samuel Propheta Sanctus, ut in primo Regum libro legitur, à morte ad vitam, Saule postulante, revocatus videatur; id tamèn non nisi à Deo factum esse dicas necesse est, iis modis, quos infrà explicabimus. 1. Reg. 28.

Non desunt qui non Samuelem suscitatum, sed Dęmonem per Pythonissam in corpore aereo; ab Angelis tàm bonis, quàm malis assumi solito; vultu tamen, & habitu Samuelis apparuisse, atque in eo corpore cum Saule loquutum fuisse velint.

Prima S. Augustini opinio.

E Numero eorum, qui Samuelem suscitatum nolunt, fuit, &, ut opinor, primus, S. Pater Augustinus, qui in libro quędtionum veteris, ac novi Testamenti, ut historiam in primo Regum libro enarratam, sueque opinioni adversantem, explicet, in hanc loquitur verborum formam: *Historicus mentem Saulis, & habitum Samuelis descripsit, ea, quæ dicta, & visa sunt, exprimens; prætermittens, si vera, an falsa sint.* Hęc Augustinus, qui, ut suam tueatur opinionem, alteram aliquot enervat rationibus, quibus infrà in medium allatis, respondebimus cum eòdem Augustino; qui quàmvis in libro nupèr commemorato contrà opinionem sibi adversam disputet, falsamque esse omnibus nervis contendat; in secundo tamèn quędtionum libro ad Simplicianum scripto, utramque opinionem defendit, etiàmsi suam deniquè opinionem faciliorem intellectum, expeditioremque exitum habere dicat, hisce verbis: *In hoc facto potest esse alius facilior intellectus, & expeditior exitus, ut non verè spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma, & imaginariam illusionem, Diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt.* Hìcusque Augustinus: quod autèm postremò dixit, aliquot etiàm declarat exemplis, quę brevitatis causâ, silentio prętermittenda videntur.

Aug. lib. quæst. vet. & no. Test. q. 17. tom. 4.

S. Tho-

S. Thomæ sententia.

S. Thom. 1. p. q. 89. art. 8. ad secundum.

EGO verò cum Sancto Thoma, Doctore Angelico, Samuelem reverà suscitatum fuisse affirmo, libri Ecclesiastici auctoritate omninò persuasus: Nàm in quadragesimo sexto Ecclesiastici capite omnium Patrum post terræ promissionis ingressum, laudes enarrantur; in cujus capitis calce Samuelis item Prophetæ laudes recitantur, in quibus fit mentio de suscitatione Samuelis, necnon de eo, quod Samuel suscitatus, ut in primo Regum libro legitur, Sauli prædixit. Hæc enim in dicto Ecclesiastici leguntur libro: *Dilectus à Domino Deo suo Samuel Propheta, Domini renovavit imperium, & unxit Principes in Gente suâ.* Et infrà, multas post laudes; *Post hoc dormivit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem Gentis.* Hæc ibi, ex quibus invictum colligitur argumentum, quo Samuelem verè suscitatum fuisse fateamur oportet: falsa enim intèr vera non sunt commiscenda: si autèm Samuel suscitatus non fuisset, mortemque in crastinum Sauli non prædixisset, sicut in primo Regum libro factum esse legitur, falsæ Samuelis laudes intèr veras in Ecclesiastico fuissent connumeratæ.

1. Reg. 28.

Nec huic difficultati (salvo tamèn meliori judicio) satisfacere videtur Cornelius Jansenius, dicens, hoc Ecclesiastici loco historiam libri primi Regum de phantastico [ut ipse ait] & imaginario Samuele recitatam fuisse ad Saulis fiduciam ergà Samuelis, ut sic dixerim, veracitatem indicandam: Samuelis namquè veracitas, tot jam factis comprobata, non erat quod diabolicâ illusione concluderetur: & quæ impio Dæmoni, & semper fallaci tribuuntur ab iis, qui Dæmonem pro Samuele apparuisse volunt; Samueli, à nativitate sancto, vitæ operibus justo, & in omnibus verbis suis fideli adscribantur. Samuelem itaquè suscitatum esse, non Dæmonem pro Samuele apparuisse fatendum est.

Corn. Jansen.

Quàmvis autèm, suscitationem illam à muliere Pythonissa tentatam fuisse constet; arti tamèn magicæ Deum non faviisse; sed eam potiùs impediviisse, divinâque tandèm virtute, non arte Dæmonis, Samuelem fuisse suscitatum fateamur necesse est, etiàmsi Saul à Pythonissa, ut Samuelem [invocato Dæmone] suscitaret, postularit dicens: *Samuelem mihi suscita*; divinâ enim voluntate non ad Pythonissæ invocationem, nec ad meritum Saulis, sed ad Regni scissuram, quam Sauli Regi Samuel, dum viveret, prædixit, confirmandam, factum fuit, ut Samuel ipse, Propheta Domini verax, & ab ipso dilectus, excitaretur, arte magicâ impeditâ. Hunc in modum consultatio Dæmonum ab Ochozia Rege Israel, ut in quarto Regum libro legitur, tentata, nunciis ab eo ad Beelzebub, deum Accaron, missis, impedita fuit, Eliâ Prophetâ ad ipsum Ochoziam allegato, qui mortem, id ei scire cupienti, prædixit. Huic adsimile evenit Balaam, qui cum esset ariolus, & magus, Balac Moabitarum rege postulante, Dæmonem pro eo consulturus, à Deo non semel impeditus fuit. Hinc pro maledictione, quam Israeli Balac inferendam cupiebat, benedictionem, responsis Dæmonum impeditis tandèm emisit.

1. Reg. 28.

1. Reg. 15.

4. Reg. 1.

Num. 22. 23.

Sancti Augustini altera sententia, & quidèm verior, Angelici Doctoris doctrinæ consona.

ISTùcipsum suscitationi Samuelis eveniisse censendum est. Hinc S. P. Augustinus quàmvis in contrariam opinionem declinare videatur, hoc tamèn in Quæstionibus ad Simplicianum, absurdum non esse ait hisce verbis: *Non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante, aut subjugante magicâ potentiâ, sed volens, atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ, & Pythonissam illam, & Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti se ostendi aspectibus regis, divinâ eum sententiâ percussurus.* Hæc Sanctus Augustinus.

August. lib. 2. Quæst. ad Simpl. q. 3. tom. 4.

S. Augustini, & S. Thomæ sententiæ verioris confirmatio.

HUic de Samuele mortem Sauli, regnique de manu ejus ablationem prædicenti, non per Pythonissam, sed virtute divinâ resuscitato, historiæ mirum in modum suffragatur illud Ecclesiastici dictum: *Et post hoc dormivit* [Samuel scilicèt] *& notum fecit regi* [hoc est Sauli] *& ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem Gentis.*

Eccl. 46.

Hæc ibi de Samuele, qui *postquàm dormivit*, idèst obiit, [mors nàmque in Scriptura sacra, & justorum præsèrtim, *dormitio, & quies* appellatur] *& notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ*, mortem scilicèt Saulis, triumque filiorum ejus sequenti die futuram prædixit: *Et exaltavit vocem de terra in prophetia delere impietatem Gentis*, hoc est Samuel, quasi è terra surgens, & castra Israel ad impietatem Gentis delendam manibus Philisthiim Deum daturum prænuncians apparuit. Quæ sanè omnia in primo Regum libro à Samuele virtute divinâ suscitato ipsi Sauli prædicta fuere his verbis: *Scindet* (Deus) *Regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David.* Et infrà: *Dabit Dominus etiàm Israel tecum in manus Philisthiim: cras autèm tu, & filii tui mecum eritis: sed, & Castra Israel tradet Dominus in manus Philisthiim.* Hùcusque Samuel Propheta Domini. Illa verò Ecclesiastici verba nuperè in laudem Samuelis prophetiæ recitata, Dæmoni convenire non possunt: quià mors Saulis, & filiorum ejus, necnon Israelitici Populi captivitas, & exercitus debellatio diem in crastinum futura non per signa naturalia, nec per conjecturam, sed per divinam tantùm revelationem præsciri poterant. Adde

Eccl. 46.

1. Reg. 28.

etiàm

etiàm quòd dormitio, nec pro morte, nec pro quiete Dæmoni convenire poteſt; quia Dæmon, nec unquàm moritur, nec unquàm quieſcit. Samuel itaque, non Dæmon, divinâ voluntate, Pythoniſſę arte impeditâ, ex abditis mortuorum receptaculis evocatus fuit, ut qui regnandi principium, regnique ablationem Sauli vivus prędixerat, eadem mortuus confirmaret, morte tandem eidem Sauli prænonſtratâ: & hanc ob cauſam Deus non per vivos Prophetas, ſed per Samuelem jam mortuum ei reſponderi voluit, ac decrevit.

1. Reg. 15.

1. Reg. 28.

Dubiorum ſolutio.

QUamvis intereà Samuel [ut ea, quę nobis refragari videntur, explicemus] ſe à Saule adorari prænniſerit; adoratio tamèn non fuit illa, quę ad Deum ſolum pertinet, & Latria nuncupatur; ſed adoratio Dulię, hoc eſt veneratio quędam, quâ homines invicem venerari ſolent. Hujus generis veneratione David, pronus in terram, Saulem adoravit; Mulier item Abigail prona in terram, David ipſum venerata eſt, ut in primo Regum libro legitur.

1. Reg. 24.

1. Reg. 25.

Samuel deniquè Saulem craſtinâ die moriturum, ac ſecum fore prænunciavit, dicens: *Cras tu, & filii tui mecum eritis*; hoc eſt mecum eritis, *non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem mortis*, ut ait S. P. Auguſtinus, *conditionem*: quaſi dixerit: Eritis mortui, ſicut me mortuum ſcitis: malus enim Saul, inter bonos, & ſanctos, cujuſmodi Samuel erat, locum habere non poterat; magno nàmque intervallo poſt hanc vitam, ut in Evangelio lègimus, boni à malis disjunguntur.

1. Reg. 28.

Auguſt. lib. Quæſt. 2. ad ſimpl. q. 3. tom. 4.

Luc. 16.

Hæc mihi pro nodorum diſſolutione dicenda videbantur, ne quis Dæmonem pro Samuele in corpore aſſumpto loquutum fuiſſe opinetur: non enim apparitio illa fuit phantaſtica, & imaginaria, ſed anima Samuelis in corpore aſſumpto divinâ ſanè virtute, arte magicâ impeditâ, apparuit: ſuſcitatio nàmque mortui, utì non ſemel diximus, à ſolo Deo fieri poteſt: à Dæmone autèm, non niſi per illuſionem, eo modo, quem explicavimus: etiàmſi Dæmones per Magos Pharaonis veros ſerpentes, veraſque ranas, ut ait S. Thomas, ex virgis in terram projectis, fecerint.

S. Thom. 1. p. q. 114. art. 4.

CAP. XVIII.

Dæmonum opera qualia eſſe poſſint.

DÆmonum opera propriè miracula non ſunt, quia ipſa extra totius naturæ creatæ ordinem non ſunt, cujuſmodi eſt vera mortui reſurrectio; ſed mirabilia videntur, & quodam modo miracula, quatenùs facultatem, & cognitionem humanam excedunt, hominesque in admirationem trahunt, tribuſque modis à Dæmone fieri poſſunt, vel per illuſionem jam à nobis explicatam; vel per veros ſerpentes, & ranas veras è loco ad locum, ſemotis virgis, mirâ celeritate aſportatos; vel per veram virgarum in ſerpentes, & ranas converſionem, aut tranſmutationem. Quæ enim ex putredine præſertim fieri poſſunt, à Dæmonibus, qui exactiſſimam omnium rerum ſcientiam callent, ad ſuſcipiendam formam diſponi poſſunt; quæ autèm per multas ſuapte naturâ tranſmutationes generantur, optimè ab ipſis diſpoſita, parvo temporis intervallo, in ſuas prorumpunt ſpecies: Dæmones nàmque impedimenta removent, naturam per artem adjuvantes; activa deindè paſſivis applicant, & per occulta ſemina, rebus corporeis inſita, rerum naturalium effectus accelerant, ità verò, ut homines rerum abditarum inſcii, in admirationem ducantur, taliumque effectuum artifices, falsò nuncupentur miraculorum factores, ac rerum creatores: ſolus enim illorum ſeminum occultorum creator eſt Deus, qui illis in rebus rationes quaſdam ſeminales inſervit; ordineque naturæ interiùs inibi operatur. Hinc S. P. Auguſtinus in libro 3. de Trinitate ait: *Nec ideò putandum eſt, iſtis tranſgreſſoribus angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam, ſed Deo potiùs, à quo hæc poteſtas datur, quantum in ſublimi, & ſpiritali ſede incommutabilis judicat. Nàm & damnatis iniquis etiam in metallo ſervunt, aqua, & ignis, & terra, ut faciant inde quod volunt, ſed quantum ſinitur: nec ſanè creatores illi mali Angeli dicendi ſunt, quia per illos Magi reſiſtentes famulo Dei, ranas, & ſerpentes fecerunt. Non enim ipſi eas creaverunt; omnium quippe rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi hujus elementis latent.* Hæc Auguſtinus, infrà verò, ut eadem magis explicentur, affert in medium exemplum de Parentibus, & Agricolis, qui quamvis in generatione hominum, & frugum operentur, creatores tamèn nullo modo dici poſſunt. Inquit igitur hiſce verbis; *Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec Agricolas creatores frugum, quamvis eorum extrinſecùs adhibitis motibus, iſta creanda Dei virtus interiùs operetur; ità non ſolùm malos, ſed nec bonos Angelos fas eſt putare creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſenſus, & corporis, ſemina rerum iſtarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latentèr ſpargunt, atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones. Sed nec boni hæc, niſi quantum Deus jubet, nec mali hæc injuſtè faciunt, niſi quantum juſtè ipſe permittit. Nàm iniqui malitiâ voluntatem habent injuſtam, poteſtatem autem non niſi juſtè accipiunt, ſivè ad pœnam ſuam, ſivè ad aliorum; vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.* Hùcuſque S. P. Auguſtinus de mirabilibus tàm bonorum, quàm malorum Angelorum operibus, in quibus ipſi exteriùs operantur; Deus autem interiùs, qui rationes ſeminales in illis ad effectus naturales producendos inſervit. Idem ferè in libro Quæſtionum ſuper Exodum inquit; *Inſunt corporeis rebus per omnia*

Aug. lib. 3 de Trin. c. 8. to. 3. & Magiſter ſentent. lib. 2. d. 7. c. Nec ſanè.

Aug. & Mag. ſent. ibidem c. Sicut ergo.

Dæmonum opera tribus modis eſſe poſſunt.

Aug. lib. 3. Quæst. super Exod. q. 21. tom. 4. Et 2. p. Decreti 26. q. 5. c. 14. Nec mirum.

omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, atquè causalis, prorumpunt in species debitas suis modis, & finibus. Et sic non dicuntur Angeli, qui ista faciunt, animalium creatores, sicut nec Agricolæ segetum, vel arborum, vel quorumcumque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quàmvis noverint præbere quasdam visibiles opportunitates, & causas, ut illa nascantur. Quod autèm isti faciunt visibiliter, hoc Angeli inviſibiliter, Deus verò solus verus creator est, qui causas ipsas, & rationes seminarias rebus ipsis inservit. Hæc S. P. Augustinus, ex cujus verbis facilè quis colligere potest, serpentes, & ranas à Magis Pharaonis ex virgis conversos, & artificiales, & naturales fuisse; artificiales, quatenùs Dæmones per artem magicam occulta illa rerum semina ita passivis adaptabant, vt fierent serpentes, & ranæ, quos mente conceperant; naturales verò, quatenùs occulta semina, quæ ad productionem serpentum, & ranarum adhibebant, illos effectus naturaliter gignebant.

Si quis autèm adduci non potest, ut credat, aliquam virtutem reperiri posse, quæ virgam in serpentes, & ranas, vel saltèm sine magno temporis intervallo convertere queat, fateatur tamen cum Sancto Thoma, omnem naturæ creatæ virtutem nobis notam non esse, sicut hac in re nobis evenire censendum est; Cum itaquè hujus generis opera à Magis Pharaonis confecta prætèr ordinem totius naturæ creatæ non sint, illa propriè miracula non sunt dicenda, sed quodam modo talia, quatenùs facta sunt præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ, per virtutem scilicèt creatam nobis ignotam. Quæ igitùr virtute naturæ fieri non possunt, à Dæmone reverà confici non queunt; sicuti fieri nunquàm potest, ut corpus humanum in bestiale verè transmutetur, & corpus hominis mortuum reviviscat. Quamvis enim naturalitèr ex carnibus bovinis apes, ex carnibus equinis vespæ, & ex vino corrupto muscliones, ut recitat Averroes, nascantur, quia ex putredine fiunt; perfectiora tamèn in genere præsèrtim animalium determinant sibi principium productivum, materiale, & locum generationis, idèst animalis matricem: illa verò, quę ex putrefactione gigni possunt, non itèm, sed materiam in primis putrefactam, ut Ægidius Doctor noster docet.

S. Thom. 1. p. q. 115. art. 4.

Ægid. Quol. 3. quæst. 8.

Averr. lib. 12. Metaph. comm. 10.

Ægid. ubi suprà.

Hæc de admirandis tàm bonorum, quàm malorum Angelorum operibus per virtutem creatam nobis ignotam factis, quæ omnia miracula re vera non sunt, quia ordinem totius naturæ creatæ non excedunt, sicuti eum ordinem vera mortuorum resurrectio absque dubio superat, dum anima suo iterùm corpori conjungitur, ipsumque vivum reddit, cujusmodi fuit resurrectio Lazari, & aliæ in veteri, ac novo Testamento celebratæ.

Jo: XI. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. & 13. Matt. 9. 27. Marc. 5. Luc. 7. & 8. Act. 5. & 20.

Samuel quomodo suscitatus.

SAmuel, ut ait Tostatus, in corpore suo suscitatus non fuit, sed anima ejus in corpore aëreo, assumpto, Angeli ministerio, ex receptaculis mortuorum à Deo revocata, ad solam Saulis prophetiam indicandam, non in Ramata, ubi Samuelis erat sepulchrum, sed in Endor; vultu tamen, & habitu Samuelis repræsentato, arteque magicâ impeditâ, apparuit, cujus revocationis, & apparitionis explicandæ causâ, in sermonem de magna Dæmonum potestate, atque arte, dequè eorundem præstigiis non inconsultò, suadente scilicèt occasione, immò mirum in modum postulante incidimus, & libentèr quidèm, ut miracula, quæ in Canonizatione diligentèr examinanda sunt, intimiùs cognoscamus, vera à non veris discernentes. Conditiones itaquè, quibus miracula vera à falsis discernuntur, hoc loco iterùm recitandas, & explicandas censemus, quibus explicatis, miraculorum species in medium afferemus, & explanabimus, deindè quonàm modo miracula Sanctorum à miraculis malorum hominum distinguantur, Theologorum sententiam aperiemus; miracula enim faciendi facultates, utì diximus, sunt gratiæ gratis datæ, quæ cum peccato mortali stare possunt interdùm.

Tostatus.

1. Reg. 25. 1. Reg. 28.

Gratiæ gratis datæ cũ peccato stare possunt sup. pag. 111.

CAP. XIX.

De tribus Miraculorum generibus juxtà propias eorumdem conditiones.

MIraculum propriè sumptum illud est, ut non semel diximus, quod est præter totius naturæ ordinem. Hoc non nisi à solo Deo virtute propriâ fieri potest: à Sanctis verò, & à malis hominibus, non virtute propriâ, sed divinâ, diversis tamèn rationibus, uti hujusce materiæ initio explicavimus. Quàmvis autèm miraculum ab admiratione sortitum sibi fuerit nomen, propriè tamèn miraculum dici non debet, si aliquibus tantùm ipsius effectus causa sit occulta, Ecclipsis enim Solis, aut Lunæ causa, rudibus est occulta, Astrologis verò notissima est. Illud igitùr, quod naturæ vires excedit, vel præter totius naturæ ordinem est, propriè miraculum tàm suprà naturam, & præter naturam, quàm contrà naturam dici potest, ac debet, cujus causa ab omnibus omninò ignoratur.

Pag. 110., & 111.

Arist. 1. Metaph. c. 2. circa med. S. Thom. 1. p. q. 106. art. 7. in corp.

CAP. XX.

Tria miraculorum nomina explicantur.

TRibus modis, ut S. Thomas, & Ægidius Columna docent, miraculum esse potest, hoc est, vel suprà naturam, vel prætèr naturam, vel contrà naturam, atquè tribus hisce modis conversionem B. Pauli miraculosam fuisse docet Ægidius Romanus in secundo sententiarum Libro.

S. Tho. 2. sent. d. 18. q. 1. art. 3 Ægid. lib. 2. sent. dis. 18. dub. 13. lit.

Miraculum ſuprà naturam.

MIraculum ſuprà naturam tunc dici debet, quando natura in ſubſtantiam facti agere non poteſt, veluti eſt diviſio maris rubri, mortuorumque ſuſcitatio, idque genus alia.

Miraculum præter naturam tribus modis.

MIraculum prætèr naturam illud eſt, in quo quàmvis natura quantùm ad ſubſtantiam facti operari queat, illud tamèn fit præter naturæ operationem juſſu divino, ac tribus quidèm modis.

Exod. 7. I. Primo modo miraculum prætèr naturam dicitur, propter exceſſum, & ſingularem facti modum, cujuſmodi fuerunt ranæ in Ægypto productæ in tanta multitudine, quantam nemo anteà vidit unquàm.

II. 4. Reg. 13. Secundo modo prætèr naturam, miraculum nuncupatur, quatenùs miraculum ad divini nominis invocationem præfinitâ horâ contingit. Id quod Jeroboam declaratur exemplo, cùm ſcilicèt manus ejus contrà Prophetam extenſa, fuerit arefacta, & ara ejus diviſa.

III. Num. 5. Tertio modo prætèr naturam miraculum vocitatur, dum aliquid generàtim, & universè contingit, ut eſt illud, quod in veteri Teſtamento de aqua zelotypiæ legitur, poſt cujus potionem venter adulteræ divino miraculo putreſcebat, aquæ maledictionis virtute.

Miraculum contrà naturam.

MIraculum contrà naturam appellatur, quando rei aliquid meſt, quod eſt contrarium ei, quod fit, ut exempli gratiâ, ſi gravè, quod ſuapte naturâ deorsùm tendit, ſurſùm moveatur, & virgo pariat, idque genus alia, ità ſcilicèt, quòd naturâ manente contrariâ, quæ ſcilicèt contrarii actus principium eſt, miraculo expreſſo ſequatur actus. Hæc ex Doctore Angelico, & Ægidio Columna de tribus miraculorum generibus, quæ à ſolo Deo, propriâ fiunt virtute; à Sanctis verò, & à malis hominibus virtute alienâ, divinâ ſcilicèt virtute, diverſis tamèn rationibus, utì diximus, fieri poſſunt: A ſanctis ad eorundem ſanctitatem indicandam, & veritatem comprobandam; à malis autèm hominibus, ut ait S. Thomas, ad ſolam prædicatam veritatem confirmandam; mala etiàm agentes, & veritatem prædicantes, miracula interdùm facere poſſunt, ad hominum utilitatem, ad Chriſti nominis, quod invocant, ut diximus, commendationem, & ad ſacramentorum, quæ exhibent, venerationem. Hinc S. P. Auguſtinus in octoginta trium quæſtionum Libro ait; *Aliter Magi faciunt miracula, alitèr boni Chriſtiani, alitèr mali Chriſtiani. Magi per privatos contractus cum Dæmonibus; boni Chriſtiani per publicam juſtitiam; mali Chriſtiani per ſigna publicæ juſtitiæ.* Hæc Auguſtinus. Quàmvis autèm mali Chriſtiani, malam ſcilicèt vitam degentes, miracula dictis de cauſis facere interdùm poſſint, falſam tamèn doctrinam prædicantes, non itèm; nè Deus, qui in miraculis veris operatur, falſitatis teſtis exiſtat, ut inquit Sanctus Thomas. Nunc reliquum eſt, ut quonam modo miracula bonorum à miraculis magorum hominum diſcerni queant, explicemus.

S. Thom. 2. ad Theſſal. 2.

S. Thom. 2. ſent. d. 18. q. 2. art. 3.

Pag. 111.

S. Thom. 1. p. q. 110. art. 4. ad 2. & 2. 2. q. 178. art. 2. in corp. & ad 3. Idem ſup. Pag. 108.

Auguſt. 83. quæſt. Lib. q. 79. poſt med. tom. 4.

CAP. XXI.

Quonam modo miracula bonorum hominum à miraculis Magorum diſcernantur.

SAnctus Pater Auguſtinus intèr miracula Magorum, & Sanctorum hominum diſcrimen in octoginta trium quæſtionum Libro in medium affert hiſce verbis: *Cum talia faciunt Magi, qualia nonnùnquam Sancti faciunt, talia quidèm viſibilitèr eſſe apparent, ſed & diverſo fine, & diverſo jure fiunt, illi enim faciunt, quærentes gloriam ſuam, iſti quærentes gloriam Dei, & illi faciunt per quædam poteſtatibus conceſſa in ordine ſuo, quaſi privata commercia, vel beneficia; iſti autèm publicâ adminiſtratione, juſſu ejus, cui cuncta creatura ſubjecta eſt.* Hæc Auguſtinus. Sed Sanctus Thomas, dum in ſecundo ſententiarum libro miracula bonorum hominum, & magorum, efficacia, duratione, utilitate, modo, ac fine, differre ſcribit, ea exactiùs contemplatur,

Aug. lib. 83. q. ubi ſuprà tom. 4.

S. Thom. lib. 2. ſent. d. 7. q. 3. art. 1.

Quantùm ad efficaciam, & durationem differunt, quià miracula à bonis hominibus facta, non niſi virtute divinâ fiunt, cujuſmodi eſt ſuſcitatio mortui, & id genus alia, virtutem naturæ activam excedentia, quæ Dæmones reverà facere non poſſunt, niſi præſtigiis quibuſdam, hoc eſt incantationibus, & illuſionibus, quæ diù durare non queunt.

Differunt etiàm quantùm ad utilitatem, propterea quòd bonorum miracula, non niſi utilitatem afferunt, cujuſmodi ſunt admirabiles ægritudinum curationes; magorum autèm ſigna ſunt noxia, & vana, dum volatum affectant, & oſtentant, ſtupidaque hominum membra efficiunt.

B. Petrus in itinerario Clementis.

Differunt itèm quantùm ad operandi modum: boni enim Dei nomen piè, ac reverentèr invocantes miracula faciunt; magi verò quibuſdam utuntur deliramentis, dum ſe cultris incidunt, & alia id genus turpia operantur.

Differunt tandèm quantùm ad finem, quià bonorum miracula ad catholicæ fidei ædificationem, atque ad rectos mores propagandos efficiuntur; magorum verò ſigna, non niſi manifeſtum fidei, & honeſtatis detrimentum afferre ſolent. Hæc ſunt, quæ ex Angelico Doctore decerpere mihi viſum eſt, ut miracula bonorum hominum à ſignis magorum faciliùs deſcernantur. Quòniam verò miracula, modò virtutes, & ſigna, modò prodigia, & portenta vocitantur; ideò, quid horum unumquodque ſibi velit, declarabimus. Hac re tandèm perſpectâ, miraculo-

culorum gradus, & proprias eorundem differentias explicabimus, ut ea intimiùs cognoscamus.

CAP. XXII.

De signis, & virtutibus, deque prodigiis, ac portentis, aut ostentis ex doctrina Sancti Thomæ, & aliorum.

S.Thom. 2.2. qu. 178. art. 1. ad 3.

Marg.Philos., & alii.

Festus Pompejus.

Nonius Marcellus.

MIracula omnia, quatenùs totius naturæ vires excedunt, si consideretur illud, quod fit, *virtutes* nuncupantur; si autèm consideretur illud, propter quod miracula, ad aliquid videlicèt supernaturale indicandum fiunt, tunc miracula vocitantur *signa*, quatenùs per illa aliquid supernaturale significatur. Miracula deniquè per excellentiam, quatenùs aliquid præostendunt, *portenta*, sivè *ostenta* vocantur; quatenùs autèm futura prædicunt, *prodigia* nuncupantur; portendunt enim, & quasi prædicunt aliquid futurum. Portentum itaque quasi porrò ostensum, vel præmonstratum; & prodigium quasi prodicium, vel prædicium. Hinc ait Festus Pompejus: *Prodigia, quòd prædicunt futura, permutatione, G, literæ; nàm, quæ nunc, C, appellatur, ab antiquis, G, vocabatur.* Quàmvis autèm à Nonio Marcello prodigia minæ Deorum, & iræ nuncupentur, ab aliis tamèn etiam in bonam partem sumpta sunt. Hæc dè signis, & virtutibus, necnon portentis, & prodigiis, ut miraculorum gradus, ac differentias aggrediamur.

CAP. XXIII.

De miraculorum gradibus, ac differentiis, deque eorundem exemplis.

S.Thom. 1.p. q.105. art.8.

Isa.44.

S. Thom. ubi suprà.

Perer. lib. 1. de Magia c.3. ex B. Thoma ubi suprà.

Josue 10.

SI infinita Dei potentia consideretur, nihil miraculum dici potest: factum enim quodcunque (ait Sanctus Thomas) divinæ potentiæ comparatum, minimum dici debet juxtà sententiam Isaiæ dicentis: *Ecce Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Si autèm nonnulla, quatenùs totius naturæ vires excellunt, considerentur, tunc illa verè miracula dici possunt, ac debent. Aliqua tamèn majora, aliqua verò minora miracula, in eo scilicèt, quòd illa magìs, & hæc minùs naturæ facultatem excellunt, appellantur. Tribus autèm modis, ut ait Doctor Angelicus, naturæ facultas à re aliquâ superari potest, vel quantùm ad facti substantiam, idest, quantùm ad id, quod fit; vel quantùm ad id, in quo, vel ex quo fit; vel quantùm ad faciendi modum.

Primo modo vires naturæ superantur, si Sol retrogradiatur, vel in medio cæli persistat, ut in libro Josue factum esse constat; vel corpus humanum glorificetur; sicùt corpora Beatorum in resurrectione universali fore credimus; quæ sanè omnia vires naturæ superant, summumque inter miracula obtinent locum.

Secundo modo vires naturæ superantur quantùm ad mortui susciationem, & cæcorum illuminationem, & quantùm ad id genus alia; potest enim natura dare vitam, sed non mortuo; vilùm etiam præstare potest, sed non cæco; potest itèm natura producere aurum, & arborem, ut ait Pererius, sed non ex nihilo; hæc autèm inter miracula medium tenent locum.

Benedict. Pererius lib. 1. de Magia c.3.

Tertio modo naturæ facultas, quantùm ad modum, ac tempus faciendi, superatur, siquis divinâ virtute, nullâ curatione præviâ, nulloque consueto naturæ ordine, aut cursu, à febre actùtum liberetur; potest enim Medicus sanare ægrotum, sed non statìm, nec absquè medicamento. Potest itèm Magus, vel Dæmon, vel natura ex ligno producere serpentem, sed non immediatè. Superatur etiàm naturæ facultas, si divinâ virtute absquè naturalibus causis aer statìm in pluvias densetur, sicùt ad Samuelis, & Eliæ preces factum esse constat. Quàmvis autèm hæc inter miracula infimum obtineant locum; diversos tamèn retinent gradus, quatenùs alia magìs, alia verò minùs, naturæ facultatem excedunt. Hæc ex Doctore Angelico, & aliis Theologis.

3. Reg. 18.

S. Thom. ubi suprà.

CAP. XXIV.

Miracula quomodò majora, & minora dicantur.

MIraculorum itaquè unum, divinæ potentiæ comparatum, majùs alio dici non potest, quià illa omnia, quatenùs totius naturæ facultatem longè superant, à virtute infinitâ fiunt. Unum tamèn, quantùm ad rem factam, majus alio est: suscitatio enim mortui major est, quàm curatio leprosi; & leprosi major, quàm subita ægrotantis, aut febre laborantis curatio. Istùcipsum, si operandi modus consideretur, affirmare necesse est. Majus est enim leprosum, vel quempiam ægrotantem solo verbo, quàm tactu, & per umbram majus esse, quàm per verbum curare, dicas oportet: verbum nàmque aliquid est virtutem habens ab humano ore prolatum; sed umbra ipsius hominis nihil est, sed sola, ex corpore interjecto, lucis privatio propriè nuncupatur. Id quod in Actibus Apostolicis factum legitur; quàmvis enim ab Apostolis multa fierent signa, & prodigia, sicùt Beatus Lucas Evangelista testatum reliquit, Petrus tamèn tanquàm Apostolorum Princeps solâ suâ ipsius umbrâ homines ab ægritudinibus liberabat, ut impleretur illud Salvatoris dictum: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet; & majora horum faciet*: Christus nàmque umbrâ suâ homines curasse non legitur. Hæc de miraculorum gradibus, ac differentiis.

Vmbra quid sit.

Act. Apost. cap.5.

Joann. 13.

CAP. XXV.

De miraculis circà ægritudinum curationes diligentèr examinandis.

MIracula omnia, & ea præsertìm, quæ circà ægritudinum curationes versantur,

tur, in medium ſemper afferri ſolent, dum alicuius canonizationi navatur opera. Cùm autem miraculorum cognitio, ſeù tractatio inter primarias, maximeque arduas canonizandi partes connumeretur, ea itaquè velutì trutina quadam, juxtà proprias miraculorum conditiones ſuo jam loco explicatas, examinanda eſſe cenſemus, iis itèm additis conditionibus, quas infrà enarrabimus, & obſervandas proponemus. Pag. 113. & 114.

Miracula in primis omnia, ut frequentèr diximus, ſuprà totius naturæ creatæ vires eſſe debent, ità ſcilicèt, ut effectus ipſi viribus naturæ, vel in illo ſaltèm inſtanti produci non queant: ſi quis enìm, ut ad miracula circà ægritudinum curationes examinanda deveniamus, morbo aliquo, nullâ videlicèt prævià diſpoſitione, ſeù nullâ temporis intercapedine ſtatìm liberetur, eum miraculosè liberatum dicas oportet, ut in multis Scripturæ Sacræ locis videre licet.

CAP. XXVI.

De miraculis naturam ſuperantibus, quantùm ad operandi modum in Teſtamento novo narratis.

HUjus generis exempla, tàm in veteris, quàm novæ legis Teſtamento videre licet; nunc autèm ſat erit commemorare, quæ apud Sanctos Evangeliſtas, & in Actis Apoſtolicis conſcripta leguntur, atquè illud præſertìm miraculum de ſocru Simonis febri laborante ab Evangeliſtis recitatum, ſed à Beato Luca magìs inſignitèr expreſſum in hanc verborum formam: *Socrus autèm Simonis tenebatur magnis febribus; & rogaverunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam, imperavit febri; & dimiſit illam. Et continuò miniſtrabat illis.* Lucæ 4. Matth. 8. Marc. 1.

Hunc in modum, nullâ ſcilicèt temporis intercapedine, aut diſpoſitione medicamentorum prævià, moribundum Reguli filium, temporis momento ſanatum conſtat. Poſtquàm enìm Regulus Salvatori noſtro dixit: *Domine deſcende priuſquàm moriatur filius meus*; ad hæc Salvatoris verba: *Vade filius tuus vivit*; & ad magnam Reguli fidem, ſinè corporeâ Salvatoris noſtri præſentiâ, filius Reguli à januis ferè mortis revocatus (quià moribundus, vel quià, ut Evangeliſtæ utar verbis, incipiebat mori) perfectæ ſtatìm ſanitati fuit miraculosè reſtitutus.

Iſtùcipſum de leproſo manu Salvatoris mundato affirmandum omninò eſt. Nàm ubì primùm leproſus Salvatorem noſtrum adoravit, & obſecravit, dicens: *Domine, ſi vis, potes me mundare*; ad hæc duo Salvatoris verba: *Volo, mundare*; temporis momento ſanatus eſt, Matthæo teſte, qui ait: *Et confeſtìm mundata eſt lepra ejus*: nullâ, ſcilicèt, intèr præceptum, & opus, morulâ intercedente. Matth. 8.

Huic adſimile illud eſt Centurionis exemplum, qui ſervum ſuum paralyticum ſolo Salvatoris noſtri verbo ſanari poſſe firmâ fide credens, ipſum ſolo verbo ſanatum audire meruit hiſce verbis: *Vade, & ſicùt credidiſti, fiat tibi.* Id quod Evangeliſta teſtatur dicens: *Et ſanatus eſt puer ex illa hora*; uno ſcilicèt horæ momento. Matth. 8.

Hunc deniquè in modum Publii Patrem febribus, ac dyſenteriâ, inteſtinorum, videlicèt exulceratione vexatum, ad Beati Pauli orationem, manuumque impoſitionem ſtatìm ſanatum in Actis Apoſtolicis legimus hiſce verbis: *Contigit autèm, Patrem Publii febribus, & dyſenteriâ vexatum jacere; Ad quem Paulus intravit; & cùm oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eum.* Act. Apoſt. cap. 28.

Hæc de variis ægritudinum curationibus miraculosè præſtitis, quæ quàmvis medicamentis, & longo temporis intervallo vix unquàm curari valuiſſent; abſquè tamèn prævià medicamentorum diſpoſitione, necnon temporis momento, ſivè ictu oculi, haudquàquam fieri potuiſſent. Illa enìm naturæ facultatem ſuperant, non quantùm ad ſubſtantiam facti, vel quantùm ad id, quod fit, nec quantùm ad id, in quo fit, ſed quantùm ad naturalem operandi modum, & ordinem, utì ſuo jam loco explicavimus; ob idque miracula ſunt, & hunc in modum nonniſi divinâ virtute fiunt: Pag. 120.

Si autèm quis morbo aliquo ad invocationem Dei, & Sanctorum à Medicis non deſtitutus, paulàtim liberaretur; tunc illud reverà miraculum dici non videtur: curationem tamèn, ſivè ſanitatem illam divinâ opitulante gratiâ, Sanctiſque intercedentibus, paulàtim recuperatam fuiſſe omninò credendum eſt: Morborum nàmque curatio miraculoſa judicatur, ſi repentina ſit, vel à Medicis iàm deſperata, temporiſque momento perfectè præſtetur. Si quis intereà tertianâ, vel quartanâ, ſivè quotidianâ febre laboraret, & poſt Sancti alicujus invocationem typus, aut terminus ille febris, ſtatis vicibus evenire conſuetus, ampliùs non rediret; vel ſi febris continua eſſet, Sancto jàm invocato, ſtatìm evaneſceret, ut nupèr ex novi Teſtamenti exemplis vidimus, miraculum omninò illud eſt. Eò autèm præſtantior, & evidentior, magìſque miraculoſa cenſetur curatio, ſi morbus medicam omninò ſubterfugiens artem, principiis naturæ curari nullo modo queat, cujuſmodi eſt homo à nativitate claudus, vel cæcus, idque genus alia. Nunc reliquum eſt, ut ſermonem habeamus de miraculis, quæ ſuperant naturam quantùm ad operandi modum, & quantùm ad id, in quo eſt.

CAP. XXVII.

De miraculis naturam ſuperantibus quantùm ad operandi modum, & quantùm ad id, in quo fit.

HOmo, ut Beati Lucæ in Actis Apoſtolicis utar verbis ex utero matris ſuæ claudus à Beato Petro ſanatus fuit hiſce verbis: *In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*; His deindè Sanctus Lucas hæc ſtatìm ſubnectit verba dicens: *Et appprehenſâ* Act. 3.

manu ejus dextrâ, allevavit eum, & protinùs consolidatæ sunt baſes ejus, & plantæ. Et exiliens, ſtetit, & ambulabat; & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

Act. 14. Ille itèm alter, ut ait Sanctus Lucas, ex utero matris ſuæ claudus, ad hæc Beati Pauli ſanatus eſt verba: *Surge ſupèr pedes tuos rectus. Et exilivit* (eodem Evangeliſtâ teſte) *& ambulabat.*

Joann. 9. Homo etiàm à nativitate cæcus, vel potiùs medicamento naturæ adverſante, hoc eſt luto ſupèr oculos impoſito, non virtutem habente medicam, ſed ſolùm myſterium repræſentante, ſuprà naturæ facultatem à Chriſto Domino ſanatus eſt, viſu recepto, ubi primùm in natatoria Siloe, hoc eſt in piſcina, aut fonte ad Sion montis radicem ſito, oculos ſuos ex præcepto Chriſti Domini lavit.

Pag. 120. Hæc miracula de claudo, necnon de cæco à nativitate, poſtremo loco recitata, quantùm ad id, in quo fiunt, non niſi divinâ virtute fieri poſſunt; quia, quàmvis, utì diximus, natura viſum præſtare poſſit, non tamèn à nativitate cæco; quàmvis itèm membrorum rectitudinem dare queat, non tamèn à nativitate claudo. Illa itèm miracula paulò ſuperiùs enarrata, quantùm ad modum operandi, hoc eſt ſinè medicamentis, ac ſinè perceptibili ferè temporis intercapedine præſtita, vera ſunt miracula; quàmvis enìm ægritudines illæ medicamentis, & longo temporum intervallo curari potuiſſent; illo tamèn temporis momento, quo divinitùs curatæ fuerunt, arte ſanè humanâ, etiàm principiis naturæ mediis, curari nequiviſſent. Nùm verò hujus generis ægritudines non à nativitate, ſed ex accidenti contractæ, ſeù ſubortæ, ſinè medicamentis, illoque temporis momento, Angelorum, ſeù Dęmonum virtute curari queant, hoc loco diſputare neceſſe eſt.

CAP. XXVIII.

An Angeli, ſivè boni, ſivè mali, ſuâ ipſorum virtute ægritudines non à nativitate, ſed ex accidenti contractas, temporis momento, & ſinè medicamentis curare queant.

Pag. 113. & alibi. ANgeli, ſivè boni, ſivè mali, quibus quantùm ad motum, utì diximus, res omnes corporeæ ad nutum obediunt, tantâ omnium rerum pollent ſcientiâ, quantam docti omnes, præſertìm verò medendi arte benè inſtructi, haùd profectò norunt. Quidquid itaquè (hoc jacto fundamento) longâ temporum intercapedine, medicinæ arte fieri poteſt, illud ipſum, ſed multò uberiùs, multòque exactiùs, quàm omnes, qui medicinam optimè callent, Angelos omnium Medicorum ſcientiſſimos temporis momento principiis naturæ mediis facere poſſe fatendum eſt. Angeli enìm, ſivè boni, ſivè mali, exactiſſimam omnium rerum ſcientiam benè penitùs callentes, penitiſſimaſque morborum cauſas optimè cognoſcentes, materiam ſibi ſubjectam mirâ facilitate, ac celeritate ad ſanitatem ſuſcipiendam diſponunt, impedimentis, quæ Medici, vel ignorant, vel amovere non queunt, amotis; quidquid enìm natura medicamentis prævìis, ac magno temporum intervallo effeciſſet, vel ignoratâ morbi cauſâ, Medicus nunquàm efficere potuiſſet; Angeli, principiis naturæ mediis, naturam ipſam adjuvantes, actùtum efficiunt; atquè hunc in modum ſuâ ipſorum virtute ſanitatem conferre dicuntur. Hujus generis morborum curationes miracula reverà non ſunt, quià ægritudines illæ principiis naturæ mediis curari poſſunt. Quæ autèm iiſdem principiis curari non queunt, ſi ſanentur, tunc effectus ipſi miracula reipsà dicuntur, & ſunt.

Hùc ſpectare videtur, quòd Cornelius Tacitus ſcriptum reliquit de Veſpaſiano Imperatore, qui monitu Serapidis, quem alibì Tacitus vocat Æſculapium, Apollinis filium, ob medicinam ab ipſomet ampliatam in Deorum numerum à Gente ſuperſtitionibus addicta, receptum; cuidam oris excremento, alteri verò pedis contractu uſum manus, temporis momento, ſi Tacito credimus, reſtituit. Ait enìm Tacitus hiſce verbis: Cornel. Tac. lib. 4. hiſtor. infrà verò de Æſculap.

Cornel. Tac. lib. 4. hiſtor. *Ex plebe Alexandrinâ quidam oculorum tabe notus, genua ejus* (Veſpaſiani ſcilicèt) *advolvitur; remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Serapidis* (aliàs Serapis) *Dei, quem dedita ſuperſtitionibus Gens antè alios colit; precabaturque Principem, ut genas, & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo auctore, ut pede, ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus primò irridere, aſpernari: atquè illis inſtantibus, modò famam vanitatis metuere; modò obſecratione ipſorum, & vocibus adulantium inſpem induci: poſtremò æſtimari à Medicis jubet, an talis cæcitas, ac debilitas ope humanâ ſuperabiles forent. Medici variè diſſerere. Huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellerentur obſtantia: illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Id fortaſsè cordi Deis, & divino miniſterio Principem electum. Deniquè patrati remedii gloriam penès Cæſarem; irriti, ludibrium penès miſeros fore. Igitùr Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam ultrà incredibile, læto ipſe vultu, erectâ, quæ aſtabat, multitudine, juſſa exequitur. Statìm converſa ad uſum manus, ac cæco reluxit dies.*

Hæc

Hæc Tacitus, cui Svetonius Tranquillus in Veſpaſiano brevitèr ſubſcribit, & ſanatæ loco manus, de oculis, & crure ſanatis loquitur hunc in modum :

Svetonius in Veſpaſ. non procùl à fine.

E Plebe quidam luminibus orbatus, itèm alius debili crure ſedentem pro tribunali paritèr adierunt, orantes opem valetudinis demonſtratam à Serapide per quietem, reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet : confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cùm vix fides eſſet, rem ullo modo ſucceſſuram, ideòque nè experiri quidèm auderet ; extremò hortantibus amicis, palàm pro concione, utrùmque tentavit : nec eventus defuit.

Hæc Taciti, atquè Tranquilli verba ſi perpendantur, Dæmonem ob facilem ſuperſtitioſorum hominum credulitatem ſub Serapidis nomine in Veſpaſiano, dum cæcus, & manu, ſeu crure læſus curantur, operatum eſſe, illaque opera, etſi mirabilia, miracula tamèn non fuiſſe, quis fateatur neceſſe eſt : ægritudines nàmque illæ teſtimonio Medicorum, ut ait Tacitus, ope humanâ ſuperabiles erant, hoc eſt curabiles, impedimentis, quæ à Dæmone, & fortaſsè non à Medicis, noſcebantur, amotis. Curationes autèm fuerunt mirabiles, non quantùm ad ſubſtantiam facti, nec quantùm ad id, in quo præſtitæ fuerunt, ſed quantùm ad modum, & ordinem operandi, hominibus tantùm ignotum, non naturæ ; quià hoc modo fuiſſet ſaltèm miraculum illud, quod intèr miracula infimum tenet gradum, utì ſuo jàm loco explicatum fuit. Quàmvis enìm in Veſpaſiani ſputo, & calce virtus ſanandi ægritudines illas reverà non fuiſſet ; cæcitas tamèn, & manus, ſivè cruris debilitas ſinè intrinſeco medicamento per amotionem impedimentorum præſtito curatæ non fuerunt ; impedimentorum nàmque amotio intrinſecè, non evidentèr, aut non viſibilitèr operata, medicamentum quoddam eſt. Hunc in modum oculum equi cujuſdam viri, nomine Lenæi, dextrum ictu quodam læſum, & officio ſuo privatum, à Dæmone ſub Serapidis nomine reſtitutum in priſtinum fuiſſe cenſendum eſt, ut Ælianus in libro 11. de animalium naturâ teſtatur. Is enìm Auctor poſt multas equi laudes enarratas, ac ſtudioſiſſimam Lenæi precationem Serapidi habitam ; equum, ut ipſius Æliani utar verbis, eximium, ſed oculo læſum, eoque captum, fomentis deniquè ad Serapidis juſſum redintegratum fuiſſe narrat hiſce verbis :

Pag. 120. & 121.

Ælian. lib. 11. cap. 31.

Tùm Deus, utcunque magnus, non neglexit, nequè contempſit brutum, mutumque animal ; & paritèr ipſius ſupplicantis miſertus, remedium dictat : jubetque oculum equi, non quidèm perfundi liquido ullo remedio, ſed fomentis per meridiem in ambitu templi calefieri. His peractis, equi oculus redintegratus eſt, & Lenæus Deo, ut gratum ſe declararet, ſacrificavit. Equus iàm integer ſaltabat, & hinniebat circà templum, jàmque grandior, & formoſior videbatur, ſeque velutì oſtentans ad aram uſquè non ſinè ambitione accurrebat ; deniquè circà gradus ſe volutans, Deo ſervatori, quo poſſet, modo gratias ſe agere præſeferebat.

Hæc de mirabili Serapidis, ſeù potiùs Dæmonis opere non ſinè medicamentis extrinſecis, vel etiàm fortaſsè intrinſecis præſtito.

Quæ autèm divinitùs fiunt, ſivè à Sanctis, ſivè à malis hominibus, ad invocationem tamèn nominis Dei juxtà circumſtantias ſuo jam loco enarratas, nullâ penitùs re, nequè intrinſecè, nequè extrinſecè morbis adhibitâ, ſolo juſſu, temporis momento fiunt, ut videre eſt in illis hominibus à nativitate claudis ; nàm ad ſola hæc verba : *In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*. Et : *Surgè ſuper pedes tuos rectus* ; ambo exiliverunt, & ambulaverunt laudantes Deum.

Pag. 111. cap. 10.

Act. 4.

Act. 14.

Siqua verò corporea res adhibeatur, illud ad myſterium repræſentandum factum dicas oportet, ſicùt in homine illo à nativitate cæco actum vidimus. Nàm, ut Beatus Joannes Evangeliſta teſtatur, Chriſtus Dominus in cæco ſanando, expuit in terram, & lutum ex ſputo fecit, & linivit lutum ſuper oculos cæci, deindè oculos in natatoria Siloe lavari præcepit. Hìnc Sanctus Pater Auguſtinus in hunc locum ait : *De ſalivâ ſuâ fecit lutum, quià Verbum Caro factum eſt*. Vel, *ut indicaret ſe eſſe, qui ex limo terræ hominem formaverat*, ut ait Sanctus Thomas, & colligitur ex Joanne Chryſoſtomo in Marcum, apud quem fit mentio de illo altero cæco per ſputum itèm paulàtim ſanato ; *Quem*, ut dicit Beda, *uno verbo totum ſimùl curare poterat, paulàtim curat, ut magnitudinem cæcitatis oſtendat, quæ vix, & quaſi per gradus ad lucem redeat, & gratiam ſuam nobis indicet, per quam ſingula perfectionis adjuvat incrementa*. Vel ; *id factum fuit propter imperfectam ipſius cæci, & offerentium fidem*, ut inquit Sanctus Thomas ex Joanne Chryſoſtomo, & aliis, qui locum Marci commemoratum interpretantur. Hæc hactenùs, ut ad mirabiles Veſpaſiani curationes, undè digreſſi ſumus, revertamur.

Joann. 9.

Aug. tract. 44. in Jo: tom. 9.

Jo: Chryſoſt. homil. 9. in Marcum circà med. to. 2. & Beda.

S. Thom. 3. p. qu. 44. art. 3. ad 2. & in Marc. cap. 8. Nic. Lyr.

Ægritudinum itaquè curationes, ut finem huic rei imponamus, à Dæmone ſub nomine Veſpaſiani, Serapidis monitu, aut conſilio præſtitæ, miracula reverà non ſunt, quià ægritudines illæ judicio Medicorum, ope humanâ curabiles erant. Quàmvis intereà

temporis momento curatæ videantur ; prævias tamèn dispositiones, impedimentis amotis, aliquâ itèm temporis intercapedine, & non sinè aliquo medicamento intrinseco sensìm factas fuisse credendum est.

Ægritudines igitùr ex accidenti contractæ, principiis autèm naturæ curabiles ; quàmvis curatu difficillimæ, & à Medicis desperatæ, à Dæmone tamèn curari possunt, ità verò repentè, & absquè ullo medicamento extrinseco, aut morbis apto, & congruenti, ut curationes ipsæ miracula videantur. Hujus generis fuerunt curationes illæ à Vespasiano Imperatore,& à Serapide, arte tamèn Dæmonum, exhibitæ; quas non sinè medicamento extrinseco, aut saltèm intrinseco sensìm factas fuisse dicas oportet.

Altero itèm istorum saltèm modorum curationes à Medicis forsàn ignoratas, ac desperatas, à Dæmone autèm omnium Medicorum scientissimo cognitas, in Æsculapii templo sub falso, sive ficto Æsculapii Dei nomine præstitas fuisse censendum est, sicùt græca inscriptio marmore incisa, in eòdemque olìm Templo, ad insulam Tyberìnam, ubì remedia morborum, vel gratiæ impetratæ scribebantur, sita ; nunc verò in antiquarum totius Orbis inscriptionum libro, quem Martinus Smetius edidit, græcè, ac latinè impressa, & superioribus annis in Ædibus Bernardini Cardinalis Mastæi græca extabat, in hanc ipsam verborum testatur formam, è græco ad verbum latinè reddita :

Pag. 29.

HISCE DIEBUS CAJO CUIDAM CÆCO
ORACULUM EDIDIT
VENIRET AD SACRUM ALTARE,
ET GENUFLECTERET A PARTE DEXTERA
VENIRET AD LÆVAM,
ET PONERET QUINQUE DIGITOS
SUPER ALTARE,
ET ELEVARET MANUM, ET PONERET SUPER
PROPRIOS OCULOS,
ET RECTE VIDIT POPULO PRÆSENTE,
ET CONGRATULANTE,
QUOD GRANDIA MIRACULA FIERENT
SUB IMPERATORE NOSTRO
ANTONINO.

LUCIO AFFECTO LATERIS DOLORE,
ET DESPERATO AB OMNIBUS HOMINIBUS
ORACULUM REDDIDIT DEUS
VENIRET, ET EX TRIBOMO TOLLERET
CINEREM,
ET UNA CVM VINO COMMISCERET,ET PONERET
SUPRA LATUS,
ET CONVALUIT, ET PUBLICE GRATIAS
EGIT DEO,
ET POPULUS CONGRATULATUS EST ILLI.

SANGUINEM REMOVENTI JULIANO
DESPERATO AB OMNIBUS HOMINIBUS
EX ORACULO RESPONDIT DEUS
VENIRET, ET EX TRIBOMO CAPERET
NUCLEOS PINI,
ET COMEDERET UNA CUM MELLE
PER TRES DIES,
ET CONVALUIT, ET VENIENS PUBLICE
GRATIAS EGIT
PRÆSENTE POPULO

VALERIO APRO MILITI CÆCO ORACULUM
REDDIDIT DEUS
VENIRET, ET ACCIPERET SANGUINEM
EX GALLO ALBO
ADMISCENS MEL, ET COLLYRIUM
CONFICERET,
ET TRIBUS DIEBUS UTERETUR SUPRA
OCULOS,
ET VIDIT, ET VENIT, ET GRATIAS EGIT
PUBLICE DEO,

Cajum cæcum, primo Inscriptionis commemoratum loco, à Dæmone sub Æsculapii nomine, ut monet Inscriptio, aliquo saltèm medicamento intrinseco, impedimento scilicèt amoto, sanatum fuisse censendum est. Cæteros autèm homines infrà enarratos ab eodem ficto Æsculapio medicamentorum virtute, à Medicis eo forsàn tempore ignoratâ,sanatos fuisse fatendum est, velutì fuit medicamentum illud ex nucleis pini cum melle confectum, quod sanguinem revomenti, ut nostri ajunt Medici, plurimùm prodest, & pectus purgat; atquè itèm fomentum illud lateris dolori utile; collyriumque illi præsertìm oculorum morbo idoneum, ac præsentaneum principiis naturæ mediis fuisse Medici omnes affirmant, Balthasar Pisanellus.

Hæc de admirandis Dæmonum operibus, quæ tamèn, si rectè juxtà normam à Theologis præfinitam, suisque jàm locis à nobis explicatam pensitentur, miracula non esse quis fateatur necesse est. Quâ de re hujus generis opera, & alia itèm multa, perpendenda sunt, & veluti trutinâ quadam diligentèr examinanda, ne Dæmonum fraudulentis operibus, sivè falsis, sivè veris, ab Hypocritis, aut Pseudosanctis decipiamur. Cœtera verò miracula, quæ principiis naturæ mediis fieri nullo modo possunt, quatenùs naturæ facultatem omninò superant, cujusmodi sunt curationes circà ægritudines à natura contractas, mortuorumque suscitationes, tantam inquisitionem, atquè investigationem non postulant. Quæ sanè miracula à Prophetis, à Sanctis Apostolis, & à Christo Domino facta in Scriptura sacra passim cernuntur, quæ quià longum esset enarrare, nunc silentio prætereunda censemus. Nùm autèm ob miracula, quæ à Deo, vel ab aliis virtute tantùm divinâ fieri possunt;vel etiàm proptèr fructum scientiæ, ac donum prophetiæ canonizari queant, hoc loco investigandum censemus.

Pag. 112., & 117.

3. Reg. 17. 4. Reg. 4. & 13. Matth. 9. 27. Mar. 5. 6. 16 Luc. 5. 7. 8. Joan. 11. Act. 3. 5. 9. 14. 19. 20. Hebr. 11.

CAP.

CAP. XXIX.

Num aliquis ob miraculorum evidentiam canonizari pro Sancto queat.

DUabus, ut reor, de causis, in dubium revocatur, nùm scilicèt quis ob miracula pro Sancto canonizari queat; Vel quià sanctitas sine miraculis esse potest, ut constat de Joanne Baptista, quem nullum miraculum fecisse apud Joannem Evangelistam legimus; Vel quià (quod magis refert) miracula etiàm à non sanctis, immò à malis hominibus fieri possunt, uti jàm ex doctrina Sancti Thomæ, atquè aliorum Doctorum demonstravimus. Homines tribus modis malos esse posse docet Augustinus Triumphus in Summa de potestate Ecclesiastica; Vel scilicèt ob malam doctrinam, & ab Ecclesia sancta vetitam; Vel ob pravam vitam, variis peccatis irretitam; Vel ob inanem gloriam de aliquo bono opere susceptam. Homines mali primo modo sumpti, sunt Dæmonem in arte magica invocantes, qui vera miracula facere non possunt: hæc enim nonnisi virtute Dei, ut S. P. Augustinus ait, fieri possunt, Angelorum ministerio, Sanctisque orantibus, & impetrantibus ea, quæ ad horum invocationem fiunt. Quomodò autèm Magorum opera admirationis plena fiant, satis dictum fuit.

Joan. 10.

Pag. 110. 111. S. Tho. 2. 2. q. 178. art. 2.

Aug. Triũph. qu. 15. art. 4. in corp.

S. Aug. lib. 22. de Civit. Dei c. 9. tom. 5.

Homines mali secundo modo accepti, ad invocationem nominis Christi, & Sanctorum, vera miracula facere possunt, ad bonorum hominum utilitatem, ut ipsi Deum venerentur, & in fide, ac doctrina per ipsa miracula confirmentur: miracula enim, Beato Hieronymo attestante, non semper ad meritum illius, qui operatur; sed ad condemnationem invocantium, & ad eorum, qui miracula vident, & audiunt, utilitatem.

Lib. 1. in Matth. cap. 7. tom. 6.

Homines tertio modo sumptos, quantumcumque sanctos, nonnunquàm de aliquo miraculo inani gloria captos fuisse constat, ut apud Lucam videre licet, ubi Salvator noster lætitiam, qua ob spiritus sibi subjectos Discipuli affecti videbantur, reprehendit quòd eâ lætitiâ, ut Doctores exponunt, inanem gloriam saperet. Hinc ait Joannes Chrysostomus: *Cum cætera vitia in servis Diaboli locum habeant; vana gloria etiam in servis Dei locum tenet.* Quarè etiamsi hujus generis homines hac in re boni non sint, ad testificationem tamèn sanctitatis, ac doctrinæ veritatis multa signa, & miracula eis à Deo conceduntur. Quàmvis igitur hominibus malis miracula interdum facere concedatur; aliqui tamèn ob miracula evidentèr facta canonizari possunt, ac debent, nullâ in primis re vitæ sanctitati adversante, cum miracula signa sint testificationis sanctitatis, atquè doctrinæ veritatis Sanctorum manifesta. Hæc ex Triumpho.

Luc. 10.

Jo. Chrysost.

Aug. Triũph. ubi sup.

CAP. XXX.

An propter donum scientiæ, ac prophetiæ aliquis pro Sancto canonizari queat.

CAnonizatio alicujus charitatem ejus postulat, & sanctitatem, sine qua, ut suo jam loco explicatum est, scientiæ donum datur, & prophetiæ juxtà Beati Pauli sententiam dicentis: *Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ità ut montes transferam, charitatem autèm non habuero, nihil sum.* Quàmvis enim vita æterna, quæ Sanctis datur, scientiæ donum habenti videatur promitti juxtà illud Ecclesiastici dictum: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*; scientia tamèn, aut doctrina non ex se tantùm, sed igne charitatis accensa, præmium illud æternæ vitæ promeretur, & consequitur. Hujus generis erat doctrina Pauli Apostoli, qui in fide, ac veritate Doctor Gentium fuit: nàm sicut ferrum ignitum non est aliud, quàm ignis, ut Beatus Joannes Chrysostomus in Homilia de Beati Pauli laudibus ait; ità ejus doctrina igne charitatis accensa, aliud, quàm charitas, eòdem Chrysostomo attestante, non erat. Nemo itaquè propter scientiæ donum canonizari potest. *Hinc* Gregorius IX. de sanctitate sine scientia, quam doctam imperitiam, vel imperitiam doctrinam possumus elegantèr appellare, in canonizatione Beati Francisci Assisinatis ait hunc in modum: *Hoste triplici in terra posito* (hoc est Franciscus) *superato, Regno cœlorum vim intulit, & illud rapuit violentèr: & post hujus vitæ quàmplurima glorioſa certamina, mundum triumphans, felicitèr migravit ad Dominum, multos præveniens scientiâ præditos scientèr nescius, & sapientèr indoctus.*

Pag. 111. & 115.

Aug. Triũph. q. 15. ar. 1. & 5.

1. Cor. 13. Matth. 7.

Eccl. 24.

Jo. Chryſ. hõ. 3. de laudibus Pauli.

Greg. ix.

Gerardus Vossius. Ex Registro anni 1. Pontif. in Bibl. Vat.

Hùcusque Gregorius, qui nominat Franciscum Seraphicum scientèr nescium, & sapientèr indoctum, quippe qui Jesum Christum crucifixum (cujus stigmata suo in corpore impressa gestare meruit, ob idque ab Alexandro IV. omnium Sanctorum splendor dictus est) scientèr, & sapientèr quidèm sciebat instàr Beati Pauli Apostoli ad Corinthios in hæc scribentis verba: *Non judicavi me scire aliquid intèr vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Qui enim verè scit Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, ac scientiæ Dei, pretium, & præmium electorum, & vita æterna, scit quidquid sciri debet. Adde etiam quòd in Christo crucifixo veterem hominem nostrum cruci affixum discimus, ut scilicèt destruatur corpus peccati, & vltrà non serviamus peccato, hoc est, ut ampliùs diabolo serviendi necessitatem non habeamus, ut Glossa in hunc locum ait. *Non ergo* (inquit) *ità accipiendum est, quod hic dicit Apostolus tanquàm ea tantùm dixerit, quæ de Christo credenda sunt, sed etiàm quæ sunt observanda tàm in vita, quàm in moribus ab eo, qui accedit ad compagem corporis Christi*; vel, ut ait

Greg. ix., & Alex. iv. in Bullis, quæ in Archivo magno SS. Apost. Vrbis Romæ asservantur.

1. Cor. 2. Col. 2. Phil. 3.

Rom. 6.

Nicol. Lyr. Lyranus, *quæ pertinent ad salutem per crucem Christi factam*. Idcircò Christianus Poeta quidam dixit:

Si Christum discis, satis est, si cætera nescis.
Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

Hæc igitur de Christo crucifixo scientia (non illa hujus mundi) est omnium scientiarum regina, & vera sapientia, & (ut ait S. Paulus) in mysterio abscondita, quâ Sanctus Franciscus imbutus, & insignitus, scienter nescius, & sapienter indoctus meruit appellari, hoc est sciens, & sapiens Christo, nesciens, & indoctus mundo. Hanc item de Christo crucifixo scientiam Sanctus Thomas Aquinas, Doctor verè Angelicus, & splendidissimum Ecclesiæ catholicæ lumen, præter cæteras scientias ab eo angelicè interpretatas (de quibus Joannes XXII. affirmasse fertur: hisce verbis: *Non est de ejus miraculis vehementèr curandum, quippè qui tot miracula fecit, quot quæstiones determinavit*) divinitùs edoctus, ab imagine Christi cruci affixâ, dum ad eam ardentèr oraret, hæc meruit miraculosè audire: *Benè scripsisti de me Thoma: quam ergo mercedem accipies? Cui ille: Non aliam Domine, nisi teipsum.* Hæc etiàm de Christo scientia ab illa differt: quia illa peccatorem interdùm admittit; hæc verò nonnisi Sanctum: illa sine sanctitate stare potest, hæc autèm non item: hinc sicut literarum ignorantia sanctitatem interdùm admittit; ità literarum peritia, interdùm, immò frequentèr sanctitatem excludit. Hùc spectare videtur illud Beati Hieronymi scitè dictum: *Nec rusticus, & simplex frater ideò se sanctum putet, si nihil noverit; nec peritus, & eloquens, lingua æstimet sanctitatem: multoque melius est è duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem.* Hæc de scientiæ dono sine sanctitate canonizationem non admittente, ut de prophetiæ dono idem intelligendum esse ostendamus.

1.Cor.2. Hieronymus Vielm. lib. 2. de doctr. S.Th. ex Gersone. Jo. Garzo in vita S.Tho. S.Hieron. ep. 2. ad Nepotianum tom. 1.

Quàmvis item Spiritus Sanctus in animas sanctas se transferat, amicos Dei, & prophetas constituendo, ut in libro Sapientiæ legitur; Spiritus tamèn sanctus non se transfert in animas eorum, quibus donum prophetiæ datur, nec eos amicos Dei constituit, nisi quando ad mentem recipientis illustrandam prophetiæ, donum confertur: quando autèm ad aliorum tantùm instructionem datur, non item. Quàmvis deniquè à Beato Petro dicatur: *Non enim voluntate humanâ allata est aliquandò prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*; aliud tamèn est loqui in Spiritu Sancto; aliud verò in virtute Sancti Spiritus: Sancti enim homines loquuntur vera in Spiritu Sancto, sed mali homines loquuntur vera virtute nominis Christi, & virtute Spiritus Sancti, non in Spiritu Sancto. Hinc à Sancto Evangelista Matthæo mali homines in universalis judicii die introducuntur dicturi: *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus?* significantèrque eo loci dictum volunt, (*in nomine tuo*) quasi non in spiritu tuo, aut in spiritu Dei, immò in spiritu Diaboli, ut ait Triumphus. Idcircò hujus generis Prophetis respondebitur à Domino: *Nescio vos*. Nemo itaquè propter solùm scientiæ, ac prophetiæ donum absque sanctitate canonizari potest; sola enim vitæ sanctitas, & quidem clarissima, longâ temporum serie ad finem usque vitæ inclusivè, ut alibi diximus, nunquàm interrupta, canonizationem à Principibus viris, sive à Rege, vel Imperatore, atque item à Provinciis, & Populis Civitatum, aut locorum supplicitèr, & frequentèr postulatam, ordineque judiciario, ac ritu solemni celebrandam, admittit.

Sap.7. 2.Petri 1. Matth.7. Aug.Triũph. q.15.ar.5.ad 2 Pag.110.c.2.

CAP. XXXI.

Nùm aliquis famâ bonâ ornatus, & pro Sancto à Populis, & Principibus viris denunciatus, canonizari statim debeat.

QUo majus, ac difficilius negotium tractandum sese offert, eò attentiùs, ac maturiùs deliberandum censetur: ità verò, ut in eo industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas adhibeantur, ex quibus contrariis quid optimum, & quasi, adamùssim factum, in lucem prodire necesse est. Hinc Augustus, & sapientèr quidèm, per duo illa contraria duobus vocabulis græcis quid tale in rebus gravissimis faciendum exprimere solebat hunc in modum: Σπεῦδε βραδέως, hoc est, *Accelera tarde*: Cum itaquè Canonizationis opus maximum sit, ac difficillimum intèr ea, quæ in Ecclesia sancta Dei fieri solent, maximam postulat maturitatem, diligentem scilicèt rerum gestarum, vitæque illius, qui catâlogo Sanctorum est adscribendus, non semel repetitam inquisitionem, atquè investigationem: testes enim fallere, ac falli possunt, aliquo indecenti affectu persuasi. Idcircò Beatus Joannes Apostolus ait: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint*. Industriæ igitùr celeritas, & diligentiæ tarditas, quæ veram faciunt maturitatem, has ob causas in canonizatione jure desiderantur, hoc est propter sanctitatis, & miraculorum veritatem, propter operis arduitatem, & propter fidei firmitatem, atquè constantiam.

Aug.Triũph. qu.15.ar.3. & qu.16.ar.2. Accelera tarde. 1.Joan.4.

Maximâ in canonizatione tractanda opus est maturitate propter veritatem circà sanctitatem, & miracula indagandam, ne falsa pro veris, sive turpis lucri gratiâ, sive humanæ laudis, aut gloriæ appetitu, aut alio affectu indecenti enarrentur, mirâ Dæmonum versutiâ, & calliditate suadente, arte item eorundem, ac potestate adjuvante. Id quod ex doctrina, quam de veris, ac falsis miraculis, necnon de operibus Dæmonum nupèr conscripsimus, facilè fieri posse credendum est. Hinc S. P. Augustinus in libro de vera religione nos admonet, ut quibus credendum sit, qnod ad miracula, & invisibilia pertinet, diligentèr videamus, omni scilicèt adhibitâ maturitate: propterea quòd vera miracula,

Pag. 110. & seq. Lib. de vera Relig. cap. 25. tom. 1.

quæ

quæ vitæ ſanctitatem præſeferre ſolent, canonizationem admittendam ſatis perſuadent. Arduitas itèm operis maturitatem poſtulat: quantò enim opus eſt magis arduum, tantò majori induſtriæ celeritate, diligentiæque tarditate faciendum eſt, ſapientiſſimo Salvatoris noſtri documento, qui non ſtatim, ſed ceræmoniis præviis Lazarum à morte ſuſcitavit; nec itèm Cananeæ filiam ſtatim ſanavit; ſed, ut ait Chryſoſtomus Sanctus, quantò magis mulier ſupplicitèr orabat, tantò magis Chriſtus ſanitatem reddendam negabat.

Joan. 11.

Chryſoſt. homil. 53. in Matth. 15. tomo 2.

Proptèr fidei firmitatem atquè conſtantiam roborandam Canonizatio itèm differri debet. Chriſtus itaque, ut Sanctus inquit Chryſoſtomus, Mulierem illam Cananeam clamantem non ſtatim exaudivit, ut fides illius promulgaretur, quippè quam intus moveret, ut verbis illis, *Miſerere mei Domine fili David*, Chriſti divinitatem, & humanitatem confiteretur. Hinc ipſa meruit audire: *O Mulier, magna eſt fides tua. Fiat tibi ſicut vis.* Proptèr igitùr veritatem miraculorum indagandam, proptèr operis arduitatem, & fidei firmitatem, atquè conſtantiam, canonizatio, quæ eſt opus ſumme arduum, in plurimos menſes, atquè annos proroganda cenſetur: ex qua prorogatione frequentia miraculorum augetur, miraculorumque veritas magis elucelcit, operumque miſericordiæ fama multo magis divulgatur, ac fides de operibus miſericordiæ illius, qui canonizandus eſt, in cordibus tandèm Populorum confirmatur, ac roboratur, & ſanctitas declaratur: temporum namque diuturnitas magiſtra, & lucerna veritatis eſſe ſolet. Id quod exemplo de quodam præsertim Hermanno hæretico, fictæ ſanctitatis homine, comprobatur: quem, utì alibi diximus, poſt fallam à Populis ſanctitatem viginti annorum intervallo (teſte Platina) prædicatam, Bonifacius VIII. exhumari, comburique juſſit, diligentiſſimâ de ipſius hæreſi, fictâque ſanctitate, habitâ inquiſitione. Tempore itèm Alexandri III. quidam in ebrietate, ac ſeditione occiſus, tàmquàm Martyr colebatur. Sancti deniquè Martini tempore ignotus quidam etiàm tamquàm Martyr honorabatur: ſed Sancto Martino Deum ad ejus ſepulchrum orante, illum hominem ſceleſtum, ac damnatum fuiſſe divino favore compertum eſt, ut Sulpitius Severus poſt multa teſtatur hiſce verbis: *Deindè ſupèr ſepulchrum ipſum aſtans* (hoc eſt, Martinus Sanctus) *oravit ad Dominum, ut quis eſſet, vel cujus meriti ſepultus, oſtenderet. Tùm converſus ad lævam, vidit propè aſſiſtere umbram ſordidam, trucem. Imperat, nomen, meritumque ut loqueretur: nomen edicit, de crimine confitetur, latronem ſe fuiſſe; ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum, ſibi nihil cum Martyribus eſſe commune; cum illos gloria, ſe pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis qui aderant, audiebant, perſonam tamèn non videbant. Tùm Martinus, quid vidiſſet, expoſuit: juſſitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, ſubmoveri: atquè ità Populum ſuperſtitionis illius abſoluit errore.* Hæc Severus. Sanctorum itaquè Canonizatio longâ temporum, aut ſæculorum ſerie jure differri ſolet, ac debet, ſicut de Sancto Hyacintho, & beato Raymundo, ut cæteros poſt magnam temporum diuturnitatem canonizatos ſilentio prætermittam, factum eſſe conſtat: quorum ille Anno Domini MCCLVII. ex hac luce deceſſit; deindè Anno ſalutis noſtræ MDXCIV. in Sanctorum numerum relatus fuit: Hic verò Anno Domini MCCLXXV. die Epiphaniæ ex hac vita migravit; Annoque ſalutis noſtræ MDC. nondùm canonizatus, propediem canonizandus cenſetur. Hæc de Canonizatione Sanctorum magno temporum, aut aliquot ſeculorum intervallo prorogandâ. Nunc reliquum eſt, ut de miraculis, quæ in Canonizatione Sanctorum præcipuum obtinent locum, diligentèr examinandis ſermonem habeamus.

S. Hyacinth.

B. Raymundus.

Chryſoſt. in Matth. 15. tomo 2.

Matth. c. 15.

Vide pag. 109. & ſeq.

Veritatis magiſtra, & lucerna.

Platina in Bonif. VIII.

Pag. 109. & ſeq.

Cap. Audivimus extra de reliq. & ven. SS.

Sulp. Sev. lib. de vita Sanct. Mart. c. 8., & tom. 7. Biblioth. SS. PP.

CAP. XXXII.

De Miraculis diligentèr examinandis in Canonizatione alicujus, ac de modo examinandi ea.

TAnta in miraculis examinandis debet adhiberi diligentia, quanta maxima eſſe poteſt, ob ſummas, & quidèm plurimas, quæ indè ſuboriri ſolent, difficultates, ſicut ea, quæ de veris miraculis, necnon ludificatoriis, admirandis tamèn Dæmonum operibus, adhucùſque à nobis explicata ſunt, apertè demonſtrant. Sacroſanctum itaque Concilium Tridentinum nulla nova miracula admittenda eſſe decernit, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo, qui ſimulàtque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicaverit. Hæc ex Sacroſancta Synodo Tridentina. Miracula idcircò abſquè Epiſcopi recognitione, atque approbatione, ac ſine Theologorum conſiliis admitti non debent.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reliq. SS. propè finem.

Teſtes inſuper in hanc rem tàm gravem, & arduam adhibendi ſunt de ſingulis eorundem miraculorum circumſtantiis diligentèr interrogati; qui, ut clariorem veritatis, rerumque geſtarum teſtificationem efficiant, conteſtes de una, & eàdem re eſſe debent, & plures quidèm, ſi enim unus de re ſingulari, alter verò de re teſtetur alterâ, tanquam teſtes ſingulares, ut juris peritiſſimis placet, nihil profectò probant: è quorum numero itèm ſunt, qui in aliqua teſtificatione ſcientiæ cauſam non reddunt: *Pluris enim eſt*, ut Poeta ille ait, *oculatus teſtis unus, quàm auriti decem*. Hæc de examinandis miraculis, quorum conditiones proprias, quæ vera miracula præſeferunt, & apertè declarant, loco jam ſuo explicavimus, & multò quidem luſiùs, quàm alii, qui de hac materia ſuperficie tenùs ſcripſerunt: hinc ea in medium afferre non libet, ſed quænam illa ſint, quibus in Eccleſia militante quis inter Sanctos connumerari queat, explanabimus antequàm odinem judiciarium in Canonizatione obſervari conſuetum aggrediamur.

Archid. in ca. Nec mirum 26. qu. 5.

Bald. in lege Solam de teſtibus, & alii in d. c. venerabili.

Plautus in Trucul.

Caſſ. par. 3. Catal. gl. mundi conſid. 49. poſt glo. in d. c. 1. de reliq. & ven. SS.

CAP.

CAP. XXXIII.

Necessaria pro Sancto in Ecclesia militante declarando.

Greg. IX. 14. annos in Pontificatu vixit, ac menses 4.

GRegorius hujus nominis nonus libri Decretalium Auctor, qui quatuordecim, & ampliùs annos in Pontificatu vixit, quique in libro Decretalium compilando, Beato Raymundo propediem canonizando, ex instituto Prædicatorum adjutore usus est; dum Sanctum Franciscum Assisinatem, Perusii, Anno Domini 1228. anno autèm sui Pontificatus secundo; Sanctum Antonium, de Padua dictum, Spoleti, Anno Domini 1232. & sui Pontificatus sexto; Sanctum Dominicum Reate, Anno Domini 1234., & sui Pontificatus octavo; Sanctamque Elisabeth, Andreæ Regis Hungarorum filiam, Perusii, Anno Domini 1235., & Anno sui Pontificatus nono canonizavit, normam canonizandi posteris ferè præscripsit, ut videre est ex ejusdem literis Apostolicis, quas ex Bibliotheca Vaticana desumptas Gerardus Vossius Flander, vir pius, & eruditus. necnon de bonis literis, præsertim verò de Ecclesiasticis libris optimè meritis, in lucem emisit.

S. Franciscus.

S. Antonius.

S. Dominicus

S. Elisabeth.

Gerardus Vos. sius.

Ut autèm multa Gregorio IX. digna, quæ dictis in literis sparsim leguntur, silentio prætermittam, hoc loco ea tantùm apponam, quæ in literis Apostolicis ad canonizationem S. Antonii, de Padua nuncupati, pertinentibus scripsit in hanc verborum formam: *Ad hoc ut Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum, merita videlicèt, & miracula, ut hæc, & illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis. Sed cum merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula, tunc certum præbent indicium sanctitatis, ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & signis subsequentibus exhibet venerandum: quæ duo ex verbis Evangelistæ pleniùs colliguntur: Illi autèm profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Hæc Gregorius de rebus necessariis, quæ in Ecclesia militante Sanctum declarant.

Marc. 16.

Quæ sanè omnia, & fusiùs quidem à Doctore Angelico, necnon à Beato Antonino, & ab aliis enarrantur. In hanc itèm sententiam plura videre licet in octavo hujusce Commentarii nostri capite, ubi quænam in eo, qui canonizandus est, requirantur, declaravimus. Ex eo deniquè, quòd Joannes Chrysostomus de sanctitate scriptum reliquit, colligi potest, quid pro Sancto declarando requiratur. Ait enim Chrysostomus: *Quidest Sanctus? Rectus, purus, mundus, ab omni reprehensione alienus, qui nullam ulli omninò præbet ansam.* Hæc de rebus, quæ sanctitatem cujusque declarant.

S. Th. 2. 2. qu. 81. art. 8.

S. Ant. 3. p. tit. 22. c. 8. §. 1.

Pag. 110. c. 8.

Jo. Chrys. to. 1. hom. in Psal. 144.

Nunc reliquum est, ut, rebus ad Sanctum aliquem in Ecclesia militante declarandum explicatis, ordinem canonizandi judiciarium, cui hæc omnia majorem in modum deserviunt, aggrediamur.

CAP. XXXIV.

Ordo Judiciarius in Canonizatione observari consuetus.

ECclesia sancta Dei, ut S. P. Augustinus in libello de pœnitentiæ medicina testatur, nonnisi publicis testimoniis, aut documentis certior facta, de aliquo homine sententiam dicere, aut judicium pronunciare solet. Hinc juxtà Romanæ Ecclesiæ ritum Actiones duodecim, aliquot ab hinc seculis ad hanc usquè diem in Canonizatione præstanda celebrari consueverunt: nàm in primitiva Ecclesia tot actiones in usu non erant: tunc enim ex fidei fervore, Christique meritis miracula, & alia opera ità erant evidentia, quòd aliqua tergiversatione occultari non poterant. Adde etiàm quòd antiquitùs Sancti, ut plurimùm erant Martyres, de quibus, ut ait sua in summa Ostiensis, tanta inquisitio, quanta nunc de Confessoribus, non fiebat: sat enim est, si de Martyribus miracula diligentèr examinentur, & propria martyrii causa inquiratur: causa enim, non mors, facit martyrium, ut ex Augustini doctrina explicatum jàm fuit. Quænàm verò de Confessoribus inquirenda sint, nos itèm suo recensuimus loco. In Concilio Africano, in quo sermo habetur de veneratione Sanctorum, ut etiàm videre est in tertia Decreti parte, non nisi de Martyribus fit mentio, vel ob rationem nupèr assignatam, vel quià tunc temporis de Confessoribus nondùm solemnia celebrari solebant, ut Beatus Antoninus in tertia parte summæ ait: & hanc ob causam, sicut Innocentius hujus nominis III. placet, in sacro Missæ Canone nulla Confessorum memoria reperitur: quia Canon Missæ priùs fuit editus, eòdem Innocentio attestante, quàm memoriam Confessorum Ecclesia celebraret. Nàm omnes ferè Sancti (ait ipse) in Canone commemorati, Sylvestrum præcesserunt, Joanne, & Paulo, Marcellino, & Petro exceptis, qui proximò successerunt. Ecclesia verò post Beati Sylvestri tempora Sanctorum Confessorum memoriam venerari, eorumdemque canonizationem celebrare cœpit, in qua præstanda duodecim Actiones observari solent, quæ infrà statim declarandæ proponuntur.

S. Aug. lib. de medicina c. 3. tom. 9.

De ordine judiciario Aug. triumph. qu. 16. art. 1.

Ostiensis lib. 3 de reliqu. & ven. SS. n. 3.

Pag. 109. c. 6.

Concil. Afric. 50., & Barch. lib. 3. c. 38. De consecr. d. 1. c. Placuit.

B. Ant. tit. 12. cap. 8.

Innoc. lib. 3. Myst. Missæ c. 10.

Alex. de Ales. p. 4. qu. 10. p. 2. §. 2.

Actiones in Canonizatione alicujus Sancti requisitæ, Ex Augustino Triumpho quæst. 16. artic. 1. Cassanæo par. 3. consid. 50. Viguerio de Virt. fid. num. 104. ver. 4., & aliis in cap. 1. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

Actio I.

PRincipes in primis, aut optimates cum Populis locorum Romano Pontifici canoni-

nonizandum proponunt, ejusdem vitæ probitatem, opera, & miracula explicantes. Id quod pluribus mensibus atquè annis interjectis frequenter, ac supplicitèr quidèm faciendum censetur, ut eâ prorogatione veritas rei clariùs in dies elucescat.

Actio II.

SI, fama sanctitatis crebrescente, magnâque miraculorum factâ in dies accessione, supplicibus postulationibus, & indesinentèr quidèm insistatur; Romanus Pontifex in Consistorio, quod *secretum* vocant, S.R.E. Cardinalibus canonizationem supplicitèr, ac tot vicibus postulatam proponere consuevit: eòque in Consistorio decerni solet, vt in Patriam, ac Provinciam illius, qui canonizandus est, pro notitia eorum, quæ denunciata fuerunt, suscipienda scribatur. Publica sanctitatis, & miraculorum fama, populorumque erga canonizandum devotio, & id genus alia, Episcopis, & honestissimis viris, vitæque integritate insignitis diligentèr, ac generàtim investiganda committi solent.

Actio III.

SI Episcopi, & viri integerrimi ea omnia, quæ de homine canonizando scripta jam fuerant, vera esse respondeant, & omninò affirment, in Consistorio item secreto S.R.E. Cardinales à Romano Pontifice sententias rogantur, nùm scilicet sanctitatis, & miraculorum fama speciàtim investiganda committi debeat.

Actio IV.

SI veritatis indagatio speciàtim committenda censeatur, iisdem, vel aliis Episcopis, ac viris integerrimis scribendum est, ac Diplomate Pontificio mandandum, ut veritatem ipsam, primùm de fama, mox de vita, hoc est de misericordiæ operibus cum vera animi demissione, vel humilitate conjunctis; tertio loco de miraculis, & quidèm omnia diligentèr, exactè, prudentèr, ac fidelitèr juxtà formam in Diplomate præscriptam, necnon juxtà articulos in eodem Diplomate comprehensos inquirant. Omnia hunc in modum examinata, necnon sigillis munita, & inclusa, ad Romanum Pontificem mittuntur.

Actio V.

HÆc tandèm ad Romanum Pontificem missa, in Romana Curia aliquot Rotæ Auditoribus, quos Papæ Cappellanos appellant, vel aliis, auctoritate, prudentiâ, & doctrinâ insignitis committi solent, eâ tamèn lege, ut omnia diligentèr pensitent, titulos item, ac notas, & conclusiones indè conficiant, suumque ipsorum iis in rebus omnibus judicium sincerè subjiciant.

Actio VI.

OMnia dictum in modum ab Auditoribus Rotæ, aut ab aliis honestissimis, ac doctissimis viris dispositа, diligentèr à Romano Pontifice, & à sacro Cardinalium Collegio veluti trutina quadam examinantur, iisdem Cardinalibus sententias rogatis, nùm scilicèt omnia exactè comprobata videantur, ità verò, ut Canonizatio jure admitti queat,

Actio VII.

HIs ritè peractis, si Summo Pontifici Canonizatio jure celebranda videatur, id in Consistorio, quod *secretum* vocant, definiri solet.

Actio VIII.

PAtriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, tunc in Urbe commorantibus, ad Consistorium semipublicum convocatis, Romanus Pontifex narrat ea, quæ in causâ Canonizationis acta sunt, ac legitimè probata; secretâ tamèn definitione suppressâ, quæ in præcedenti Consistorio facta jam fuit; omniumque tàm Cardinalium, quàm Prælatorum sententias exquirit.

Actio IX.

CErta deindè in eodem Consistorio semipublico dies Canonizationis assignatur, quâ omnes ad certam Ecclesiam, Romanus videlicèt Pontifex, S. R. E. Cardinales, & Prælati cum universo Clero, & Populo conveniant.

Actio X.

SAnctissimus D.N. Papa sermonem habet, processum recitat, & probationes commemorat, adstanteſque omnes ad exorandum Deum cohortatur, ut in eo tàm gravi, tàmque arduo negotio divinam sibi opem largiatur. Deniquè omnes genibus flexis orant; & cantatur hymnus. *Veni creator Spiritus*.

Actio XI.

HYmno decantato, Summus Pontifex ab oratione surgens, illum, de quo agitur, Sanctum esse definiendo declarat, Sanctorumque Catalogo adscribendum, & tanquàm Sanctum venerandum, ipsiusque festum die singulo quoquè anno celebrandum esse decernit.

Actio XII.

HIs ritè, ac piè peractis, sententiâ scilicèt canonizationis pronunciatâ, Hymnus (*Te Deum laudamus*) decantatur: quo tandèm completo, Romanus Pontifex in honorem Sancti canonizati Missam ritu maximè solemni decantat: atquè hunc in modum Canonizatio præsens in tempus absolvi, terminarique solet. Nunc reliquum est, ut videamus, an ordo judiciarius, quem explicavimus, in singula quaque Canonizatione sit observandus.

CAP.

CAP. XXXV.

An ordo judiciarius superiori loco explicatus, tàm in Canonizatione Martyrum, quàm Confessorum observari debeat,

Augustinus Triumph. qu. 16. ar. 1. Eccl. pot.

JUdiciarius ordo, ut Augustino Triumpho placet, duobus modis considerari potest, quantum scilicèt ad inquisitionem, aut discussionem causæ Canonizationis, vel quantum ad causam, ut ajunt, motivam. Primo modo judiciarius ordo, tàm in Canonizatione Martyrum, quàm Confessorum observari debet, secundo modo non item. Quando enim aliquis pro Martyre canonizandus est, non solùm causa, propter quam fuerit passus, diligentèr est investiganda; (quià causa non pœna, ut ait S. P. Augustinus, facit Martyrem) sed modus itèm patiendi est inquirendus: multi enim hæretici passi sunt, & patiuntur pro Christo, ut ait Triumphus, dum ejus doctrinæ, ac præceptis adversantur, de quibus inquit Apostolus Sanctus: *Zelum quidem Dei habent, sed non secundum scientiam*, Quâ in re Glossa inquit: *Stultum est, Dominum legis venerari, & legem ejus ac doctrinam persequi, & falsificare*. Causa igitur, & modus patiendi omni diligentiâ investigari debent; nisi causa adeò esset manifesta, ut aliquâ probatione, aut inquisitione non indigeret.

Aug. Epist. 61. & 166. to. 2.

Vide pag. 109 & seq.

Aug. Triumph. ubi sup.

Rom. 10.

Quantum ad causam canonizationis (ut ajunt) motivam, idem ordo judiciarius, tàm in Canonizatione Martyrum, quàm Confessorum observari non debet: quia finalis martyrii causa, est defensio, atque confessio veritatis fidei Christianæ, necnon eorum, quæ fidei annectuntur, cujusmodi sunt ea, quæ de Joanne Baptista à Beato Marco Evangelista scripta leguntur: is enim quamvis Christum, aut Christi fidem negare coactus non fuerit, veritatem tamèn, atque justitiam negare cogebatur. Herodes nàmque nolebat, ut Joannes Baptista diceret; *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Quoniam vero pro tali veritate passus est, ipsum ob talem causam S. P. Augustinus Martyrem Christi effectum fuisse affirmat.

S. Jo. Bapt. nullum fecit miraculum.

Mar. 6.

S. Aug. Ps. 140 to. 3.

Motiva itàque Canonizationis illius, qui pro Martyre canonizandus est, talis debet esse causa; quâ existente, nullâ aliâ inquisitione prævià, nulloque miraculo intercedente, pro Martyre canonizandus est, atque venerandus, etiàm nondum baptizatus: cui, ut Sancto Augustino placet, passio pro baptismo deputatur: qui non aquæ, sed sanguinis baptismus est.

Passio pro baptismo. Epist. 198. tom. 2.

Quamvis autèm Martyrium tàm bonis, quàm malis commune sit, Martyrii tamen causa extrinseca, & finalis, quæ est confessio Christianæ fidei, & pro veritatis fidei defensione mori, omnibus communis non est, veluti nec etiam charitas, quæ est meritoria, & intrinseca Martyrii causa, opus videlicèt Martyrii meritoriè imperans. Hinc Sanctus Hieronymus in Epistolam Beati Pauli ad Galatas, de opere sine charitate facto, ait: *Vide, quantum bonum est charitas: si ita Martyrium ferimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias venerari; & si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tàm præmium, quàm pœna debetur: & perfidiæ magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ*. Hæc S. Hieronymus. Martyrium itaque pro Christo Domino, proque fidei confessione, charitate intercedente, susceptum (cum ex se causa sanctitatis existat) facit, ut aliquis nullà aliâ nec miraculorum, nec operum misericordiæ inquisitione prævià (quæ tamèn pro Confessoribus canonizandis est necessaria) pro Martyre canonizari, & Sanctorum Catalogo adscribi queat, ac debeat. Hæc ex Augustino Triumpho, cujus doctrinâ in hoc capite majori ex parte usi sumus, sicut ex eo loco, quem nupèr commemoravimus, videre est. Quoniam verò judiciarius ordo multa implicitè comprehendit, quæ aliquâ indigent explicatione; nonnulla idcircò ad eum explicandum hoc loco declaranda sunt, ut omnia, quæ ad Canonizationem celebrandam, pertinent intimiùs intelligantur.

Hieron. in cap. 5. Ep. ad Galat. tom. 6. & 1. qu. 1. cap. 65. Vide.

De pot. Eccl. q. 16. ar. 3.

CAP. XXXVI.

De rebus, quæ fiunt antè tria Consistoria, quæ pro celebranda Canonizatione haberi solent.

QUamvis ordo judiciarius in Canonizatione Sanctorum observari soleat, in primitiva tamèn Ecclesiâ, ut ait Viguerius, dicta omnia non observabantur, quia Sancti eo tempore, ut plurimum martyrio erant insigniti, in quibus canonizandis tot examinanda non videbantur, ut infrà ostendemus. Hùc etiàm accedit, quòd ex fidei fervore, atque Christi Domini meritis, ait Viguerius, miracula, & alia opera maiorem in modum erant evidentia, quæ idcircò aliquâ tergiversatione occultari non poterant. Nunc verò, & sapientèr quidem, dum aliquis in Sanctorum numerum est referendus, omnia ad hanc rem præstandam necessaria intèr doctissimos, ac piissimos Viros diligentèr examinantur, atque hanc ob causam multi sanè conventus haberi solent, duòque Rotæ Auditores, jurisperitissimi, tanquàm Judices integerrimi à Summo Pontifice deliguntur, ut acta omnia de Viro canonizando allata cognoscant, atque expendant in primis, an ritè præstita, & an legitima sint testimonia, sive ad probationes idonea. Posteà verò quàm omnibus hisce de rebus intèr Judices disceptatum est, omnia ad Summum Pontificem referuntur, deindè à tribus S. R. E. Cardinalibus ad hoc negotium præsèrtim delectis recensentur, & explicantur. Postremò ab iisdem Cardinalibus, quorum primus est Episcopus Cardinalis, Secundus Cardinalis Presbyter, Tertius Cardinalis Diaconus, necnon ab aliis è sacra Rituum Congregatione Cardinalibus omnia diligentèr recognoscuntur

Jo. Vigue de virt. fid. Ver. 3 num. 104.

ſcuntur, & maturiſſimè judicantur. His ritè tandèm, ſed longo poſt tempore, omni ex parte examinatis, & abſolutis, tria in primis Conſiſtoria ad hanc rem perficiendam celebrari ſolent; quorum primum, Secretum, alterum Publicum, tertium Semipublicum appellant.

CAP. XXXVII.

De tribus Conſiſtoriis, quæ pro celebranda Canonizatione fieri ſolent.

De Conſiſtorio Primo.

Conſiſtorium ſecretum.

IN primo Conſiſtorio, quod *Secretum* vocant, unus ex tribus Cardinalibus delegatis Judicibus in Congregatione antiquior, ſivè primarius, orationem habet, in qua de Viri canonizandi vitæ ſanctitate, fideique integritate (quâ in re totius negotii ſumma conſiſtit) nècnon de laudabili ejuſdem obitu, dequè miraculis ſivè in vita, ſivè in morte factis verba facit: Iis omnibus recitatis, Cardinales ſententias rogantur, nùm in iis, quæ ad Canonizationem pertinent, ſit ulteriùs progrediendum. Poſtremò juxtà Cardinalium conſilium, & aſſenſum, quid hac in re faciendum ſit, decerni ſolet.

De Conſiſtorio Secundo.

Conſiſtorium publicum.

IN ſecundo Conſiſtorio, quod *Publicum* appellatur, Advocatus conſiſtorialis orationem habet, in qua vel alicujus Regis, aut Principis, qui Virum illum canonizandum curat, ardentiſſimum, ac perpetuum deſiderium cum chriſtiano zelo conjunctum egregiè commendatur, eiuſdem Viri canonizandi ſanctimonia, admirabiles virtutum progreſſiones, & miracula præsèrtim inſignia enarrantur. In peroratione autèm, vel Regis, ac Regni, ſeu Principis, ac Provinciæ, nècnon Civitatis nomine poſtulatur, ut Vir ille, tantòperè in ſanctitate vitæ laudatus, in Sanctorum numerum referatur. Tùm demùm Secretarius Apoſtolicus ex præſcripto Summi Pontificis reſpondet, chriſtianamque poſtulantis pietatem, diuturnamque rei tàm piæ poſtulationem laudat, ac tandèm propenſam Papæ in eo canonizando voluntatem declarat: ſed hujus generis negotium tàm grave, tàmquè arduum, cujuſmodi eſt Sancti alicujus Canonizatio, maturiùs, ac diligentiùs conſiderandum eſſe oſtendit. Hinc ſacrum deniquè Cardinalium Collegium, Patriarchas itèm, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates hortatur, ut in eam tanti ponderis rem pro ſuffragiis ferendis totò mentis conatu incumbant, ac Deum in primis orent, ut Sanctitatis ſuæ mentem lumine divino illuſtret, quo rectiùs actionem tantam dirigat, tùm ad ipſius Dei gloriam, tùm etiam ad Eccleſiæ ſanctæ amplitudinem, chriſtianæque pietatis fructus uberrimos.

De Conſiſtorio Tertio.

Conſiſtorium ſemipublicũ.

IN tertio Conſiſtorio, quod *Semipublicum* nuncupatur, ſuffragia feruntur, nùm ille, de quo agitur, in Sanctorum numerum ſit referendus. Ad hoc Conſiſtorium non ſolùm S.R.E. Cardinales, verùm etiàm Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates pro ſuffragiis ferendis acciti conveniunt. Protonotarii Apoſtolici eidem Conſiſtorio interſunt ad fidem circà ea, quæ ibi decernuntur, exhibendam. Auditores autèm Rotæ, & præsèrtim illi, quibus cura judicandi proceſſum in rem tantam præſtitum, demandata fuit, ad idem Conſiſtorium admittuntur, vt, ſi in proceſſu aliqua oriretur controverſia, vèl difficultas, eam explicent; ac declarent. Anteà verò quàm ſuffragia ferantur, Summus Pontifex è ſolio ſuo habet orationem, in qua de re ad tàm gravem, tàmquè arduam actionem pertinente, verba facit: deindè pro Sancto canonizando ſententias dici jubet: tùm ſuo quique ſtàtim ordine ſententias dicunt.

Lib. cæremoniarum lib. 1. ſect. 6. cap. 1.

De ſuffragiis pro Canonizatione in Conſiſtorio Semipublico ferendis.

QUàmvis autèm diverſi diverſa argumentorum genera in dicendo adhibeant, ut ex variis ſuffragiis, quæ olim me legiſſe memini, colligi poteſt; omnes tamèn, ſi Canonizatio celebranda ſit, eò deveniunt, ut illum, de quo agitur, ob admirabilem vitæ innocentiam, catholicâ fide ubique, ac ſemper prævià, perpetuiſque tùm charitatis, tùm Chriſtianæ humilitatis operibus, & exemplis, inſignibuſque, atquè evidentiſſimis miraculis, vel ſcientiæ, aut prophetiæ donis, multiplici, & idoneâ atteſtatione, hoc eſt, per teſtes, & conteſtes affirmatis, omnique tandèm chriſtianarum virtutum genere comprobatam, & illuſtratam, Sanctorum Catalogo adſcribendum, ac Sanctum in cœlo vivere, Deique viſione frui declarandum eſſe, concludant, uti fuſiùs alibi dictum fuit. Ubi verò primùm Romanus Pontifex ſingulorum ſententias audivit, certam Canonizationis diem decernere ſolet, ac locum; vel iſtùcipſum propediem decernendum promittit. Hæc de tribus Conſiſtoriis ad Canonizationem Sanctorum celebrandam pertinentibus. Rebus hiſce omnibus ritè enarratis, nil aliud explicandum ſupereſt, quàm Canonizationis Decretum: cujus formam in eo pronunciando obſervari conſuetam hoc loco apponere libet, ampliſſimo priùs apparatu aliquâ ex parte adumbràtim, ſeù potiùs rudi quadam Minervâ deſcripto; atque iis, qui Canonizationi ſolent intereſſe, ſummàtim commemoratis, & quaſi exiguo penicillo delineatis.

Suffragiorum forma.

Cap. 8. & 33.

CAP.

CAP. XXXVIII.

De Apparatu, deque iis, qui Canonizationi interesse solent, necnon de Canonizationis Decreto.

Apparatus descriptio.

EO tandèm die, Canonizationi dedicato, solemnissimâ processione, aùt supplicatione itur ad eam, in qua Canonizatio celebranda est, Basilicam, aut Ecclesiam, suggesto, seù tabulato amplissimo, pulcherrimèque constructo; aulæis itèm, atque aliis ornamentorum generibus, necnon densissimis luminibus enitentem; solio deniquè Pontificio, aspectum præbente jucundissimum, ac præclarissimum, Altarique sacris rebus egregiè insignito mirum in modum condecoratam, ac splendescentem.

Canonizationi quinam inserint.

Huic solemnissimo tantæ celebritatis actui, non solùm S. R. E. Cardinales in Urbe commorantes interesse solent, sed etiàm Principum Oratores, aut Legati, magnusque Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Prælatorum numerus, necnon maxima, prætèr familiam Pontificiam, nobilium Virorum frequentia, & innumera hominum omnis ordinis utriusque sexus multitudo, universo itèm tàm regulari, quàm sæculari Clero adstante, atque spectante. Posteà nonnullis jàm rebus pro Canonizatione celebrandâ præstitis, Canonizatio nomine alicujus Principis ter summoperè, ac supplicitèr, hoc est, ut ajunt, instanter, instantiùs, & instantissimè postulatur; oratione itèm ad Deum pro divino auxilio ad rem tantam efficiendam implorando, non semel directâ; Deindè Summus Pontifex in solio sedens, sacris vestibus indutus, & mitrâ insignitus, Canonizationis Decretum pronunciat gravissimis profectò, & maximè significantibus hisce verbis:

Canonizationis Decreti forma pro Sancto Confessore.

AD honorem sanctæ, & individuæ Trinitatis, gaudium, & exultationem supernæ, ac triumphantis Hyerusalem matris nostræ, & exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritatem ejusdem Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostrâ, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia existentium consilio, & unanimi consensu, maturâ deliberatione præhabitâ, summâque diligentiâ ex majorum institutis, etiàm abundantiùs adhibitâ, *Beatum N. N.* (de cujus puritate fidei, excellentiâ vitæ, & miraculorum in vita, & in morte factorum claritate, Nobis pleniissimè constat) decernimus Sanctorum Confessorum Catalogo adscribendum, proùt nunc adscribimus, eumque Sanctum à Fidelibus venerandum esse mandamus, Statuentes, ut ab universali Ecclesia, anno quòlibet, in die N. festum ipsius, & Officium sicuti pro uno Sancto Confessore tantùm, devotè, & solemnitèr celebrentur, utquè in ejus honorem, Ecclesiæ, & Altaria, in quibus Deo sacrificia offerantur, erigi, & fundari possint.

Dictâ Decreti formâ extat in sacrarum Vesperarum, & cæremoniarum Libris, paucis quibusdam verbis in ea interjectis, quæ quàmvis in Decreto, quod infrà legitur, non sint; eundem tamèn sensum cum illo habent, sensumque reddunt clariorem, magisque apertum. Hinc formam quoquè illam, in libro Vesperarum, atquè itèm in Codice rituali, aut cæremoniarum Sacrarii Pontificii cum alia superiori conscriptam, hoc loco apponere libuit, ut infrà:

Ad honorem sanctæ, & individuæ Trinitatis, & exaltationem Fidei Catholicæ, ac Christianæ Religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostrâ, de Fratrum nostrorum consilio decernimus, & definimus, bonæ memoriæ N. N. Sanctum esse, & Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque Catalogo hujusmodi adscribimus; Statuentes, ut ab universali Ecclesiâ anno quolibet in die N. festum ipsius, & Officium sicut pro uno Confessore (si sit Confessor,) *vel Martyre* (si sit Martyr) *devotè, & solemnitèr celebrentur.*

Decreto pronunciato, Indulgentia visitantibus Ecclesiam, & sepulchrum, ubi corpus canonizati requiescit dari solet: deindè Missa solemnissimo ritu à Summo Pontifice decantatur, multaque itèm alia antè, & post Decreti pronunciationem fiunt juxtà ritum in sacrarum cæremoniarum Libro præscriptum:

tum: quæ sanè omnia brevitatis causâ silentio prætereunda censentur. Reliquum est, ut quinam Canonizatis ex vi Decreti, necnon ex ipso Sanctorum jure honores debeantur, explicemus.

De septem honoribus, qui Canonizatis debentur.

I. Canonizati catalogo Sanctorum adscribuntur, hoc est, jubetur, ac statuitur, ut ab omnibus publicè colantur, ac dicantur Sancti.

II. Canonizati in publicis Ecclesiæ precibus invocantur.

III. Templa, & Aræ Deo in eorum memoriam, & honorem eriguntur.

IV. Sacrificia tàm sacrosanctæ Eucharistiæ, quàm laudum, & precum (quod passim Officium, sive Horæ canonicæ nuncupatur) Deo in honorem eorundem publicè offeruntur.

V. Dies festi in eorundem honorem celebrantur.

VI. Imagines eorundem pinguntur, addito certo quodam lumine in signum gloriæ, quam habent in cœlo.

VII. Eorundem Canonizatorum reliquiæ, pretiosis thecis inclusæ, publicè in Ecclesia honorantur.

Tom. 1. Controv. lib. 1. de Beat. SS. c. 7. & 10.

Hæc de Canonizatione Sanctorum, necnon de honoribus, qui Canonizatis debentur, & à Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinale in primo de Beatitudine Sanctorum libro enarrantur, ubi etiàm Sanctos nondùm canonizatos cultu non publico, sed privato coli posse, rationibus, atque exemplis probatur. Id quod ex eo itèm, quod in tertio Decretalium libro de Reliquiis, ac Veneratione Sanctorum legitur, colligi potest: ibi enim Alexander III. dum publicum nondùm Canonizatis cultum exhiberi prohibet; privatum permittere censetur, sicut etiam Doctores eo in loco affirmant. Cultus verò publicus non est ille, qui coràm aliis exhibetur, sed qui totius Ecclesiæ nomine, ac tamquàm ab Ecclesia institutus exhibetur.

Lib. 3 tit. 45. cap. 1.

Quàmvis autèm Sanctos nondùm canonizatos credere, & vocare Sanctos liceat, eos tamèn tamquàm Sanctos ab Ecclesia catalogo Sanctorum adscriptos prædicare non licet. Tamètsi alii quoquè honores nupèr commemorati iisdem nondùm Canonizatis privàtim exhiberi possunt, tertius tamèn, & quartus eis nullo modo dari posse videntur: Templa enim, Altaria, & sacrificia ex sui naturâ sunt publici cultus; propterèa quòd nullum sacrificium in Ecclesia est, nisi commune, & à Deo ipso institutum: Templa verò, & Altaria ad sacrificium referuntur. Hæc ex Bellarmino.

Quàmvis deniquè Sanctos nondùm Canonizatos privatim invocare liceat, in Litaniis tamèn publicis non licet, nec etiam in sacro Officio, nisi id à Summo Pontifice expressè concedatur, sicut de Sancto Hyacintho, à Clemente VII., & de Beato Raymundo à Paulo III. necnon de aliis factum esse constat: immò in honorem Sancti Hyacinthi Clemens VII. Sigismundo Poloniæ Rege supplicitèr postulante, concessit, ut in Ecclesiis ex instituto Sancti Dominici, ac etiàm in Cathedralibus ejusdem tantùm Regni non solùm divinum Officium, verùm etiàm Missæ sacrum, necnon festus dies celebrari, ejusque Imagines dipingi possent; hac tamèn lege, ut ipse Beatus Hyacinthus ob dictam concessionem neque canonizatus, neque catalogo Sanctorum adscriptus censeretur. Quæ sanè concessio quandam (ut ità dicam) semicanonizationem adumbrare vix potest, quippe, quæ universali Ecclesiæ data non fuit.

Lib. 3. cap. 31. & 32. de vita, & canoniz. S. Hyacinthi.

Hæc de Sanctis nondum canonizatis, atque de iis, qui in Sanctorum numerum sunt referendi. Nunc reliquum est, ut sermonem habeamus de Romani Pontificis, aut Ecclesiæ Catholicæ in Sanctis canonizandis infallibili certitudine: quâ tandem re tàm piâ, tàm utili, tamque fidei catholicæ necessariâ, nostrum de Canonizatione Sanctorum Commentarium concludemus, eâdemque re, tamquàm Ecclesiæ Catholicæ anulo, seù sigillo obsignatum, Deo favente, reddemus.

CAP. XXXIX.

De Romani Pontificis, seu Ecclesiæ Catholicæ infallibilitate, quâ Sanctam Dei Ecclesiam in Sanctorum Canonizatione, quæ est quædam fidei protestatio, & professio, nullo modo errare posse, probatur.

MUlti de Romani Pontificis, aut Ecclesiæ Catholicæ in canonizatione Sanctorum infallibili certitudine scripserunt. Sed quià Canonizatio testimoniis humanis, & quidèm fallibilibus innititur, ac fulcitur; ideò diversi diversa senserunt, hanc tamèn conclusionem, Romanum scilicèt Pontificem in Canonizatione Sanctorum nullo modo errare posse, statuentes, & omninò affirmantes. Contrà hæreticos, qui hanc infallibilitatem negant, Thomas Waldensis vir doctissimus, ac de Christiana Religione optimè meritus, disputat, & infallibilem certitudinem omninò probat, ac demonstrat. Nos itaque varias primùm hac in re opiniones in medium afferemus, & quidèm brevitèr, potiorem deindè, ac veriorem sententiam, statuendo, aperiemus; tres postremo loco nodos, qui veritati adversari videntur, explicabimus.

Thom. Waldensis tom. 3. de Sacramentalibus c. 122. tom. 14.

Augustini Triumphi opinio.

AUgustinus Triumphus in libro de Potestate Ecclesiastica, dum de Romani Pontificis in canonizando infallibilitate loquitur, eum errare in canonizatione non posse concludit. Papa enim (inquit ipse) dum aliquem secundum præsentem justitiam pro Sancto canonizat, habens pro teste operum exteriorum evidentiam, errare non potest:

Augustinus Triumph. qu. 14. art. 4.

quià juxtà allegata, sibique probata ipsum canonizatum credit esse Sanctum, ac talem esse declarat, Sancti Patris Augustini doctrinâ persuasus, dicentis: *Qui sic credit, ut loquitur, etiamsi falsa loquatur, fidelitèr loquitur: qui autèm, non credit quæ loquitur, etiamsi vera loquatur, infidelitèr loquitur*. Huic statìm Augustini sententiæ talia Triumphus verba subjungit: *Quantumcunque ergò non vera approbet canonizando, vel approbando aliquem Sanctum; ex quo fidelitèr, & verè approbat secundam informationem sibi factam, non errat*. Hæc Triumphus, qui alio in loco, dum disputat, an omnes à Papa canonizati, sint in vita æterna, eandem tuetur opinionem dicens: *Per certitudinem causæ non potest Ecclesia scire omnes, quos pro Sanctis canonizat, & solemnizat, esse in vita æterna*. Et infrà ad primum argumentum: *Ecclesia non errat canonizando aliquos Sanctos, quia non canonizat eos esse Sanctos judicio divino secundum determinativam sententiam: sed judicio humano secundum præsentem justitiam*, (hoc est juxtà allegata, & probata) *secundum quem modum Sancti sunt, hominum reputatione, & veneratione*. Et alibi ait: *Papa ergo canonizando aliquem Sanctum secundum præsentem justitiam non errat: Quia sic credit eum esse Sanctum, ut informationem recipit secundum allegata, & probata sibi*. Hùcusque Triumphus, cujus opinio tanto viro non minùs pio, quàm docto, etsi doctissimo, digna non videtur, quippè quæ Romani Pontificis, & Ecclesiæ Catholicæ, ut sic dixerim, infallibilitati, aut certitudini, Sanctorumque canonizationi plurimum derogare videtur.

Aug. Ep. 35. ad Severum Abbatem tomo 2.

Augustinus Triumph. q. 14. artic. 4. in fin. corp.

Augustinus Triumph. q. 17. artic. 4. in corp. ad primum arg.

Augustinus Triumph. q. 14. art. 4.

S. Thomæ opinio.

S. Thom. Quo lib. 9. art. 16.

Sanctus Thomas, Doctor Angelicus, eo in loco, in quo disputat, nùm omnes ab Ecclesia canonizati, sint in gloria, vel aliqui eorum in inferno; tria actionum genera à Romano Pontifice præstari scribit, quorum unum ad Ecclesiam, inquit, universalem pertinet, atque ex iis est, quæ ad fidem attinent, in quibus fieri nullo modo potest, ut judicium Ecclesiæ universalis errare queat, juxtà divinam providentiam, & infallibile Salvatoris nostri promissum à Joanne Evangelista hisce verbis enarratum: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, hoc est, ut omnes interpretantur, in necessariis rebus, quæ ad salutem, & fidem pertinent. Hinc S. Thomas magis Papæ, ad quem determinatio fidei attinet, quàm cuilibet sapienti in scripturarum opinionibus, credendum esse ait exemplo Cayphæ, qui quàmvis homo sceleste, ob Pontificatum tamèn, Evangelistâ Joanne attestante, inscius prophetasse narratur.

Joan. 16.

Joan. 11.

Alterum Pontificiæ actionis genus, in possessionibus, aut criminibus, aliisque id genus rebus judicandis versatur, in quibus, ut ait S. Thomas, iudicium Ecclesiæ ob falsas hominum attestationes errare potest.

Inter duo prædicta actionum genera, Doctor medium Canonizationi locum adscribit. Quàmvis enim Sanctus Paulus ad Corinthios scribens, dicat: *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Et infrà, *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum*: Et in Ecclesiaste: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*; Ecclesia tamèn in canonizatione Sanctorum errare non potest, quia de statu alicujus certior fieri potest, non solùm per inquisitionem vitæ, atque miraculorum attestationem sed etiàm, & quidèm præcipuè, per divinum Spiritus Sancti instinctum; qui omnia, etiàm profunda Dei scrutatur, cujus itèm providentiâ fit, ut Ecclesia sancta Dei fallibili hominum testimonio in Canonizatione falli non possit: Hæc ex Doctore Angelico, qui suam opinionem concludit hisce verbis: *Canonizatio Sanctorum medium est inter illa duo: quia tamèn honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credamus, piè credendum est, quòd nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit*. Hæc Sanctus Thomas.

1. Cor. 2.

1. Cor. 4.

Eccl. 9.

S. Thom. Quo lib. 9. art. 16.

Opinio Sancti Thomæ declaratur.

Quàmvis Doctor Angelicus Romanum Pontificem, aut Ecclesiam Catholicam in canonizatione Sanctorum errare non posse doceat: idque piè credendum esse dicat; ego tamèn ex ejusdem Sancti doctrina istùcipsum, non solùm piè, sed necessariò credendum esse censeo. Si quis enim à Romano Pontifice pro Sancto pie solùm, non certò, hoc est probabilitèr, & non infallibilitèr in cœlo esse crederetur, Ecclesia catholica illum nobis colendum, precibusque orandum, noltrumque intercessorem habendum haudquàquam proponeret, sicut factum esse constat. Id quod Sanctus Thomas, qui Canonizationem, fidei professionem quandam, quâ gloriam Sanctorum, ac vitam æternam profitemur, & prædicamus, esse ait, intellexisse (ut opinor) visus est.

Pro hac re confirmanda, silentio prætereundum non videtur, quòd Petrus Galesinius, Protonotarius Apostolicus in suo de Canonizatione Sancti Didaci Complutensis Commentario scriptum reliquit, dùm de præstantissima Syxti V. felicis, ac sanctæ recordationis concione in Consistorio semipublico coram S. R. E. Cardinalibus, & Prælatis sententiam, aut suffragium de Beato Didaco in Sanctorum numerum adscribendo laturis, mentionem fecit in hanc verborum formam: Quâ in concione à rei, quæ agebatur, magnitudine exorsus, primò de potestate Summi Pontificis, auctoritateque Ecclesiæ, quæ à Deo tradita est, illuminatè, divinèque dixit: tùm demonstravit, & sacris literis, & rationibus ex intima Theologia depromptis, omnique argumentorum genere, Romanum Pontificem, verum successorem Beati Petri Apostolorum Principis, pro quo oravit Christus Dominus, ne ejus fides deficeret, eundemque verum caput Ecclesiæ, quæ est firmamentum, & columna veritatis, quæque à Spiritu Sancto regitur, ac gubernatur, in

Luc. 22.

San-

Sanctorum Canonizatione errare, & falli non posse. Idque non modò piè, sed necessariò, & certissimâ fide credendum affirmavit omnibus summis rationibus divinitùs in medium allatis: cum illud etiàm perspicuè manifestum sit, Ecclesiæ, Pontificisve decreta, certa, & firma esse, quæ ad fidem, aut morum disciplinam pertinentia, certis, & firmis principiis, fundamentisve innitantur. Hæc ad verbum Galesinius, cujus opera Sixtus V. in rebus Ecclesiasticis, & quidèm gravioribus, intèr alios à secretis Viros uti non rarò solebat.

Greg. Nunnius lib.3. de opt.Reip.statu c.11. §. Ex his tom.1.

Piè igitur, ut Doctoris Angelici explicetur dictum, hoc est pietate fidei, seu piâ, & firmâ fide, ac necessariò credendum est, Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum, nec fallere, nec falli posse: immò ejus oppositum, non solùm sine temeritate, sed etiàm, ut ait M. F. Gregorius Nunnius Lusitanus, Vir sanè doctus, & pius, non sine maximâ impietate, quæ, meo quidèm judicio, hæresim sapit, posse affirmari omninò credendum censetur. Hinc Melchior Canus, eos, qui Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum errare posse dicerent, non hæreticos quidèm, sed temerarios, impudentes, & irreligiosos nominat, & ab Ecclesia puniendos esse affirmat: quià sicut injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; ità, & multo quidèm majorem Martyri infert injuriam, qui Martyrem Catalogo adscriptum è Sanctorum numero rejicit. Immò (ait Canus) si unum aliquod hujus generis decretum in dubium revocare liceret; certè (inquit ipse) Hieronymi, Ambrosii, Augustini, & reliquorum sanctitas in quæstionem sine crimine revocari posset: valdèque absurdum non foret, si cultus omnium Sanctorum, qui post Clementem consecrati sunt, ab Ecclesia exploderetur. Quo nihil stultius, aut impudentius dici potest. Ne igitur tantus error in Ecclesia inter Sanctos canonizandos nascatur, Deus peculiaritèr providere credendus est: cujus peculiarissimæ providentiæ abundè magnum argumentum est, quòd fides, ab humanis testibus semel in hujusmodi judiciciis suscepta, nunquàm infirmata est. Hæc à Cano, non minùs elegantèr, quàm doctè, etsi doctissimè in quinto de Auctoritate Conciliorum libro hinc indè scripta, & à me hunc in locum fidelitèr congesta.

Lib.5.c.5.q.2. concl.3.

S. Aug. serm. 17. de verbis Apost.to.10. Et de celebr. Miss.c.6. cum Martæ lib.3. Decretal. tit. 41.

Canus ubi supra.

Sanctorum Ordo I.

To.1,c.1.pag. 207.

JOannes Driedo in libro de dogmatibus variis, & libris apocryphis quarto, tres Sanctorum Classes enumerat: in quarum prima Sancti tàm veteris, quàm novi Testamenti recensentur, hoc est, Abel, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, & cæteri Patriarchæ multi, & Prophetæ; Joannes itèm Baptista, Stephanus, Apostoli duodecim, Latro etiàm in cruce moriens, cui dixit Christus: *Hodiè mecum eris in Paradiso*; Paulus quoquè, ac multi alii jam in cœlo viventes, de quibus in Scriptura Sacra fit mentio. Classis hujusce Sanctos (inquit Driedo) in cœlo vivere, ac regnare credendum est eâ fide, qua credimus cæteris fidei articulis in Scriptura Sacra expressis. Si quis autèm eos in cœlo vivere non crederet, aut dubitaret, is profectò hæreticus censendus foret, quià de Scripturæ Canonicæ auctoritate dubitaret, nosque ab ea falli posse crederet. Id quod hæresis omninò est.

Prima Classis

Eccl.44. Hebr.11.

Sanctorum Ordo II.

IN secunda Sanctorum Classe repositos Driedo inquit esse Sanctos illos, quorum Laudabilis vita, & glorioſus exitus universam in toto terrarum orbe Ecclesiam illustravit: è quorum numero, ut ego opinor, & ex Driedone colligitur, possunt esse illi, quorum memoria fit in sacro Missæ Canone, & alii post editum Missæ Canonem permulti, quos esse Sanctos, nemo rationabilitèr, vel sine temeritatis, & impietatis labe negare, aut dubitare posset. Si quis enim, quicumque ille sit, Regum, Ducum, sive Principum, aut Phylosophorum res gestas, & historias toto terrarum orbe diffusas, & divulgatas negaret stupidus, ac temerarius, & meritò quidèm, censeretur; quanto magis temerarius, & impius (ut ait Driedo) judicandus foret, qui universalis Ecclesiæ judicium jam olim tot Episcoporum, tot Doctorum, totque hominum juxtà seriem successionis succedentium consensu firmatum negaret? Idcircò de his quòd sint Sancti credendum est, sed non sic (ait Driedo) ex revelatione in Scripturis sacris desuper factâ, sicut de illis in prima Classe repositis.

Secunda Classis.

Sanctorum Ordo III.

IN tertia Sanctorum Classe sunt illi, qui in diversis Regnis, ac Provinciis mirabili vitæ sanctitate claruerunt, quorum itèm vita laudabilis, & exitus glorioſus, aut in toto Regno, aut tota Provincia emicuit, & innotuit. De his enim ad veram sanctitatem dignoscendam ex fidelium hominum testimoniis, aliisve indiciis Ecclesia Sancta Canonizationis censuram adhibere consuevit.

Tertia Classis.

Quamvis autèm (inquit Driedo) non oporteat nos omnium horum sanctitatem tàm firmâ, tàmquàm immobili fide credere, quàm credimus sanctitatem eorum, qui in canonicis Scripturis describuntur, eorum tamèn sanctitas sine temeritate stupiditatem, aut amentiam præseferente, negari non posset; hunc tamèn temerarium, & amentem Driedo hæreticum non judicandum esse ait. Hæc ex Driedone variâ eruditione non mediocriter exculto.

M. F. Dominicus Bañes, Vir sanè doctissimus, ac piissimus, in suis de Fide, Spe, & Charitate Commentariis scholasticis, de Canonizatione Sanctorum à Romano Pontifice, seu à Concilio præstita, sine hæresis suspicione dubitari non posse inquit in hanc verborum formam: Temerarium est valdè, & scandalosum, & hæresim sapit, dicere,

Bañes in secundam secundæ S. Thom. q.1. artic.10. Dub.7.

quòd Papa, aut Concilium possit errare in Canonizatione Sanctorum. Immò ad finem dubitationis ait: Nemo nisi amens, aut hæreticus credendus est, qui dubitaret, an Sanctus canonizatus sit in cœlo, cum hujusmodi auctoritas canonizandi utatur tot tantisque hominum fide dignissimorum testimoniis, insuper, & miraculis. Meritò ergo, qui de ipso Sancto dubitat, in suspicionem hæresis venit, atque hæresim sapit. Hùcusque Bañes, conclusione ipsa summis jam rationibus, quas brevitatis causâ silentio prætermittemus, comprobata. Quàmvis autèm antiquiores Doctores, veluti S. Thomas & alii, piè credendum esse, Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum errare non posse dicant; recentiores tamèn Theologi ob hæresim [inquit Bañes] proximis temporibus ortam illorum, qui ejus auctoritatem, & infallibilitatem in Canonizatione Sanctorum irridebant, & negabant; meritò decernunt, hæresim sapere Luteranorum, asserere Ecclesiam in alicujus Canonizatione falsam fuisse, etiamsi auctoritas canonizandi non negetur. Hæc Bañes ad verbum.

S. Tho. Quod. lib. 6. art. 16. B. Anton. 3. p. t. 12. cap. 8. Cajet. de Indulg. ad Jul. cap. 8.

In Canonizatione itaque Sanctorum Ecclesiam, nec errare, nec falli posse non solùm piè, sed necessariò, & certissimâ fide credendum, affirmandumque omninò est, ob assistentiam Spiritus Sancti à Christo Domino promissam apud Joannem Evangelistam hisce verbis: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, in rebus scilicèt, utì diximus, necessariis, quæ ad salutem, & fidem pertinent. Quæ sanè promissio iis etiàm confirmatur verbis, quæ Christus Dominus ipsi Petro dixit: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

Jo: 16.

Lucæ 22.

Quàmvis autèm Petrus ad horam, non ad extremum usquè vitæ finem, vel, ut sic dixerim, finaliter defecerit, ipsa tamèn Lucæ auctoritas non solùm ex ipsis Christi Domini verbis, sed ex Sanctorum itèm Patrum, ac Doctorum explicationibus de personali Petri fide, non autèm de fide aliorum Pontificum personali, ut ait Joannes de Turrecremata, intelligi debet: hoc est, de Petri fide personali, in utilitatem tamen Ecclesiæ universalis, & quatenùs personalis Petri fides à personali cæterorum Pontificum fide distinguitur, ut infrà, & fusiùs quidèm, explicabimus: Romanus enim Pontifex (inquit ipse de Turrecremata) non in gratiis, & prærogativis personalibus Beato Petro succedit, sed in sede, & officio Pontificatus, atque ex consequenti in privilegiis Pontificiæ sedis, & officii. Hinc quamvis Romani Pontificis personam in iis, quæ ad fidem pertinent, errare posse, aut malè opinari (ait Turrecremata) contingeret; admitti tamèn nullo modo potest, ut Romanus Pontifex in sententia ferenda, sive in judicando, vel, ut ajunt, judicialitèr procedendo in iis, quæ ad fidem attinent, errare possit: quia assistentia Spiritus Sancti à Christo promissa non personam Papæ, sed officium, aut sedem Pontificiam respicit; ob idque opinio ad personam, judicium verò ad officium, aut ad sedem Pontificiam pertinet. Si quis autem unquàm Romanus Pontifex (quod Deus avertat) hæreticus efficeretur; ille, ut Joanni de Turrecremata placet, ubi primùm à Christi fide cadit, ab ejusdem Cathedra, & sede cadit; hinc illud hæretici judicium, Apostolicæ sedis judicium non foret, neque ullius auctoritatis, aut momenti esset. Hæc ex Joanne de Turrecremata.

Jo: de Turrecremata lib. 2. summæ de Eccl. 102. ad primum arg. & ad 6.

Jo: de Turrecrem. ubi sup. Et cap. Si Papa Dist. 40.

Sunt autèm qui hujus generis casum evenire non posse velint: illud enim contrà fidem judicium, aut morte intercedente, aut alienâ instructione, seu internâ inspiratione, aut Christifidelium oppugnatione, sive alio quovis modo juxtà placitum divinę voluntatis à Deo prohibitum iri affirmant; idque exemplo Balaam, Cayphæ, & Anastasii Papæ comprobant. Balaam namque, Propheta malus, Judæorum Populo jàm benedicto maledicturus, jussu Dei benedixit. Cayphas etsi sceleslus; ob Pontificiam tamèn dignitatem inscius prophetavit. Anastasius hujus nominis secundus, dum Acacium hæresiarcham revocare tentaret, divino nutu percussus interiit, ut ait Gratianus: cujus opinio à Covarruvia in libro variarum resolutionum, tanquàm fabulosa confutatur: constat enim Acacium vitâ functum sub Felice III. cui successit Gelasius Primus, & huic Anastasius Secundus. Adde etiàm quòd Anastasius Acacii memoriam ab Ecclesia Catholica delendam curavit, ut in Epistola ejusdem Anastasii primâ ad Anastasium hujus nominis Primum Imperatorem videre licet. Quæ igitur de Anastasii Papæ errore atque punitione dicuntur à Gratiano, ex quo Platina, Volaterranus, & alii eandem fabulam mutuò acceperunt, mera commenta esse ait Covarruvias, cui Cæsar Baronius S.R.E. Cardinalis assentitur, dum Acacium sub Felice III. obiisse, & Anastasium Papam, integrum, ac sincerum in Catholica fide permansisse, atque catholicum ex hac luce decessisse, narrat. Ecclesiæ igitur sanctæ Dei judicium in iis, quæ ad fidem pertinent, & in Canonizatione præsertim, quæ est quædam fidei protestatio, errare nullo modo potest. Id quod non solum piè, sed etiam necessariò credendum jure censetur. Quàmvis autèm iis in rebus, quæ sunt facti, sive in iis judiciis, quæ ad particularia facta pertinent, Romanum Pontificem errare posse inficias ire non queam, illud tamèn in aliquo Sancto canonizando judicium, ex eo judiciorum genere non est, quod ad privatum hominem, sed ad universalem Ecclesiæ statum attinet; cum inter Sanctos relatio, uti non semel diximus, sit quædam fidei professio, aut protestatio, quâ gloriam, & æternam vitam Sanctorum credimus, & prædicamus. Nunc reliquum est, ut cæteros nodos de Pontificia canonizandi infallibilitate proponamus, propositosque dissolvamus.

Jo: de Turrecrem. ubi sup. ad 7.

Num. 22. 23 24.

Jo: 11.

Gratianus Decr. part. 1. Dist. 19 cap. Anastasius.

Covarr. lib. 4. c. 13. tom. 2. Et in Annot. ad eundem textum. Anastasii factum declaratur.

Tom. 6. Annal. Ann. Dñ. 487. & 497.

DV-

DUBITATIO PRIMA.

CAP. XL.

De Catholicæ Ecclesiæ infallibilitate, sive infallibili certitudine in Canonizatione Sanctorum.

ECclesiæ Catholicæ infallibilitati, in iis, quæ ad fidem pertinent, præsèrtim verò in canonizatione Sanctorum apertè videtur adversari ille in Decretalibus Textus, in quo hæc leguntur verba: *Judicium Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam, & fallere sæpe contingit, & falli.* Qui sanè nodus quamvis veritati apertè refragari videatur; facillimè tamèn dissolvitur, si ad distinctionem actionum illam, quam nupèr in medium attulimus, confugiatur.

Lib.5. Decretal.tit.39.c.28 de sent. ex com. cap. A nobis il 2.

Pag.134.

Dubitationis declaratio, & solutio.

ROmani Pontificis actionum tria genera esse diximus, quorum unum propria privatorum hominum facta respicit, quæ sunt promotiones ad dignitates, & gradus, beneficiorum collationes, & judiciariæ tàm contrà aliquem, quàm pro aliquo sententiæ, idque genus alia, in quibus infallibile judicium dari non potest: quia tàm Judex, quàm Consiliarii, necnon testes inordinatâ quadam animi affectione, atque commotione affici queunt. His itaque, aliisque de rebus, hoc est ob fallacias, seu falsas probationes, aut attestationes à recto, & vero sensu in judicando declinari potest; ideò in textu commemorato hæc statim sequuntur verba: *Propter quòd contingit interdùm, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus.* Hùc igitùr spectat textus ille nupèr commemoratus, quem cæteris Romani Pontificis, aut Ecclesiæ Catholicæ actionibus nullo modo convenire dicendum est.

Pag.134.

Silvester in verbo canonizatio n.2.

Lib.5. Decretal.ubi suprà.

Quædam alia sunt, quæ non propria privatorum hominum facta, nec Papæ personam, sed statum totius Ecclesiæ universalem respiciunt, cujusmodi sunt ea, quæ ad fidem attinent, è quorum numero sunt, ait Silvester, determinationes circà ea, quæ sunt fidei; vel declarationes, quæ ad fidei articulos, & ad Ecclesiæ sacramenta pertinent; vel quantum ad ea omnia, quæ in sacra Scriptura continentur; vel quantùm ad bonos mores, veluti sunt etiam Decreta, & Decretales, in quibus Romanus Pontifex, divinâ providentiâ prævià, quæ Ecclesiæ suæ Sanctæ providere semper solet, errare nullo modo potest: immò, ut ait Silvester cum aliis Canonistis, ac Theologis, qui crederet dictis in rebus Ecclesiam errare posse, ab hæreseos labe alienus non esset.

Silvester ubi suprà.

Silvester ubi suprà. Ioann. Neap. Quodlib.xi.

Cum igitùr Canonizatio, quæ est quædam fidei professio, ad hoc actionum genus pertineat, quia per eam Sancti declarantur, & ut exemplar fidei, ac sanctæ vitæ in nostris necessitatibus invocandi proponuntur; in ea actione Romanus Pontifex errare nullo modo potest: tunc enim probationes, & attestationes humanæ, falsæ esse non queunt, quia sumuntur tanquàm causa [ut ajunt] sine qua non, cum ratio Canonizationis præcipua sit assistentia Spiritus Sancti, quę in hujusmodi re tam arduâ, tamque necessariâ, ita Romano Pontifici, seu Ecclesiæ Catholicæ adhæret, ut errare non valeat, tanto universalis Ecclesiæ bono perspecto, divinoque præsertim Salvatoris nostri promisso accedente: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, saluti videlicèt, ac fidei necessariam. Et: *Ego rogavi pro te* [Petre] *ut non deficiat fides tua*; quasi dixerit, etsi ad horam, non tamèn ad finem, vel, ut ajunt, finaliter deficiat. Quando enim, ut ait Turrecremata, Christus oravit pro fide Petri, oravit pro fide Ecclesiæ suæ, cui Petrus tanquàm Princeps, & Caput præesse debebat. Viguerius autèm Joannem à Turrecremata, & alios Canonistas, ac Theologos sequutus, ait Christum non orasse pro fide Petri, ut privata persona erat, hoc est pro fide Petri tantùm personali, sed pro fide Petri hoc est Petri, & Ecclesiæ, quæ universalis est: nec pro fide (ut ait Viguerius) aliorum Apostolorum, hoc est, pro Sedibus, & Ecclesiis aliorum Apostolorum, sivè pro Successorum eorundem Sedibus, & Ecclesiis, quas aliquandò errasse, ac defecisse, solamque Petri Sedem, hoc est Ecclesiam Romanam immaculatam semper fuisse juxtà infallibilem Salvatoris Domini promissionem fatendum est.

Io:16.

Lucæ 22.

Io: de Turrecrem. lib. 2. summæ cap. 112. ad secundum.

Io:Vigŭer. de virt. fid. v. 3. n.103.

Io: Turrecrē. ubi suprà ad primum in fin.

Quòd autèm Beati Lucæ Evangelistæ auctoritas nuper commemorata, sivè Christi Domini promissio Petro præstita, de Ecclesia Catholica Romanâ, quatenùs ab aliis Ecclesiis distinguitur, intelligenda sit; Cyrillus, Chrysostomus, Hieronymus, Bernardus, Anselmus, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, & alii, prætèr etiàm Leonem I. & Agathonem, summos Pontifices, uno id consensu affirmant: quorum verba brevitatis causa silentio prætermittenda censeo.

Ex ea itaque Christi promissione Petro præstita: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquandò conversus, confirma fratres tuos*; duo in Petro, ait F. Gregorius Nunnius, peculiaritèr sese nobis offerunt considerandа, quorum alterum ad privatam hominis personam; alterum verò ad communem Ecclesiæ utilitatem pertinet. Quòd enim Petrus Christum negaverit, hominis; quòd autèm conversus, confirmaverit fratres, Ecclesiæ erat; illud proprium, hoc autèm commune. Ità etiàm quòd fides, quam Petrus peculiaritèr habebat, sit interiùs servata, hoc ei tributum fuit: quòd autèm sinceram fratribus fidem, ne Ecclesia in judicio deficeret unquàm, præbuerit, Ecclesiæ privilegium fuit. *Ego* (inquit Christus) *rogavi pro te* [Petre] *ut non deficiat fides tua*; Ecce Petri fidei firmitudinem concessam; sed in quem finem? in Ecclesiæ profectò utilitatem, iis verbis indicatam: *Et tu aliquando*

Greg. Nunnius lib. 3. de opt. Reip. statu cap.7.

conversus, confirma fratres tuos. Hæc ex Nunnio, qui plura ibidem in eandem prosequitur sententiam. Judicium itaque Romani Pontificis, aut Ecclesiæ in iis, quæ ad fidem pertinent, nec fallere nec falli potest. Quoniàm verò huic veritati nonnulla Summorum Pontificum facta refragari videntur, ea explicare necesse est, ut hujus generis scrupulus ab animo eorum, qui nodum, ut proverbio dici solet, in scirpo quærunt, penitùs evellatur.

DUBITATIO SECUNDA.

CAP. XLI.

De Catholicæ Ecclesiæ infallibilitate, sivè infallibili certitudine in Canonizatione Sanctorum.

DUO sunt Romanorum Pontificum exempla, quæ Catholicæ Ecclesiæ infallibili certitudini adversari videntur. Horum unum ad Stephanum VII. quem dicunt VI. & ad Joannem VIII. quem dicunt IX. alterum verò ad Nicolaum III., & Joannem XXII. pertinent.

Dubitationis secundæ membrum I.

Platina, & Martinus hist. & alii. Formosi factum narratur.

QUod ad primum pertinet exemplum, Formosus, ut Scriptores prodiderunt, dum esset Cardinalis, & Episcopus Portuensis, omni Ecclesiastica dignitate privatus, laicalibusque indumentis indutus, se ab Urbe discendentem, nunquàm, nec Romam, nec ad Episcopatum rediturum jure jurando affirmavit. Hunc deindè contrà jura sacramenti, ad Urbem redeuntem, necnon ad Episcopatum restitutum, & aliquot post annis ad Pontificiam dignitatem assumptum, ob juramentum præstitum, verum Papam non fuisse credens Stephanus hujus nominis VII. omnia ejus gesta irrita fuisse declaravit: Joanes verò IX. dictum Formosum verum fuisse Papam credens, Stephani res gestas improbavit, & Formosi acta in Concilio Ravennæ restituit.

Steph. VII.

Jo: IX. Ex Turrecr. & Cælaja.

Dubitationis declaratio, & solutio.

THeologi, & Canonistæ omnes in iis, quæ sunt fidei, Papam, sive Ecclesiam Catholicam errare nullo modo posse juxtà Salvatoris Domini promissum omninò affirmant: si autèm Ecclesiam, sive Papam errare unquàm contingat, errorem illum, aut facti, aut personalem, sive opinativum vocant, non judicialem: nàm judicium, uti diximus, ad officium, aut ad Pontificiam sedem pertinet, opinio autèm ad personam. Quàmvis itaquè alterum summorum Pontificum in causa Formosi errasse dicamus oporteat, ille tamèn error non fuit in fide, aut judicialis, sed opinativus, seu personalis, ac facti: altercatio enim illa, sicut Joannes de Turrecremata, & Cælaja inquiunt, non erat de fide, sed de facto, in quo Ecclesia errare potest, ut ipsi, & alii affirmant. Stephanus nàmque Formosum, non verum Papam fuisse putabat; Joannes autem verum Papam eundem opinabatur.

Error facti, ac personalis.

Judicium ad officium, opinio ad personam pertinent.

Jo: de Turrecrem. lib. 1. summæ c. 112. ad 9. arg.

Jo: à Cælaja lib. 3. sentent. 25. dist. q. 5. pag. 143.

Dubitationis secundæ membrum.

ALterum summorum Pontificum exemplum à nobis propositum est de Christi, & Apostolorum ejus paupertate, quæ ad fidem pertinet. Nicolaus enim hujus nominis III., & Joannes XXII. apud Apostolicæ sedis hostes visi sunt altercari, & alterum alterì in re ad fidem pertinente adversari.

In sexto Decretal. lib. 5. de verb. sign. tit. 12. cap. 3. Extravag. de verb. sign. c. 4.

Dubitationis declaratio, & solutio.

PRO hujus generis nodo dissolvendo, temporum, ac paupertatum distinctionem in medium afferendam censeo: duas enim duobus temporibus paupertates Salvatorem nostrum verbo, & exemplo docuisse constat. De prima paupertate, quæ nec in speciali, nec in communi quidquam proprii admittebat, Christus Dominus loquutus est, dum Discipulos suos ad prædicandum mittens dixit: *Nolite possidere aurum, nequè argentum, nequè pecuniam in zonis vestris: non peram in via, nec duas tunicas, nequè calceamenta, nequè virgam: dignus enim est operarius cibo suo.* Hæc Beatus Matthæus, qui de Christo Domino alio in loco ait: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Primam igitur paupertatem Salvator noster Christus tempore prædicationis verbo, & exemplo docuit: eoque tempore Christus, & Apostoli nihil ullo modo, hoc est, nec in speciali, nec in communi possidebant, à bonis mulieribus necessaria sibi sumentes, ut Lucas Evangelista scriptum reliquit. Hanc paupertatem in Christo fuisse, Nicolaus Papa declaravit, & literis Apostolicis affirmavit. Joannes autèm XXII. secundam paupertatem, quæ victui necessaria in communi possidenda admittit, in Christo fuisse Apostolicis etiam literis explicavit, hæreticumque esse illum, qui Christum Dominum, & Apostolos nihil in communi habuisse diceret. Hanc enim paupertatem Christus Dominus, parum antequàm pateretur, verbo itèm, atquè exemplo docuit, ut Lucas Evangelista scribit hisce verbis: *Quando misi vos sine sacculo, & perâ, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergò eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similitèr, & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Hùcusque Beatus Lucas; cujus locum Glossa interlinearis examinando ait: *In hoc quoque nobis datur exemplum, ut nonnunquàm causâ instante, de nostri propositi rigore intermittere possimus.* De loculis autèm, in quibus ea, quæ Christo, & Apostolis ad sui, eorumque necessitates sublevandas servabantur, Joannes Evangelista testatur, dicens: *Quod facis* (Christus inquit Judæ) *fac citiùs.* Hoc autèm nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei.

Matth. 10.

Matth. 8.

Lucæ 8.

Nicol. III.

Joann. XXII.

Lucæ 22.

Glossa interlin. ex Turrecrem. lib. 2. c. 112. ad 10. argum.

Joan. 13.

ei. Quidàm enìm putabant, quià loculos habebat Judas, quòd dixiſſet ei Jeſus: Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum; aut egenis, ut aliquid daret. Hæc de loculis. Quo in loco Sanctus Pater Auguſtinus ait: *Habebat ergò, & Dominus loculos, & à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat.* Hæc Auguſtinus de vita Apoſtolorum in communi, de qua in Actis Apoſtolicis legitur in hæc verba: *Multitudinis autèm credentium erat cor unum, & anima una; nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Hæc Sanctus Lucas in Actis Apoſtolorum, ubi de hujus generis vitâ, quam Sanctæ Religiones imitantur, Venerabilis Beda hunc ait in modum: *Qui ità vivunt, ut ſint omnia communia in Domino, Cœnobitæ vocantur; quæ vita tantò felicior, quantò ſtatum futuri ſæculi imitatur, ubi omnia communia, quià Deus eſt omnia in omnibus.* Hæc Beda Sanctus. Utràmque igitùr vitam, quæ propriam perfectionis Evangelicæ retinet formam, Chriſtus Dominus, & verbo, & exemplo, diverſis tamen temporibus, docuit. Hinc ex ſecundæ vitæ exemplo, quod victui neceſſaria in communi poſſidenda admittit, perfectioni Evangelicæ nullo modo derogari videmus; quia, ut ait Sanctus Thomas in Summâ, perfectionis natura, & vis, quam alii eſſentiam vocant, non in paupertate, quæ ad perfectionem perveniendi exercitium, & inſtrumentum eſt, reverà conſiſtit, ſed in Chriſto Domino ſequendo, juxtà Beati Hieronymi ſententiam. Hic enìm, dum ea Petri apud Matthæum perpendit verba; *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergò erit nobis?* Necnon Chriſti reſponſum Petro datum, examinat, inquit: *Non dixit* (Chriſtus ſcilicèt) *Qui reliquiſtis omnia, hoc enìm Crates fecit Philoſophus, & multi alii divitias contempſerunt; ſed qui ſecuti eſtis me; quod proprium Apoſtolorum eſt, atquè credentium.* Hæc Hieronymus. Evangelica itaquè perfectio aliquid in communi habere admittit, ſolamque ſolicitudinem, ut ait Doctor Angelicus, ſuperfluam, non neceſſariam prohibet apud Matthæum dicentem; *Nè ſoliciti ſitis, quid manducetis, aut corpori veſtro quid induamini.*

Aug. in Joan. tract. 62. t. 9. Et 12. qu. 1. Habebat.

Act. 4.

Beda ex Gloſ. ordin.

1. Cor. 15.

S. Thom. 2. 2. 2. q. 188. art. 7.

Matth. 19.

Hieron. to. 9. in c. 19. Matth

Matth. 6.

Nec huic doctrinæ refragatur illud alterum Salvatoris noſtri dictum apud Evangeliſtam dicentem: *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enìm dies ſolicitus erit ſibi ipſi, ſufficit diei malitia ſua.* Hanc enìm ſententiam Beatus Hieronymus hunc in modum exponit: *Sufficit nobis præſentis temporis cogitatio; futurorum curam, quæ incerta eſt, Deo relinquimus.* Sanctus Joannes Chryſoſtomus eam explicat hiſce verbis: *Sufficit labor, quem pateris propter neceſſaria; noli de ſuperfluis laborare;* malitia enìm diei pro labore ſumitur. Sanctus Pater Auguſtinus eam in hæc verba interpretatur: *Cùm aliquid boni operamur, non temporalia*, quæ ſignificantur per craſtinum, *ſed æterna cogitemus.* Hæc de ſuperfluâ rerum temporalium ſolicitudine obitèr, occaſione ſuadente.

Matth. 6.

Tom. 6. in cap. 6.

Hom. 16. in Matth. in opere imperf.

Aug. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte c. 25. tom. 4.

Ab iis itaquè, qui aliquid habent in communi, perfectioni Evangelicæ non derogatur; immò hanc vitæ perfectionem à Chriſto Domino, & verbo, & exemplo nobis monſtratam, ac declaratam fuiſſe conſtat. Id quod Joannes XXII. in literis Apoſtolicis affirmavit, illumque hæreticum eſſe declaravit, qui Chriſtum Dominum nihil in communi habuiſſe diceret. Quæ ſanè ſententia Nicolao III., qui Salvatorem noſtrum, nec in ſpeciali, nec in communi aliquid habuiſſe declaravit, non adverſatur, ſi tempora diſtinguantur. Chriſtus enìm loculos aliquandò habuit, aliquandò verò non habuit; quæ profectò propoſitiones tanquàm ſubcontrariæ, non autem contrariæ, veræ eſſe poſſunt, ac reipsà ſunt veræ. Loculos nàmque Salvator Dominus ſuæ prædicationis initio non habuit, ut ait Nicolaus III., ſed parum antè quàm pateretur habuit, ut Joannes XXII. fatetur. Nemò igitùr eorum Pontificum ullo modo erravit. Nec Joannes Decreta Nicolai revocavit, ſed declaravit.

Joann. XXII. factum explicatur.

Nicolai III. dictum explicatur.

Subcontrariæ poſſunt eſſe veræ.

Nicolaus enìm hæc de Ordinis Minorum Fratribus dixit: Fratres Minores in rebus oblatis eis nihil juris, & dominii habent, niſi ſolum ſimplicem uſumfructum denudatum ab omni jure, & dominio, atque proprietate, tàm in ſpeciali, quàm in communi.

Joannes XXII. declaravit, hæc Nicolai verba debere intelligi in rebus, in quibus uſus à dominio, & proprietate ſeparari poteſt, velutì ſunt res immobiles, & multæ item mobiles; non autem in rebus, quæ uſu conſumuntur. Dixit etiàm Joannes, Fratres Minores jus utendi habere iis itèm in rebus, quibus utuntur; quod juxtà Nicolai placitum eſſe declaravit. Nec ob id, ut ait Joannes de Turrecremata, Nicolao præiudicium fieri credendum eſt; quià ipſemet Nicolaus in ſua Conſtitutione expreſsè ſcribit, ut Fratres in rebus circà eam dubiis ad Sedem Apoſtolicam confugerent.

Joann. XXII. dictum declaratur.

Turrecr. l. 2. cap. 112. ad 10. arg. in fin.

Adde etiam, quòd ſi abſquè Salvatoris noſtri præjudicio præceptum de non jurando Romanus Pontifex declaravit, dicens, juramentum in omni caſu prohibitum non fuiſſe; immò eos hæreticos eſſe ait, qui jurare nunquàm omninò licere dicerent; multò magìs Joannes Conſtitutionem Nicolai declarare potuit, non ſolùm in iis, quæ ad Fratres Minores attìnebant, ſed etiam aliis in rebus, quę nec ad fidem, nec ad bonos mores generalitèr pertinent; immò Decreta Prædeceſſoris ſui Pontifex, quippè qui in hujus generis rebus par in parem habet imperium, revocare, & mutare poteſt.

Concil. Conſtant. ſeſs. 8. & 45. Et lib. 2. Decretal. tit. 24. c. 26. ex Innoc. III.

Turrecr. ubi ſuprà.

Declaratio igitùr Joannis XXII. Conſtitutioni Nicolai III. non refragatur, nemòque illorum hac in re erravit. Si quis tamèn Summorum Pontificum in iis, quæ ſunt facti, vel quæ propria privatorum hominum facta reſpiciunt, erraret; error ille, vel facti, vel perſonalis foret; è quorum etiam numero illud eſt, quod de Ordine, ac ſtatu Fraticellorum à Cæleſtino V. præſtitum fuit, deindè à Bonifacio VIII. infirmatum, & viribus penitùs

Extravagant. Joan. XXII. Tit. 7. de Relig. dom. cap. Sancta Rom. Eccleſia.

Melch. Canus lib. 5. quæst. 5. conclus. 3. de Auct. Concil. Et Bañes in 2. 2. S. Thom. qu. 1. art. 10. dub. 8. Greg. Nunnius de opt. Reipub. statu lib. 3.

nitùs à Joanne XXII. evacuatum, ut in Extravaganti ejusdem Joannis videre est. Idem quoque de Ordine Baptistæ Cremensis tempore Pauli III. factum esse constat. Ordines enim (ut ait Melchior Canus) vel probare, vel refellere non ad ea pertinet, in quibus Papa errare nequit; quoniàm id non è scientia solùm, sed etiam è prudentia pendet humana. Nunquàm autèm Pontifex in fide, ut ajunt, judicialitèr erraret, etiamsi in fide malè opinaretur; idque dicitur propter assistentiam Spiritus Sancti à Christo promissam, quæ non personam privatam, sed Officium, aut Pontificiam Sedem respicit; opinio enim ad personam, judicium verò ad officium pertinet.

Turrecr. l. 2. Summ. c. 112. ad 6.

Judicium ad officium, opinio ad personam pertinent.

Quàmvis ergò aliquis unquàm Papa, non ut Papa, sed ut privata persona in fide malè opinaretur, nunquàm tamen opinionem hæreticam ob rationem assignatam judicialitèr diffiniret; quià, vel inspiratione internâ, vel morte intercedente; vel alio modo impediretur. Istùcipsum in Canonizatione, quæ est quædam fidei protestatio, aut professio, affirmandum omninò est. Si enim in Canonizatione Sanctorum Romanus Pontifex (ait Viguerius) faciat quod in se est, hoc est juxtà ritum, & consuetudinem Ecclesiæ, ac Sanctorum Patrum, sese gerat, errare, aut decipi nunquàm potest; immò Papa (ut inquit Bañes) in Canonizatione Sanctorum suâ potestate abuti non valet. Hæc de secunda dubitatione, ut tertiam, & ultimam aggrediamur.

Vigner. de virt. fid. ver. 4. n. 104.

Bañes ubi suprà.

DUBITATIO TERTIA.

De Catholicæ Ecclesiæ infallibilitate in Canonizatione Sanctorum.

CAP. XLII.

Multa corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in Inferno.

HÆc sanè verba quàmvis, modò sub Augustini, modò sub Gregorii Magni nomine circumferantur, quonam autèm libro apud ipsos Doctores inveniantur scripta, nemo est, qui narret, aut saltèm innuat; ea tamèn, quippè quæ vulgatissima sunt, & in ore ferè omnium versantur, & Ecclesiæ Catholicæ infallibilitati adversari videntur, hoc loco enotanda omninò censentur.

Dubitationis declaratio, & solutio.

Solutio I.

Vign. ubi suprà.

SUnt, qui sententiam nupèr propositam, quam ego apocrypham esse reor, de Ethnicis, quos Gentiles passim vocitamus, intelligendam velint, tùm ob heroicas virtutes, tùm etiam ob rerum gestarum monimenta, vel alias ob causas in Sepulchris, ac Statuis honorantur; quorum tamèn animæ in inferno absquè dubio cruciantur.

Solutio II.

Non desunt, qui de non canonizatis, sed de malis Christianis, qui sepulchris scitissimè structis, honorificisque Epitaphiis honorantur, sententiam commemoratam interpretandam esse dicant.

Solutio III.

Bellarm. to. 1. contr. de SS. Beatific. lib. 1. cap. 9.

Alii verò de Pseudomartyribus Donatistarum, qui ab Hæreticis tanquàm veri Martyres colebantur, quorum tamèn animæ in inferno reverà torquentur, dictam sententiam intelligendam opinantur.

Solutio IV.

Didac. Covar. l. 1. variarum cap. 10.

Exempl. de S. Hieron.

Covarruvias deniquè dictum illud de corporibus suppositiis, seù adulterinis explicandum censet; fieri enim potest, ut Sanctorum corporum, sivè reliquiarum sanctarum loco, aliis corporibus, seù reliquiis sceleratissimorum hominum fraudulentèr subst itutis, aut surrogatis, has illusiones, Ecclesia tot bellis, totque Tyrannorum injuriis, & iniquitatibus oppressa, patiatur. Ecclesia namque sancta Dei, ut exemplis, à Covarruvia in medium allatis, utar; Beatum Hieronymum tanquàm sanctum venerandum, & colendum nobis iàm proposuit; corpus tamèn illud, quod Sancti Hieronymi esse putamus, verè illius esse corpus, judicio suo Ecclesia non decrevit. Maximâ item veneratione Joannem Baptistam, tanquàm verè sanctum colendum esse diffinivit Ecclesia; caput tamèn illud, quod ejusdem Sancti esse credimus, Joannis Baptistæ indubitantèr esse, judicio Ecclesiæ statutum non est. Idem multis aliis Sanctorum corporibus, aut reliquiis ob dictas, & alias causas evenire posse putandum est. Hinc fieri tandem potest, ut in eorum, qui ab Ecclesia Sanctorum Catalogo adscripti sunt, locum, vel non Sancti, vel qui ex hac luce publico depravatæ vitæ testimonio discesserunt, ob idque in inferno cruciantur; fuerint vel fraudulentèr, vel fortuitò subst ituti.

Exempl. de S. Jo: Bapt.

Summa solutionum.

MIrandum itaquè non est, si multa corpora venerentur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno, ut initio recitata testatur sententia, quæ non ad corpora eorum, qui ab Ecclesia canonizati fuere, sed, vel ad Gentilium corpora, vel ad corpora malorum Christianorum, qui catalogo Sanctorum non fuerunt adscripti, vel ad Pseudomartyrum hæreticorum corpora, seù supposititia, vel adulterina referri debent; Ecclesiæ Catholicæ infallibilitate, seù infallibili certitudine, iis in rebus, quæ ad fidem, seù fidei professionem, aut protestationem, cujusmodi est Canonizatio Sanctorum, pertinent, ob assistentiam Spiritus Sancti à Christo Domino promissam perpetuò permanente.

Jejunia, & preces indicuntur.

Hùc insuper accedit, quòd antequàm aliquis Catalogo Sanctorum adscribatur, jejunia, & preces publicæ indicuntur, vitaque ejus, atquè miracula, uti suo jam loco diximus, diù, ac diligentissimè examinantur, testibus, & contestibus multotiès repetitis; magnâque inquirendi, ac judicandi maturitate, omnibus itèm rebus tàm dictis, quàm factis minutatìm examinatis, & velutì trutinâ judicii quadam expensis, atquè consideratis. Hinc credi non potest, ut Deus Ecclesiæ suæ

sanctæ

ſanctæ hunc in modum diſpoſitæ, ac præparatæ (quod ad divinam etiam providentiam ſpectat) non adſit, aſſiſtentia Spiritus Sancti eidem jam à Chriſto Domino promiſſa, quam in iis, quæ ad fidem, ſivè ad officium, aut Sedem Pontificiam, ut ait Joannes de Turrecremata, pertinent, cujuſmodi Sanctorum Canonizatio eſt, nunquàm defuiſſe conſtat; ſicùt enim aliis in rebus, nec ad communes Eccleſiæ univerſæ mores, nec ad fidem ſpectantibus, in quibus Pontifex errare poteſt, errores tandem ſunt aliquandò deprehenſi; ità in Canonizatione Sanctorum eveniſſet, ſi unquàm in ea fuiſſet erratum. Id quod tàm longo ſeculorum ordine nunquàm eveniſſe compertum eſt, ob peculiariſſimam Dei providentiam, cujus abundè magnum argumentum eſt, quòd fides, ab humanis teſtibus in hujuſmodi ſuſcepta judiciis, ut nuper diximus, nunquàm infirmata eſt.

Jo: de Turrecrem. lib. 2. Summ. c. 112. ad 6.

Viguer. Banes. Bellarm.

Pag. 135.

Si autèm in re tanti ponderis, ac momenti, quanti eſt Canonizatio Sanctorum, erraſi unquàm poſſet, Eccleſia Sancta Dei ludibrio, ac deſpectui foret; & à tartareis ſpiritibus irrideretur, ſiquos perpetuò cruciandos, tenebricoſoque carceri mancipatos, tanquàm Sanctos colendos, & invocandos proponeret; nàm ſi error hac in re daretur (id quod fieri haudquàquam poteſt) prætèrquam quòd non differret (ait Canus) diabolum coleres, an hominem condemnatum; Eccleſia intèr orandum, dum petitur, ut ſicùt illos Deus glorificavit in cælis, ità nobis gratiam largiatur in terris; pro benedictione imprecationem, ſeù maledictionem materialitèr, ut ſcholaſticâ utar voce, poſtularet. Quæ ſanè omnia, & alia id genus multa, quæ indè ſequuntur, tamquàm abſurda, & impia aures fidelium perhorreſcunt.

Melch. Can. lib. 5. cap. 5. q. 5. concl. 3.

Canus ubi ſuprà.

Eccleſiam idcircò Catholicam in Canonizatione Sanctorum errare non poſſe neceſſariò, & abſquè ulla hæſitatione fatendum eſt: Si enim (ut ait Cardinalis Bellarminus, & rectè quidem) dubitare liceret, an Sanctus canonizatus ſit Sanctus, an etiàm ſit colendus, & invocandus, dubitare liceret. Id quod falſum omninò eſt, inſolentiâ, & merâ inſaniâ plenum, cùm Sanctus Pater Auguſtinus inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe dicat, diſputare, an ſit faciendum, quod tota facit Eccleſia. Hinc Sanctus Bernardus de diebus feſtis in honorem Sanctorum colendis ait: *Ego, quæ accepi ab Eccleſia, ſecurus teneo, & trado.*

Card. Bellarmin. tom. 1. controv. l. 1. de Beat. Sanct. c. 9.

Aug. tom. 2. epiſt. 118.

Bern. ep. 174

De Catholicæ Eccleſiæ infallibilitate in Canonizatione Sanctorum Concluſio.

NEceſſariò itaquè, hoc eſt, nullâ penitùs hæſitatione, ſed firmâ fide credendum eſt, Eccleſiam Catholicam in Canonizatione Sanctorum nullo modo errare poſſe. Qui ſecùs diceret, aut crederet, temerarius, inſolentiſſimus, & irreligioſus, vel amens, aut impius foret, immò à ſuſpicione hæreſis alienus non eſſet.

Auctoris peroratio.

HÆc ſunt, quæ de Canonizatione Sanctorum mihi dicenda videbantur; quæ ſanè omnia judicio, correctioni, & auctoritati Sanctæ, & Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, quæ columna eſt, ac firmamentum veritatis, ſubjecta omninò eſſe volo. Si quid verò minùs rectè, minùſve prudentèr dixerim (utì facilè evenire poſſe fateor) cenſuram doctiſſimorum Virorum in hanc meam elucubrationem (imbecillitate humanæ naturæ perſpectâ) benignam fore confido. Si quid deniquè publicæ utilitati ad Eccleſiæ ſanctæ dignitatem, ac majeſtatem tuendam, & conſervandam, præſtiterim, omnipotenti Deo, bonorum omnium largitori, & Chriſto Salvatori noſtro, omnium Sanctorum effectori, & in Sanctis ſuis glorioſo, acceptum refero; & gratias ago Deiparæ Sanctæ, ac ſempèr Virgini Mariæ, Sanctiſque omnibus, quos pro divina ope in hoc de eorumdem Canonizatione Commentario imploranda ſupplicitèr, & enixè invocavi, quoſque in cunctis rebus meis invocatos ſempèr eſſe volo apud Deum immortalem, Creatorem, necnon Redemptorem, & Glorificatorem, cui laus, honor, & gloria in ſempiterna ſeculorum ſecula, Amen.

* * *

CÆRE-

CÆREMONIÆ

IN IPSA

CANONIZATIONE

OBSERVARI CONSUETÆ

Describuntur, ac declarantur.

CÆREMONIAS, quæ in Canonizatione Sanctorum observari solent, dum de præcipuis rebus, quæ Canonizationem jure admittunt, sermonem haberemus, rudi quadam Minervâ delineavimus, vel potiùs adumbràtim descripsimus, rerum ipsarum tàm ordine, quàm connexione id postulante; interjectio nàmque, nisi quod interponitur, breve sit, intellectum, Quinctiliano teste, impedit, ordinem item perturbat, & connexionem, sivè, ut ajunt, texturam confundit. Cæremonias itaque in ipsa Canonizatione observari consuetas hoc loco brevitèr describendas, explicandasque censuimus, ut nè quid scitu dignum, ad Canonizationis ritum pertinens, præsertìm verò iis, qui huic solemnissimo tantæ celebritatis actui nunquàm interfuerunt, aut nusquàm legerunt, penitùs ignotum, silentio prætermittamus.

Pag. 132.

Lib. 8. c. 1.

Eo die Canonizationi dedicato, utì suo jam loco diximus; pòstquam solemnissimâ processione, & longo quidem ordine, hymnis insuper, ac litaniis, aliisque sacrarum precum modulationibus, ad eam, in qua Canonizatio celebranda est, Basilicam, vel Ecclesiam, amplissimo apparatu ornatam, deventum est, Romanus Pontifex post preces Deo antè Altare oblatas, Solium suum edito loco situm conscendit, atquè indè tàm S.R.E. Cardinalium, quàm Prælatorum, qui vestimentis Ecclesiasticis induti sunt, obedientiæ munus recipit, Hac re tandèm præstitâ, Orator alicujus Principis, Canonizationem postulantis, vel Cardinalis in Oratoris locum aliquis cum Advocato ipsius Principis nomine, supplicitèr, &, ut ajunt, instanter Canonizationem postulat, Tùm Secretarius Pontificio nomine pro eâ re conficiendâ Deum obsecrandum esse respondet. Deindè Romanus Pontifex ad faldistorium descendit oraturus: interìm Litaniæ decantantur; quibus absolutis, Romanus Pontifex ad Solium redit. Iterùm, vel Orator, vel Cardinalis cum Advocato supplicitèr, &, ut inquiunt, instantèr, & instantiùs pro secundâ vice Canonizationem celebrandam petit. Secretarius itèm respondet, rem tàm gravem postulare, ut iterùm divinum auxilium imploretur. Hinc Summus Pontifex è Solio ad orandum antè Altare descendit; deindè S.R.E. Cardinalis Diaconus, qui Pontificis dextræ assistit, altâ voce dicit: ORATE. Ad hanc vocem taciti omnes genibus flexis Deum orant, quoadùsque alter S.R.E. Cardinalis Diaconus dicat: LEVATE. Voce hac pronunciatâ, surgunt omnes, & libro à Prælatis assistentibus allato, Summus Pontifex hymnum inchoat: *Veni creator Spiritus*, statimque cum aliis omnibus ad genuflexionem revertitur, & in ea permanètur, donèc primus decantetur Versus: quo expleto, Papa ad Solium redit. Hymno tandèm decantato, Cantores duo hunc decantant Versum: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. A cæteris verò Cantoribus respondetur: *Et renovabis faciem terræ*. Deindè Summus Pontifex è Solio hanc dicit Orationem:

Pag. 132.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: dà nobis in eòdem Spiritu recta sapere, & de ejus sempèr consolatione gaudere. Per Dominum. In unitate ejusdem Spiritus Sancti, &c.

Hac Oratione pronunciatâ, Orator Principis, vel Cardinalis cum Advocato, nomine itèm Principis supplicitèr, &, ut ajunt, instantèr, instantiùs, & instantissimè pro tertiâ vice Canonizationem celebrandam postulat. Tùm Secretarius, id, quod petitur, Romanum Pontificem, Deo favente, facturum respondet, Beati N. vitæ jàm innocentiâ, & sanctitate miraculorum splendore illustratâ, satìs abundè perspectâ.

His tandèm ritè præstitis, Romanus Pontifex in Solio sedens, pluviali, & mitrâ insignitus, Canonizationis Decretum pronunciat in eam verborum formam, quam suo jam conscripsimus loco, dùm de amplissimo Canonizationis apparatu, & cæremoniis in eâ observari consuetis, summàtim, vel potiùs adumbràtim mentionem faceremus; quas omnes amicorum hortatu hoc loco singulàtim apponere libuit, ut nonnulla scitu digna, quæ declaratione indigent, explicentur.

Pag. 132.

Decreto Canonizationis ritè, ac solemnitèr pronunciato, necnon Indulgentiis, quæ utì jam diximus, cum Decreto indicuntur, promulgatis, S.R.E. Cardinalis, vel Orator, & Advocatus, Principis nomine, debitas Romano Pontifici gratias agunt, Bullamque Canonizationis conficiendam supplicitèr postulant, Papâ respondente: DECERNIMUS. Ad hujus verbi pronunciationem, Advocatus Protonotarios, Notariosque præsentes rogare solet, ut ad perpetuam rei gestæ memoriam publicas tabulas curent conficiendas. Omnibus hisce rebus actis, ad spiritalem universæ Urbis, & Ecclesiæ lætitiam, & ad tantę rei gestæ venerationem declarandam, tàm in Adriani mole, nunc Arce Sancti Angeli nuncupatâ, quàm etiàm in Area Sancti Petri tormenta bellica, quæ Bombardæ vulgò appellantur, maximo planè numero displodi solent, ità verò, ut terribili boatu cælum crepitare, terra quati, ac tecta deniquè nutare videantur, clangore tubarum, sonituque campanarum, atquè organorum prævio.

Pag. 132. & 133.

Lætitiæ signum.

Intèr

Intèr hæc agenda Summus Pontifex ad laudes, & gratias Deo agendas, Hymnum, aut Canticum, cujus initium eſt, *Te Deum laudamus*, cantando exorditur; quem Chorus proſequitur. Hymno autèm completo, S.R.E. Cardinalis Diaconus cantando ait: *Ora pro nobis Beate N.*, & Cantores reſpondent: *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti*; Papa deindè Orationem de Sancto canonizato decantat. Poſt Orationem decantatam, S.R.E. Cardinalis Diaconus, Evangelium in Pontificia Miſſa cantaturus, altà voce ait: *Confiteor Deo omnipotenti*, & cætera in confeſſione dici ſolita, in qua poſt Sanctos Apoſtolos Sanctum canonizatum nominat, idemque in Abſolutione facit Papa; qui deindè, indulgentiâ, quæ in Abſolutione dari ſolet, promulgatâ, Tertiæ officium inchoat, eàndem Choro proſequente, dum veſtibus ſacris ad Miſſam Pontificiâ ſolemnitate celebrandam induitur.

De oblationibus in Miſſa Canonizationis fieri conſuetis.

TErtiæ officio expleto, Miſſæ ſacrum, vel de Sancto canonizato, vel de illa diei ſolemnitate, ſi quâ in die Canonizationis eveniat, ſolemni, ac Pontificio ritu cum commemoratione Sancti canonizati decantatur. In offertorio autèm tres S. R. E. Cardinales, qui in Canonizatione Judices olìm fuerunt, hoc eſt primus Epiſcopus, primus Presbyter, ac primus Diaconus Sacræ Rituum Congregationis, & Principis alicujus Canonizationem poſtulantis Oratores itèm tres, aut unus, vel aliquis Cardinalis in Oratoris locum à Papa electus, offerunt ea omnia, quæ in Miſſa Canonizationis offerri ſolent, myſteriis plena.

Primus Cardinalis offert duos cereos, & ſatis quidèm magnos; primus autèm Oratorum, vel aliquis in Oratoris locum Cardinalis, cereum unum, duaſque Turtures vivas in caniſtello aurato incluſas.

Secundus Cardinalis duos offert panes prægrandes; unum auratum, alterum argentatum; Orator, vel aliquis in Oratoris locum Cardinalis, alterum offert cereum, duaſque columbas albas vivas in caniſtello itèm argentato incluſas.

Tertius Cardinalis duos cados offert exiguos, vini plenos; unum auratum, alterum argentatum. Orator, vel Cardinalis in Oratoris locum, tertium offert cereum, & caniſtellum variis pictum coloribus, viviſque aviculis diverſi generis plenum.

Indulgentia in fine Miſſæ.

OMnibus hiſce rebus ritè oblatis, Summus Pontifex Miſſam maximè ſolemnem proſequitur cum cæremoniis, myſteriorum plenis, quas brevitatis causâ omittendas hoc loco cenſeo. Miſsâ tandèm completâ, S.R.E. Cardinalis Decanus plenariam Indulgentiam juxtà formam Eccleſiæ conſuetam omnibus illìc præſentibus indicere ſolet.

Panis, & vini, ac cereorum oblationes declarantur.

HÆc de cæremoniis, nunc de rerum oblatarum ſignificationibus ſupereſt dicendum. Omnia enìm, quæ in Canonizationis ſolemnitate offerri ſolent, myſteriorum plena ſunt, majorique ex parte à primitivæ Eccleſiæ ritibus ortum habent, ut in quarto Sanctorum Apoſtolorum Canone videre licet, ubi hæc leguntur verba: *Offerre non liceat aliquid ad Altare prætèr novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, ideſt, incenſum, tempore, quo ſacra celebratur oblatio.* Hæc in Canone, ubi primitiarum, vel novorum fructuum oblationes in primitivâ Eccleſiâ fieri conſuetæ commemorantur. Per animalia verò, quæ inibi offerri prohibentur, ſacrificia, quæ ex lege antiquâ per ſanguinem, & animalium cædem in templo fiebant, ut Balſamon interpretatur, vetantur, ſacrificiumque fieri jubetur incruentum, tribus jàm figuris, Biele teſte, adumbratum, priùs videlicèt in Abel; deindè in Abraham; poſtremò in Melchiſedech, qui cùm Sacerdos eſſet Dei altiſſimi, offerens panem, & vinum, noſtri ſacrificii ritum figuravit; & ſua perſona perſonam Chriſti, qui eſt Sacerdos, & ſacrificium, repræſentavit. Ad hoc itaquè Altaris ſacrificium à Melchiſedech in pane, ac vino adumbràtum repræſentandum, panis, & vinum in ſolemnitate Canonizationis offerri ſolent, quando ſcilicèt Summus Pontifex in Altari, panem, & vinum ante conſecrationem pro immaculatâ Hoſtiâ immolanda offert. Ad ejuſdem inſuper tanti ſacrificii venerationem præſtandam cerei cum pane, ac vino in eàdem Miſſæ parte, quæ *Offertorium* nùncupàtur, offeruntur, utì ex eo nupèr commemorato colligitur Canone. Turtures, atquè Columbæ albæ, aliæque diverſi generis aviculæ, in Miſſa poſt Canonizationem oblatæ ſacris itèm myſteriis non carent, utì oſtendemus, vanâ priùs Ethnicorum ſuperſtitione, in Imperatoribus intèr falſos, fictoſque divos referendis, explicatâ.

Can. Apoſt. juxtà veterè edit.

Theodorus Balſ. in Can.

Gabriel Biel, in Miſſæ Can.

Hebr. 9.

De origine, & antiquitate Canonizandi Sanctos.

ECcleſiæ primitivæ Patres, de Chriſtianâ Religione optimè meriti, ut vanas, & impias Ethnicorum ſuperſtitiones abolerent, atquè obliterarent, aliquot ſacra, & pia inſtituta, quaſi ſuperſtitionum antidota obſervanda decreverunt, ut in noſtro de ſacris Ritibus ad ſuperſtitiones extirpandas magnâ cum pietate inſtitutis, Commentario explicavimus, & diffusè quidem. Quæ ſanè omnia ſilentio, nunc prætermittenda ſunt, ut antiquam, & ſacram Canonizandi originem priùs demonſtremus, deindè vanam Ethnicorum de Imperatoribus falſos intèr Deos relatis ſuperſtitionem redarguamus. Hac re ſtàtim præſtitâ, ſacrum in Miſſa Canonizationis ritum offerendi aves, myſteriis ple-

Raban. l. 2. de Inſt. Cler. Alcuin, de offic. Eccl. Amal. lib. 3. cap. 43. Hildeph. ſer. de Purific. Innocen. III. ſer. de Purif. Dur. l. 7. c. 7. Rational. div. offic.

plenum, explicabimus, explicatumque comprobabimus, nè facer, ac pius Canonizandi ritus à superstitiosâ, & vanâ Imperatorum consecratione originem ullam habere credatur.

Quàmvis nonnulla, utì diximus, ad vanas, & impias Ethnicorum superstitiones abolendas in Ecclesia Dei fuerint introducta; Canonizatio tamèn Sanctorum, nunc fieri consueta, originem, aut potiùs imaginem quandam traxit ex variis Scripturæ Sacræ locis, dum in iis Ecclesia Sancta quorundam Patrum sanctitatem, egregiis exemplis illustratam, commendat, nobisque imitandam proponit, ut in Libro Ecclesiastici, & in Epistola Beati Pauli Apostoli ad Hebræos videre licet. Eorum autèm Canonizatio, aut festus dies (Machabæis, ob martyrium non pro Christo in Evangelio, ut Sanctus Pater Augustinus ait, revelato, sed pro Christi nomine in lege velato perpessum, exceptis) non celebratur; quià illi in tempore plenitudinis gratiæ, ut ait Viguerius, non fuerunt, sed ante Verbum incarnatum, eo scilicet tempore, quo nondùm in cælum ascendere poterant òb culpæ primi Parentis reatum lymbo inclusi. Priùs enìm, ut Sanctus inquit Gregorius ille Magnus, quàm Redemptor noster morte suâ, humani generis pœnam solveret, eos etiam, qui cælestis Patriæ vias sectati sunt, post egressum carnis, inferni claustra tenuerunt; non ut pœna quasi peccatores plecteret, sed ut eos in locis remotioribus quiescentes (quià nedùm interceſſio Mediatoris advenerat) ab ingressu Regni, reatus primæ culpæ prohiberet, quos tandèm Christus Dominus, dum in cælum ascenderet, secum duxit. Hinc Sancti Patriarchæ, ac Prophetæ omnes in Litaniis invocantur, multique ex iis in Martyrologio Romano gloriosè recensentur, & in aliquibus Christiani Orbis locis venerantur, è quorum numero itèm sunt, Job, Samuel, Hieremias, Symeon, Zacharias, & Moyses; horum enìm solemnia Venetiis præsertìm celebrantur, ibìque sunt templa Deo in eorundem memoriam, & honorem erecta. Zacchariæ autèm, patris Sancti Joannis Baptistæ, caput Romæ in Basilicâ Lateranensi magnâ veneratione asservatur, ac de eo divinum officium recitatur. Nonnulli verò, qui in Veteris Testamenti fine, ac Novi principio fuerunt, ab universali Ecclesiâ solemni coluntur festivitate, velutì sunt Anna, Genitricis Dei Mater; & Joseph Genetricis ejusdem Sponsus; necnon Deipara sempèr Virgo, quæ Christum Dominum, Sanctorumque Sanctum in utero suo gestavit, ac peperit; & Joannes Baptista, qui Christum digito demonstravit, & baptizavi

Eandem quoque Canonizationis formam in novo Testamento, præsertìm verò in Actis Apostolicis videre est, in quibus Sanctorum novi Testamenti gesta, sanctitatis plena, recensentur, & commendantur, nobisque imitanda proponuntur, eorundemque in cælo viventium festus dies celebratur. Hæc de sacrâ, & antiquâ Canonizationis imagine, quæ paulàtim juxtà temporum indigentiam, quæ nova sempèr consilia, novosque rei ejusdem gerendæ modos submini-strare solet, maiora in dies incrementa, majoremque in Canonizando industriam, ac solemnitatem suscepit, ut ex iis rebus, quas in quinto hujusce Commentarii nostri capite conscripsimus, videre licet. Nunc reliquum est, ut Ethnicorum error in consecratione Imperatorum, superstitione, ac vanitate plenus explicetur.

Pag.108.c.5.

Ethnicorum superstitio vanitatis plena explicatur.

EThnici nefarios sæpè homines, & multis sceleribus, flagitiisque respersos, ut Franciscus Penia, Rotæ Auditor, vir sanè eruditissimus, atquè utriusque juris peritissimus recte inquit, vanissimis superstitionibus in numerum falsorum Deorum referebant, eisque immeritos decernebant honores; Romanorum nàmque Imperatores, qui superstitibus filiis, vel successoribus ex hac vitâ decedebant, in ipsis funerum justis persolvendis, dum eorundem corpora cremabantur, intèr divos, ut Herodianus in Severianis exequiarum justis diffusè scribit, referri solebant, & inter eos relati dicebantur, cùm primùm Aquila, Imperatoribus dedicata, igni pyræ subjecto, ex intimo, aut extremo tabernaculo, tamquàm è fastigio quodam dimittebatur, quæ in cælum animam Imperatoris deferre stultè credebatur, sicùt idem refert Herodianus, atquè in variis Imperatorum cernitur numismatibus, in quibus non solùm hæc inscriptio legitur: CONSECRATIO, vel Deificatio, quàm Græci *Apotheosim* vocant; sed Aquila itèm, & pyra, seù affabrè facta lignorum congeries, ad ipsam superstitionem insinuandam repræsentantur. Quæ sanè res à Canonizatione ità abhorret, ut nullam penitùs affinitatem cum ea, utì ostendemus, habeat; immò qui alitèr diceret, aùt amens, aùt maledicus hæreticorum imitator censendus foret.

Cæremoniæ sacræ mysteriis plenæ.

QUàmvis itaquè dicta Ethnicorum intèr falsos, fictosque Deos, seù potiùs inter veros Dæmones relatio, mera superstitio, impietatis, & idololatriæ plena dicenda sit, quippe quæ stultitia illorum erat, qui sine veræ fidei, ac sine veri Dei cognitione vivebant, dæmonibus servientes; quique inanis gloriæ mancipia erant; quorum tandèm virtutes ad verum Deum non relatæ, ut Sancti Patris Augustini, utar verbis, vitia erant potius, quàm virtutes; immò tota vita, sicut idem Sanctus Doctor, & alii Theologi affirmant, omnesque actiones ad idola relatæ peccata erant; sacræ tamèn cæremoniæ Christianæ Religionis jàm in primitiva Ecclesia à Sanctis Apostolis institutæ, & à Sanctis Ecclesiæ Patribus, ac Romanis Pontificibus paulàtim auctæ, augustissimis myste-

Ecc.44.

Hebr.11.

S.August. ser. 109. tom.10.

Viguerius de vir.fid.n.104. ver.4.

S.Gregor. l.4. Moral. c.21. in cap.3. Job tom.2.

Act.3.5.6. & 7.

Aug.li.19. de Civ.Dei c.25. to.5. & to.3. li.sent. c.106. Ægid. lib.2. sent.d.41.ar.3 S.Th. 2.2. q. 10. ar.4. Viguer, li. de instit. Theol. c.3. §.7. v.5. de voluntat. hum. n.41.

mysteriis non carent, uti B. Dionysius Areopagita inquit, dum quanam ratione Sancti Apostoli cæremonias instituerint, in hanc docet verborum formam: *Principes nostri*, (hoc est Apostoli) *visibilibus signis cælestia sacramenta texerunt, & sub humanis imaginibus res divinas tradiderunt, & in materiali figura majestatem spiritualem repræsentarunt, ut pro modo, ac ratione captus nostri, figuris visibilibus, quasi adminiculas quibusdam ad mysteriorum augustiorem intelligentiam subvehamur.* Hæc Dionysius de sacris cæremoniis in Ecclesia sancta institutis, quæ sicut folia (Stapletonus in hunc Dionysii locum ait) arbores ornant, & cortex sustentat, quàmvis fructum non proferant; sicut etiàm ligna vitem sustinent, & sepes non nutrit plantas, sed servat; sic cæremoniæ externæ quamvis per se actus pietatis non sint, ad pietatem tamèn, ac religionem conservandam, atque fovendam mirum in modum conducunt: cæremoniis nàmque catholicæ Ecclesiæ visis, & auditis atque intellectis, homines ad pietatem excitantur, atquè ad fervorem accenduntur.

Dionys. Areopag. de Eccl. Hierarc. c. 2.

Turturum, & Columbarum oblationes explicantur.

TLlarum itaquè avium oblationes in Missa Canonizationis præstari consuetæ, ut eò, undè digressi sumus, revertamur, mysteriorum plenæ sunt, pium sensum aùt significatum foventes, & in se conservantes. Columba enim, quæ felle caret, Christi Domini, in cujus ore dolus non fuit, mansuetudinem significat. Turtur verò semper gemens, Christi gemitum in passione adumbrat. Cæteræ aves significatum Christo Domino, qui erat in cruce immolandus, congruentem non habent: hinc eas, & non alias aves, ait Tostatus, in sacrificio veteris Testamenti offerri Deus mandavit; Sacrificia enim, quæ in veteri Testamento fiebant, aliqua in Testamento novo facienda, præsertim verò Christum Dominum in cruce immolandum adumbrabant. Quòniam verò Sancti sunt imitatores Christi instàr Beati Pauli Apostoli dicentis: *Imitatores mei estote, sicut, & ego Christi*, qui Sanctorum Sanctus est, & Sanctorum effector; propterea turtures, & columbæ in Missa post canonizationem Sanctorum offeruntur ad ea insinuanda, in quibus Christum Dominum imitati fuerunt Sancti: è quorum numero sunt omnes, qui ea faciunt; quæ à suis imitatoribus facienda docet Christus hisce verbis: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Per sui ipsius abnegationem, fellis (ut ità dixerim) carentia insinuatur, hoc est, abdicatio pravæ vitæ, quam per fel. Origènes interpretatur. Per crucem verò præparatio animi ad perferendam crucem; vel afflictio corporis per abstinentiam; vel afflictio animi per commiserationem erga proximum significantur. Crucem abstinentiæ habuit B. Paulus dum diceret: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Crucem quoque commiserationis habuit dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Duo autèm sunt abstinentiæ genera: quorum unum, ut Maximus inquit Taurinensis, exercetur, si à potu, & epulis appetitus gulæ temperetur, & à delectationibus coerceatur, ac tandèm ab iis, quæ tactu, gustu, & visu decipiunt hominem, sensus viriliter revocetur, ac violenter abstrahatur. Alterum abstinentiæ genus est pretiosius, atque sublimius, si motus animi regantur, illiusque perturbationes modestiæ tranquillitate placentur; iræ item, ac superbiæ impetus quasi fera bestia refrænetur, quotidiè contrà vitia litigetur, ac veluti censurâ quadam, & austeritate virtutis, pugna denique quodam modo cum homine interiore conferatur. Hæc ex Maximo Taurinensi de duobus abstinentiæ generibus, in quibus Sancti canonizati sese exercuerunt, & imitatores Christi facti sunt.

Pag. 143.

Isa. 53.

1. Petr. 2.

Alphonsus Tostatus in c. 1. Levitici q. 43. in fin.

1. Cor. 4. & 11.

Matth. 16.

Luc. 9.

Orig. homil. 35. in Matth.

1. Cor. 9.

1. Cor. 11.

Max. de S. Io. Bapt.

Ex glossa morali in dictũ locum. Matt. 16.

Quæ sanè omnia si rectè perpendantur, in sui ipsius abnegatione, atquè in cruce perferenda consistunt; necnon ad columbæ fellis carentiam, ac turturis gemitum, ad eorumque significationes Christum insinuantes referuntur. Propterea Turtures, & Columbæ in Missa Canonizationis Sanctorum, qui Christi sunt imitatores, offerri solent. Hùc accedit pro veritate confirmanda, quòd columba est avis non solùm innocua, sed etiàm pudicitiæ, & viduitatis continentiæ symbolum, quia unam unus tantùm masculus novit. Hinc in rebus sacris, columbarum oblationem, ita nonnulli accipiunt, ut conjugii tàm firmi ratione habitâ, nos quoquè mentem stabili firmitate perseveraturam Deo, uti verò conjugi, ac sponso Christo sociemus. Origènes insuper citat Apostolum, qui de charitate loquutus, columbam protulerit. Sanctus item Cyprianus tàm vitæ sanctitate, quàm facundiâ clarus, in iis, quæ adversus Novatianum pro unitate, concordiâque piorum omnium de columba scripsit hisce verbis: Idcircò in columba venit Spiritus Sanctus. Simplex animal, & lætum est, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum. Hæc S. Cyprianus de colamba. Basilius item de mira turturis viduitatis continentiâ loquitur, dum de pudicitia, & vitæ continentia sermonem habet, eamque amplectendam docet. Hinc sacrarum literarum interpretes per turturem unamquàmque animam castitate præditam interpretantur, ac de tali anima illud Psalmi, *Turtur nidum invenit, ubi ponat pullos suos*, dictum volunt, hoc est, Ecclesiam invenit, piorum scilicèt cœtum, ubi virtutum genus omne appareret: per pullos enim virtutes intelliguntur. Hùc accedit, quòd per turturem, & columbam, ut Beato Hildephonso placet, duæ perbellè repræsentantur vitæ, activa scilicèt, & contemplativa: ambæ Sanctis congruentes, ac Deo gratæ: quià, ut ait S. P. Augustinus, ambæ innocentes, ambæ laudabiles: illa verò laboriosa, hæc ociosa; nulla tamen facinorosa, nulla desidiosa:

1. Cor. 11.

S. Cypr. c. 5.

Basil. hom. 8. Hexaem.

Hildeph. ser. de Purific. S. Mariæ to. 9. Bibl. SS. PP.

Psal. 83.

S. Aug. ser. 27. de Ver. Dom. to. 10.

Pier. Valer. l. 22. Hierogl.

Orig. tract. 20. in Matt. to. 2.

nàm per columbam gregàtim volare consuetam, vita activa, quæ multorum est; per turturem autem solivagum vita contemplativa, quæ paucis est imitabilis, insinuantur. Hildeph. ubi supra. Adde etiàm, quòd Beato Hildephonso Archiepiscopo Toletano teste, dictas aves, castitatem, & simplicitatem adumbrantes, in sacrificio veteris Testamenti offerri Deus mandavit, ut castissimâ Sanctorum simplicitate, quasi gratissimo sacrificio se delectari significaret. Mirum itaque nemini esse debet, si turtures, & columbæ præsertim albæ, quæ animi candorem, ac puritatem in Sanctis canonizatis insinuant, in Canonizatione Sanctorum offerantur, cum ea, quæ turtures, & columbæ significant, Sanctis, Deo gratis, tàm bellè conveniant.

Diversi generis avicularum oblationes explicantur.

ILlæ autèm diversi generis aviculæ ad Sanctorum tandem in cælum volatum innuendum, atque ad cælestia desideria in Deum directa insinuanda offeruntur, necnon advolare sinuntur. Sancti enim, variis virtutum, ac donorum generibus insigniti, piisque desideriis, atque affectibus elevati, volucribus cœli alta petentibus quodam modo assimilantur, quatenùs terram relinquentes, terrenique tâm operis, quàm desiderii expertes in Cœlum ascendunt. Hinc B. Hieronymus in parabola de volucribus cœli, & grano sinapis ab Evangelista Matthæo conscripta, per volucres cœli animas Credentium, vel Fortitudines, Dei servitio mancipatas, intelligendas esse affirmat. Id, quod etiàm S. Gregorius Magnus, & expressiùs quidem, ait, dum per volucres cœli animas sanctas intelligit: quæ quibusdam (inquit) virtutum pennis à terrena cogitatione se sublevant, volatumque sibi in cœlum parant, neque ipsa tandem aliquandò consequuntur.

Hier. l. 2. in c. 13.

Matth. to. 6.

S. Greg. l. 19. Moral. c. 1.

Turtures igitùr, & Columbæ, aliæque diversi generis aviculæ in Missa Canonizationis non sine mysteriis offerri solent, dum sub materialibus figuris, & imaginibus res divinas adumbrant, spiritualemque majestatem repræsentant, ùt rebus visibilibus, quasi adminiculis quibusdam, ad invisibilem, & augustiorem mysteriorum intelligentiam, sicut Beato Dionysio Areopagitæ placet, subvehamur; utque deindè ad eam mysteriorum intelligentiam subvecti, ad pietatem excitemur, atque ad fervorem accendamur; Sanctorumque imitatores effecti, divinâ, & sempiternâ in cœlo gloriâ tandèm aliquandò cum Sanctis perfrui mereamur. Amen.

Dionys. lib. Eccles. Hier. c. 1.

CATALOGUS
SANCTORUM

Quorum Canonizationes inveniri potuerunt.

ANNO 803.

SAnctus Switbertus Episcopus Werdensis, Carolo Magno Imperatore supplicitèr ejusdem Canonizationem postulante, Werdæ, Oppido imperiali; à Leone III. Pontificatus Anno VIII. solemnitèr in Sanctorum Confessorum numerum relatus fuit, magno, & Cardinalium, & Prælatorum adstante numero, Anno Domini 803. Sur. To. 2. prima Martii, ex S. Ludgero Episcopo Monasteriensi, & Usuardus.

ANNO 993.

S. Udalricus Augustæ Vindelicorum Episcopus canonizatus fuit à Joanne XV. Anno VII. Pontif. Anno Domini 993. Ex Bulla, quæ asservatur Romæ in Bibl. Patrum Congregationis Oratorii.

ANNO CIRCA 1032.

S. Simeon Monachus Treverensis in Sanctorum numerum relatus fuit à Benedicto IX. Annal. Trever. Sur. To. 3. & Card. Bar. in Martyrol. die prima Junii.

ANNO CIRCA 1012.

S. Stephanus primus Hungarorum Rex, qui eos ad fidem convertit, & S. Emericus ejusdem Regis Filius, à Benedicto IX. in Sanctorum numerum relati sunt Cardinalis Baron. 4. Novembris in Emerico. De iisdem Sanctis Martin. Pol., & Cromerus.

ANNO CIRCA 1049.

S. Wolfangus Ratisponæ Episcopus à Leone IX. dicitur canonizatus. Sur. To. 5. De eo Card. Bar. in Martyrol. Rom. die 31. Octobris.

ANNO 1052.

S. Gerardus Episcopus Tullensis ex Colonia Agrippina Anno Domini 1052. Pontificatus IV. canonizatus est ab eodem Leone, qui Episcopus Tullensis fuit. Sigeb. in Chron. Molanus 23. Apr. & Cæsar. Card. Bar.

ANNO CIRCA 1088.

S. Attilanus Episcopus Zamorensis ab Urbano II. in Sanctorum numerum fuit relatus. Molanus die 5. Octobr., & Martyrolog. Romanum.

ANNO 1130.

S. Hugo Gratianopolitanus canonizatus fuit ab Innocentio II. Anno I. Pontif. Salutis

lutis 1130. Sur. To. 2., & Card. Bar. die 1. Aprilis.

ANNO 1163.

S. Eduardus Anglorum Rex ab Alexandro III. Anno Pontificatus IV. canonizatus fuit Anagniæ, & Anno Domini 1163. Surius To. 1. die 5. Januarii, & Cardin. Baron. in Martyrologio.

ANNO 1164.

S. Bernardus Claræ vallis Abbas in Sanctorum numerum relatus fuit ab eodem Alexandro Anagniæ Anno Domini 1164. Pontificatus V. Ex literis Apostolicis, quæ extant in fine operum ejusdem Sancti. Et ex Bibloth. S. Petri Romæ.

ANNO CIRCA 1178.

S. Thomas Canturarienſis Epiſcopus, & Martyr clariſſimus, canonizatus fuit ab eodem Alexandro circa Ann. Domini 1178. Pontificatus XIX. Romæ. Sur. To. 6. & Card. Bar. die 29. Decembr. ex literis Apostolicis in Bibl. Vat. asservatis.

ANNO CIRCA 1181.

S. Galganus Eremita, Senis in Tuscia, canonizatus fuit, ut ait F. Gregorius ex Ord. Præd. ab eodem Alexandro III. circa Annum Domini 1181. sed quoad tempus hoc refellit Card. Bar. in Martyrol die 3. Decembris.

ANNO CIRCA 1183.

S. Bruno Cassinenſis, Epiſcopus Signinus, canonizatus fuit à Lucio III. Anno Dom. 1183. Pontificatus II. ex Bulla, quæ asservatur Romæ in Bibl. Patrum Congregationis Oratorii.

ANNO 1188.

S. Otho Epiſcopus Bambergenſis, qui convertit Pomeranos ad fidem, canonizatus fuit à Clemente III. Anno I. Domini 1188.

ANNO 1191.

S. Ladislaus Hungarorum Rex catalogo Sanctorum adscriptus fuit à Cælestino III. Anno Pontificatus I. Dom. 1191. Bonfinius de rebus Hungar., & Card. Bar. in Martyrol. die 27. Junii.

ANNO 1198.

S. Homobonus Cremonenſis Sanctorum numero adscriptus fuit ab Innocentio III. Anno I. Domini 1198. Ex literis Apostolicis. Sur. To. 6., & Card. Bar. in Martyr. die 13. Novembris.

ANNO 1204.

S. Procopius Bohemus canonizatus fuit, ut legitur in Surio To. 7. Anno Dom. 1204. quo anno vivebat Innocentius III.

ANNO 1226.

S. Laurentius Epiſcopus Dublinenſis Hibernus in Sanctorum numerum relatus fuit ab Honorio III. Reate Anno Pontificatus X. Salutis 1226. Sur. To. 6. Et literæ Apostolicæ.

ANNO CIRCA 1217.

S. Hugo Burgundus ex Ord. Carthuſ. Epiſcopus Lincolnienſis ab eodem Honorio III. canonizatus fuit Romæ. Sur. To. 6., & Molan.

ANNO 1228.

S. Franciſcus Ord. Minorum in Sanctorum numerum relatus fuit à Gregorio IX. Anno II. Perusii Anno Domini 1228. literæ Apostolicæ. S. Bonav. in ejus vita, quæ dicitur Legenda, To. 7. p. 4. c. 15., & Cardin. Baron. die 4. Octobr. Sur. to. 5. & alii.

ANNO 1232.

S. Antonius Lusitanus, de Padua dictus ex Ord. Minorum, canonizatus fuit à Gregorio IX. Anno Pontificatus VI. Spoleti Anno Domini 1232. literæ Apostolicæ. Sur. To. 3. & alii.

ANNO 1234.

S. Dominicus Ord. Prædicatorum Institutor, catalogo Sanctorum fuit adscriptus à Gregorio IX. Anno Pont. VIII. Reate Anno Domini 1234. literæ Apostolicæ. Sur. To. 4. & alii.

ANNO 1235.

S. Elisabet vidua, Andreæ Regis Hungarorum filia tertiaria Ord. S. Franciſci, canonizata fuit à Gregorio IX. Anno Pon. IX. Perusii. Anno Dom. 1235. literæ Apostolicæ. Sur. To. 6. & alii.

ANNO 1244.

S. Cunegundis Virgo canonizata fuit ab Innocentio IV. Pontif. II. Anno Dom. 1244. Lugduni. Quamvis fuerit Uxor Boleslai Principis, ambo tamen perpetuam voverunt continentiam. Mart. Cromer. lib. 8.

ANNO CIRCA 1248.

S. Edimundus Archiepiſcopus Cantuarienſis canonizatus fuit Lugduni ab Innocentio IV. circa Ann. Dom. 1248. Sur. To. 6. Platina Card. Baron. die 16. Novembris, & Catalogus Romanorum Pontificum, qui sese in Gallias contulerunt.

ANNO 1253.

S. Willelmus Epiſcopus Briocenſis canonizatus fuit ab Innocentio IV. ex literis Apostolicis Anno Pontificatus XI. datis. Sur. To. 4., & Card. Baron. in Martyr. die 29. Julii.

ANNO 1253.

S. Petrus Martyr Veronenſis ex Ord. Prædicatorum Perusii canonizatus fuit ab eodem Innocentio, Anno Dom. 1253. Pontificatus XI. Breviarium. Vincentius lib. 32. c. 103. in spec. Molanus item, & Platina; Bernardus in Chron., & Cæs. Bar. Card. die 29. Aprilis.

ANNO 1253.

S. Stanislaus Epiſcopus Cracovienſis, & Martyr, in Sanctorum numerum relatus fuit Perusii ab Innocentio IV. Anno Domini 1253. Pont. XI. Mart. Cromerus lib. 9. sub initium. Sur. To. 2. Breviarium, Platina, & alii.

ANNO 1255.

Santa Clara Virgo Assisii nata, ex Ord. Minorum, ab Alexandro IV. Anagniæ fuit canonizata Anno Dom. 1255. Pontificatus I. Sur. ad calcem historiæ To. 4. die 12. Augusti, & Martyrol. eàdem die, & Platina in Alex. IV.

ANNO CIRCA 1261.

S. Ricardus Epiſcopus Ciceſtrenſis in Anglia, canonizatus fuit ab Urbano IV. Card. Baronio in Martyrologio die 3. Aprilis. Et Bulla, quæ asservatur Romæ in Bibl. Patrum Congregationis Oratorii.

ANNO 1267.

S. Hedvigis Poloniæ Ducissa canonizata fuit Viterbii à Clemente IV. Anno Domini 1267. Pont. III. Martyrol. Rom., & Card. Bar. die 15. Octobr. Mart. Cromer. lib. 8., & Platina in Clem. IV.

ANNO 1296.

S. Ludovicus Francorum Rex, apud Urbem veterem in Sanctorum numerum relatus fuit à Bonifacio VIII. Anno Dom. 1296. Pont. III. Sur. To. 4. ex Gaufrido ejus confessario, & Histor. Ordinis Minorum, & Registro ejus in Basilica Vaticana.

ANNO 1311. VEL 1313.

S. Petrus de Morono, qui fuit Cœlestinus V. canonizatus est à Clemente V. in Gallia, Anno Domini 1313. Pont. IX. Sur. To. 3. die 19. Maii, Card. Bar. eâdem die, & alii. Sunt qui velint in Concilio Viennensi fuisse canonizatum. Vide Plat., & Bernardi Chron.

ANNO 1316.

S. Ludovicus ex Ord. Minorum Episcopus Tolosanus, Caroli II. Siciliæ, ut ait Platina, Regis filius, canonizatus fuit Avenione à Joanne XXII. Anno Pontif. I. Anno Domini 1316. Idem Plat. Sur. To. 4. Card. Bar. die 19. Augusti literæ Apostolicæ. Et Chron. & Hist. Ord. Bulla Canoniz. Bononiæ in Archivo S. Francisci asservatur.

ANNO 1320.

S. Thomas de Cantalupo Herphordiensis in Anglia Episcopus Sanctorum numero adscriptus est ab eodem Joanne XXII. Avenione Anno Domini 1320. Pont. IV. Surius To. 5. Plat., & Bulla in Bibl. Vat.

ANNO 1323.

S. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, ex Ord. Præd. Anno Dom. 1323. Pont. VII. à Joanne XXII. Avenione fuit canonizatus. Literæ Apostolicæ in Bibl. Vat. Sur. Tom. 2. Carzo l. 4. Platina, Brev. Rom., & Card. Bar. de Canoniz. S. Thomæ Aquin. die 7. Martii.

ANNO 1348.

S. Ivo Presbyter Britannus canonizatus fuit à Clemente VI. Avenione Anno Domini 1348. Pont. VII. Card. Bar. in Martyrol. die 19. Maii. Bibliotheca S. Petri in Lectionario MS. litera H. Sur. To. 3., & Bulla, quæ extat in Bibliotheca Vaticana.

ANNO CIRCA 1378.

S. Catharina Virgo, & vidua, filia Sanctæ Birgittæ, canonizata fuit ab Urbano VI. ut Molanus in Usuardum die 22. Martii scriptum reliquit. Vide Sur. To. 2.

ANNO CIRCA 1390.

S. Birgitta vidua, vulgò Brigida, ex Svetia, canonizata fuit Romæ in Basilica S. Petri à Bonifacio IX. Urbani VI. Successore Anno Pont. I. Dom. 1390. qui fuit tertius Jubileus. Sur. To. 4., & Card. Bar. die 23. Julii. Molanus eodem die, ac 7. Octobris, hoc est die canonizationis, de hac canonizatione Cæremoniale Rom. lib. 1. sect. 6. c. 2.

ANNO 1446.

S. Nicolaus Tolentinas ex instituto Eremitarum S. P. Augustini relatus fuit in Sanctorum numerum Romæ in Basilica S. Petri ab Eugenio IV. Anno Dom. 1446. Pontificatus Anno XVI. Ex hac vita decessit 1294. Mombritius To. 2. Sur. To. 5. S. Ant. p. 3. Bulla Canonizationis legitur in Vita ejusdem Sancti à Fr. Ambrosio Frigerio conscripta.

ANNO 1446. VEL 1151.

S. Bellinus Episcopus Patavinus, & Martyr, canonizatus fuit ab eodem Eugenio IV., Tabulæ Eccles. Pat. Bernard. Scardeonius l. 3. de antiquit. Patavii class. 13. pag. 311. Molan. in Usuard. 26. Novembr. Sunt qui eum ab Eugenio III. canonizatum velint, ut colligitur ex Scardeonio, qui Bellinum Anno 1149. Martyrem occubuisse, & biennio post catalogo Martyrum adscriptum fuisse, ait nisi numerum mendosum dicamus.

ANNO 1450.

S. Bernardinus Senensis ex Ordine Minorum canonizatus fuit Romæ in Basilica Sancti Petri à Nicolao V. Anno Jubilei 1450. Pontificatus IV. Sur. To. 3. Marcus Vlixiponensis Minorita lib. 2. Chron. ord. p. 3. c. 19. eoq. in lib. extant literæ Apostolicæ de canonizat. ejusdem Idem ferè scribit Fr. Petrus Rodulphus Tussian. Episcopus Senogallienſis lib. 1. hist. ord. pag. 90.

ANNO 1455.

S. Vincentius Valentinus Hispanus cognomento Ferrerius, ex Ord. Præd. canonizatus fuit Romæ in Basilica S. Petri à Calisto III. Anno Domini 1455. Pontificatus I. Sur. To. 2. Thesaur. concionum To. 2. Vincent. Justin. Antistius, Card. Baron., & Platina.

ANNO 1456.

S. Osmundus Anglus, Sarisberiensis Præsul regia stirpe clarus, inter Sanctos relatus fuit à Calisto III. Romæ in Basilica Sancti Petri Anno Domini 1456. Pontificatus II. ut scribit Matthæus Palmerius in Chron. idque etiam constat ex Inventario Sacrarii Sancti Petri, Anni 1456. manuscripto, in quo recensentur baldachina, & pallia Altaris Sanctorum, qui in eadem Basilica canonizati sunt.

ANNO 1461.

S. Catharina Senensis Virgo ex Ord. Monialium Sancti Dominici canonizata fuit in Basilica Sancti Petri à Pio II. Anno Dom. 1461. Pontificatus Anno III. Martyr. Rom. & Card. Bar. in Martyrol. die 29. April., & Bulla, quæ extat impressa.

ANNO 1476.

S. Albertus de Monte Drepani Siciliæ, Carmelita, canonizatus fuit à Sixto IV. die 30. Maii Anno Domini 1476. Pontificatus V. ex literis Apostolicis apud Sanctam Mariam Majorem datis, ut Patres ejusdem Ordinis affirmant; vel à Calisto III. Anno Domini 1457. ut ait Jo. Francisc. de Pavinis. Surius To. 4. die 7. Augusti, & Baptista Mantuanus Carmelita heroico versu lib. 8. de sacris diebus.

ANNO 1481.

SS. Berardus, Petrus, Otho, Accursius, & Adjutus, Martyres ex Ord. Minorum, fuerunt canonizati à Sixto IV. Anno Domini

1481.

1481. Pontificatus Anno XI. literæ Apostolicæ, Chron. ejusdem Ord., & Fr. Franciscus Gonzaga de Orig. Relig. Franc. p. 1. Surius To. 1. in quo extat Bulla canonizationis.

ANNO 1482.

S. Bonaventura Episcopus Card. Albanensis ex Ord. Minorum catalogo Sanctorum fuit adscriptus à Sixto IV. Romæ in Basilica Sancti Petri Anno Domini 1482. Anno Pontificatus XI. Ex Bulla Canonizationis, quæ extat in fin. 7. tom. operum ejusdem Sancti ex edit. Rom. Idem in Chron., & Hist. Francisc. & Sur. To. 4.

ANNO 1490.

S. Leopoldus Austriæ Dux, Friderico III. Imperatore postulante, canonizatus fuit Romæ in Basilica S. Petri ab Innocentio VIII. Anno VI. Salutis 1490. Joannes Franciscus de Pavinis lib. de Canoniz. ipsius Sancti. Sur. To. 7. die 15. Novembris, & Martyrol. Roman.

ANNO 1514.

S. Bruno Carthusiani instituti Auctor canonizatus fuit à Leone X. Ann. Dom. 1514. Pont. II. Sur. To. 5. ubi fit mentio de Canonizatione ipsius sancti carmine conscripta. Molanus, & Card. Bar. in Martyrol. die 6. Octobris Bulla canonizationis asservatur in majori prope Gratianopolim Carthusia.

ANNO 1519.

S. Franciscus de Paula ex Ordine Minimorum in Sanctorum numerum relatus fuit Romæ in Basilica Sancti Petri à Leone X. Anno Dom. 1519. Pontificatus Anno VII. Ex Bulla Canonizationis, quæ in To. 2. Surii extat.

ANNO 1519.

S. Beño Episcopo Misnensis canonizatus fuit ab Adriano VI. in die SS. Trinitatis Romæ in Basilica S. Petri Anno 1523. Pontificatus II. Surius To. 7. Onuphr. in Appendice, ad Plat., & Card. Bar. ex Bulla quæ asservatur in Ecclesia S. Mariæ de Anima.

ANNO 1523.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus ex Ord. Prædic. canonizatus fuit ab eodem Adriano VI. Anno Dom. 1523. Pontificatus II. Molanus, & Card. Baron.

ANNO 1588.

S. Didacus Complutensis ex Ord. Minorum in Sanctorum numerum relatus fuit Romæ in Basilica S. Petri à Sixto V. Anno Dom. 1588. Pontif. IV. ex Bulla canonizationis.

ANNO 1594.

S. Hyacinthus ex Ord. Præd. canonizatus fuit Romæ in Basilica S. Petri à Clemente VIII. Anno Dom. 1594. Pontif. III. ex Bulla canon.

ANNO 1601.

S. Raymundus ex Ord. Præd. canonizatus fuit ab eodem Papa ibid. Anno Pontificatus X.

Hæ sunt Canonizationes à Romanis Pontificibus solemnitèr celebratæ: cæteræ autem, quæ per paucæ creduntur esse, ob temporis angustiam inveniri non potuerunt: hunc enim cathalogum hoc loco colligere initio non statueram: quem tamen, studiosis vehementèr postulantibus, in lucem edendum curavi. De Sanctis in veteri, ac novo Testamento, & in sacro Missæ Canone celebratis jam satis dictum est. Quonam etiam ritu in primitiva Ecclesia Canonizationes fuerint præstitæ suo jam loco explicatum fuit. Quæ verò solemnitèr nostrâ tempestate fiunt, raræ sunt ob memorias interdùm deperditas, necnon ob multiplices probationum, aliarumque rerum difficultates, atque ob exactam diligentiam, & cauthelam, qua Ecclesia in approbando uti solet. Quæ planè omnia sine magno temporum intervallo, superatisque distantium locorum impedimentis, ac sinè immensis laboribus, atquè impensis fieri non possunt. Adde etiam quòd Acta Canonizationum morte vèl Summorum Pontificum, vèl Principum eas postulantium, intercedente, intermittuntur, ob idque nonnisi post longam temporum seriem, & maximâ quidèm difficultate revocantur, & excitantur. Hinc multis tàm vitæ sanctitate, quàm miraculorum splendore insignibus, honores, nondùm canonizatis dari consueti, supraquè commemerati, concedi solent vèl in aliqua Provincia, vel in aliquibus tantùm locis: è quorum numero sunt, ut cætera, & ferè innumera silentio involvam exempla, Vilnæ in Lituania. B. Casimirus Casimiri Regis filius, quem nonnulli canonizatum dixerunt; necnon Carolus Magnus Imperator, quem quàmvis Molanus in Usuardum à Paschale canonizatum fuisse dixerit, in Libro tamèn, qui Natales Sanctorum Belgii inscribitur, dictam sententiam revocando declarat, dum eum à Paschale schismatico canonizatum scribit: idquè legitimos deindè Pontifices non irritum feciſſe, nec tamèn habuisse ratum veluti a sancta emanatum Sede, addit: immò Cardinalis Ostiensis, & Joannes Andrea jurisperiti Carolum Magnum in sola Aquisgrani cappella, non autèm in aliis Ecclesiis ex tolerantia Ecclesiæ Romanæ venerari affirmant. Sed revera dictus Imperator nunc in variis Germaniæ, Franciæ, ac Belgii Ecclesiis propter erectas dioceses, aliaquè præstita beneficia colitur, ut ait Molanus: id quod vèl tempore Ostiensis, & Joannis Andreæ nondùm fiebat, vel ab iis fuit ignoratum. Sanctus itèm Rocchus, quamvis solemnis ejus canonizatio, qua modo Ecclesia utitur, celebrata non inveniatur, in Concilio tamèn Constantiensi Anno Dom. 1414. honoribus, qui Sanctis debentur, decorari cœpit: cùm enim Constantia nobilis Germaniæ Civitas peste mirum in modum laboraret, supplicationibus indictis, quibus Romanus Pontifex, & Patres Concilii omnes devotè interfuerunt, imago B. Rocchi, ut scribit Joannes Linus Tolosanus apud Remp. Venetam Anno Domini 1516. Orator, per totam Civitatem, ejus nomine invocato, solemnitèr delata fuit. Qua ex re paulò mox pestilens illa, & bacchabunda morbi diritas, tota penè referbuit, & evanuit. Hinc Patres

Pag. 135.

Pag. 133.

Vterq. in c. 1. de reliqu., & vener. SS.

Jo. Pin. in vit. S. Rocchi, & Grantzius li. 9. c. 25. in Metrop., & Baro. in Martyrolog.

Concilii ad propulsandam ingruentem luem, honores, qui Sanctis debentur, B. Roccho tribuendos tunc temporis decreverunt. Hinc deinceps imagines, altaria, sacella, templaque illius nomine erigi cæperunt, ejusdemque festum ad hanc usque diem ubique ferè locorum celebtatur. Ipsius posteà corpus Anno Domini 1485. Venetias translatum fuit, ubi Deo in honorem Sancti Rocchi templum celeberrimum constructum cernitur. In eodem item numero dignus est qui censeatur B. Andreas Ordinis Cermelitarum Episcopus Fesulanus, cujus spectatâ sanctitate, atque miraculis sub Eugenio IV. Pontifice moti quinque Cardinales eum se pro Canonizato habere acclamarunt, ipsequè Eugenius ei supplicationes, cæterosquè sacros honores Florentiæ tribui decrevit, quem, & ad hoc usque tempus Urbs illa, apud quam ejus corpus extat, summâ veneratione prosequitur, ejusdemquè canonizationem ab Apostolica Sede sæpius postulatam, sed variis casibus intermissam, assiduo pietatis ardore desiderat. Par denique studium Populi Romani in B. Franciscam, cujus dies festus concessu Pontificis Romæ celebris spem affert, eam brevi catalogo Sanctorum solemnitèr adscribendam. Hæc de Canonizatis, & nondùm canonizatis, hoc loco in gratiam studiosorum, penè obitèr attigisse sufficiat,

DE

DE CAMPANIS COMMENTARIUS

AD

SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM.

CCASIONE ſeſe mihi olim oblatâ ex caſu quodam in Sacra Congregatione Rituum examinando, hunc de Campanis Commentarium animi causâ elucubrandum ſuſcepi ; nunc autèm Eccleſiaſticorum Virorum, & omnium Chriſtifidelium commoditati, & utilitati in lucem edendum curavi. Quàmvis enim nomen Campanæ omnibus cujuſcumque Nationis, ac Linguæ vulgaritèr notum, parùm nobis polliceri videatur, ipſa tamèn Campana plus (ut ajunt) in receſſu, quàm in fronte promittit, ac deniquè præſtat, quippè quæ multa non minùs admiratione, ac ſcitu digna, quàm lectu jucunda, in ſe comprehendit, non quidèm vulgaritèr cognita, ſed paucioribus, ac ſtudioſis tantùm nota, ſicut Commentarium hunc legenti planum profectò fiet. Qui ergo hæc ſcire cupit, legere nè gravetur : Eum nàmque legiſſe fortaſſe non pœnitebit, ſi patientèr leget, materiâ ipsâ, de qua loquimur patientiam poſtulante, necnon ſolatium prætèr vulgi, & aliorum hominum non paucorum expectationem, tandèm aliquandò capiendum pollicente.

QUÆ-

QUÆSITA
IN COMMENTARIO
EXPLICANDA.

I. DE Sœculari, & Eccleſiaſtica inventione Campanarum antiquâ. pag.155
II. De multis, ac diverſis Campanarum nominibus, pag.157
III. De multiplici olim apud Ethnicos Campanarum uſu. pag.160
IV. De Ritu conſecrandi, aut benedicendi Campanas. pag.162
V. De conſecratione Campanarum. ibid.
VI. De cauſis conſecrandi Campanas, & de effectibus, ac nominibus earumdem. pag.163
VII. De Campanis conſecratis admiranda. pag.166
VIII. De Campanarum origine, quam à Tubis Veteris Teſtamenti in Eccleſia ſancta Dei habere cenſentur. pag.168
IX. De ſimilitudine intèr Tubas, & Campanas. pag.169
X. De diſſimilitudine intèr eaſdem. ibid.
XI. Diverſi Campanarum ſonitus undè naſcantur. ibid.
XII. De Muſico, & admirabili quidèm Campanarum concentu, & Inſcriptiones earumdem, necnon de Turrium earumdem præſtantiâ. pag.170
XIII. De Campanario, ſive de officio pulſandi Campanas in ſancta Dei Eccleſia, dequè ejuſdem officii præſtantiâ. pag.173
XIV. De multiplici Campanarum uſu in Eccleſia Dei recepto tàm ſcilicèt laicali, quàm ſacro. pag.176
XV. De uſu pulſandi Campanas pro Clero congregando, Populoque convocando ad officia divina, & conciones audiendas. ibid.
XVI. De Campanis in ſacrificio Miſſæ pulſandis. pag.177
XVII. De Campana in Veſpere, vel in Sero, in Mane, & in Meridie pulſari conſuetâ. pag.178
XVIII. De cauſis pulſandi Campanam in Veſpere, in Mane, & in Meridie. pag.179
XIX. De uſu pulſandi Campanas ad laudem, & gloriam Dei omnipotentis, & in honorem Sanctorum in diebus feſtis, & in ſacris proceſſionibus celebrandis, necnon in gratiarum actionibus. pag.180
XX. De uſu pulſandi Campanas pro Defunctis. pag.181
XXI. De uſu pulſandi Campanas ad improbas pluvias, vel tempeſtates expellendas. ibid.
XXII. De uſu pulſandi Campanas in alicujus magni Viri adventu ad Civitatem, &c. pag.182
XXIII. De multiplici uſu Campanæ in Eccleſia ſancta Dei, tàm horis diſtinguendis, quàm aliis Univerſitatum, Collegiorum, Scholarum, Communitatum, Cœnobiorum, Xenodochiorum, & Magiſtratuum commoditatibus deſerviente. pag.183
XXIV. De aliis Campanæ uſibus in Eccleſia ſancta Dei receptis. ibid.
XXV. De temporibus, in quibus Campanas pulſare non licet, & cur ità. pag.184
XXVI. De numero Campanarum tàm Clericorum Secularium, quàm Religioſorum Eccleſiis conceſſo, contentioſa intèr Eccleſiaſticos Viros prætenſione olim ſuborta de numero earumdem. ibid.

Vide pag.185.,& 186. res in cap.14.,& 18. hujuſce Comment.prætermiſſæ.

INDEX AUCTORUM,

Qui in Commentario citantur.

A

Alphericus à Rosate I. C.
Albuinus Flaccus Alcuinus.
Aldus Manutius Junior.
Alphansus Ciacconius.
Amalarius Fortunatus Archiepiscopus Trevirensis.
Apollodorus Athenienſis.
Arnaldus Wion.
Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis.
S. Athanasius Episcopus Alexandrinus.
S. Augustinus Doctor Ecclesiæ.

B

Bartolomæus Fumus Villaurensis.
Bartholomæus Platina.
S. Bernardus.
Burchardus Episcopus Wormacienſis.

C

Canonistæ diverſi in Libr. Decretal.
Concilium Claromontanum.
Concilium Colonienſe.
Concilium Lateranense.
Concilium Nicænum.
S. Carolus Borromæus.
Carolus Magnus.
Cæſar Baronius S. R. E. Cardinalis.
Cœlius Rhodiginus.
Columella.
Conradus Abbas Vrſpergenſis.
Cornelius Scultingius.

D

Dantes Poeta.
Decius Auſonius.
Dion Caſſius.

F

Fabius Paulinus.
Ferreolus Locrius.
Flavius Blondus Hiſtoricus.
Flavius Joſephus Judæus.
Franciſcus Guicciardinus.
Franciſcus Joannettus.
Franciſcus Petrarcha Poeta.
Franciſcus Sweertius.

G

Gabriel Flamma.
Georgius Braunius.
Gilbertus Genebrardus.
S. Gregorius Nazianzenus.
Gregorius IX. Pont. Max.
Guido Pancirollus.
Guillelmus Durandus.
Guillelmus Bernardus.

H

S. Hieronymus Doctor Ecclesiæ.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Curita.
Hieronymus Magius.
Hieronymus Mercurialis.
Horatius Poeta.

I

Jacobus Meyerus.
Jacobus Sprenger.
Innocentius III. Pont. Max.
S. Joannes Chryſoſtomus.
S. Joannes Damaſcenus.
Joannes XXII. Pont. Max.
Joannes Azorius.
Joannes Beleth.
Joannes Calderinus I. V. D.
Joannes Fungerius.
Joannes Grammaticus.
Joannes Zonaras.
Iſidorus Hyſpalenſis Episcopus.
Ivo Carnotenſis Episcopus.
Juvenalis Poeta.

L

Laurentius Surius.
S. Leo Papa.
Leonardus Vairus.
Lucianus Samoſatenſis.
Lucretius Poeta.
Ludovicus Arioſtus Poeta.

M

Martinus del Rio.
Martialis Poeta.
Melchior Hittorpius.

N

Nicolaus III. Pont. Max.
Nicolaus Reuſnerus.

Oldra-

O

Oldradus I. C.
Onuphrius Panvinius.
Ordo Romanus perantiquus.
Ovidius Poeta.

P

Paulus Merula.
Petrus de Nazaribus.
Petrus Gregorius Tholosanus.
Petrus Garsias.
Petrus Messias.
Plautus Poeta.
Plinius Secundus.
Plutarchus.
Polybius Historicus.
Polydorus Virgilius.
Pontificale Romanum.

Q

Quintilianus Rhetor.

R

Rupertus Abbas Tuitiensis.

S

Sigebertus Gemblacensis.
Silvester Giraldus.
Stephanus Durantus.
Strabo Geographus.
Svetonius Tranquillus.
Svidas Historicus.

T

Theodoretus Episcopus Cyrensis.
Tibullus Poeta.

V

Virgilius Poeta.
Vitruvius.
Vitus Amerbachius.

DE CAMPANIS COMMENTARIUS.

CAP. PRIMUM.

De Campanarum inventione, aut antiquitate.

DE Campanis nos verba facturi, occasione sese jàm nobis oblatâ in sacra Rituum Congregatione, ordine Naturæ servato, de Campanarum inventione sermonem primo loco habebimus,

Campanæ in toto orbe Christiano adhibentur, præsèrtim verò in Ecclesiis, & Monasteriis quibùscumque, nècnon aliis in locis, in quibus Hominum cœtus, aut conventus ad aliquam rem præstandam à Christifidelibus celebrari solet. Nàm Infideles, veluti Turcæ præsèrtim sunt, Campanis non utuntur, sicut etiàm Hieronymus Magius, qui captivus mansit apud Turcas, testatum reliquit in suo de Tintinnàbulis libello, quem, ut ipse ait, in Turcico ergastulo conscripsit. Immò, ut in Chronicis, & Historiis Turcarum legitur, Constantinopoli, tàm potentiæ, quàm divitiarum splendore clarissimâ, & antiquâ Christianorum Imperatorum sede, captâ; Campanæ omnes bombardarum usui (teste Magio) fuerunt destinatæ, etiàmsi Campanarum usus ad homines procul per Urbem dissitos in unum stàtim congregandos, nècnon ad singulas diei, noctisque horas indicandas utilissimus existat. Quàmvis enim in Turcarum Templis, quæ Meschitæ dicuntur, altissimæ Turres constructæ reperiantur, quæ Turres Campanariæ Christianorum esse videntur, in ipsis tamèn Turribus Campanæ non sunt; sed ex earùmdem Turrium fastigiis, vel summitatibus quidam mercede conducti, statis diei, ac noctis horis, magnâ, & sonorâ quidèm voce inclamantes ad Templa, sive Meschitas, homines convocare solent. Græci etiàm apud Turcas degentes, quippè qui Turcico Imperio subjecti sunt, Campanis carere jubentur, Campanarumque loco, Tabulâ quadam ligneâ, malleis duobus ligneis prænotatâ, quam *Symàndrum*, vel *Synàndrum* ab hominum cœtu convocando dictum appellant; & ferrea itèm lamina cum ferreo malleolo concinnata, quam Ἁγιοσίδηρον, *Hagiosiderum*, hoc est, sanctum ferrum, vocant, utuntur, dum nonnulli tamquàm Campanarii antè fores Templi in edito loco Populum ad Templum convocant, ut Hieronymus Magius dicto in libello scriptum reliquit. Campanarum autèm usum à Turcis vetitum esse Græcis, constat eòquòd Campanarum sonus nimiam securitatem, & auctoritatem præseferat, & valdè ad conjuratorum, aut seditiosorum animos, quàmvis longè, latèque dispersos, contrà Turcam de improviso congregandos existat idoneus. Turcæ verò, cæterique infideles Campanis non utuntur, vel dictam ob causam, vel ob hanc fortasse, ne scilicèt, Christianis extrà eòrumdem Imperium degentibus adsimiles in hoc saltèm ritu esse videantur, etsi, ut infrà diffusè dicemus, Campanæ apud Ethnicos erant olim in usu frequenti. Hinc Saladinus Ægyptius, vel Sultanus, idèst Ægypti Rex, vel Princeps, captâ Hierosolymâ, & Civitatem hanc ingressus, Campanas è Turribus dejecit, mòx Basilicas omnes, prætèr Salomonis Templum, prophanavit: ipsumque priùsquam ingrederetur, aquâ rosaceâ lavisse fertur. Hæc ex Platina in Urbano III., & Simonetta lib. 5. post Epistolam 81. in persecutione Urbani III. cap. 82., & Genebrardo in Chronicis, circà Annum Dñi MCLXXXVII. Turcarum exemplum imitantur Hæretici, ut etiàm hac in re Stephanus Durantus in primo de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ ait hisce verbis: *Sanè Huguenoti* [*vel Hugonistæ*] *& cæteri hujus sæculi Hæretici, Campanis bellum indixerunt: Eas enim frangunt, & comminuunt, Saracenos imitantes*, qui, *ut Platina in Urbano III. scripsit, captâ Hierosolymâ, Campanas in primis è sacris Turribus dejecerunt.* Hæc Durantus. Cornelius Schultingius in Hierarchica Anacrisi contrà Calvinistarum Ecclesiasticam Politiam pro Eupolitia Apostolicâ, & Canonicâ, in Synodis Calvinistarum, compulsationes Campanarum tempore sepulturæ defunctorum prohibitas omninò fuisse scribit. Turcæ quoquè, Auctore Cuspiniano, de Religione Turcarum, usum Campanarum nequàquam admittunt; Illisque etiàm ipsis Christianis, qui sub ditione eorum vivunt, prohibent. Hæc itèm Durantus. Quæ profectò, cum ita sint, Hæretici, ac Turcæ magnam similitudinem, & convenientiam habent cum Dæmonibus, qui sonitum Campanarum tantoperè abhorrent, ut infrà itèm dicetur. In solo igitùr Orbe Christiano Campanæ adhibentur; Quisnam verò in Ecclesia Sancta Dei Campanæ fuerit inventor,

Hieronymus Magius epist. Dedicat., & pag. 43.

Meschitæ quid.

Hagiosiderū, idest sanctum ferrum.

Hieron. Mag. c. 15. de Tintinnabulis.

Plat. Simon. & Genebrardus in chronic. lib. 4. ann. Dom. 1187.

Durant. lib. 1. cap. 22.

Cornelius Schulting. lib. 9. num. 47. & lib. 12. n. 47.

Cap. 21. Hæretici, ac Turcæ Dæmonibus adsimiles.

non

non satis constat, cum hac in re diversi diversa sentiant. Polydorus Virgilius in libro de Inventoribus rerum sexto, hujus generis inventum Sabiniano adscribit ità dicens; *Quòd Tintinnabulorum* [*hoc est, Campanarum*] *sono Populus invitatur, vocaturque ad sacra audienda statis diei horis, Sabiniani, qui Gregorio successit, hoc decretum est*. Hucusque Polydorus. Hoc item alii de Sabiniano affirmarunt, quorum è numero fuerunt Franciscus Petrarcha, & alii. Novissimè autem Onuphrius Panvinius in Epitome summorum Pontificum ità inquit de Sabiniano: *Hic Papa Campanarum usum invenit, jussitque ut ad horas Canonicas, & Missarum sacrificia pulsarentur in Ecclesia*. Hæc Panvinius. Quàmvis verò hujus generis inventum Sabiniano tribuatur ab iis, quos modò recensuimus; huic tamen sententiæ, aut opinioni adversantur verba Sancti Hieronymi, quem antè Sabinianum ducento circiter annos floruisse constat. Is enim in Regula Monacharum cap. 38. dum loquitur de matutino, & de modo recitandi officium divinum, facit mentionem de sonitu Campanæ in nocte hisce verbis: *Ad matutinas excubias, media nox vos præparet. Nullam ex vobis dormientem repetiat Campanilis sonitus*. Hæc S. Hieronymus, qui in capite trigesimo nono ejusdem Regulæ, postquàm verba fecit de horis vespertinis, de sonitu Campanulæ, sorores ad Ecclesiam post cœnam vocantis, loquitur hunc in modum: *Post peractam cœnam, vel si omittitur, post aliquam horulam juxtà exigentiam temporis ad Ecclesiam Sorores Campanula vocet; ubi vel de Sanctorum gestis, vel de aliis mirabilibus Dei lectio devota dicatur*. Ex his profectò locis usum Campanæ pro Sanctimonialibus in unum ad Ecclesiam convocandis tempore Sancti Hieronymi antè Sabiniani tempora fuisse apertè constat. Propterea censendum videtur, sententiam probabiliorem esse illorum, qui Campanæ inventum (quantum ad Ecclesiasticum usum) Paulino Sancto, & Episcopo Nolano adscribunt. Paulinus enim Sanctorum Augustini, & Hieronymi coætaneus fuit, sicut Epistolæ invicem scriptæ id ità esse testantur: immò, ut ait Trithemius, S. Augustini discipulus fuit. Adde etiàm, quòd Campanæ, à Nola ex præcipuis Campaniæ Urbibus una, cujus Episcopus fuit Sanctus Paulinus, *Nolæ* jàm dictæ sunt; & à Campania ipsa, Italiæ Provincia, *Campanæ* item ab omnibus præsens in tempus vocitantur. Nàm Sanctus Paulinus, Episcopus Nolanus, Campanæ usum primus in suam Ecclesiam invexisse creditur, atquè id ità esse vulgaris, aut communior docet opinio, quasi priori sæculo dictus Campanæ usus fuerit ignotus, vel potiùs in Ecclesiis ad ea usquè tempora non receptus. Priscis namquè sæculis etiam apud Ethnicos Campanæ in varios usus adhibitæ inveniebantur, sed sub aliis nuncupatæ nominibus, quæ infrà suo loco explicabuntur. Paulino igitùr nonnisi quantùm ad usum Ecclesiasticum Campanæ inventum adscribendum censetur. Sed quàmvis Campanæ usus à Sancto Paulino Episcopo Nolano in Ecclesiam fuerit introductus, sacra tamèn ligna pro Campanis adhibita, post quadringentos circiter annos pulsari quoquè solebant, ut videre est in secundo Concilio Nicæno, actione quartâ, in quo ex libello illi oblato de miraculis Sancti Anastasii Martyris, hæc de pulsatione lignorum leguntur; *Cum Sanctæ Civitati Reliquiæ sacræ appropinquassent, omnibus ea res fuit declarata, & significata. Itaquè lætitia magnâ perfusi omnes, surgentes subitò, Lignaque sacra pulsantes invicem, obviam facti sunt in veneranda Virginis Deiparæ Ædæ, quæ appellatur* Nova. *Illinc cum Cruce, & supplicatione egressi, læti, & gaudentes cum gratiarum actione sacris Reliquiis occurrerunt*. Hæc dicto in Concilio. Theodoretus item Episcopus Cyrensis, qui floruit circà Annum Domini CDL. mentionem facit de Tintinnabulis in libro 4. Hæreticarum Fabularum in capite de Meletianis, in Ægypto hæreticis in hæc verba: *Eâ ratione, tamquàm liberi, & sui juris Meletiani, illa quoque ridicula excogitaverunt, interdiù quidèm corpus aquâ mundare, cum plausu autèm manuum; & quadam saltatione hymnos concinere, & multa tintinnabula funi appensa movere, & alia his similia. Quâ de causa magnus ille Athanasius perpetuò cum eis bellum gessit*. Hæc Theodoretus de Tintinnabulis, vel Campanis Meletianorum, contrà quos pugnavit Sanctus Athanasius, qui floruit circà Annum Domini CCCLX. Adde intereà, quòd etiàm Sancti Hieronymi temporibus alio item signo Christiani ad Ecclesiam convocabantur, hoc est, ad synaxim, vel ad collectam invitabantur, quæ sanè collecta collectionem plerumque, aut Conventum, seu Aggregationem hominum significat in veteri, ac novo Testamento, ut etiàm Patres interpretantur. A Populi enim collectione, necnon à collectore Sacerdote, qui tamquàm ad Dominum pro Populo fungens legatione, omnium petitiones compendiosâ brevitate colligit, atquè concludit. Oratio jàm dici consuevit *collecta*; quæ etiàm eleemosynam, in Conventu, aut Aggregatione Christianorum pro pauperum alimentis collectam, significabat. De collecta igitùr pro Conventu, aut Aggregatione sororum Monialium in unum ad orandum sumpta, cæteris collectæ significationibus prætermissis, loquitur Sanctus Hieronymus in Epistola ad Eustochium Virginem, sive in epitaphio Paulæ matris ejus, hunc in modum; *Post* ALLELUJA *cantatum* [*quo signo vocabantur ad collectam*] *nulli residere licitum erat: Sed prima, seu inter primas veniens, cæterarum opperiebatur* [hoc est, expectabat] *adventum, pudore, & exemplo ad laborem eas provocans, non terrore*.

Quòd autèm antè Christi Domini, Salvatoris nostri, adventum in carne, usus Campanarum fuerit, scriptores diversi planum profectò faciunt, quorum è numero est Lucianus Samosatenus, qui vixit circà Annum Domini centesimum. Is enim dum Hippiæ Balneum describit, & miris laudibus commen-

Polyd. Virg. lib. 6. c. 12.

Onuphrius Panvinius.

Sabinian. an. Dom. 606.

S. Hieron. an. Dom. 422.

Tom. 9. pag. 628.

Anno Dom. CD.

S. Hieron. c. 39 pag. 632.

Paulinus inventor usus Campanæ in Ecclesiis.

Campanæ usus in Ecclesia primus auctor quisnam fuerit.

Campanarii usus varii, & nomina varia. Vide cap. 2. 3. & 11.

Anno Dom. 787. tom. 3. Conciliorum.

Concil. Nic. 2. act. 4. Baron. to. 1. ann. Dom. 58.

Theod. lib. 4.

Levit. 23. numer. 16. Deut. lib. 2. Paralip. c. 7. Hæbr. 19.

S. Hieronym. ep. 27. tom. 1.

Anno antè Christum natum 80.

Lucianus tom. 2. in Balneo anno Dom. C.

inendat, de duobus Horologiis dictum Balneum exornantibus, uno per Solem, altero per aquam, & sonitum, mentionem facit in hanc verborum formam: *Quin etiàm horarum geminis indictis idem Balneum exornavit; uno per aquam, & sonitum, altero per Solem.* Horologium. Hujus generis Horologium per aquam, & sonitum vidi ego Romæ ab Attilio Parisio utriùsque Juris consulto excogitatum, & fabricatum, Clementique VIII. Pontifici Maximo dono datum [quod *Hydrologium* dicitur] unicâ tantùm rotâ, & uno tantùm pondere sese devoluens, horarumque numerum demonstrat Campanæ sonitu: Illi autèm Balneo Hippiæ, [qui floruit circà tempora Luciani, ut infrà videre licet] non absimile in libello de Tintinnabulis Hieronymi Magii graphicè delineatum repræsentatur.

Hydrologiũ. Lucianus tom. 2. Hipp.

De Tintinnabulis, vel Campanis, quæ item *Æra*, *Pelves*, *& Lebetes* vocitabantur, ut infrà suo loco fusiùs videre est; mentionem fecerunt, Tibullus, & Ovidius, qui circitèr Annos 14. antè Christum natum; Quintilianus, Juvenalis, & Martialis circà Annos centum post Christum natum vixerunt. Tintinnabula tempore Augusti Imperatoris in usu fuisse ostendit Svetonius in ejusdem Imperatoris vitâ hisce verbis: *Cum dedicatam* [inquit] *in Capitolio Ædem Tonanti Jovi assiduè frequentaret, Augustus somniavit queri Capitolinum Jovem cultores sibi abduci, seque respondisse, Tonantem pro Janitore ei appositum. Ideòque mox Tintinnabulis fastigium Ædis redimivit, quod ea ferè januis dependebant.* Dio quoquè rem eamdem ità refert: *Augustus, orto die, Tintinnabulum Jovi Tonanti appendit: his enim Tintinnabulis Bannitores nocturni utuntur, ut fiquid usus sit, significare possint.* Hæc Dio, & Svetonius de Augusto, qui quinquaginta, & sex annos vixit in Imperio, & in ejusdem Imperii anno quadragesimo secundo ineunte natus est Rex Regum, & Dominus dominantium, Salvator noster Christus Jesus. Strabo Geographus, & Historicus de Tintinnabulis majoribus in varios rerum usus adhibitis loquens, rem quamdàm satis festivam, & auditu dignam in Jasso, Cariæ Insulâ, factam refert de quodam Citharædo, & Surdastro, dum Tintinnabulum homines ad mercatum invitaret. Strabo igitùr in quartodecimo Geographiæ libro ità inquit: *Cum Citharædus quidam artem ostentaret, audirentque eum Jassii omnes; quàmprimùm Tintinnabulum increpuit vendendorum piscium signum, illi omnes, relicto Citharædo, ad pisces delapsi sunt, præter unum Surdastrum. Citharædus itaquè propiùs ad illum accedens, ô homo* [inquit] *gratias tibi ingentes habeo, cum propter musicæ studium, tùm propter honorem erga me. Nàm cæteri quàmprimùm Tintinnabulum increpuit, omnes abierunt. Ille, quid ais, inquit; nùm jàm Tintinnabulum sonuit? Qui cum affirmaret; At tibi benè sit, inquit; & surgens ipse etiàm digressus est.* Hęc Strabo, qui floruit circà quartumdecimum annum antè Christum natum. De Tintinnabulo majori mentionem item facit Polybius historicus græcus, qui vixit antè Christum ducentos, & ampliùs annos. Quàmvis autèm ecclesiasticus, vel sacer Campanæ majoris usus (non ejus inventum) Sancto Paulino, Episcopo Nolano, adscribatur; prophanus tamèn usus ante Christum natum multis annorum centuriis cœpisse censetur: talis enim Campanæ usus, non solùm ad homines in mercatum convocandos, ut ex Strabone de piscium venditione cognovimus; verùm etiàm in Thermis, & in aliis Urbium locis ad varia olim munia apud Ethnicos, vel Gentiles fuit receptus, ut infrà suo loco explicabimus, dum de multiplici Campanæ usu sermonem habebimus. Quisnam verò inter eos fuerit Campanæ inventor, omninò ignoratur, ut ait Polydorus Virgilius, qui in tertio de inventoribus rerum libro cap. 8. multa cum vetera, tùm nova recensèt inventa, quorum inventores ignorari affirmat, & inter illa multa mentionem facit de tormento illo æneo, quod *Bombardam* vocant; de Organo, de Horologio, & de Campana, cujus tamen Campanæ inventum antiquissimum esse constat: nàm Moysis temporibus aliquem illius usum fuisse ostendit Josephus in tertio antiquitatum Judaicarum libro, in cujus capite octavo sermonem habet de Tintinnabulis; & in capite undecimo de Tuba, & de Campanula, necnon de Buccina cornu scilicèt recurvo, tubæ instàr inflari solito, & in sacrificiis adhiberi consueto, *cujus os tantùm* [inquit Josephus] *patebat quantùm ad inflandum sufficeret, desinebatque in extremitatem Campanulæ similem, quemàdmodùm Tuba.* Hæc Josephus, qui dum loquitur de buccinis, quibus apud Hebræos Plebs ad concionem vocabàtur, Principes ad consultandum de Republica exciebantùr, universus Populus convocabatur, & castra movebantur, mentionem facit de Campanula, quæ græcè dicitur κώδων: Josephus enim, etsi hebræus, græcâ tamèn linguâ judaicas antiquitates conscripsit, ut aliis nationibus res hebraicas promulgaret. Hæc de Campanæ inventore atquè antiquitate. Si autèm Campanæ inventorem minùs attigimus, id profectò in causa fuit, ut etiàm de se Polydorus affirmat, quod maluerimus paucis verbis certa tradere, quàm incerta persequi multis. Nunc reliquum est, ut rem secundo loco positam, hoc est, Campanarum nomenclaturam aggrediamur.

Ann. 14. antè Christum natum. Ann. C. post Christum natum. Sveton. in Augusto. Vide Dionẽ lib 54. Strabo lib. 14. Geograph. Anno 14. antè Christum natum Strabo. Polybius antè Christum natum 225. ann. Cap. 3. & 11. Polyd. Virg. lib. 3. c. 8. Bombarda, Organũ, Horologium, & Campana. Josephus li. 3. Antiq. c. 8. & cap. 18. Hieron. Mag. cap. 1. de Tintinnab.

CAP. II.

De Campanarum Nominibus.

CAmpanarum diversa sunt nomina ob diversas quidèm causas, quas in iisdem nominibus recensendis diligenter, quòad fieri à nobis poterit, explicare conabimur. Nomina verò, ut in Hieronymi Magii libello videre licet, sunt hæc:

Tintinnabulum.	*Æramentum.*
Petasus.	*Squilla.*
Codon.	*Crotalum.*
Nola.	*Signum.*
Lebes.	*Cloca.*
Æs.	*Campana.*

Tintinnabulum.

Intèr tot diversa Campanarum nomina *Tintinnabulum* primo loco sese nobis offert explicandum, tamquàm hujus generis nomen magis antiquum, ut vidimus; & Campanæ sonitum, quem *Tinnitum* vocant, perbellè repræsentans, ac propriissimè quidèm. Tinnitus enim est proprius metalli sonitus. Hinc Plinius in undecimo naturalis historiæ libro de Tintinnabuli proprietate, & metalli sonitu ità inquit: *Apes gaudent plausu, atquè tinnitu æris, eòque convocantur.* Tintinnabulum igitùr est æneum instrumentum, quoad thermas, vel balnea, loca aquas habenti, aut sponte naturæ calentes, aut fornace calefactas, fudandi, lavandivè usibus deputata, Populus horâ lavandi antiquitùs convocari solebat: Turri enim, vel alicui loco edito imponebatur, ut ejus tinnitus procùl audiretur, ac perciperetur, juxtà illud Plinii in trigesimo sexto ejusdem historiæ libro dicentis: *Pyramides ità fastigiatæ, ut in summo orbis æneus, & Petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis Tintinnabula, quæ vento agitata longè sonitus referrent, ut Dodonæ olim factum.* Hæc Plinius. Est autèm Tintinnabulum nomen factitium, à sonitu, vel tinnitu, quem edit dum pulsatur, ità vocitatum. Illud verò, *Bulum*, in voce, *Tintinnabulum*, nihil omninò significat, sed est quædam vocabuli productio, ut ait Hieronymus Magius, vel desinentia, ut videre est indictione, *Prostibulo*, *Incitabulo*, *Mendicabulo*, *Vocabulo*, *Mandibula*, & in cæteris hujus generis vocum desinentiis, quas in ipsis vocibus nihil significare constat. Nàm sicut à voce Bovis *Boatus*, & à voce ovis *Belatus*, vel *Balatus* dicuntur, aut formantur, ità à sonitu Campanæ illo, *Tin*, *Tin*, dum pulsata tintinnere, sive tintinnàre auditur, Tintinnabuli nomen Campana sibi sortita olim fuit: Tinnitus enim propriè de metallis dicitur: Tinnit namquè aurum, argentum, æs, ferrum, stannum, orichalcum, & cætera hujusmodi. Hinc locus ille, quem in aulis Principum vulgò *Tinnellum*, prandio scilicèt, ac cœnæ aulicorum destinatum, vocant, à Tintinnabuli forsàn tinnitu nomen sibi sortitus est, quasi *Tintinnellum*, mediâ syllabâ per syncopem detractâ dicatur, ut Aldo juniori, viro sanè politioribus literis, & ingenii perspicacitate ornato, placet. Hujus verò generis tinnitum, pluribus rebus, aut usibus deservientem, in utriùsque sexus Monasteriis observatum esse constat.

Plin. lib. 11. cap. 20. Virg. lib. 4. Georgicorũ, & Varro lib. 3.

Plin. lib. 36. cap. 13.

Tintinnabulum unde dicatur.

Aldi junioris opinio.

PETASUS.

Petasus.

Petasus item ab antiquis pro *Campana* sive pro *majori Tintinnabulo* sumi consuevit, & à galeri, vel pilei latioris formâ, & similitudine ità nuncupatus fuit. De hoc ipso Campanæ nomine mentionem facit Plinius in loco nupèr laudato, aut citato.

CODON.

Codon κώδων, vox græca est, & à græcis pro *Tintinnabulo* usurpata, & ab hac voce tractum est verbum codonizo, κωδωνίζω, quod est tinnire, aut crepitaculum sonare. Propterèa Hieronymus Magius ait: *Codònes dicuntur eo, quòd dum moventur, sonum, & quasi cantum edere solent, græcâ* [inquit] *ut par est, etymologiâ, testantur Joannes Grammaticus in libros Aristotelis de Anima, & Svidas in Lexico suo, sive collectaneis; vel potiùs à forma, & similitudine capitum plantæ papaveris, quæ Codonum voce à græcis significantur, Codònes dici Tintinnabula, aliquis non sine ratione fortasse contendet.* Hæc Magius.

Hieron. Mag. c. 1. de Tint.

Jo: Grammat.

Suidas.

NOLA.

Nolæ quoquè nomine, *Campana* olim vocitabatur; sed cur ità diceretur, non sàtis constat, etiàm si nonnulli Campanam dictam fuisse *Nolam* crediderint à Nola Civitate Campaniæ mediterranea, cujus Episcopus fuit Paulinus, qui primus usum Campanæ in Ecclesiam suam, uti jàm diximus, invexisse creditur. Sed hujus generis etymologia, sive Nolæ origo esse non potest: Nàm antè Paulinum Episcopum Nolanum, de Nola pro Campana mentionem fecit in oratoriis institutionibus Fabius Quintilianus, qui Domitiani Imperatoris ætate circà Annum Domini nonagesimum floruit. Is enim in capite ultimo libri octavi affert in medium tritum illud, & antiquum proverbium: *Nola in cubiculo.* Quam rem proverbialem pro Campana proverbialiter sumpta intelligendam esse censet Cælius Rhodiginus hisce verbis; *Conjecturâ ducor esse hoc prolatum in garrulum, desidentem dies totos domi, & nugali verborum futilium importunitate, & copiâ exundanti, de tinniente, ut obstrepèra loquacitate, uti pica, verbosiare obsurdescerent aures, ac veluti Tintinnabulo convulnerarentur. Vel* [*quod magis arridet*] *eos intelligamus, qui domi quidèm, & in cubiculo, ubi silentii esse usum, Varro scribit, fluenta verborum promunt; in foro autèm, ubi civili eloquentiâ gloriam sibi comparant viri præstantes, ut testis comprobat Homerus, aut in Senatu, altero ingeniorum theatro, penitùs consilescunt, fiuntque* [*quod Græci dicunt*] *etiàm piscibus magis muti. Nolam siquidèm pro Campana dici observavimus;* Hæc Rhodiginus. Nolæ igitùr nomen pro Campana etiàm antè Paulinum Episcopum Nolanum annos circitèr trecentos usurpatum fuit. Adde etiàm pro majori antiquitate hac in re comprobanda, quòd quamvis Paulinus usum Campanæ in Ecclesiam suam primus invexisse credatur, Gennadius tamèn in additamento ad Sancti Hieronymi librum de viris illustribus, de Paulino loquens, nihil tale (ut rectè ait Magius) de ipso refert; quippe qui Nolæ, pro Campana sumptæ, usum, & nomen antè Paulinum fuisse non ignorabat. Turris autèm illa, cui Campanæ imponuntur, & *Campanile* à Campana deductum italicè vocitatur, *Nolarium* [quod *Campanile* vulgò in Italia vocitatur] à Nola sumpta *pro Campana* derivatum, dicebatur, ut ex inscriptione marmore incisâ tempore Urbani

Pag. 157.

Quintil. lib. 8. cap. ultimo.

Proverb. de Nola.

Cæl. Rhod. lib. 19. cap. 11. antiq. lect.

Magius c. 1. de Tintin.

ni IV. Anno Domini 1262. constat. Id quod videre licet in pavimento Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Oppidi Marini Columnensium non procul ab Urbe Roma. Inscriptio legitur in hanc verborum formam:

IN NOMINE DOMINI AMEN
ANNO DOM. MCCLXII.
ANNO VERÒ PONTIFICATUS DOM.
URBANI IV. PAPÆ
OPUS HOC NOLARII.

A teste vetustissimo, & nobilissimo Patavinæ Diœcesis Municipio in campanili majoris Ecclesiæ ad partem exteriorem, Cœmeterium versùs hæc marmore incisa leguntur:

ANNO DOM. MCCLI. INDICT. NONA
DE MENSE MAJI DESTRUCTUM FUIT
NOLARE QUOD HIC ERAT JUSSU
ECCELINI DE ROMANO.

IN MCCXCV. INDICT. OCTAVA
DIE XII. APRILIS CÆPTUM FUIT
REHÆDIFICARI PER COMMUNE
ESTENSE.

LEBES.

LEBES, vas æneum est, in quo igni apponitur aliquid, ut ebulliat. Quòniam verò *Lebetes*, vel *Lebeta* ex ære fiunt sicut etiàm Campanæ, & quamdam campanarum formam satis bellè repræsentare videntur, hisce de causis Campana *Lebetis* nomen vulgò interdùm sibi sortita invenitur: immò ab ære dodonæo, ære optimo, *Lebeta*, ut infrà videre licet, *dodonæa* dicta fuerunt.

ÆS.

Æs Dodonæum quatenùs valdè resonans, pro *Campana* usurpatum fuit; Dictum est autèm *Æs Dodonæum* à Dodona Civitate in Chaonia Epiri Regione, juxtà quam propinquum erat nemus Jovi sacrum. Hinc *Jupiter Dodonæus*. Propterèa Virgilius *Lebetes, vel Lebeta Dodonæa* ab ære optimo, ceù corinthio tamquàm præstantissima ità nominavit. Ausonius autem *Æs*, vel *Ahenum Dodonæum*, proverbialitèr dictum sumens, ad proverbium, quod in homines garrulos, vel justè loquaciores dici consuevit, alludit in hæc verba:

Virg. lib. 3. Æneidos.

Decius Ausonius.

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni.

Æs enim Dodonæum, proverbialitèr sumptum per translationem, aut per allusionem ad hominem garrulum dicitur, quasi tintinnabuli quoddam genus die, noctuque continuò crepitans. Æs igitùr Dodonæum absolutè, ac propriè sumptum pro *Campana* usurpatum fuit.

ÆRAMENTUM.

ÆRAMENTUM *ab ære* derivatum, quod est ex ære fusum, veluti est ferramentum ex ferro factum. Campanæ nàmque varia sibi sortitæ sunt nomina juxtà varias earum formas, aut sonum, & juxtà varias hominum considerationes apùd diversas nationes.

SQUILLA.

SQUILLÆ ad hanc usquè diem *Campanulæ*, sive parvę *Campanæ* in Italia nominantur, ut videre licet apùd Stephanum Durantum, & Guillelmum Durandum, & alios. *Squillę* vocabulo, pro *Campana* sumpto, usus est Franciscus Petrarcha in suis vernaculis cantionibus hisce verbis:

Steph. Durantus lib. 1. de Ritibus c. 22. & Guill. Durand. lib. 1. c. 4. Petrarcha.

E non sonò poi Squilla.
item
Nè senza Squilla si comincia assalto
item
A Nona, à Vespro, all'Alba, & alle Squille.

Eòdem quoquè ipsius Squillæ vocabulo usi sunt Dantes Aldigerius, & Ludovicus Ariostus suis in scriptis non semel. Quænam verò vox illa sit, nemo explicat, nisi Hieronymus Magius, qui opinatur illam è Gallia esse desumptam: Indè apud nostrates verbum, *Squillare*, ortum fuisse ait. Sed in dictionariis Gallicis hujus generis vox non invenitur, & à viris Gallis, & quidem eruditissimis talis vox Gallica esse omninò negatur. Quàmvis autem apud Latinos Auctores, & quidem antiquos nomen *Squillæ* pro quodam herbæ, ac piscis genere inveniatur; quid tamèn talis vox pro *Campana* significet, non satis constat, nisi verbum *Squillare*, apud Italos pro sonitu quòdam peracuto, *à Squilla* ipsa, *Campanula* scilicèt peracute sonante deductum, sumi solere dicamus: Squilla enim talem sonum edere solet.

Dantes, & Arioftus.

Magius c. 1. de Tint.

CROTALUM.

CROTALUM item pro *Campana* sumebatur apud antiquos; Græcè autem Κρόταλον, *Crotalon*, quod latinè *Crepitaculum* vocitatur, à crepitu dictum. Quarè à Columella *Crepitaculum* nuncupatum fuit, & à Lucretio diminutivi forma *Crepitacillum*, quod erat ex ære, vel ex ligno, aliâvè materiâ ità concinnatum, ut efficere sonum valeret, siquis manu versaret. Undè per metaphoram *Crotalus* dicebatur ille, qui linguâ expeditiore, ac voce sonanti, ac prepè tinnulâ, quique loquacitate sua neminem non obtundit.

Columella; Lucretius.

SIGNUM.

SIGNUM item appellatur *Campana*, ut in libro perantiquo, qui *Ordo Romanus* nuncupatur, videre licet. Id quod etiàm videre est apud Ivonem parte 4. cap. 45., & libro 2. Pannormiæ cap. 184., & Burchardum lib. 13. cap. 12. necnon Amalarium Fortunatum de divinis officiis cap. 1. & alios. Istùcipsum legitur in tertia decreti parte, distinctione primâ de consecratione, capite quinquagesimo, & ex concilio Cabilonensi descriptum citatur. Campana verò dicitur *Signum*: quia sonitu illius datur signum, sive indicium faciendi aliquid in Ecclesia, sive in aliis locis, in quibus pulsatur Campana.

Ordo Romanus. Ivon. p. 4. c. 45. & lib. 2 Pann. c. 184. Burchardus lib. 13. cap. 12. Amal. de div. officiis cap. 1.

CLOCA.

CLOCA etiàm Germanico vocabulo appellatar *Campana*, ut videre est in capitulari Caroli Magni, ubi legitur: *Clocæ non*

Caroli Magni Capitulare.

sunt baptizandæ, Gallicè itèm Campanæ vocitatur *Cloches*; & quod ab Italis *Campanile*, vulgò dicitur, à Gallis *Clocher d'Egliſe* appellatur, hoc eſt, *Campanarium*, vel *Campanile*, ſive *Campanaria turris Eccleſiæ*. Campanula verò gallicè *Clochette* vocitatur. Hæc ex libro primo Stephani Duranti capite 22. de Ritibus Eccleſiæ, necnon ex dictionario Petri Canalis gallicè, & italicè conſcripto.

CAMPANA,

CAMPANA denique *à Campania* Italiæ Regione, ſicut *Nola pro Campana* ab ipſa, ejuſdem Regionis *Nola*, Campaniæ Civitate, ita vocitata, nomen traxiſſe creditur, præſertim verò propter æs Campanum, cui Plinius palmam tribuit, cum ex eo, & ollæ, ac lebetes ænei, & Campanæ conflentur: Æs nàmque Campanum optimum intèr omnia æris genera eſſe cenſetur, ut ait Iſidorus in decimo ſexto Etymologiarum, ſive originum libro, in quo etiam Campanam ab eàdem Regione Italiæ nomen accepiſſe ſcribit. Iſtùc ipſum Joannes Fungerus in Etymologico trilingui ſcriptum reliquit. *Campana* igitùr ità vocitata nomen ſibi ſortita cenſetur *à Campania*, vel ab *aliqua Civitate Campaniæ*, ſive ſit Nola, ut alii volunt; vel, ut Magius ait, Temeſa, ſivè Tempſa æris fodinis olìm nobilitata. Quarè ob æris dicti loci, ut diximus, præſtantiam, æra quaſi per antonomaſiam *Temeſæa* dicebantur, ut ex libro quinto Faſtorum Ovidii patet dicentis: *Temeſæaque concrepat æra*. Eamdem itèm ob cauſam, æris videlicèt Campaniæ vim, aut excellentiam, *æs Campanum* antonomaſticè dicebatur. Cùm autèm *Campanæ* vocabulum antè Sancti Hieronymi ætatem in antiquis Scriptoribus non reperiatur, eam gothicam eſſe vocem, vel ab Artifice Campanarum præcellente, cùm frequens Campanarum uſus in Eccleſiis eſſe cœpiſſet, Campanam dictam fuiſſe Magius opinatur; ſuum tamèn hac in re cuique judicium liberum eſſe, ait. De Campanarum nominibus hæc dicta ſufficiant. Nunc reliquum eſt, ut rem tertio loco de multiplici earùmdem uſu propoſitam, nos tandèm aliquandò explicandam aggrediamur.

Iſidorus lib. 16. c. 19. & 24.

Jo. Fung. in voce Campana.

Hier. Mag. c. 15 de Tint.

CAP. III.

De multiplici Campanarum uſu apud Ethnicos.

NOs multiplicem Campanarum uſum explicaturi, priùs videbimus, quibus in rebus Ethnici Campanas adhibere conſueverint; Poſtremo autèm loco multiplicem earumdem uſum apud Chriſtianos tàm ſæculares, quàm Eccleſiaſticos frequentiſſimum, in medium afferemus, & omnia ad eum pertinentia ſingulàtim explanabimus, cunctis rebus diligenter diſtinctis. Uſum autèm Ethnicorum in Campanis conſtitutum brevitèr deſcribemus, quippè qui Chriſtianorum inprimis ritus explicandi causâ, præſertìm verò Eccleſiaſticorum, noſtrum de Campanis Commentarium conſcribendum ſuſcepimus, occaſione ſeſe nobis, utì jàm initio diximus, oblatâ in Sacra Rituum Congregatione.

De Campanarum uſu apud Ethnicos.

AD varia olìm munia Ethnici, hoc eſt; Gentiles, tinnitu, vel ſonitu Campanarum uti ſolebant.

Campanæ pro Thermarum uſu.

TIntinnabuli ſonitu, quod hodiè *Campana* dicitur, Romanos antiquos Populum in Thermas ſtatis horis, vel advocari, vel ex illis dimitti ſolere conſtat. Propterea Martialis de ſonitu æris, hoc eſt, Tintinnàbuli, ſeù Campanæ hunc ait in modum: Martialis.

Redde pilam, ſonat æs Thermarum, ludere pergis?
Virgine vis ſola lotus abire domum?

Ex hiſce verbis Martialis colligimus per Campanam monitum fuiſſe illum, qui in Gymnaſio pilâ exercetur, ut ſi lavari velit, ſonante Campanâ, properet ad Thermas; ſin ſecùs, paulò pòſt nullum lavandi locum futurum, ſed ſolâ aquâ frigidâ, quæ *Virgo* vocabatur, ſe fore lavandum, certò ſciat: Tintinnabulo enìm, ſeù Campana Romani è Gymnaſio, ut ait Guido Pancirollus, revocabantur loturi ad Thermas, mòx claudendas. Hoc autèm loco per ſonitum æris non minor, ſed major Campana (ut ſentit Magius, & rectè quidèm) intelligenda eſt: Nàm, ut ipſe ait, per tinnitum æris Thermarum, non ſolùm, qui pilâ exercebantur, & in Thermas convenerant, ſed qui à Thermis procùl aberant, lavatum convocabantur. Id quod probat Ciceronis auctoritate in quæſtionibus Tuſculanis in hanc verborum formam dicentis: *Simùl, atquè increpuit* (*Thermàrum ſcilicèt Campana*, ut ipſemet Magius interpretatur) *Romani relictis Philoſophis, & Præceptoribus, unctum.* (*Qui enìm laviſſent ungebantur*) *ire ſolebant*. Hæc ex Magio, quem in hac præſertìm re ſequor; qui, ſi Romani ad ſonitum Campanæ, relictis Philoſophis, ac Præceptoribus, unctum ibant, etiàm à Thermis procùl aberant, qui ſanè majoris Campanæ ſonitu tale ſignum audire non poterant, ut infrà clariùs patebit. Virgo, ideſt Aqua frigida. Guido Pancirollus tit. 9. lib. 2. Magius c. 3. de Tintinn. Dictus autèm Ciceronis locus à Magio laudatus, vel citatus eſt in libro ſecundo de Oratore, ubi non de Campanæ ſonitu, at de ſonitu, vel crepitu diſci (qui eſt *lanx*, ideſt *vas eſcarium*) per jocum Cicero loquitur, dum diſcum eſcarium crepitantem ab hominum vulgo libentiùs audiri, quàm Philoſophum affirmat, dicens: *Auditores diſcum audire malunt, quàm Philoſophum, qui ſimùl, ut increpuit, Philoſophum diſputantem relinquunt*. Magius autèm carceri turcico mancipàtus excuſatione dignus cenſetur, quippè qui ſinè libris libellum ſuum conſcripſit. Cicer. lib. 2. de Orat.

Aqua verò, quæ à Martiale *Virgo* dicitur, adhùc extat Romæ ad Campum Martium, necnon ad Trivii fontem, & ad hanc uſquè Aqua frigida cur Virgo.

nsquè diem ità vocitatur ob quamdam Virginem, quæ militibus Romanis, ut Scriptores ajunt, quærentibus aquam, ingentem aquæ venam monstravit, quam deindè Agrippa ab octavo lapide, diverticulo, duorum millium passuum Prænestinâ viâ Romam adduxit. Julius Frontinus de aquis. Forma ipsius Aquæductus præsens in tempus Romæ item cernitur non procùl ab Ecclesia Sancti Silvestri in Octavii Bubali nobilis Romani hortis, in quibus legitur inscriptio lapide tiburtino insculpta, ubi fit mentio de dictâ aquâ, quæ *Virgo* nuncupatur. Bartholom. Marlianus, Francisc. Albertinus in Topographia Urbis Romæ.

Campana pro Mercatu indicando.

GRæci quoquè ad mercatum præstandum in Foro piscatorio, seù piscario, sub cænam, ut etiàm Guido Pancirollus, & alii volunt, pulsabant *Nolam* (hoc est *Campanam*) teste Plutarcho in libro Symposiacon quarto post multa hisce verbis: *Qui subindè in Foro piscatorio versantur, & Tintinnabulum celeritèr exaudiunt.* Hieronymus autèm Mercurialis verba Plutarchi latinè ità reddidit: *Qui quotidiè tabernas, ubi væneunt pisces, circumàmbulant, exquisitivè Tintinnabulum audiunt.* Hæc in sua translatione Mercurialis, qui statim subjungit: *Quo ex loco Tintinnabulum à piscium venditoribus usurpatum, ut emptores à longe invitarentur, etiàm colligo.* Hùcusque Mercurialis. Ergò si emptores à longè invitabantur per Tintinnabulum, major Campana intelligenda est. Istùcipsum comprobatur auctoritate Strabonis, qui ponit exemplum de Citharædo quodam, ac de Surdastro, Tintinnabulo ad mercatum piscium homines invitante, ut in capite de Campanæ inventore, atquè antiquitate diximus, & fusissimè quidem, Plutar. lib. 4. qu. 4. Hiero. Mercurialis lib. variarum lectionum. Strabo lib. 14. Vide pag. 157.

Campana in triumpho adhibita, & supplicio extremo destinatis appensa.

JOannes Zonaras, Historicus Græcus præstantissimus, in secundo Annalium tomo, cum de Marco Furio Camillo Dictatore, de Vejentibus triumphante, sermonem habet, triumphumque describit, Campanam currui triumphantis appensam fuisse inquit; eòdemque ritu loco *Nolas*, vel *Campanas* ab eis, qui extremo supplicio afficiebantur, gestari consuevisse ostendit in hanc verborum formam: *Appensa quoquè erat currui Nola, & flagellum; quæ innuebant, eum in tantas calamitates posse incidere, ut aut flagris cæderetur, aut capitis damnaretur. Nàm qui ob facinus extremo supplicio afficiebantur, Nolas gestare solebant, nè quis interèundum, contactu illorum piaculo se obstringeret.* Hùcusque Zonaras ad verbum. Hoc autèm in triumpho admissum fuit, ut Imperator, vel Triumphator in tantæ felicitatis cumulo, ut ait Magius, admoneretur, nè plus, quàm par esset, efferri, ac superbire vellet, sed humanæ miseriæ recordaretur. De iis, qui ad supplicium extremum à Carnificibus cum Tintinnabulis ducebantur, loquitur Plautus in Pseudolo in hæc verba: *Lanios indè accersam duos cum Tintinnabulis; Tintinnaculi* verò, vel potiùs *Tintinnaphori*, ut alii volunt, erant Carnifices, Tintinnabula ferentes, dum extremo suppiicio damnatos ad supplicii locum ducebant. Zonaras to. 2. pag. 61. Hieron. Magius lib. Tintin. cap. 12. Plautus in Pseudolo.

De Campana funeribus adhibitâ.

ANtiquitùs apud Ethnicos, cùm quis è vitâ decedebat, æra, campanæve pulsabantur, ut Guido Pancirollus, & alii ex Theocriti Scholiaste referunt. Ethnicorum nàmque antiquitas Campanarum sono spectra, & Dæmonum ludibria credebant averti. Id quod Tibullus non obscurè indicat, dum ait: Guido Pancirollus tom. 2. Tibullus.

Cantus, & è curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

Æris enim tinnitu credebant fieri, ut nè magicorum carminum vis ad Lunam perveniret; & Lunam hoc modo laborantem adjuvari. Hinc Juvenalis: Juvenalis Satyra 6.

Æra laboranti poterunt succurrere Lunæ.

Lunam laborantem superstitiosè intelligebant Gentiles, eamque præ verecundia rubore suffundi credebant, quòd magico victa carmine cedere cogeretur. De hoc Lunæ rubore ob verecundiam contracto loquitur Horatius dicens: Horatius lib. 1. serm. Satyra 8.

— Lunamque rubentem,
Nè foret his tectis, post magna latère sepulcra.

Quòd etiàm manes, vel potiùs Dæmones, æris, vel campanæ tinnitu fugari, creditum fuerit à superstitiosâ illâ Gentilitate, planum profectò fit ex Ovidio, qui in libro Fastorum quinto ità inquit de umbris, aut manibus: Ovid. lib. 5. Fast.

Raràs aquam tangit, Temesæaque concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.
Cùm dixit novies, manes exite paterni,
Respicit, & purè sacra peracta putat.

Per Campanarum itaquè sonitum, malos, infestosque spiritus repelli, aut coerceri superstitiosè credebant Gentiles, quòd manes, ut ait Hieronymus Magius, silentium amare crederentur; undè, & *Silentes* à Poetis dicerentur, ut ex Ovidio constat, qui in eòdem Fastorum libro ait:

Mox etiàm Lemures animas dixere silentum.

Undè quotiès umbræ hujusmodi loquerentur, exiguo potiùs murmure, quàm clarâ voce, uti dicebantur, sicùt Ovidius ibidèm ait in hæc verba;

Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atquè hæc exiguo murmure verba loqui.

Hac igitùr de causâ apùd Ethnicos æra, sivè Campanæ pulsabantur, cùm quis è vita decedebat. Sed propriam, & veram hujusce ritus causam explicabimus infrà suo loco, dum de ritu Ecclesiastico, & Campanis consecratis loquemur, quæ ob rem sacram à Dæmonibus timentur. Cap. 18.

Tintinnabula in Sacris, in Excubiis, & in privatis Romanorum Ædibus adhibita.

Apollodorus. APollodorus in libro illo de Diis Gentium, Hierophantam, hoc est, Sacerdotem Proserpinæ, Tintinnabulum, vel Campanam in Sacris pulsare consueviſſe ait. Deæ item Syriæ Sacerdos Tintinnabulo uti consuevit, sicut scribit Lucianus Samosatensis, qui hunc ait in modum: *Sacerdos postquàm ad sommum Templi pervenit, preces pro unoquòque facit; precando autèm paritèr, & æreum quoddam Tintinnabulum pulsat; quod motum, gravitèr, atquè asperè sonat.* De hoc item ritu fidem facit Robortellus in Octaviano Augusto, dum de januis, ac fastigiis, vel summitatibus Templorum loquitur in hanc verborum formam: *Fastigium Tintinnabulis redimitum, & Tintinnabula ferè solebant ex januis Templorum pendere.* De Tintinnabulis adhibitis in Excubiis monet Suidas, & Guido Pancirollus ità inquit: *Excubitores olim in nocturnis vigiliis Tintinnabula secum deferebant; ad quorum pulsum illicò respondendum erat.* Istùcipsum à nostris in arcibus præsertim fieri solet, ut infrà suo loco dicetur. Campana deniquè in privatis Romanorum Ædibus pulsabatur, ut refert Lucianus Samosatensis; Ædes enim ditiorum Romanorum amplissimæ Tintinnabulo, seù Campanâ uti solebant ad Familiam excitandam, sicut Romæ ob eàmdem causam fieri solere non ignoramus: id quod infrà, & fusiùs quidèm, explicabimus.

Lucian. to. 3. de Syriæ Dea.

Robortellus in Octaviano Augusto. cap. 91.

Suidas, & Pancirolius tom. 2.

Lucianus.

De Campanâ pro distinguendis horis adhibitâ.

INventis Campanis, introductus quoquè fuit usus Horologiorum, quibus horæ distinguuntur. De Horologiorum ratione, & usu, atquè inventione loquitur Vitruvius, necnon alii complures. Quòniam verò de antiquo Horologii usu satis dictum videtur, dum de Campanæ antiquitate verba fecimus; hinc eò confugiendum est, ubi fit mentio de Balneo Hippiæ, qui floruit circà tempora Luciani, ut ipsemet Lucianus ait, qui vixit circà annum Domini centesimum. Verùm sicùt Campanæ inventor ignoratur, ità etiàm sonantis Horologii primus nescitur Auctor. Quid autèm jucundius, ut ait Polydorus Virgilius, reperiri potuit Horologio, quo nobis, etsi occultato Sole, per Tintinnabulum suâ, sicut ità videtur, sponte sonans, horæ distinctæ nunciantur? Quid item nobis gratius Campanâ inveniri potuit, quâ tot, tantæque res hominibus tàm utilitèr, ac tàm commodè indicantur? Quàmvis autèm res ità sese habeat, sicùt magnâ ex parte hùcusque vidimus, & infrà multò plura, & majora de multiplici Campanæ usu, ostendemus; utriùsque tamèn inventæ rei Auctor, utì diximus, ignoratur. Hæc de multiplici Tintinnabulorum, seù Campanarum usu apud Ethnicos. Nunc reliquum est, ut Campanas benedicendi causam, & ritum apud Christianos; deindè multiplicem earumdem usum explicemus.

Vitruvius lib. 9. cap. 9.

Guido Pancirol. tom. 2. tit. 10.

Magius c. 6. de Tintinn. Lucian. to. 2. Hipp.

Polydor. Virgil. l. 3. c. 18.

CAP. IV.

De Ritu consecrandi, aut benedicendi Campanas.

MUlta ab Ethnicis, falsâ religione, ac superstitione deceptis fieri solebant, quæ deindè à Christianis, & Ecclesiasticis præsertim viris, falsâ religione, ac superstitione omninò ablatâ, in usum pium, ac sanctum translata fuerunt, ut in nostro variarum lectionum Commentario diffusè demonstratum est. Inter Ecclesiasticos viros extat Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus, Sancti Hieronymi, & Sancti Patris Augustini contemporaneus, utì jàm diximus, qui abusum Gentilium sacrorum correxit, & Campanam ad pia munera traduxit, dum ea primus in suâ Ecclesiâ usus est, ut ejus nimirùm sonitu semotiùs habitantes ad conciones, & precationes, necnon ad divina officia, & ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, atquè ad alia excitari possent. Quæ omnia singulàtim explicabuntur, cùmprimùm Campanas consecrandi, aut benedicendi causam, & ritum fuerimus assequuti.

Lib. Variar. Lectionum.

CAP. V.

De Campanarum benedictione, aut consecratione.

CAmpanæ juxtà perantiquum, ac pium institutum in Sanctâ Dei Ecclesiâ benedici, aut consecrari solent. Quòd autèm hujus generis ritus consecrandi Campanam sit antiquissimus, ex eo, quod Alcuinus in libro de divinis officiis ait, satìs congruè comprobatur. Is enim Alcuinus, qui floruit circà annum Domini 770. Bedæ Presbyteri Discipulus, vel Auditor, & Caroli Magni Præceptor, ut inquiunt Tritthemius, Melchior Hittorpius, & alii; de hoc ritu ità scriptum reliquit: *Nequè novum videri debet Campanas benedicere, & ungere, eisque nomen imponere.* Antiquitas item hujus ritus confirmatur, quià in Ordine Romano, quem librum antiquissimum esse constat, tota forma benedicendi, aut consecrandi Campanas legitur conscripta, etiàmsi dicti libri Auctor ignoretur, ut omnes tàm nominis Auctoris ignorationem, quàm ejus antiquitatem fatentur, præsertim verò Melchior Hittorpius, qui talem antiquitatem multis profectò comprobat argumentis, quæ brevitatis causâ hoc loco silentio prætermittenda censemus, Campanæ consecrationem brevitèr explicaturi, ut ejus multiplicem usum apud Christianos, præsertim verò apud Ecclesiasticos viros observatum tandèm aliquandò, ac distinctè quidèm repræsentemus.

Alcuin. Ann. Dom. 770.

Melchior Hittorpius.

Ordo Romanus.

Melchior Hittorpius in præfatione ad librū de Div. offic. ac ministeriis.

Campana antequàm in turrim Campanariam, seù Campanis destinatam reponatur, consecrari, aut benedici solet juxtà formam

in

in Ordine Romano, utì jàm diximus, antiquissimo, necnon in Pontificali Romano conscriptam; Priùs enìm tota intùs, & extrà cum aquâ benedictâ ab Episcopo unà cum Ministris lavatur, deindè mundo linteo extergitur, dum ab Episcopo cum Ministris aliquot etiàm Psalmi recitantur. Quibus finitis, Episcopus cum pollice dextræ manus de Oleo sancto infirmorum signum Crucis facit extrà, & suprà Campanam; deindè, oratione ad Campanam pertinente recitatâ, cum linteo mundo signum Crucis factum ab ipso Episcopo extergitur; & Antiphonâ cum Psalmo itèm recitatâ, Episcopus cum pollice dextræ manus de Oleo sancto infirmorum septem facit Cruces exteriùs supèr Campanam, deindè intrà Campanam cum Chrismate facit quinque Cruces, dum hæc dicit verba:

Verba consecrationis Campanæ.

Sanctificetur, ✠ & consecretur ✠ [Domine] Signum istud. In Nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. In honorem Sancti N. Pax tibi. Hac re præstitâ, & oratione pro effectibus Campanæ consecratæ mirabilibus impetrandis recitatâ, necnon thymiamate, thure, ac myrrhâ thuribulo impositis, thuribulum ipsum igne accensum, & fumigans, ipsi Campanæ supponitur, ut ea totum illum recipiat fumum. Dùm autèm thuribulum Campanæ suppositum manet, cantatur, seù recitatur Antiphona cum Psalmo, in quo Dei opera mirabilia narrantur, & Psalmo finito, Episcopus orationem dicit, in qua precatur Deum, ut ad sonum Campanæ Christifideles bonos consequantur effectus, malis omnibus propulsis, & in fugam conversis; Demùm verò, recitato Evangelio, Campanæ consecrationi finis imponitur. Quæ sanè omnia in Pontificali Romano adamùssim conscripta reperiuntur, ubi omnes Psalmos, Orationes, & Antiphonas, quæ in Campanæ consecratione dicuntur, videre licet.

CAP. VI.

Causa, & effectus consecrationis Campanarum, atquè nomina earumdem.

CUr autèm Campanæ benedicantur, aut consecrentur ex sententiâ Patrum, qui Colonienſi Concilio interfuerunt, planum profectò fit in hanc verborum formam: *Benedicuntur quoquè Campanæ, ut sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur Populus ad conveniendum in templum, & audiendum verbum Dei; Clerus verò ad annunciandum manè misericordiam Dei, & veritatem ejus per noctem, ut per illarum sonitum Fideles invitentur ad preces, & ut crescat in his devotio fidei, quàmvis etiàm Patres aliò respexerint, videlicèt, ut Dæmones tinnutu Campanarum, Christianos ad preces concitantium, terreantur, quìn potiùs precibus ipsi territi, abscedant, illisque summotis, fruges, mentes, & corpora credentium serventur, ut procùl pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperentur infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, & aereæ potestates prosternantur. Brevitèr; ut audientes confugiant ad Sanctæ matris Ecclesiæ gremium, & antè Sanctæ Crucis vexillum, cui flectitur omne genu, quemàdmodum hæc in solemni benedictione Campanæ reperies.* Hæc ad verbum ex Concilio Colonienſi primo cap. 14.; Quæ itèm omnia in Ordine Romano de divinis officiis nupèr commemorato, atquè etiàm in Pontificali Romano in ipsa Campanæ benedictione, aut consecratione leguntur. Hæ sunt igitùr causæ, propter quas benedicuntur, aut consecrantur Campanæ. Hujus autem generis consecratio in Ordine Romano, & in libro de ritibus Ecclesiæ Catholicę à Stephano Duranto improprie *Baptismus* nuncupatur, non quòd Campanæ (inquit etiàm ipse) baptizentur Baptismo, quo remissio peccatorum confertur; sed quià per hujusmodi Baptismum, sivè potiùs benedictionem, aut consecrationem, Campanæ aquâ benedictâ lavantur, necnon sancto infirmorum Oleo, & sancto Chrismate unguntur, eisque nomina imponuntur. Quæ omnia, & itèm alia in Baptismo, quo baptizantur homines, fieri solent. Ideò Alcuinus, dùm de hoc ritu baptizandi Campanas (ut etiàm refert Durantus) mentionem facit, ità inquit: *Nequè novum videri debet, Campanas benedicere, & ungere, eisque nomen imponere. Nàm Jacob Geneſi 28. memor visus schalæ ad Cœlum usquè pertingentis, tulit lapidem, quem capiti suo supposuit, & erexit in titulum fundendo oleum desupèr, appellavitque nomen Urbis Bethel, quæ priùs Luza dicebatur.* Quàmvis verò in Capitulari Caroli Magni, ut ait Durantus, *Clocas*, idest, *Campanas*, apud Gallos ità vocitatas, baptizari, prohibeatur; Vitus tamèn Amerbachius interpretatur, prohiberi superstitionem, non autèm legitimam, & Ecclesiasticam benedictionem, vel consecrationem; quià Campanæ, utì jàm diximus, non baptizantur Baptismo, quo remissio peccatorum, præsèrtim verò peccati originalis confertur, quippè, quę gratiæ, ac effectus Baptismi capaces non sunt; sed quià cultui divino dicantur dictas ob causas, necnon proptèr aquam benedictam, Oleum sanctum infirmorum, & sanctum Chrisma, nominumque impositionem, quæ in hominum Baptismo adhibentur, *Baptismus* impropriè à nonnullis vocitatus fuit. Baptismus enìm vox græca est à verbo græco Βάπτω, quod latinè *tingo, immergo, & lavo*, & per vocem à verbo græco translatam, *Baptizo*, dicitur, pro quo Itali, dicunt, *lavare, & bagnare*. Hìnc à voce, *Baptismo*, *Baptisterium*, idèst *Lavacrum*, vocitatur, quod est locus, vel vas ex ligno, aut lapide in cellis, idèst, in secretioribus locis ità ædificatum, ut in illud infundi possit aqua, in quam lavandi causâ aliquis valeat sese immergere, & lavari commodè queat. De hujus generis baptisterio, aut lavacro loquitur Plinius junior

Par. 9. cap. 14. Conc. 1. Colon. Provinc. tom. 5. Ann. Dom. 1536.

Conc. 1. Colon. provin. p. 9. c. 14. t. 5. Conciliorum.

Tom. 5. Conc. 1. Colon. c. 14. par. 9.

Lib. 1. cap. 22. num. 6.

Steph. Dur. lib. 1. cap. 22.

Alcuinus de Divin. offic.

Gen. 28.

Steph. Dur. ubi supra.

Vitus Amerbach.

Campanæ baptismus quomodo sit intelligendus.

nior ad Appollinarem ſcribens in hæc verba: *Cella frigidaria, in qua baptiſterium amplum, atquè opacum eſt.* Sicùt igitùr lavacrum illud, in quo homines lavantur, ut à ſordibus corporis purgentur, *Baptiſterium* nuncupatur; ità etiàm fons ille ſacer, in quo humanæ creaturæ per proprium, & ſpirituale Baptiſma baptizantur, vel lavantur, ut ab animæ ſorde, hoc eſt, ab originali peccato purgentur, *Baptiſterium* itèm vocitatur. Ideò ſicùt per Sacroſanctum Baptiſma propriè ſumptum à ſorde, vel labe peccati creaturæ humanæ purgantur, ſeù lavantur; ità Campanæ per aquam benedictam ſuo modo lavantur, & liberantur à ſordibus, & inquinamentis malignorum ſpirituum, Oleo ſancto, & Chriſmate, necnon thymiamate, thure, ac myrrâ, & ſignis ſanctæ Crucis munitæ cuſtodiuntur, necnon ad multa mala propellenda, & ad Chriſtifideles excitandos, atquè ad Sanctam Matrem Eccleſiam invitandos, & convocandos conſecrantur. Hæc tamèn functio in Campana conſecrandâ proptèr Baptiſmi formæ carentiam, ut infrà, & plenius quidem explicabimus, non eſt propriè Baptiſmus, ſed benedictio, & conſecratio: Campana enìm proprii Baptiſmi non eſt capax. Viſum autèm fuit Patribus eas lavare, benedicere, atquè ungere, ſicùt, & vaſa Eccleſiaſtica, & complura id genus alia. Juxtà hunc itèm ſenſum Ivo in ſermone de Sacramentis dedicationis, templum ſuo modo, & ſuo ordine baptizari ſolere dixit. Campanæ igitùr ſuo modo baptizantur, idèſt lavantur, eiſque nomina imponuntur, dùm verbis conſecrationis prolatis cum ſignis Crucis interjectis, uti jàm vidimus, hæc adduntur verba: *In honorem Sancti N.*; Quo in loco nomen alicujus Sancti, vel Sanctæ pronunciatur, cujus nomini ob privatorum hominum, vel alicujus Eccleſiæ, ſivè Oppidi, vel Civitatis devotionem ratione Patronatus ergà talem Sanctum, vel Sanctam, Campana divino cultui dedicata, conſecratur.

Plin. ad Apollinarem.

Campanæ conſecratio caret Baptiſmi formâ.

Ivo de Eccleſiaſt. Sacram. & officiis in ſerm. de Sacramentis Dedicationis. In tom. de Divinis officiis.

De Campanæ conſecratione, ac ejuſdem nominis impoſitione Cæſar Baronius S. R. E. Cardinalis in decimo Annalium Tomo expreſſam facit mentionem, dum Campanam Baſilicæ Lateranenſis primariam à Joanne XIII. ſub nomine Sancti Joannis Baptiſtæ benedictam, aut conſecratam fuiſſe, ait hiſce verbis: *Joannes Pontifex Romam* (è Capua ſcilicèt) *rediens. cum Imperator ibi* (hoc eſt Capuæ) *adhùc moraretur, contigit primariam Lateranenſis Eccleſiæ Campanam miræ magnitudinis recens ære fuſam ſupèr Campanile elevari: quàm priùs idem Pontifex ſacris Ritibus Deo conſecravit, atquè Joannis nomine* (*puto Baptiſtæ*) *cujus Eccleſiæ eſſet uſui, nuncupavit. Qui ſacer Ritus in Eccleſia perſeveravit, ut eo modo, quo ipſe uſus eſt, Campanæ in Eccleſiis collocandæ, Deo primùm, impoſito eis nomine, dicarentur. Quod teſtantur veteres Codices Rituales; licèt errore vulgi pro arbitrio utentis vocibus, dicantur baptizari Campanæ, cum ità ab Epiſcopo benedicuntur*, non aliundè *baptiſmi in re longè diſpari mutuati nomen, niſi quòd ſicut in Baptiſmo nomen imponitur baptizato, ità in ea conſecratione nomen Campanæ daretur; Idque ſivè eâ ratione, ut diſtingui poſſet à cæteris, vèl quòd magis conduceret ad pietatem, ſi voce Sancti alicujus diceretur Populus ad Eccleſiam convocari: Cùm alioqui nihil commune cum Sacramento Baptiſmatis habeant cæremoniæ illæ; ſed magis cum aliis ſacrorum vaſorum benedictionibus in Sancta Catholica Eccleſia antiquo uſu receptis.* Hæc Baronius de Ritu conſecrandi Campanam, eiquè nomine à Joanne XIII. circà Annum Domini 968. impoſito. Campanæ tamèn apud Græcos circà Annum Dom. 865. ſub Nicolao hujus nominis primo, in uſu eſſe cæperunt, ut idem Baronius in decimo itèm Annalium Tomo ſcriptum reliquit in hæc verba: *Ad hunc quoquè annum referunt Scriptores, proſequuti res Venetas, ærea inſtrumenta, quæ Campanas dicimus, uſui eſſe cæpiſſe Græcis, miſſis ipſis Campanis à Duce Venetiarum Urſo Patriciaco ad Michaelem Imperatorem.* Hucùſque Baronius, cujus verba ſi rectè penſitentur, hunc Ritum benedicendi, aùt conſecrandi Campanas à Joanne XIII. Pontifice Maximo inſtitutum, ſivè ortum habuiſſe circà Annum Domini 968. ſenſiſſe videtur, dum ait: *Qui ſacer Ritus in Eccleſia perſeveravit, ut eo modo, quo ipſe* (Joannes videlicèt) *uſus eſt, Campanæ in Eccleſiis collocandæ, Deo primùm, impoſito eis nomine, dicarentur.* Sed hujus generis Ritus conſecrandi Campanas fuit in uſu centuriis annorum aliquot antè Joannem XIII. Alcuino teſte, qui cum floruerit circà Annum Domini 770. de hoc tamèn Ritu ità inquit: *Nequè novum videri debet Campanas benedicere, & ungere, eiſque nomen imponere.* Quarè ſi Ritus conſecrandi Campanas apùd Alcuinum non erat novus; ergò dictum Ritum benedicendi, & unguendi Campanas Oleis ſacris, eiſquè nomen imponendi antè Alcuini tempora fuiſſe, dicendum eſt contrà ea, quæ de ejus Ritus antiquitate alii alitèr dixerunt: qui tamèn cæremonias illas, hoc eſt, ſacras unctiones, & alia, nonniſi cùm aliis ſacrorum Vaſorum benedictionibus, aùt conſecrationibus, in Sancta Catholica Eccleſia antiquo uſu receptis, commune aliquod habere optimè ajunt; nominis verò impoſitionem in Campanis conſecrandis ad earundem diſtinctionem, & Populi devotionem excitandam (dum per Campanas ad Eccleſiam Populus convocatur) Ritum talem inſtitutum eſſe oſtendunt. Quàmvis autèm, uti ſuo jam loco diximus, Campanæ laventur aquâ benedictâ, & ſacris ungantur oleis, eiſquè nomen imponatur, functio tamèn illa, vel Ritus ille, Baptiſmus propriè dictus nullo modo eſt: quià caret Baptiſmi formâ, quæ eſt: *Ego Te Baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ſine quâ forma Baptiſmus propriè dictus nullo modo eſſe poteſt. In conſecratione autèm Campanæ verba hæc dicuntur: *Sanctificetur ✠, & conſecretur ✠* (*Domine*) *Signum iſtud. In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti. In honorem Sancti N. Pax tibi.* Per hæc verba dici conſueta in Campanæ benedictione, fit ſola Campanæ con-

Card. Bar. to. 10. pag. 810.

Campana Baſil. Lateran. An. Dom. 968

Vulgi error de Campanæ Baptiſmo.

An. Dom. 968 An. Dom. 865 Card. Bar. to. 10. pag. 810.

Card. Bar. to. 10. pag. 319.

Campanæ miſſæ ad Imperat. Græcorum.

Card. Bar. to. 10. An. Dom. 968. pag. 810.

Alcuinus An. Dom. 770.

Cap. de Conſecr. Campanæ.

Campanæ conſecratio non eſt Baptiſmus propriè dictus ob formæ carentiam.

consecratio, non autèm propriè Baptismus, ut ipsa verba consecrationis expressè sonant: proprii nàmque Baptismi Campana capax non est, sed sola creatura rationalis.

Quàmvis interèa Campanæ pulsandæ usus etiàm apùd Christianos, præsèrtim verò apud Ecclesiasticos viros antiquior esse videatur, quam eam consecrandi Ritus, ob talis rei mentionem in libris antiquis à me non inventam, uti jàm in capite de antiquitate Campanæ dictum fuit; consecratio tamen Campanæ initium sumpsit aliquot annorum centuriis antè Pontificatum Joannis XIII, sicut à nobis jàm satis probatum fuit. Dictus deinde Ritus piè, ac sanctè institutus jàm indè à tantâ ipsius Ritus antiquitate in Campanis consecrandis observatus semper fuit, & in toto Christiano Orbe ad hanc usquè diem observatur, dum ea omnia nupèr enarrata, benedictà scilicet Aquâ, Oleum sanctum Infirmorum, & sanctum Chrisma, Thymiama, thus, & myrrha, in consecratione Campanarum adhibentur, & nomina eis imponuntur. Immò in Hispania dum Campanæ consecrantur, vel, ut impropriè ajunt, baptizantur, sed propriè lavantur, Vir, & Mulier ex hominibus loci primariis, tamquam Compatres admittuntur; ad quam rem præstandam Codex ritualis propriùs adhibetur, in quo præter illa, quæ in Pontificali extant Romano, Compatres item commemorantur admissi. Harum rerum in omnibus Ecclesiis recentia quoquè non desunt exempla, non solùm quantùm ad nominum impositionem, sed etiàm quantùm ad Compatres in Hispania, præsèrtim verò in aliquot Cataloniæ partibus intèr consecrandas Campanas admitti consuetos, candido linteo, ad simplicem lavationem indicandam, Campanis consecratis imposito pro veste albâ, quæ propriè baptizatis imponi solet.

Quòniam verò Campanæ in honorem Beatæ Mariæ sempèr Virginis in Meridie, in Sero, & in Aurora pulsari solent, ut infrà, & fusiùs quidèm suo loco dicemus; multæ Campanæ tàm Romæ, quàm alibi, Mariæ nomen in consecratione retinent, intèr quas insigne extat exemplum Lutetiæ Parisiorum in augustissima Cathedrali Dei Matris Ecclesia, cujus maxima Campana, ut Paulus Merula in sua Cosmographia scriptum reliquit, Mariæ nomine insignita est: Ait enim Merula: *Campana maxima, cui à Maria Virgine cognomen, viginti Viros flagitat pulsanda; sonitu, sereno cœlo, per septem Leucas auditur.* Hæc Merula de Campana miræ magnitudinis, nomine Mariæ insignita, cui Campanæ assimilatur illa, quæ reperitur in primaria Ecclesia, Deiparæ Virgini dicata Rothomagi, *Rovan*, vulgò nuncupati, quæ est Galliæ Civitas, cujus Campanæ pondus est librarum triginta sex, Merula teste, vèl quadraginta millium, ut ait Swertus in Magium; Lingua verò librarum sexingentarum decem, eòdem Merula teste, ac Ferreolo Locrio. In Bononiensi quoquè Prætorio magna extat Campana, cujus circumferentia duobus, ac viginti majoribus palmis constat; altitudo quatuordecim, & amplius; crassities verò palmo uno. Hùcusque digredi libuit, maximâ Lutetiæ Parisiorum Campanâ suadente, ut eò, undè digressi sumus, revertamur.

Multæ item Campanæ tàm in Italia, quàm extrà Italiam non solùm beatæ Mariæ sempèr Virginis; verùm etiàm Sancti, vel Sanctæ alicujus nomine vocitantur ad Campanarum distinctionem, necnon ad Populi devotionem, ut jàm diximus, excitandam. In multis quoquè Campanis nomina ipsa incisa leguntur tàm Dei, ac Deiparæ Virginis, quàm aliorum Sanctorum in hanc verborum formam: *Ad Dei, & Beatæ Mariæ Virginis honorem*; Vel hunc in modum: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Ad honorem Dei, ac Beatæ Mariæ Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, Verbum caro factum est*; & id genus alia; presèrtim verò verba illa de Incarnatione Dei, quatenùs Dæmonibus majorem in modum formidanda. Nàm, cæteris exemplis hac de re prætermissis, tribus sociis per viam ambulantibus, ut Jacobus Sprenger in suo Maleficarum Malleo narrat, duo illorum ictu fulminis percussi fuerunt; tertius autèm quàmvis territus fuisset ob voces item in aere clamantes: *Percutiamus, & illum*; absquè ullâ tamèn lasione recreatus fuit, atquè salvatus ob aliam vocem dicentem: *Hoc fieri non potest, quià ipse hodiè audivit: Verbum caro factum est.* Hoc est, audivit Missam, in cujus fine recitatur Sancti Joannis Evangelium, in quo legitur: *Et Verbum caro factum est.* Hæc ex Jacobo Sprengero, dicto in libro de Verbi incarnatione, Dæmonibus majorem in modum formidanda, & hanc ob rem in Campanis apponi consueta ad fulgura, & tempestates effugandas, quæ à Dæmonibus item concitari possunt, Deo permittente: quòniàm corporalis materia quantùm ad motum obedire censetur ad nutum non solùm Angelis bonis, verùm etiam Spiritibus malis juxtà Theologorum doctrinam. Deindè in multis Campanis fit mentio de Anno, in quo facta est Campana, necnon de ipsius Ecclesiæ Rectore, vèl optimè merito, & Campanæ Artifice, ut ego ipse vidi Romæ, ubi præcipuarum Ecclesiarum, & Basilicarum Inscriptiones Campanis incisas perlegi, præsèrtim verò in Campanis Basilicæ S. Joannis in Laterano, Sanctæ Mariæ Majoris, & Sancti Petri in Vaticano. In multis tandèm Campanis nonnullæ Dictiones per aliquos nominum casus absquè ullo, à quo regantur, verbo, in hanc formam incisæ leguntur: *Mentem sanctam spontaneam, Honorem Deo, & Patriæ liberationem. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus; & benedictus fructus ventris tui.* Hæc omnia leguntur in parva Basilicæ Sancti Petri Campana, quæ ad Missam primam indicandam, & ad Vesperas festis diebus pulsatur, antequàm majores Campanæ incipiant pulsari. Eædem voces per obliquos nominum casus hoc in loco à nobis conscriptæ in Campanis Basilicæ

San-

Cap. 1.

Cap. 5.

Hispaniæ Ritus in consecranda Campana, Compatres.

Candida vestis.

Cap. 17.

Merula p. 2. lib. 3. cap. 21.

Vide Ferreolum pag. 436. in Maria Augusta, & Swertii in Magium.

Campana Rothomagensis.

Merula ubi sup. cap. 30. Swertus, & Guicc. in Descript. Germ. inferioris.

Campana Bononiensis Prætorii.

Verbum caro factum est.

Jacobus Sprenger.

Ægid. lib. 2. sent. d. 7. qu. 3. art. 2. dist. 10. quæst. 3. art. 1. dub. 5.

Campanæ Basilicarum præcipuarum Romæ.

Campana Basilicæ S. Petri.

Sanctæ Mariæ Majoris, aliarumque Ecclesiarum Romæ, atquè alibi leguntur inciſæ, quæ à Petro de Natalibus in catalogo Sanctorum recitantur, dum Sanctæ Agathæ Virginis, & Martyris conſcribit Vitam, & Martyrium. Nàm, ut ipſe ait, dum Fideles corpus Beatæ Agathæ aromatibus condirent, Juvenis ſericis veſtibus indutus, quem centum, & ampliùs Juvenes comitabantur albis veſtibus amicti, apparuit, marmoreamque Tabulam ad ejus corporis caput in ſepulchro appoſuit; deindè cum cæteris Juvenibus ab omnium oculis evanuit, quem Angelum fuiſſe conſtat. In Tabula verò hæc legebantur: *Mentem ſanctam ſpontaneam, Honorem Deo, & Patriæ liberationem*. Hæc ex Petro de Natalibus, nècnon ex Laurentio Surio, qui dictam recitat hiſtoriam, ſed voces illas per caſus obliquos mutavit hunc in modum: *Mens ſancta, Honor in Deum voluntarius, Patriæ redemptio.* Sed Gabriel Flamma eamdem Hiſtoriam de Tabula marmorea enarratam comprobat, & formam nominum illam per caſus obliquos primo loco abſquè ullo verbo conſcriptam interpretari ſtudet, dum ſingulas ferè voces marmoreâ in Tabula inciſas meditatur. Deniquè poſt ſatis longam meditationem, tria tribus illius Inſcriptionis clauſulis apponit verba, quæ ibi deſiderabantur. Id quòd non ex incuria, nec ſine myſterio à Juvene illo, (ideſt Angelo) factum fuiſſe oſtendit Gabriel Flamma, qui dictæ inſcriptioni ſenſum dedit hunc in modum. *Mentem ſanctam ſpontaneam obtulit, Honorem Deo dedit, & Patriæ liberationem impetravit*; hoc eſt, Agatha ſancta ſe, & cor ſuum voluntario dedit dono, quo Deum honoravit. Nàm quidquid ipſa fecit, cogitavit, & dixit, paſſaque fuit, tàm vivendo, quàm moriendo, ad honorem Dei retulit, aut direxit. Hinc Patriæ liberationem apud Deum promeruit, ſicut factum fuiſſe conſtat unius anni ſpatio poſt ejus obitum, quandò ſcilicèt Mons Ætna in Sicilia perpetuo clarus incendio, ad cujus Montis radices Catania ſita cernitur, igneum eructavit flumen, quod cum per totam ferè Siciliam fluitando curſitaret, Catanenſes ad Sanctæ Agathæ ſepulchrum confeſtim cucurrerunt, & ipſius velo indè ſublato, atquè antè incendium expanſo, ſeù explicato, Catania fuit ab ipſo incendio miraculosè liberata, igne illo Dei providentiâ protinùs repreſſo, cum dies Martyrii Sanctæ Agathæ anniverſarius foret. Hæc ex Petro de Natalibus, Laurentio Surio, & Gabriele Flamma. Quâ de re jàm indè ab eo tempore quotieſcùmque igneum flumen, ſivè incendium ab Ætna eructatur (quod viginti, vèl triginta annorum intervallo evenire ſolet) dicto velo ad igneum flumen explicato, incendium ceſſat. Propterea factum reor, ut ipſa inſcriptio Campanis incidi ſoleat, ad fulgura, ſeù potiùs ignea flumina propulſanda, tempeſtateſquè expellendas, dum Campanæ, ad hanc item rem præſtandam conſecratæ, pulſantur, ut infrà, & plenius quidèm ſuo loco dicemus. Hæc de cauſis, & Ritu conſecrandi, aut benedicendi Campanas, nècnon de effectibus earumdem ex benedictione, ſivè conſecratione ipsâ emanare conſuetis. Quàmvis autèm exempla conſecrandi Campanas innumera ferè ſint per totum Chriſtianum Orbem diffuſa; exemplum ex Baſilica deſumptum Lateranenſi, quæ eſt omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, & Caput, ſat declarat, hunc Ritum conſecrandi Campanas rectè fuiſſe inſtitutum, & Pontificale item Romanum ab omnibus eſſe obſervandum. Nunc reliquum eſt, ut admiranda, quæ de Campanis conſecratis reperiuntur conſcripta, ob oculos ponamus.

Petrus de Natal. in S. Agatha.

Surius tom. 1. de Vitis SS.

Gabr. Flamma tom. 1. de Vitis SS.

An. Dom. 253 ut ſcriptum reliquit Ant. Filoteus in comment. de Monte Ætna; 252. ut ait Card. Baron. in Martyrol. ex Faſtis Onuph. Panvinii.

Die 5. Febr.

Vide c. 21. de hac re præſtanda.

CAP. VII.

Admiranda de Campanis conſecratis.

SIlentio prætermittenda non cenſentur admiranda illa, & ſcitu quidèm digniſſima, quæ de Campanis conſecratis narrantur, præsèrtim verò juramentum in primis illud in Hibernia, Scotia, & alibi ſupèr Campanas præſtari conſuetum, ob magnam reverentiam, quæ ipſis adhibètur dictis in locis. Si qui enim ſupèr Campanas pejerare, hoc eſt falſo, & animo fallendi jurare audeant, plerùmque tacitè, ut ità dicam, vel cælitùs puniuntur. Si qui verò tales convicti ab homine pejeraſſe inveniantur, gravitèr in eos animadverti ſolet, ut colligitur ex eo, quod in Topographia Hiberniæ ſcriptum reliquit Sylveſter Giraldus in hæc verba: *Hoc etiàm non prætereundum puto, quòd Campanas bajulas, baculoſque Sanctorum in ſuperiori parte recurvos, auro, & argento, vel ære contextos, ſive contectos, in magna reverentia tàm Hiberniæ, & Scotiæ, quàm Guvalliæ, vel Walliæ Populus, & Clerus habere ſolent; ità ut Sacramenta, (hoc eſt juramenta) ſupèr hæc longè magis, quàm ſupèr Evangelia, & præſtare vereantur, & pejerare. Ex vi enim quadam occultâ, & iis quaſi divinitùs inſita, necnon, & vindicta (cujus præcipuè Sancti illi appetibiles eſſe videntur) plerùmque puniuntur contemptores, & gravitèr animadvertitur in tranſgreſſores.* Hæc de juramento ſupèr Campanas præſtari memoratis in locis conſueto, narrat Giraldus, qui etiàm in eàdem Topographia de quadam Campana fugitiva ità inquit: *Eſt in Lagenia, in Terra ſcilicèt Mactaleuvi Campana quædam, quæ niſi à Cuſtode ſuo, Exorciſmo quodam ad hoc compoſito, ſingulis noctibus adjuretur, & vinculo quolibet, vel fragili ligetur; mane in Media apud Clunarech, in Eccleſia Sancti Finnani, undè venerat, reperitur. Quod & aliquoties certum eſt, contigiſſe.* Hæc Giraldus ad verbum.

Silveſter Giraldus diſt. 3. c. 33. in Anglica Normannica, Hibernica, Cambrica tom. in fol.

Silv. Giraldus de Campana fugitiva diſt. 2. c. 33. tom. in fol.

Surius in vita Sancti Lupi Epiſcopi Senonenſis ad ſonitum Campanæ Senonenſis, precibus ejuſdem Sancti, Hoſtes viribus deſtitutos, ac terrore correptos ſtatim fugatos fuiſſe narrat in hanc verborum formam: *Mortuo autèm Theodorico Principe, Rex Cletarius in Burgundiam veniens, hoſtili manu armatum Blidebodem Ducem miſit in Senones. Illo ergò*

Sur. to. 5. pag. 2. & 4.

Die 1. Sept. Idem ſcriptū reliquit ex Surio Card. Bar. to. 8. pag. 242. & 243. in Annalib. An. Dom. 615. & 616.

ergò tela atrocitèr in Oppidum vibrante, sanctus Episcopus in Domino fidens, ad Protomartyris Stephani Ædem se contulit. Cumquè ad convocandum populum, signum Ecclesiæ tangeret, viribus hostes destituti, tantoque sunt terrore correpti, ut nullam sibi salutis spem superesse putarent, nisi fugâ sibi consulerent. Ità vir sanctissimus, dum instàr Moysis ad Cœlum tollit manus, Hostes profligat. Hæc Surius de Campana Senonensi, ad cujus tinnitum, vel sonitum hostes fugati fuerunt. De hac eâdem Campana idem Surius rem notatu dignam in ejusdem Sancti Lupi vita refert hiscè verbis: *Clotarius Rex ubi comperit signum, vel campanam Sancti Stephani sonum edere gratissimum, jussit eam Parisios transferri, ut ejus tinnitu sæpiùs oblectaretur. Displicuit ea res Beato Episcopo. Itaquè mox, ut ablata est à Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens, ecquìs jubet suo illam loco restitui. Ubi autèm ad Portum Syriacum ventum est, rediit illi pristinus sonus, & ob sancti Viri merita septimo milliario auditus est. Illicò Vir beatus in Urbe residens, se dat itineri, progredienseque in occursum ejus cum Psallentium Choris, quam dolens amiserat, cum gaudio excipit, gratias agens Deo.* Hæc itèm dicto in loco Surius.

Anton. Aug. De Numismat. Dialog. 6. pag. 194.

Scribit etiàm Antonius Augustinus, Archiepiscopus olim Tarraconensis, Vir profectò, eruditione clarissimus, rem sanè dictu itèm mirabilem de Campana quadam, quæ (ut ipse ait in libro de Numismatibus, quæ *Medaliæ* vulgò vocitantur) in Hispania, in Regno scilicèt Aragoniæ, Diœcesi Cæsaraugustana in Villula quadam, sive *Viliglia* hispanicè hodiè dicta, olim *Celsa* ad Iberim Fluvium sita, nemine ipsam movente, nonnumquàm, ut ità dixerim, sponte suâ, vel ex se sonitum reddere, seù personare ob aliquam sanè rem futuram, & notatu dignam testatur, sive ostendit; Multasque idem Antonius Augustinus recenset vices; in quibus id eveniisse accepit; totidemque tritissimos in medium affert eventus, à spontaneo illius Campanæ sonitu olim præmonstratos; inter quos direptio, seù depopulatio Urbis Romæ tempore Clementis Septimi Anno Domini MDXXVII. Et pestis illa Anno Domini MDLXIV. in eòdem Regno Cæsaraugustano suborta recensentur. Adde etiàm, quòd Doctor Petrus Garsias, Canonicus, & eleemosynarius Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Pilari Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini, & olim Rector Ecclesiæ, in qua extat dicta Campana sponte suâ sonans, nunc Romæ, dum hæc scribo, Anno Domini MDCIX. commoratur, & eàmdem Campanam tempore sui Rectoratus, hoc est, Anno Domini MDCI. à nemine motam à die 13. Junii usquè ad trigesimam diem, interpolatis temporibus, frequentèr personasse omninò affirmat, atquè non semèl, etiàm me præsente, id ità esse jurejurando confirmavit, & scriptum reliquit. Ad hujus autèm generis spectaculum quatuor millia hominum cucurrisse addidit, & varios eventus in diversis mundi partibus post talem Campanæ sonitum Anno Domini MDCI. evenisse affirmavit. Adde etiàm, quòd hæc historia fuit impressa Romæ Anno Domini MDCI., & in Bibliothèca Angelica hodie asservatur. De spontaneo ejusdem Campanæ sonitu admirando faciunt mentionem Scriptores itèm alii, hoc est, Petrus Gregorius Tholosanus tom. 1. de Republica lib. 12. cap. 13. num. 25. Hieronymus Curita, magnus historicus Regni Aragonum lib. 10. cap. 93., & lib. 14. cap. 27. ad calcem. Fabius Paulinus libro quarto Hebdomadum cap. 7.

Vilillæ, vel Viligliæ Campana sponte sonans.

Urbis Romæ direptio, seù depopulatio.

MDXXVII. Pestis in Regno Cæsaraugustano.

MDLXIV. Doctor Petrus Garsias.

MDCI.

Bibliotheca Angelica.

Scriptores alii de Campana Viligliæ. P. Greg. Tholos. Hier. Curita.

Fabius Paulinus.

Hujusce itèm Campanæ miraculi testimonium à publicis Tabellionibus præstitum, Leonardus Vairus in libro secundo de Fascino se perlegisse testatur hisce verbis: *In Regnis Hispaniæ, in Oppido* Vililla *nuncupato Cæsaraugustanæ Diœcesis Campana quædam est*, quàm miraculorum *appellant: hæc per aliquot menses antequàm aliquid adversi in Christiana Republica contingat, ex se ipsa, nemine impellente pulsatur. Cujus rei testimonium per publicos Tabelliones, testibus plurimis adhibitis, hisce oculis egomet legi, prætèr fidem, quam de eàdem re illius regni Proreges suis literis faciebant.* Hæc Vairus.

Leonardus Vairus lib. 2. cap. 14.

Aliàs, Proceres.

Martinus del Rio libro quarto Disquisitionum Magicarum istùcipsum refert, quod Vairus de Campanæ Vilillæ scriptum reliquit. Prætereà ex Gobelino persona in vita Sancti Meinulphi, rem narrat quoquè admirandam de quàdam Campana in Bodkensi Monasterio in hæc verba: *Tintinnabulum quoddam magnum æneum benè sonorum in Bodkensi Monasterio reverentèr asservatur. Nàm quoties aliqua ex ejus Monasterii Sororibus brevi erat abitura è vita, absquè ullo humano ministerio, per se fortem reddebat sonum.* Hùcusquè Martinus del Rio de Campana Monasterii Bodkensis. De Campanæ autèm Vilillæ, vel Viligliæ sonitu spontaneo, & admirando Scriptores alios hujus generis miraculum verum esse omninò affirmantes, brevitatis gratiâ reticemus, aliarum Campanarum admiranda conscripturi.

Mart. del Rio lib. 4. c. 3. q. 2.

Sigebertus Gemblacensis in Chronicis Anno Domini MLXXXI. de Campanis, quæ in Ecclesia Maldemburgensi Flandrensis Provincia suâ sponte personuerunt, ità inquit: *Campanarium Ecclesiæ Maldemburgensis, vehementi vento flante, à suis locis evulsum, & ad terram penitùs fuit inversatum, ità in aere pendens, & ruinam sui minitans, ut sempèr casurum, & cuncta vicinia confracturum cerneretur. Sed cum per sex noctes, & dies id tractaretur à Populo, qualitèr hinc indè extractis machinis sursum erigeretur, & utrùmque loco suo relocaretur; pridiè Kalendas Januarii circà noctis medium adveniens virtus divina, totam Ecclesiam intùs, & foris implèvit luce igneâ, & Campanarium ad terram reclinatum, totum simùl erexit, ac firmissimè suis locis relocavit; & Campanas ibi dependentes mòx sonare compulit.* Hæc Sigebertus.

Sigebertus Gemblacen. Anno Dom. 1081. cū aliis scriptoribus in unum tomum collectis To. 1. in folio.

Campanæ itèm Aldemburgenses sponte suâ personuerunt, ut ait Jacobus Meyerus in Balduino Pio libro tertio Annalium Flandriæ

Campanæ sua sponte sonantes. Jacobus Me-

Iacobus Meyerus in Balduino Pio. Libro tertio Annaliũ totius Belgii An. Dom. 1062. pag. 25. in editione vetustiori, & pag. 30. in recentiori.

driæ ad Annum Domini MLXII. in hanc verborum formam: *Aldemburgii cum fames intolerabilis Flandros premeret, grandisque multitudo hominum panis quærendi gratiâ confluueret Aldemburgium, repertus quidam fuit primâ luce, qui sub dio de nocte fame (ut creditum est) perierat, qui dum sepeliretur, prohibuit Sacerdos Godobertus, nè pulsarentur Campanæ, eoqnòd homo esset ignotus. Sed ecce ibi, stupentibus cunctis, qui aderant, prodigio per se æra illa (mirum dictu) personuerunt. Hæc in Balduino Pio Jacobus Meyerus.*

Ecclesia Salernitana Ordin. Prædi.

In Monasterio Salernitano Ordinis Fratrum Prædicatorum suprà portam illius loci, qui vulgò *Capitulum* vocitàtur, in quo Patres pro aliqua re decernendâ congregari solent, ærea extat Campanula, quæ sponte suâ interdùm personavit, dum scilicèt aliquis ex Familia dicti Conventus ex hac vita decessit. Cujus rei aliquot recensentur exempla, præsèrtim verò illud, quod antè triginta annos evenisse narratur. Illa enim Campanula, nemine ægrotante dicto in Conventu, personuit; sed ecce Sacerdos novellus die sequenti primam cantaturus Missam, Campanarium cum aliis Fratribus Campanas pulsandi gratiâ ascendit ad hanc celebritatem, ut fieri solet, indicandam, è summitate illa cecidit, & obiit.

Philipp. III. Hispaniarum Rex de B. Isidoro.

Cum cadaver Beati Isidori, qui Madriti in Hispania quadringentis ab hinc, & ampliùs annis natus est, ex humili sepulchro ad honestiorem locum transferretur, Ecclesiarum Campanæ à nemine pulsatæ, nullovè artificio tactæ, divinitùs sponte suâ, miro ordine personuerunt, ut Philippus III. Catholicus Hispaniarum Rex in suo libello supplici, typis mandato, pro ejusdem B. Isidori canonizatione apud Summum Pontificem Clementem Octavum impetrandâ retulit.

Ecclesia Carmelitarũ Valentiæ.

In Ecclesia Ordinis Fratrum Carmelitarum Valentiæ (quæ est Urbs insignis citerioris Hispaniæ, tribus millibus passuum à mari remota) extat Capella Beatæ Mariæ semper Virginis, *de Consolatione* nuncupatæ, in qua sub terra, & profundè quidèm jacebat Campana, quæ à Vetula quadam ob vitæ probitatem insigni, & propè dictam Cappellam degente circà Annum Domini 1490. singulo quoquè fero, præsèrtim verò in Sabbatho, quandò scilicèt Campana ad salutationem Angelicam recitandam pulsari solet, Campana illa subterranea sponte suâ sonare audiebatur. Hac re tandèm promulgatâ, Rector Conventus Carmelitani, locum illum à Vetula indicatum excavari jussit. Hinc terrâ excavatâ, profundâque caveâ illìc effectâ,

Campana inventa sub terra.

Campana ipsa tandèm aliquandò inventa fuit, infrà quam erat Imago Beatæ Mariæ semper Virginis lignea, & aurata, quam tempore barbaricarum incursionum in loco illo subterraneo inclusam fuisse à Christifidelibus, conjecturam faciunt. Non desunt autèm, qui dicant, circà dictæ Imaginis pectus aperturam esse, in qua cum sacris Reliquiis Sanctissimum item Sacramentum fuisse inventum per traditionem affirmant.

In Territorio Gruningæ, quæ est Civitas Phrysiæ metropolitana, extat Pagus vocitatus *Brock*, in quo Campanæ sponte suâ personarunt; deindè magnam hominum mortalitatem sequutam fuisse Historiæ produnt.

Basilicæ Sancti Pauli Romæ Campana sponte suâ personuit An. Dom. 1610.

Spontaneum item sonitum dederunt Campanæ Basilicæ Sancti Pauli propè, & extrà muros Urbis Romæ. Nàm Anno Domini 1610. die 24. Octobris, die Dominico, dùm intrà Arenariam (quæ inter Basilicam Sancti Pauli, & Ecclesiam Sancti Sebastiani extat) Notarius publicus de mandato Illustrissimi, ac Reverendissimi Cardinalis Urbis Vicarii, cum aliis commoraretur, ut locum Sanctarum Reliquiarum à Pictore quòdam indicatum recognosceret, majores Campanæ Basilicæ Sancti Pauli personuerunt. Quòniam verò dictæ Campanæ, nonnisi in diebus festis solemnibus, & in Summi Pontificis ad ipsam Basilicam adventu pulsari solent; absente Abbate, Prior Monasterii Sancti Pauli, & aliquot ejusdem Monachi ab Ecclesia Sancti Sebastiani ad suam Basilicam redeuntes, audito in ipsa Arenaria dictarum Campanarum sonitu, gressus omni festinatione properarunt, Summum Pontificem ad eam Basilicam adventasse putantes. Postquàm autèm eò deventum fuit, nec Summum Pontificem illùc accessisse, nec dictas Campanas ab ullo prorsùs homine pulsatas, aut motas fuisse facti sunt certiores. Id quod omnibus persuasissimum fuit, tùm ob ingentem Campanarum magnitudinem, tùm quià ingressus ad eas haud facilè patet, atquè in tali die dictæ Campanæ, uti jàm diximus, pulsari non solent. Idcircò ad certitudinem, ac veneratiònem Sanctarum Reliquiarum indicandam, spontaneum Campanarum sonitum divinitùs factum esse, piè credendum censetur.

Multa item alia in hanc rem exempla dicenda supersunt, quæ nimis longum esset recensere. Hæc itaquè dicta sufficiant de admiranda virtute Campanis consecratis ad res occultas præsentes, & futuras indicandas, necnon ad alios effectus, admiratione dignos producendos loco, ac tempore divinitùs immissâ. Nunc reliquum est, ut Campanarum Ecclesiasticarum originem à tubis veteris testamenti in sancta Dei Ecclesia deductam in medium afferamus.

CAP. VIII.

De origine Campanarum à Tubis Veteris Testamenti deductâ.

CAmpanarum Originem à Tubis Veteris Testamenti habere, censendum videtur: Nàm in Veteri Testamento Dominus Deus, ut legitur in decimo Numerorum capite, Tubas fieri mandavit, dum Moysi dixit: *Fac tibi duas Tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quandò movenda sunt castra.* Et infrà post multa de congregando Populo à Filiis Sacerdotis Aaron, atquè de tempore procedendi ad bellum, ad Num. 10.

Clan-

Clangorem Tubarum, nèc non diebus festis, & lætitiæ, deque Holocaustis, & victimis pacificis, ac de oblationibus, Tubarum item clangore indicandis loquitur in hanc verborum formam: *Filii autèm Aaron Sacerdotis clangent Tubis, eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si exieritis ad bellum de Terra vestrâ contrà Hostes. qui dimicant adversùm vos, clangetis ululantibus Tubis, & erit recordatio vestri coràm Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & Kalendas, canetis Tubis super Holocaustis, & Victimis pacificis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri.* Hæc de Tubis in decimo Numerorum capite. Ut autèm Campanæ à Tubis Veteris Testamenti per ea, quæ in dicto Numerorum capite leguntur, originem habere comprobentur, similitudinem intèr Tubas, & Campanas ob multiplicem earumdem usum ductam expendere, seù examinare necesse est.

Num. 10.

CAP. IX.

De similitudine intèr Tubas, & Campanas.

IN decimo, ut vidimus, Numerorum capite, Tubarum usus ad plura pertinebat, ad Castrorum scilicèt motionem, ad belli congressionem, ad Populi congregationem, ad Festi celebrationem, ad Epuli oblationem, ad Holocausta, & Victimas pacificas. Sicut autèm hæc omnia in Veteri Testamento ad Tubarum fiebant clangorem, ita tòtidem, at illis modo suo similia, in Novo Testamento ad Campanarum sonitum celèbrantur. Nunc enim in Sancta Dei Ecclesiâ pro Castrorum motione, Belli congressione, atque Populi congregatione, lustrationes, vèl supplicationes, quas vulgò Processiones appellant, prævio Sanctissimæ Crucis Vexillo, Clero sequente, & populo comitante, celebrantur, & ululantium Tubarum loco, Campanæ pulsantur pro victoria consequendâ contrà Dæmones humani generis hostes, hoc est, contrà eorùmdem consultationes, & insidias, & contrà alia mala, ut imploratâ misericordiâ Dei omnipotentis, & clementis, *cujus* ut ait S. Leo, *natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est*, opus misericordiæ consequamur.

S. Leo serm. 2. de Nativit. Dom., & legitur in Annunc. B. Mariæ semper Virg. officio.

Tubarum item loco supèr holocaustis, & victimis pacificis in Veteri Testamento clangentium, nunc ad laudem, honorem, & gloriam incruenti sacrificii in Sancta Dei Ecclesia, uti jàm diximus, Campanæ pulsantur.

Interèà sicut ad festos dies celebrandos Tubæ olim clangebant; ità nunc ad Festivitates repræsentandas, & venerandas, Campanæ pulsantur.

Sicut denique in Veteri Testamento tàm in adversis, quàm in prosperis rebus ex præcepto Dei Tubis clangendum erat; ità nunc juxtà temporum varietatem, & rerum indigentiam pulsari solent Campanæ, dum scilicèt ad pœnitentiam, & lacrymarum compunctionem excitamur, & ad Dei misericordiam implorandam provocamur.

Adde etiàm, quòd omne tempus convenit verbo Dei. Modò enim legendum est, modò Deo cantandum, modò orandum, modò exhortandum, modò docendum, modò tandèm increpandum: Hæc enim omnia in Ecclesia Sancta Dei fieri solent juxtà illud Beati Pauli Apostoli ad Timotheum scribentis; *Prædica verbum; insta opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*: Necnon juxtà illud Psalmi: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Ad hæc tandèm omnia præstanda, juxtà rerum congruentiam, ac distinctionem, Campanæ itèm congruè, ac distinctè pulsantur. Hæc de origine, quam à Tubis Veteris Testamenti Campanæ Novi Testamenti quantùm ad usum traxisse censentur quandam intèr se similitudinem habentes, ut dissimilitudinem earumdem videamus.

Tim. 4.

Psal. 33.

CAP. X.

Dissimilitudo inter Tubas, & Campanas.

QUantùm verò ad materiam, & formam, Tubæ atquè Campanæ sunt dissimiles: Illæ nàmque argenteæ; hæ autèm ex ære conflatæ: Illæ ductiles, hæ conflatiles; Illæ sàtis oblongæ, angustæ, ac subtiles; hæ quasi rotundæ, atquè crassæ, quamdam tamèn galeri, aut pyri formam repræsentantes. Campanæ denique fiunt ex ære, quod est metallum durabile, ac sonorum; atquè intùs habent ferreum instrumentum, quo percutiuntur, ut sonitum reddant, novique Testamenti Prædicatorum ora significant, quæ plus durant, quàm Tubæ veteris Testamenti, altiùsque resonant. Notus namque olim erat tantùm in Judæa Deus, nunc autèm in toto Terrarum Orbe, ut rectè ostendit Amalarius Fortunatus, Episcopus Treverensis in libro tertio de Ecclesiasticis officiis capite primo, in quo hæc omnia diffusè declarat, sicut infrà videre licèt, eo scilicèt in loco, in quo de officio pulsandi Campanas habetur sermo. Hæc hactenùs de Campanis, ad Tubas relatis, ut rem præcipuam initio propositam prosequamur.

Amalarius Fortunatus lib. 3. c. 1.

Cap. 13.

CAP. XI.

Campanarum sonitus diversi undè oriantur.

CAmpanarum sonitus diversi sunt juxtà materiæ, ac formæ diversitatem. Materia enim ex æris, stanni, plumbique mixtione constare solet, secundùm varia Opificum consilia, ut ait Hieronymus Magius. Nàm si gravem (inquit) sonum quæsiverint, stanni, plumbique non parum æri admiscent: si acutum, stanno, plumboque plus parcunt. Sed seculis superioribus, cum avaritia minus, ut Magius inquit, sæviret, vel major argenti foret, ut reor, copia, argentum multum opifices in fundendis Campanis admisce-

Mag. c. 20. de Tintinn.

Magius ubi supra.

re solebant. Id quod ex ipso antiquarum Campanarum sonitu planum profectò fieri tradit Magius, qui duas hujus generis Campanas in Sancti Bartholomæi Ecclesia apud suos conterraneos Anglarenses reperiri ait.

Anglaræ Magii Patria.

Formæ item Campanarum diversæ, majores videlicèt, & minores; magis, & minùs crassæ; magis quoquè, ac minùs oblongæ, vèl magis, & minùs latæ; nècnon magis, & minùs pyri, vèl magis, aut minùs petasi, vèl galeri, aut pilei formam repræsentantes, efficiunt sonituum diversitatem. Propterea Magius ex diversitate formarum diversos Campanarum sonitus brevitèr colligit, & comprehendit in hæc verba: *Campanæ non solùm materiam, sed & formam plurimum ad soni magnitudinem, & suavitatem conduceret certò scimus. Si humiliores, latioresque petasi, seù galeri, aut lebetis figurâ efformentur, sonum non admodùm magnum, & ingratum auribus edunt: Si verò longiores, crassioresque quàm artis ratio patitur, obtusum, nec latè dimanantem emittunt. Artis præscripto Campanæ altitudo duplici oris diametro constat, at paulò breviore mensurâ. Forma pyri longioris effigiem æmulatur. atque exprimit. Antiquorum Tintinnabula magis ad galeri, quàm ad hujusmodi pomi formam accedebant, erantque tenuiora, quàmobrem, & rauca, & minùs, quàm nostra sint, sonora.* Hæc Magius ad verbum.

Mag. c. 20. de Tintin.

Formæ Campanarum diversæ sonitus efficiunt diversos.

Sonitus deniquè Campanarum diversitatem efficiunt diversa illa ferrea instrumenta, quibus Campanæ intùs pulsantur. Dicuntur autèm diversa, juxtà majòrem, & minòrem ferri quantitatem. Si enim ferreum illud instrumentum (quod *Rhopalum* græcè dicitur, latinè autèm *Malleus*, & *Lingua* nuncupatur) habeat cùm Campana proportionem, congruum Campanæ quantitati sonitum reddit, & auribus gratum; sin secùs, vèl obtusum, vèl asperum, sivè nimis acutum (quem vulgò *squillantem* appellant) & auribus ingratum. Hinc ferreum illud instrumentum perpulchrè, ac satis propriè *Lingua* Campanæ nuncupatur, quippè quæ in ipsa Campana suo modo facit, quod Lingua in homine. De variis Campanarum formis fundendis; nècnon de Instrumentis, quibus *Campanæ* pulsantur, juxtà varias Campanarum formas faciendis, Vannuccius Biringuccius Senensis, Artifex Campanarum egregius, perscribit in sua Pyrotechnia, in qua etiam docet quonàm pacto Campanæ in Turribus constitui, aut suspendi, & moveri debeant, multaque figuris delineatis optimè commonstrat.

Campanæ præscriptum est præceptū, vel regula ffiendi Campanam.

Campanæ lingua quænam sit.

Campanæ lingua quænam sit.

Vannuc. Biringuc. lib. 6. à c. 10. usque ad 15.

CAP. XII.

De Musico Campanarum concentu, necnon Turrium præstantiâ.

EX variis deniquè Campanarum formis peritissimorum hominum, etiàm musicarum arte, ac scitè quidèm factis; musicus Campanarum concentus fieri potest, immò solet, sicùt diversis in locis videre licet. Nàm, ut Hieronymus Magius in libello de Tintinnabulis, & Hieronymus Cardanus in libris de rerum varietate scriptum reliquerunt, apud Menapios, & Sicambros Populos ad utràmque Rheni, Germaniam, & Galliam dividentis, partem sitos; necnon apud alias Christianas Nationes Campanæ à musices non ignaris efformatæ, atquè suspensæ in Turribus, ac deniquè à Musicis pulsatæ, musicum reddunt concentum, Organorum instàr.

Mag. c. 27.

Cardan. lib. 12 c. 58.

Antuerpiæ, quæ est Civitas Brabantiæ, ac Belgii totius celeberrimum Emporium, extat augustissimum Templum Beatæ Mariæ semper Virgini sacrum, Turrim ex candido marmore admirandæ altitudinis, hoc est, quadringentorum, & viginti pedum Antuerpiensium, teste Guicciardino habens constructam, in qua, ut ait Franciscus Swertus, fit musicus Campanarum concentus, adeò insignis, tantàque arte, & harmoniâ, ut non Campanas, sed Organum aliquod, exteris omnibus stupentibus, audire videàris. De hujus generis Campanarum harmoniâ Hieronymus Cardanus postquàm loquutus est de perpetuo Tubarum sono efficiendo, hunc ait in modum: *Revocavit hæc narratio memoriam ejus, quod Bruxellis in Belgica vidi; Nolæ plurimæ in circuitu positæ supèr Turri, ut fieri solet, vocum musicarum sonis proportionem obtinent; adeout gnari artis, & tangentes singulas pro notis descriptis, cantilenam pulsant, admiratione potiùs dignam, quàm jucundam auditu. Nàm Nolæ non retinent vocem, sed cum ictu statim desinit. Idem Lovanii, Antuerpiæque fit. Transferri etiàm potest ad urceos, aliaque vasa. Si dicas, quis usus harum Nolarum? Vt tota Civitas audiat musicam; quod commodum non est exiguum.* Hùcusque Cardanus, qui cum dicat, harmoniam Campanarum Bruxellensium admiratione potiùs dignam, quàm auditu jucundam; Franciscus Swertus Antuerpiensis de Campanarum Antuerpiæ harmoniâ ità inquit: *Vtinam Cardanus hodiè Campanarum musicam Antuerpiæ audiret, secùs judicaret, nempè, & admiratione dignam, & auditu jucundam.* Hæc Swertus. Georgius autèm Braunius in Tomo quinto Civitatum Theatri de Turri, & harmoniâ Campanarum Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis; nècnon de primariâ ejusdem Campanâ, dequè ipsamet Ecclesiâ in hanc loquitur verborum formam: *Primaria Antuerpiensis Ecclesia, Beatæ Mariæ semper Virgini inscripta, Collegiata, nunc Cathedralis est, amplitudine, magnificentiâque excellens, multis ornamentorum generibus decorata. Cujus eminentior Turris, Campanis destinata, mirabili structurâ ex candido marmore affabrè factâ, admirandæ altitudinis visitur; alta pedes quadringentos viginti, undè non tantùm sumptuosissima Civitatis Ædificia, sed & amœnissimi quàque versus Agri, Horti, & Prata, etiàm ultrà Scaldim in Flandria conspiciuntur. Sunt in ea triginta tres Campanæ promiscuæ magnitudinis, quæ tàm consonantem edunt sonum, & diversas Ecclesiasticas melodias ità exprimunt, ut ab harmonia musica vix eum distinxeris. Harum*

Turris admirandæ altitudinis. Guicc. in Descriptio. Germaniæ inferioris, p. 103. in folio. Franc. Swerc in Magium.

Campanarū Bruxell. harmonia.

Franc. Swert. in Magium de Tintinnabulis.

Georg. Braunius tom. 5. Civitatū pag. 27.

Hæc vide in to. 5. Civitat. pag. 27.

Turris admirandæ altitudinis.

Campanæ 33. in Ecclesia Cathedrali Antuerpiæ.

Harmonia Campanarū musica.

Cam-

Campanæ primæ magnitudo.

Campanarum prima tanta est, ut nulla in Belgio sit magnitudine vastior: octo enim pedes capit ejus altitudo, septem cum semipede hiatus in diametro. Hùcusque Braunius de quatuor Antuerpiensis Ecclesiæ rebus admiratione dignissimis, Turris videlicèt altitudine, Campanæ primariæ vastitate, Campanarum multitudine, & musico earumdem concentu, musicam organorum harmoniam repræsentante. Hæc obiter dicta sint, ut harmoniam Campanarum musicam prosequamur.

Georg. Braun. to. 1. Theatri Civitatū pag. 22.

Mechlinia itèm, vel Machlinia, vulgò *Malin* vocitata, quæ est Civitas Brabantiæ præclara, & Brabantiæ *Meditullium* non ineptè dici potest, Lovanio, Bruxella, vel Bruxellis, & Antuerpia tot clarissimis Urbibus intercluſa, & undiquè quatuor milliaribus distans; habet Campanas, quæ organorum instàr, digitis tamen, ac pedibus pulsatæ, musicos, & varios quidèm concentus pro pulsantis arbitrio reddunt. Idem fit Bruxellæ, seù Bruxellis, Hallei, seù Hallæ, ac Trajecti, & aliis in locis illius Regionis.

Georg. Braun. to. 1. Theatri Civ. pag. 11.

Leodium, quod est Germaniæ inferioris, quam *secundam* dicunt, Civitas maxima, miræ itèm magnitudinis habet Campanas, quæ musicos diversi generis concentus mirâ efficiunt arte. Nàm in Cathedrali Ecclesiâ, Sancto Lamberto dicatâ, octo sunt amplissimæ Campanæ, minusculæ vero duodecim ad Horarum pulsationem accomodatæ. Ad Campanæ harum maximæ pulsationem quatuor, & viginti requiruntur homines. Maxima enim Campana duabus, & quidem magnis est cincta rotis, quæ circumligatæ sunt duobus deorsùm pendentibus funibus, quibus itèm alligati sunt quatuor, & viginti alii funiculi. Deindè homines duodecim trahunt vice versâ funes ab una parte, nècnon duodecim alii ab altera parte; ità verò, ut, quando pars una deorsùm trahit, altera sursùm trahat. Qui sanè mos in pulsandis Campanis pro musico efficiendo concentu per totum Belgium observatur, sicut dictæ Civitatis, & Regionis Indigenæ, qui Romæ vitam degunt, omninò affirmant.

Eccl. S. Pauli Leodii.

In Ecclesia Sancti Pauli eiusdem Civitatis Leodii quatuor, & viginti Campanæ ad omne genus musices aptissimæ, organorum instàr manibus, ac pedibus pulsantur; immò tantâ sunt dispositæ arte, ut ex se, vi tamèn ponderum, instàr Horologii, die nocteque antequàm horæ personent, omnia horarum præambula, quæ sunt Antiphonæ, cuilibet diei festo congruentes, musicalitèr, ut ità dixerim, decantent.

In Sancti Laurentii ejusdem Civitatis extant una, & viginti Campanæ, è quibus concentus musicus, & quidèm jucundissimus redditur non sine magna audientium voluptate: iis enim Campanis, & frequentèr quidèm, diversæ concinuntur cantiones, ad quas audiendas homines convolare solent.

Ibidem apud Cruciferos Campanæ complures, organorum instàr pulsatæ, omnibus redduntur gratæ ob musici concentus jucunditatem.

Argentoratum, sive Argentina, Civitas vetustissima, ac permagnifica, *Argentuaria, & Aurentina*, etiam dicta, apud Helvetios ad Germaniam superiorem pertinens, propè Rhenum sita; nobile ac ingens quoddam opus habet, cujus adsimile, si altitudo ejus, & artificium pensitentur, nèc in Germania, nèc in Italia, nèc in Gallia, nequè aliis in locis invenitur, sumptuosissima nempè Turris illa, quæ Anno Christi Domini 1277. inchoata fuit, atque viginti octo ferè annis usquè ad fastigium consummata, quadris autem lapidibus, & perpulcrè figuratis ab ipsis fundamentis ad supremum usquè culmen erecta, ubique aëri, & vento pervia; cujus ascensus quatuor patet cochleis. Ubi verò crassities ejus in fastigium incipit acuminari, ibi octo insurgunt cochleæ. Supremus nodus, qui inferiùs vix modii magnitudinem habere videtur, tantus est, ut capacitas ejus quinque, aùt sex homines recipiat personatos. Turris autèm longitudo, sivè altitudo quingentos, & septuaginta quatuor geometricos habet pedes. Hæc ex Georgio Braunio in Tomo Theatri Civitatum primo.

Georg. Braun. to. 1. Theatri Civit. pag. 33.

Turris admirandæ altitudinis, ac structuræ.

Homines personati, hoc est magnæ staturæ.

Braun. tom. 1. pag. 33.

Admirabili dictæ Turris artificio admiranda Campanarum præstantia musico insignita concentu respondet. In alia intrà Ecclesiam Turri extat horologium mirâ profectò arte constructum, quod aliquot Anni festivitates præcipuas, vel solemnitates Ecclesiasticas repræsentat per Imagines quasdam, quæ referunt personas, & alias res diebus festis repræsentandis congruentes, dum horæ pulsantur. Anteà verò quàm horæ pulsentur, duo Angeli Tubas personantes repræsentati musicum reddunt concentum, quo expleto, horæ pulsantur: quibus tandèm pulsatis, Gallus etiam supèr Horologii verticem effictus magno cum strepitu alas concutit, deindè statim bis modo suo cantat. Hujus generis Horologium construxisse fertur Nicolaus Copernicus, vir arte Mathematicâ peritus, qui Anno Domini 1540. floruit, sed tàm insigni opere ad finem perducto, à Civitatis Consulibus, & Primatibus, oculis (ut ajunt) orbari jussus fuit, ne usquàm gentium tàm egregium opus construere posset.

Horologium mirâ arte cõstructum.

Angeli Tubas personantes.

Gallus effictus modo suo cantat.

Horologii Auctor.

Nicolaus Copernicus oculis orbatus.

Admirandum, & valdè insigne Venetiis propè Sancti Marci Ecclesiam extat horologium à duobus effictis ex ære Mauris, hoc est, obscuri, aut nigerrimi coloris hominibus hinc indè pulsatum. Posteà verò quàm horæ pulsatæ sunt, è duorum ostiolorum uno, intèr quæ Deiparæ Mariæ semper Virginis sculpta infrà horologium Imago sedens repræsentatur, Angelus tubam personando exit, ut alterum ostiolum ingrediatur, à tribus comitatus Magis, qui dum antè dictam Imaginem transeunt, sese artificiosè flectunt, & inclinato capite, ipsam Imaginem venerantur, Angelumque intrà ostiolum ingredientem sequuntur. Id quod Franciscus Sansovinus in ejusdem Civitatis descriptione satis fusè, ac bellè quidèm scriptum reliquit, multis rebus lectu, ac scitu dignis enarratis de dicto Horologio, quod, ut ait idem Sansovinus, an-

no Domini MCDXCVI. artificiosè fuit constructum.

Musico autèm Campanarum concentu Campanariæ turres miro artificio constructæ, admirandisque Horologiis insignitæ, Gallisque cantantibus exornatæ, tàm in Germania superiori, quàm inferiori passim cernuntur. Quæ sanè loca suis cum rebus ad musicos Campanarum concentus pertinentibus recensere, nimis longum foret. Postquàm verò in ipso musico Campanarum concentu describendo mentionem fecimus de Campanis earumdem admirandæ altitudinis, ac structuræ turribus, quæ in Germania superiori, & inferiori, hoc est, Flandria reperiuntur, silentio prætereundum non videtur illud, quod Flavius Blondus in libro primo Romæ instauratæ de turri Campanaria Basilicæ S. Petri Romæ scriptum reliquit hisce verbis:

Blondus lib. 1 num. 56.

Leo IV. Ann. Dom. 850.

Leo IV. Campanariam Turrim extruxit, quæ omnium prima in Orbe terrarum fuit. Hæc Blondus, qui dictam Turrim, omnium primam in Orbe terrarum fuisse dixit, vel ob altitudinis, aut structuræ præstantiam; vel illam omnium primam ratione temporis in Orbe terrarum fuisse intellexit, quasi dixerit nullam Turrim Campanariam ante illam ædificatam fuisse ad illud usquè tempus, hoc est, ad Annum Domini DCCCL. Nàm Frater Alphonsus Ciacconius Ordinis Prædicatorum in Leone IV. de hac Turri loquitur hunc in modum: *Anno 850. S. Petri Basilicam Leo Romanus Pontifex, novo ad usum rei divinæ, eoque magnifico Campanario exornavit: & nè hujusmodi in posterùm obnoxia incursionibus, ac direptionibus esset, Vaticanum ipsum munire, & lapideis muris sepire instituit.* Hæc Ciacconius. Platina verò inquit: *Mœnibus Vaticanum cinxit; Leoninamque Urbem de suo nomine appellavit; nècnon Turrim, quam adhùc cernimus, in Vaticano apud Sanctum Petrum ædificavit: & Fores Basilicæ S. Petri ab Agarenis direptas, ex argento restituit.* Hæc ex Platina; & Ciacconio colligere mihi visum fuit, ut mentionem in medium afferrem ab iis factam de dicta Turri, cujus fastigium circa An. Dom. MCCCIII. in nocte post festum S. Petri diem, ob incuriam Mansionariorum igne devastatum, Bonifacius VIII. prætèr alia, & multa quidèm beneficia eidem Basilicæ Sancti Petri collata, reparandum curavit; Campanisquè ob dictum incendium in terram collapsis, & confractis, sex novas, & duplicati quidèm ponderis Campanas, ut legitur in Codice manuscripto perantiquo Benefactorum ejusdem Basilicæ, fundendas mandavit. Anno autèm Dom. MCCCLII. paulò antè Clementis VI. obitum, teste Alphonso Ciacconio, dirus fulsit Cometes, & quatriduum antè ipsius mortem, eàdem Turri Campanariâ fulmine ictâ, culmen ejus magnâ ex parte disjectum fuit, & vi ignis Campanæ devastatæ fuerunt, quarum loco Anno Domini MCCCLII. Anno scilicèt primo Innocentii VI. novæ Campanæ factæ sunt, ut in prima Campana, quæ dicitur major, & in secunda Campana, quæ nuncupater minor videre licet. Campanæ autèm sunt quinque, quibus inciſæ sunt Inscriptiones, ut infrà leguntur, quæ quàmvis rudem contineant latinitatem, versuumque regulam, & quantitatem syllabarum interdùm non servent, eas tamèn ad rem historicam repræsentandam hoc loco apponere visum fuit.

Alphonsus Ciaccon. in Leone IV.

Plat. in Leone IV.

Bonifac. VIII. Beneficia erga Basilicam S. Petri.

Ciaccon. in Clem. VI.

Innoc. VI.

INSCRIPTIO

Majoris Campanæ Sancti Petri.

In nomine Domini, Matris, Petrique, Paulique
Accipe devotum, parvum licet, accipe munus,
Quod tibi Christi datum Petri, Paulique triumphum.

Explicat, et nostram petit, populique salutem
Ipsorum pietate dari, meritisque refundi.
Et Verbum caro factum est.

Anno Milleno trecenteno cum quinquageno
Additis, et tribus Septembris mense colatur;
Ponderat, millia decies, septiesque librarum.

INSCRIPTIO

Secundæ Campanæ.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.
Ad honorem Dei, et Beatæ Mariæ Virginis,
Et Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli.
Verbum caro factum est.
Solve jubente Deo terrarum Petre cathenas, qui facis,
Ut pateant cælestia regna Beatis.
Hæc Campana cum alia majori ponderante $\frac{m}{XVI.}$

Post consumptionem ignito fulgore, anno præcedente imminente, fusa est, Anno Domini MCCCLIII. mense Julii, et ponderat hæc MX., et centena librarum. Amen.

INSCRIPTIO

Tertiæ Campanæ, quæ pulsatur pro Auditoribus Rotæ.

Nomine Dominico Patris, prolisque Spirati
Ordine tertiam Petri primæ succedere noscant
Per dies paucos quotquot sub nomine dicto
Sanctam Ecclesiam colunt in agmine trino. Amen.

IN-

INSCRIPTIO

Quartæ Campanæ, quæ pulsatur, dum Populus ad sanctam convocàtur Concionem.

ANNO DOMINI MCCLXXXVIIII. AD HONOREM DEI, ET BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, ET SANCTI THOMÆ APOSTOLI TEMPORE FRATRIS JOANNIS DE LEODIO MINISTRI, FACTUM FUIT HOC OPUS DE LEGATO QUONDAM DOMINI RIKARDI DOMINI PAPÆ NOTARII. GUIDOTTUS PISANUS ME FECIT.

INSCRIPTIO

Campanæ parvæ, quæ prior pulsatur in diebus festis.

MENTEM SANCTAM SPONTANEAM, HONOREM DEO, ET PATRIÆ LIBERATIONEM.
AVE MARIA GRATIA PLENA DOMINUS TECUM;
BENEDICTA TU IN MULIERIBUS,
ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI.

An. Domini 1610.

Nunc autèm, Anno scilicèt Domini 1610. Septembri mense, dictæ Campanæ translatæ fuerunt suprà Basilicam S. Petri novam intrà unum ex quatuor minoribus Tholum, quem vulgò *Cuppulam* vocant. Deindè 26. die mensis Octobris eadem Turris Campanaria, culmine olim dejecto, funditùs fuit eversa cum aliis vetustissimis ædificiis, quæ admirandum Basilicæ novæ prospectum, ac situm impediebant. In aliis item Campanis cæterarum Basilicarum, & Ecclesiarum, tàm Urbis Romæ, quàm aliorum locorum extant Inscriptiones, hisce, quas vidimus, aliquâ ex parte adsimiles.

Basilicæ Lateranensis Campanæ.

Bonifac. IX.

Honorius III

In primaria Basilicæ Lateranensis Campanâ, quæ Anno Domini 1389. fusa legitur, intèr sacra nomina, & mutila quædam verba, & inexplicabilia, fit mentio de Bonifacio IX. qui anno eòdem Summus Pontifex creatus fuit. In secunda Campana Honorii III. nomine insignitâ, & ob vetustatem perfractâ, sed Anno Domini 1504. restituta, fit mentio de Ranutio Farnesio Cardinale, & Pauli III. nepote, necnon Basilicæ Lateranensis Archipresbytero: ità etiàm in tertia, & quarta, Artifice dictarum Campanarum commemorato.

Ranutius Farnesius Card.

Basilicæ S. Mariæ Majoris Campanæ.

Pag. 165., & 166.

Cap. 6.

In tribus Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris Campanis minoribus, quarum duæ Anno Domini 1285. alia verò 1291. fusæ leguntur, extant Inscriptiones ad honorem omnipotentis Dei, ac Deiparæ Mariæ semper Virginis venerationem, juxtà verborum formas jàm à nobis enarratas; necnon illa Inscriptio ad Sanctæ Agathæ corporis caput in sepulchro reperta, & à nobis in capite hujusce Commentarii sexto explicata. Quæ omnia superiùs videre licet. In ipsis item inscriptionibus leguntur Artificum Campanarum nomina, & eorum, qui pecuniam in eos sumptos erogarunt.

In majori tandèm Ecclesiæ Jesuitàrum Campana, quæ ex Anglia delata fuit, hæc legitur Inscriptio;

Ecclesiæ Jesuitarũ Campana.

FACTA FUIT ANNO DOMINI 1400. DIE VI. MENSIS SEPTEMBRIS.
SANCTA BARBARA ORA PRO NOBIS.

Hùcusquè de Campanarum Inscriptionibus, ob mentionem de Campanaria Turri Basilicæ Sancti Petri à Blondo, necnon ab aliis tàm splendidè factam, digredi aliquâ ex parte mihi visum fuit, ut eò, undè digressi sumus, revertamur.

Quàmvis autèm in Italia, & aliis locis Campanæ in eàdem Turri complures deditâ operâ ità concinnatæ, uti jàm vidimus, non reperiantur, ut artificiosos musicæ concentus efficiant; Romæ tamèn, & alibi non desunt Campanæ, quæ suavem, & amænum sonum reddunt; nonnullæ item, etsi non arte, vel non deditâ operâ ità fuerunt concinnatæ, ut artificiosum reddant sonitum; musicum tamèn concentum quendam efficere inveniuntur, dùm aliquas musicæ consonantias, quàmdam scilicèt symphoniam emittunt. Romæ itaquè in Ecclesia Sanctæ Mariæ *ad Montes*, & in Ecclesia Sanctæ Catharinæ *ad Funarios* alitèr *de Rosa*, necnon alibi extant Campanulæ, quæ musicum quemdam reddunt concentum. Bononiæ autèm Campanas musicas olim fuisse Hieronymus Magius in libello de Tintinnabulis testatur hisce verbis: *Vidimus olim Bononiæ in Æde Episcopali antiqua tria Tintinnabula argentea, eâ artè facta, ut cum à Sacerdotibus, musices non ignaris, ad sonum edendum moverentur, musicos concentus emitterent.* Hùcusquè Magius de argenteis Bononiæ Campanis, de quarum concentu musico hæc dicta sufficiant, ut scopum nostrum primarium, multiplicem scilicèt Campanarum usum in sancta, & universali Dei Ecclesiâ, tàm videlicèt apud Viros Laicos, quàm Ecclesiasticos receptum tandèm aliquandò explicandum aggrediamur, officio pulsandi Campanas priùs explicato.

Romæ, S. Maria ad Montes. S. Cathar. ad Funarios.

Bononiæ in Eccl. Episcop. Magius c. 17. de Tintinnab.

CAP. XIII.

De Campanario, sive de officio pulsandi Campanas.

ANtequàm ad multiplicem Campanarum usum in Ecclesia Sancta Dei receptum accedamus, Nomen, & Officium, illius, qui Campanas pulsare debet, explicare necesse est. De officio pulsandi Campanas, ac de nomine ipsius, qui eas pulsare debet, habetur sermo in libro primo Decretalium Titulo 27. capite primo, in quo post officium Sacristæ Titulo 26. comprehensum, recensentur ea, quæ pertinent ad officium Custodis, de quo ità ibi legitur: *Custos Ecclesiæ, cui ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodienda com-*

Lib. 1. Decretal. c. 1.

Mansionarii, vel Custodis cura quænam sit.

committuntur, oportet, ut sui Archidiaconi jussioni in cunctis obediat: in Canonicis horis signa Tintinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono jubente, ab eo pulsentur: Pallia, vel linteamina Altaris, seù cuncta utensilia Ecclesiæ indesinentèr custodiat. Lampades, & laternas in accendendo, seù extinguendo pervigil existat. Hæc ibi de officio Custodis, qui est Sacristæ minister, & à Campana pulsandâ, nunc vulgò *Campanarius*, vocitàtur; olim verò, in primitiva scilicèt Ecclesiâ, *& Custos*, & *Mansionarius* nuncupabatur, *Custos* ob rerum Ecclesiasticarum custodiam, seù curam, *Mansionarius* autèm à mansione vocitabatur, ut Onuphrio Panvinio placet, hæc verba scribenti: *Mansionarius dictus est Custos, & Conservator Ædium Ecclesiasticarum, Templorum, & Altarium: item familiaris, & domesticus, à mansione. Multi ex his erant in Ecclesia Romanâ, quorum major, Primus mansionarius vocabatur, Unius horum, & ejusdem muneris meminit Divus Gregorius in libris Dialogòrum: Hodiè in multis Ecclesiis extant, curamque Psalmodiæ, & Altaris habent.* Hæc Panvinius. De hujusce officii nominibus mentionem facit Sanctus Gregorius Magnus in tertio libro Dialogorum cap. 24., & 25. dum loquitur de S. Theodoro, & S. Abundio Mansionariis, qui modo *Custodes*, modò *Mansionarii* appellantur. Nàm in capite 24. cujus Titulus est de Theodoro Mansionario Beati Petri Apostoli Urbis Romæ, Sanctum Petrum ait apparuisse, & loquutum fuisse Theodoro, qui ad lampades concinnandas quàdam nocte citiùs, quàm solebat, surrexerat. In capite autèm 25. loquitur de S. Abundio, Ecclesiæ Sancti Petri Mansionario, & Custode nuncupato, ad quem à Sancto Petro Puella quædam paralytica sananda missa fuit, quam statìm sanatam fuisse, manu ipsius Puellæ à S. Abundio tactâ, Sanctus Gregorius ibidem narrat.

De Theodoro Mansionario Ecclesiæ Beati Petri Apostoli Urbis Romæ Sanctus Gregorius loquitur in hæc verba: *Adhùc supersunt aliqui, qui Theodorum, ejus Ecclesiæ Custòdem noverunt, cujus narratione innotuit res, quæ ei contigit valdè memorabilis. Quòd quàdam nocte dum citiùs ad melioranda juxtà jacuam lumina surrexisset, ex more ligneis gradibus sub lampade positus stabat, & lampadis refovebat lumen. Tunc repentè Beatus Petrus Apostolus in stola candidâ deorsùm in pavimento constitit, eique dixit: Colliberte quarè tàm citiùs surrexisti? Quo dicto, ab oculis aspicientis evanuit. Sed tantus in eum pavor irruit, ut tota in illo corporis virtus deficeret, & per dies multos de strato suo surgere non valeret. Quâ in re quid idem Beatus Apostolus servientibus sibi voluit, nisi præsentia sui respectus ostendere: quià quidquid pro ejus veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione sempèr videret.* De Abundio Mansionario itèm Ecclesiæ Beati Petri hunc loquitur in modum: *Alius hic non antè longa tempora, sicut nostri seniores referunt, custos Ecclesiæ Abundius dictus est, magnæ humilitatis, atquè gravitatis Vir, ità omnipotenti Deo fidelitèr serviens: ut idem Beatus Petrus Apostolus signis ostenderet, quam de illo haberet æstimationem. Nàm cum quædam Puella paralytica in ejus Ecclesia permanens, manibus reperet, & dissolutis renibus corpus per terram traheret: diùque ab eòdem Beato Petro Apostolo peteret, ut sanari mereretur, nocte quadam ei per visionem astitit, & dixit: Vade ad Abundium Mansionarium, & roga illum, atquè ipse tibi salutem restituet. Cumque illa de tantâ visione certa esset, sed, quis esset Abundius, ignoraret, cœpit hùc, illùcque per Ecclesiæ loca se trahere, ut quis esset Abundius investigaret. Cui repentè ipse factus est obviam, quem quæsivit, eique dixit: Rogo te pater, indica, quis est Abundius custos? Cui ille respondit: Ego sum? At illa inquit: Pastor, & nutritor noster Beatus Petrus Apostolus ad te me misit, ut ab infirmitate istâ liberare me debeas. Cui ille respondit: Si ab ipso missa es, surge, manumque ejus tenuit, & eam in statum suum protinùs erexit. Sicque ex illa horâ omnes in ejus corpore nervi, ac membra solidata sunt, ut solutionis illius signa ulteriùs nulla remanerent.* De dictis Mansionariis, hoc est, de Sancto Abundio, & Sancto Theodoro fit mentio in Martyrologio Romano: De illo in 14. Aprilis die; de hoc autèm in die 26. Decembris.

Nomen igitùr tàm *Custodis*, quàm *Mansionarii* antè mille, atquè ampliùs annos pro *Campanario* sumebatur. Quod etiàm nunc Romæ viget, dum Mansionarii, præsens etiàm in tempus pulsant Campanas, nècnon pulsandas curant, & præsèrtim in Basilica Sancti Petri, ubi S. Theodorus, & S. Abundius tali officio functi jàm fuerunt, quos ordinibus sacris insignitos, & superpelliceo indutos fuisse omninò censendum est, sicut hodiè Mansionarii esse solent, qui Presbyteratus ordine, vèl ordinibus saltèm minoribus decorantur anteàquàm ad officium Custodis, aùt Mansionarii assumantur. Itaquè *Mansionarii*, ad quos pertinet etiàm cura pulsandi Campanas, tales esse debent; non enim ab homine quòpiam indifferenter pulsandæ sunt, quippe quæ aquâ benedictâ lavantur, & Oleo sancto Infirmorum, sanctoque Chrismate unguntur, multiplici signo Crucis intèr ungendum adhibito; nècnon thymiamate, ac myrrhâ, vel thure saltèm suffumigantur, atquè hunc in modum Orationibus, Psalmis, & Antiphonis intèr benedicendum recitatis, Campanæ divino cultui dedicatæ consecrantur, additâ postremò Evangelicâ lectione, utì suo jam loco, & plenius quidèm, dictum fuit. Cùm itaquè res ità sese habeat, Campanæ quatenùs consecratæ, ac divino cultui dicatæ, non à Laicis pulsandæ forent, sed ab iis, qui sacris Ordinibus, ac saltèm minoribus decorati fuerunt, vel Deo saltèm dicati reperiuntur, cujusmodi etiàm sunt Clerici nondùm sacris Ordinibus ullis initiati, sed habitu laicali depositò, clericali tantùm habitu, ac primâ tonsura insigniti, & superpelliceo induti, de foro Ecclesiæ facti sunt, ut legitur in Pontificali Romano, & in ipsâ clericali ordinatione ab Episcopo id ità esse aper-

Custodis officia plura.

Sacristæ Minister.

Mansionarius, & Custos idem.

Panv. de incorpr. vocum obscurarum Eccles. post Vitas Summorum PP. à Platina conscriptas.

Mansionarii olim erant multi in Ecclesia Romana.

S. Greg. lib. 3. Dialog. c. 24., & 25. Tom. 3.

S. Theodorus Mansionarius die 26. Decem. Martyr. Rom.

S. Abundius Mansionar., & Custos die 14. Aprilis in Martyr. Rom.

S. Greg. lib. 3. Dialog. c. 24. Tom. 3.

S. Greg. lib. 3. Dial. cap. 25. S. Abund. appellatur Custos, & infra nuncupatur Mansionarius quia idem sunt Custos, & Mansionarius.

Abundius Mansionarius.

Abundius Custos.

S. Abundius, S. Theodorus.

Mansionarii officium.

Benedictio Campanarū.

Cap. 5.

Campanarius Ordinibus saltem minoribus, vel primâ tonsurâ decoratus esse debet.

Pontif. Rom. par. 1.

apertè declaratur. Hujus generis itèm sunt Religiosi, ac Religiosæ Feminæ; Illi laicali habitu depositò, & Ecclesiastico induti, & capitis corona, quam *tonsuram, & clericam* vulgò appellant; Hæ autem velatæ, aùt sacratæ, *Monialesque* nuncupatæ: *Conversi* verò (ut ajunt) & *Conversæ* non itèm rebus hisce carentes. Quàmvis verò Clerici, nècnon Religiosi, ac Religiosæ Fœminæ primo loco memorati, Campanas pulsare queant: hoc tamèn officium etiàm ad Ostiarium pertinere censetur, qui scilicèt Ostiarius est unus ex illis quatuor, qui ad Ordines minores assumuntur. Quòd autèm munus pulsandi Campanas etiàm pertineat ad Ostiarium, ex eo constat, quòd, ut legitur in Pontificali Romano, ii, qui ad Ordinem Ostiariatus ab Episcopo assumuntur, sivè ordinantur, Clavibus Ecclesiæ sibi ab Episcopo datis, Archidiaconus, vel alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos superpelliceo indutos ad Ostium Ecclesiæ, & facit illos claudere, & aperire, tradit etiàm eis funem Campanarum, faciens eos pulsare Campanas, deindè illos reducit ad Pontificem, benedictionem Domini ab eòdem Episcopo accepturos. Hæc ex Romano Pontificali de Ostiarii officio, quod est etiàm pulsare Campanas. Quàmvis enim Clerici, Beneficiati, & Canonici, dum alicujus Basilicæ, vel Ecclesiæ Collegio, quod *Capitulum* vocitàtur, adscribuntur, vel, ut ità dicam, incorporantur, Tintinnabulum, seù Campanulam pulsare soleant; hoc tamèn tantùmmodò in signum jurisdictionis, & possessionis, vel incorporationis ab iis fieri solet; ab Ostiariis autèm pulsatur Campanula ratione suscepti Ordinis, qui est intèr quatuor minores primus. Cùm itàque res ita sese habeat, officium pulsandi Campanas nonnisi ab illis, qui vel minoribus Ordinibus, vel primâ saltèm tonsurâ in Sancta Dei Ecclesiâ sunt insigniti, exerceri jure potest, ac debet; immò proptèr Campanæ significatum hujus generis officium à Presbytero subterfugiendum non esse ait Amalarius Fortunatus, Episcopus Treverensis in tertio de Ecclesiasticis officiis libro, in cujus initio Campanas Ecclesiasticas originem à tubis veteris Testamenti traxisse, illasque ora Prædicatòrum novi Testamenti significare demonstrat. Quæ sanè omnia, etsi superiùs tetigimus, & quidèm summàtim, ut Campanarum originem, nècnon similitudinem, ac dissimilitudinem intèr Tubas, & Campanas ostenderemus; hoc tamèn loco Amalarii verba recitanda videntur, quibus Campanarium officium ob earumdem Campanarum significatum à Presbytero subterfugiendum non esse ostendit in hanc verborum formam: *Prædicationem*, (inquit) *quam significabat clangor Tubarum, Hieronymo exponente, significat Signum*, (hoc est, Campana) *quod in nostra Ecclesia reboat. Signum nostrum* (Campana scilicèt nostra) *est ex metallo æris. Æs est metallum durabile, & sonorum. Habet idem Signum* (hoc est Campana) *interiùs plectrum ferreum, quo tunditur, ut audiatur. Oraque Prædicatorum significat novi Testamenti, quæ plus durant, quàm tubæ veteris Testamenti, atquè altiùs resonant. Ora Prædicatòrum nostròrum durabunt usquè in finem; & auditur longè sonus eorum usquè in fines terræ. Tempore Judæorum notus erat tantùm in Judæa: At nunc in omni terra. Vas metalli æris ora significat, ut diximus, Prædicatòrum; Ferrum interiùs, Linguam eorum.* Et infrà: *Campanæ funis, qui habet initium à ligno (cui scilicèt alligatur) Scripturam sacram significat Novi Testamenti, descendentem à Ligno Dominicæ Crucis. Quod tamèn lignum à superioribus continetur, quia Dominica Crux à Prophetis, & antiquis Patribus continetur: qui funis usquè ad manus Sacerdotis pertransit: etenim Scriptura ad opera Sacerdotum debet transire.* Hæc Amalarius, qui post multa alia, quæ brevitatis gratiâ sunt silentio prætereunda, hortatur Presbyterum, ne Campanam pulsare despiciat, dum hisce loquitur verbis: *Ne despiciat Presbyter hoc opus agere, ut in isto imitator sit filiorum Aaron, sicut, & in multis cæteris. Qui se cognoscit debitorem esse prædicationis, non debet se retrahere à movendis Signis* (hoc est, Campanis) *cum ex iisdem possit prædicare Populo.* Hæc Amalarius de præstantia, & significatu Campanarii, & officio pulsandi Campanas.

Istùc ferè ipsum scriptum reliquit Rupertus Abbas Tuitiensis, in primo de divinis officiis libro hisce verbis: *Hæc igitur Ecclesiæ Signa* [hoc est Campanæ] *atquè illæ Tubæ legales, unum atquè idem significant, scilicèt sanctos Ecclesiæ Prædicatòres.* Hæc Rupertus, qui post alia multa ad capitis calcem, sermonem de Campanis, Prædicatores significantibus, ità concludit: *Trinum itaquè solemnis dici classicum, idèst, Matutinum, Vespertinum, & quod ad Missæ pulsatur initium, sic imitetur Evangelicus Prædicatorum Chorus, ut sempèr prædicet lamentationes præsentis vitæ, carmen futuræ, & Væh Gehennæ.* Hæc Rupertus de Campanis, quæ significant Prædicatòres.

Campanæ itaquè, ut omnia hùcusque de officio pulsandi eas pauciissimis repetam verbis, quatenùs consecratæ, ac divino cultui dicatæ, necnon quatenùs Prædicatores Verbi Dei significant, non à Laicis pulsari deberent, sed à Presbyteris (Amalario consulente, atquè hortatore) sicut ab aliis Ecclesiasticis viris, vel ab Ostiariis, aut Janitoribus Ecclesiæ superpellicei indutis, aut ab iis, qui minoribus ordinibus, vel primâ saltem tonsurâ, utì jam diximus, sunt insigniti; necnon à Religiosis viris juxtà qualitates superiùs assignatas. Propterèa Joannes Stephanus Durantus vir doctissimus, & insignis, in primo de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ libro scribit, congruum esse, ut Campanarii in Campanis pulsandis existant superpelliceis induti. Ipse nàmque Durantus, rebus omnibus ad benedictionem, vel consecrationem Campanarum pertinentibus, necnon origene, usibus, & effectibus earùmdem diligentèr pensitatis, multa post tandèm in trigesimo primo ejusdem libri capite de Campanis conscripta, ità paucis inquit verbis:

Eos

Ostiarii officium.

Pontif. Romanũ par. 1.

Campana à Presbytero pulsanda. Amal. Fort. lib. 3. c. 1.

Cap. 8. 9. & 10.

Amalar. ubi suprà.

Hier. in Joel 2. To. 5.

Pfal. 75.

Lingua Campanæ. Guill. Durandus lib. 1. Rationalis ca. 4. n. 5.

Campana à Presbytero pulsanda.

Ruper. Abb. lib. 1. cap. 16. tom. 4.

Cap. 16.

Campana à Clericis primâ saltèm tonsurâ insignitis pulsari debet.

Steph. Dur. lib. 1. c. 22.

Steph. Dur. lib. 1. c. 31.

Eos verò, qui Campanas pulsant, congruit superpelliceis indui. Hanc autem congruentiam ex Concilio item Colonienſi deſumptam eſſe innuit. Verba Concilii ſunt hæc: *Campanarios cereis ascendendis, aliisque in Choro ministrationibus intentos, deceret superpelliceis indui.* Hæc ibi de Campanariis. Quàmvis autèm in Concilio Colonienſi primo indumentum ſuperpellicei ad officii Campanarii decentiam referatur; in ſecundo tamèn Concilio Colonienſi, ut Campanarius in ſuis officiis exequendis utatur ſuperpelliceo, decernitur in hæc verba: *Statuimus igitùr, ne liceat Campanariis, ſeu Matricularijs nutrire barbam, aut in veſte laica in Eccleſijs circumcurſitare, ſed miniſteria ſua in ſuperpelliceis exhibeant.* Concilium hoc in loco indefinitè loquitur de miniſteriis Campanarii, ergo de omnibus miniſteriis ad Officium Campanarii pertinentibus, Decretum illud intelligi poſſe videtur. Nàm Propoſitio indefinita ſine ſigno univerſali pro univerſali ſumitur, teſte Ariſtotele in primo Priorum libro capite primo. Itaquè ſi miniſteria Campanarii indefinitè ſumpta, cum ſuperpelliceo exercenda ſunt, ergo multò magis Campanarum pulſatio; cùm Campanarius, cujus munus eſt pulſare Campanas, *à Campana ipſa* nomen ſibi ſortiatur. Immò ſi omnia, quæ de Campanis hùcuſque à nobis dicta ſunt, rectè perpendantur, munus pulſandi Campanas omnia alia miniſteria Campanarii antecellere, dicas neceſſe eſt. Quæ profectò cum ità ſeſe habeant, Campanæ nullo modo à Laicis, nec ſine ſuperpelliceo ab Eccleſiaſticis viris pulſari debent. Hæc ſunt, quæ de Campanario, ſive de officio pulſandi Campanas mihi dicenda videbantur. Nunc reliquum eſt, ut multiplicem Campanarum uſum in ſancta, & univerſali Dei Eccleſia receptum aggrediamur.

Concil. Colonien. 1. c. 31. tom. 5.

Concil. Col. 2. 6. 13. tom. 5.

Propoſitio indefinita ſumitur pro univerſali. Ariſt. lib. 1. Priorum c. 1.

Campana nullo modo à Laicis, & ab Eccleſiaſticis non ſine ſuperpelliceo pulſari debet.

CAP. XIV.

De multiplici Campanarum uſu in ſancta, & univerſali Dei Eccleſia recepto.

MUltiplex profectò eſt Campanarum uſus in ſancta, & univerſali Dei Eccleſia receptus, qui majori ex parte, & quidèm sàtis bellè, præsèrtim verò Eccleſiaſticus, duobus verſibus comprehenſus eſt à quopiam homine conſcriptus, per *proſopopœjam*, idèſt, per perſonam fictam, figuram ſcilicèt illam, quâ rebus inanimatis perſonam, & orationem tribuere interdùm ſolemus, ut factum eſſe conſtat in duobus verſibus intrà poſitis, in quibus Campana ipſa de ſe loquens inducitur in hæc verba:

Laudo Deum verum, Plebem voco, Congrego Clerum,
Defunctos ploro, Nimbum fugo, feſtaque honoro.

Duobus hiſce verſibus (quos ob rhythmicas quaſdam ſyllabarum deſinentias à Leone fortaſsè quòdam, hujus generis verſuum inventòre, *Leoninos* appellant) varii Campanarum uſus in ſancta Dei Eccleſia recepti, comprehenſi ſunt; quorum primus ad veri, & omnipotentis Dei laudem inſinuandam, & honorem indicandum pertinet. Ad hanc rem præſtandam intèr divina interdùm officia recitanda, & intèr Miſſarum ſolemnia, præsèrtim verò in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio Campanæ pulſantur. Iſtùcipſum faciendum inſinuatur, dum Populus ad Eccleſiam per Campanarum ſonitum convocatur, & Clerus eòdem invitatus congregatur; Pulſantur item Campanæ, dum Eccleſiaſticæ feſtivitates, & Sanctorum ſolemnitates celebrantur, defunctique ad Eccleſiam ſunt deferendi, ac deniquè dùm ad nimbos, & grandines, aut procellas fugandas pulſari ſolent; Quæ ſanè omnia duobus illis verſibus comprehenſa, ſingulàtim, & quidèm pleniùs explicanda eſſe cenſemus, cæteris Campanarum uſibus ad Eccleſia receptis, necnon rebus aliis, ad quemlibet Campanæ pulſandæ uſum pertinentibus, penſitatis, & explicatis.

Proſopopœja.

Duo ſequi verſus Leonini mèdiosè recitantur à Gloſſatore in lib. 1. Extravag. de Offic. Cuſt. fin.

CAP. XV.

De uſu pulſandi Campanas pro Clero congregando, Populoque convocando ad divina officia celebranda, & ad Concliones audiendas.

SIcut in veteri Teſtamento, utì jàm in capite de origine Campanarum, & de ſimilitudine, ac diſſimilitudine intèr Tubas, & Campanas diffusè diximus, ad Tubarum clangorem ex divino præcepto, ut legitur in capite Numerorum decimo, multa fiebant; ità nunc ad Campanarum ſonitum in novo Teſtamento multa, illiſque modo ſuo ſimilia, celebrantur, ſingulàtim hoc loco explicanda. Quâ in re præſtanda, Ritus cujuſque Auctorem, ſive inventorem in medium afferre conabimur.

Cap. 8.

Num. 10.

De Campanis ad officia divina pulſandis.

QUiſnam Ritum pulſandi Campanas pro Clero in primis, deindè pro Populo ad divina officia, necnon ad Conciones, & ad Miſſarum ſacrificia convocando, inſtituerit, non ſatis conſtat. Nàm, ut in primo hujuſce noſtri Commentarii diximus capite, in quo de inventione, atquè antiquitate Campanarum verba fecimus, & diffusè quidèm, hunc Ritum à Sabiniano Pontifice Maximo antè mille circitèr annos inſtitutum fuiſſe ſcribunt Polydorus Virgilius in libro ſexto de inventoribus rerum, Platina in Sabiniano, Franciſcus Petrarcha, & alii, præsèrtim verò Onuphrius Panvinius in Epitome Summorum Pontificum dicens: *Hic Papa Campanarum uſum invenit, juſſitque, ut ad horas canonicas, & ad Miſſarum ſacrificia pulſarentur in Eccleſia.* Hæc Panvinius, cui profectò ſententiæ, aut opinioni adverſantur Sancti Hieronymi verba, quæ quàmvis in primo capite ad antiquum Campanæ pulſandæ

Cap. 1.

Sabiniani ann. Dō. 606.

Polyd. Virg. lib. 6. c. 12.

Onuphrius Panvin. in Sabiniano.

dæ in Sancta Dei Ecclesia usum à nobis fuerint recitata, hoc tamèn loco tandèm repetenda censemus, ut probabiliùs ostendamus hujusce Ritus institutorem.

Quàmvis itaquè hujus generis Ritus inventum Sabiniano ab iis, quos nupèr recensuimus, tribuatur; verba tamèn Sancti Hieronymi, quem antè Sabinianum ducentos circitèr annos floruisse constat, huic opinioni omninò refragantur. Hieronymus enim in Regula Monacharum, dum loquitur de matutino, & de modo recitandi officium divinum, facit mentionem de sonitu Campanæ in nocte hisce verbis: *Ad matutinas excubias, media nox vos præparet. Nullam ex vobis dormientem reperiat Campanilis sonus.* Hæc Sanctus Hieronymus, qui in capite trigesimo nono ejusdem Regulæ, postquàm verba fecit de horis vespertinis, de sonitu Campanulæ, sorores ad Ecclesiam post cœnam vocantis, loquitur hunc in modum: *Post peractam cœnam, vel si omittitur, post aliquam horulam, juxtà exigentiam temporis ad Ecclesiam sorores Campanula vocet: ubi vel de Sanctorum, vel de aliis mirabilibus Dei lectio devota dicatur.* Hùcusque Sanctus Hieronymus. Ex his profectò locis usum Campanæ pro Sanctimonialibus ad Ecclesiam convocandis tempore Sancti Hieronymi antè Sabiniani tempora fuisse apertè constat. Propterèa censendum videtur, sententiam probabiliorem esse illorum, qui Campanæ inventum [quantùm ad Ecclesiasticum usum] Paulino Sancto, & Episcopo Nolano adscribunt. Paulinus enim, utì jam diximus, Sanctorum Augustini, & Hieronymi coætaneus fuit, sicut Epistolæ invicem scriptæ id ità esse testantur; immò, ut ait Tritthemius, S. Augustini Discipulus fuit. Addè etiàm, quòd propterèa Campanæ à Nola, ex præcipuis Campaniæ Urbibus una, cujus Episcopus fuit Sanctus Paulinus, *Nolæ* jàm dictæ; & à Campania ipsa Italiæ Provincia, *Campanæ* itèm ab omnibus præsens in tempus vocitantur: Nàm Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus Campanæ usum primus in suam Ecclesiam invexisse creditur, atque id ità esse vulgata, seu communis docet opinio, quasi priori sæculo dictus Campanæ usus fuerit ignotus, vel potiùs in Ecclesiis non receptus. Etsi ergo hujus generis Ritus Paulino Sancto, & Episcopo Nolano juxtà opinionem magis vulgatam adscribitur; fieri tamèn potest, ut Sabiniani tempore dictus Ritus, quatenùs non ubique apùd Ecclesiasticos viros receptus, vel quatenùs fortassè intermissus, ab ipso Sabiniano, vel institutus, vel in usum revocatus ad Missarum sacrificia indicanda, & ad horas in Ecclesiis divini officii gratiâ distinguendas intelligatur. Divina officia distinctionibus horarum comprehenduntur, quæ sunt *Officium nocturnum*, seu *Matutinum*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, & *Nona*. *Vesperæ* itèm, & *Completorium*. Hæc autèm ex Joannis Beleth meditatione juxtà septem hominis ætates, infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, virilitatem, senectutem, ac decrepitatem instituta videntur, ut hoc Symbolo Creator omnipotens in omnibus, vel pro omnibus ætatibus à nobis laudetur, & oretur. Vel, ut reor, ad imitationem Prophetæ David in Psalmo dicentis: *Septies in diem laudem dixi tibi*: quàmvis enim particula illa, *Septies*, universitatem, & perennitatem significet, sicut Doctores dictam voculam interpretantur eòdem in loco Psalmi; Nicolaus tamèn Lyranus dictum illud ad septem horas canonicas referri posse ait. Addè etiàm, quòd particula, *Septies*, frequentiam quoquè significat juxtà dictum Proverbiorum illud: *Septies in die cadet justus, & resurget*: Justus enim, ut ait Glossa, cadere, idèst peccare frequentèr memoratur quantùm ad peccata venialia, sine quibus hęc vita non ducitur. Nàm per ignorantiam, vel oblivionem, vel surreptionem, per necessitatem, vel fragilitatem carnis singulis diebus, &c., frequentèr peccàmus; Justus tamèn resurgit, quia justus est, nec ejus justitiæ humana prejudicat fragilitas. Hùc etiàm spectare videntur septem illæ horæ canonicæ, ad quas recitandas Clerus convocatur, & Populus ad easdem, atquè ad Conciones audiendas per Campanarum pulsum invitatur.

S. Hieronym. ann. Dñi 422. Sabinian. 606.

S. Hieron. in Regula Monach. cap. 32. tom. 9. p. 627.

Pſ. 118. Basil., & Aug. 24. Prov.

Prov. 24.

S. Hieronym. c. 39. p. 632.

S. Paulinus inventor usus Campanæ in Ecclesiis, & S. Augustini Discipulus, ex Tritthemio in Paulino ann. Dom. 422.

Sabiniani revocatio, vel institutio pulsandi Campanas.

Joann. Beleth c. 28. ad calcē Rationalis divinorum officiorum Durandi.

CAP. XVI.

De Campanis in sacrificio Missæ pulsandis.

DE Campanis in Sacrosancta Eucharistia conficienda ex Gregorii IX. Decreto pulsandis in Chronicorum Conradi Abbatis Urspergensis additionibus, quæ *Paralipomena* inscribuntur, in hæc legitur verba: *Eo tempore* [*Anno scilicèt Domini MCCXXXVIII.*] *Pontifex Gregorius IX. Salve Regina, certis divinæ rei horis addi, Campanasque ad Eucharistiæ confectionem, & laudes Virginis Dei Genitricis pulsari decrevit, rem scilicèt Ecclesiasticam reformaturus.* Hæc ibi. Quæ sanè omnia ad opem divinam implorandam, & intercessionem Beatæ Mariæ sempèr Virginis invocandam, facta esse censendum videtur, dum scilicèt Fridericus II. Imperator, etiàm vicetertiâ excommunicatus, & Imperio privatus, Romanum ac Summum Pontificem, & Ecclesiam mirum in modum vexabat, necnon Tartari Christianitatem infestabant, Christianas depopulando provincias, ut legitur dicto in loco nupèr citato, & in Platina summorum Pontificum vitis. In Sacrificio autèm Missæ; dum scilicèt Sacrosancta conficitur Eucharistia, & elevatur, Campanæ pulsantur ad honorem, ac venerationem tanti sacrificii, necnon ad excitandas hominum mentes, ità verò, ut homines itèm domi commorantes ad Campanarum sonitum genibus flexis Christum Dominum in Spiritu adorent, ut ex Concilio Claromontano, Conrado Urspergensi Abbate, Petro Messia, Arnoldo Vuion, Monacho Benedectino, & ex aliis colligitur.

Chron. Conrad., & Paralip. innominati. Greg. IX. Decret. Salve Regina.

Vide Plat. in Greg. IX.

Concil. Claromont. Abbas in Chron. Petr. Mess. p. 4. c. 9. Arnol. p. 2. de Ligno vitæ lib. 5. Embric. 3. in Vrbano II.

CAP.

CAP. XVII.

De Campana in Vespere, vel in Sero, in Mane, & in Meridie pulsari consueta.

QUisnam trinum Campanæ pulsum, aut sonitum in tribus illis temporibus, *Vespere* scilicèt, aut in *Sero*, *Mane* ìtèm, ac *Meridie*, necnon quibusnam de causis dictum ritum instituerit, variæ sunt opiniones, ac sententiæ, quas omnes, & quidèm singulàtim explicare conabimur. Anteà verò quàm institutorum nomina, & causas institutionum explicemus, nonnulla dicenda sunt, & quidèm satìs congrua illis causis, ob quas hujus generis ritus fuit institutus.

Tria illa tempora nupèr commemorata, & in Psalmi versiculo comprehensa hisce verbis: *Vespere, & Mane, & Meridie narrabo, & annunciabo; & exaudiet vocem meam*; non carent mysteriis, in quibus meditandis, ac venerandis in illo triplici Campanæ pulsu, aut sonitu ad clementissimi, & omnipotentis Dei misericordiam, & opem implorandam, Deiparâ Mariâ semper Virgine pro nobis intercedente, Angelica Salutatio tribus vicibus recitari solet, & genibus quidèm flexis, Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes diebus exceptis, atquè ìtèm Dominicis, & Vespere Sabbati totius anni diebus, quæ Resurrectionis diem repræsentant: in hisce nàmque diebus omnibus Angelica Salutatio absquè genuflexione recitatur.

Psal. 54.

Ave Maria.

Angelica Salutatio quando recitari debet cum genuflexione.

Id, quod in Concilio primo Nicæno sancitum fuit in hanc verborum formam: *Quoniàm sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in universis locis consonantèr observentur, placuit Sancto Concilio à Paschate usquè ad Octavas Pentecostes, stantes Domino vota persolvere, vel Deo Orationes effundere.* Hæc ex primi Concilii Nicæni Canone vigesimo juxtà editionem primam, & versionem Gentiani Herveti in tertiâ ìtèm Decreti parte, titulo *de Consecratione*, descriptam. Burchardus verò Ecclesiæ Wormaciensis Episcopus, & Ivo Carnothensis etiàm Episcopus in Pannormia ex Aurelianensi Concilio istùcipsum fusiùs explicarunt in hæc verba: *Ut Presbyteri plebibus annuncient, quòd in quadragesimâ, & in jejunio quatuor temporum tantummodò ad Missarum solemnia genua flectere debeant. In Dominicis è contrà diebus, & in cæteris festis, & à Vespera usquè in Vesperam non flectant genua, sed stantes incurvati orent: Nec quisquam uno genu solo tenùs impresso orare præsumat, sicut Judæi irridentes Dominum in Passione ejus fecisse leguntur; sed utraque genua terræ figat. Ait enim Apostolus: Flecto genua mea ad Patrem Domini Nostri Jesu Christi.* Hæc de genuflexione in orando.

Conc. Nic. 1. tom. 1., & de Consecr. dist. 3. c. 10. Quoniam.

Burch. lib. 13. Decretorum cap. 3. Ivo lib. 2. cap. 183.

Ephes. 3.

Per tria igitùr illa tempora, in Versiculo Psalmi comprehensa, mysteria Passionis, & Mortis, quam Christus Dominus pro nobis perpessus est; ejusdem mysteria Resurrectionis, & Ascensionis in Cœlum nobis insinuantur, sicut Sanctus Pater Augustinus, & Sanctus Hieronymus in ipso Psalmi Versiculo explicando scriptum reliquerunt. Nàm Sanctus Pater Augustinus post multas meditationes, & considerationes, in illis tribus temporibus explicandis præstitas, ità inquit: *Vespere Dominus in Cruce, Mane in Resurrectione, Meridie in Ascensione*; & Sanctus Hieronymus: *Vespere, cùm Passionem suscepit; Mane, cùm resurrexit; Meridie, cùm, omni claritate virtutis suæ adimpletâ, Cælos ascendit, & sedet ad dexteram Patris.* Ter itaquè ad trinum Campanæ sonitum in tribus illis temporibus enarratis Angelica Salutatio ad tria hæc mysteria repræsentanda recitatur, tribus tamèn prævìis Antiphonis, quarum prima prænunciatam ab Angelo Christi Domini Conceptionem in utero Beatæ Mariæ sempèr Virginis faciendam complectitur; Altera verò ejusdem Virginis assensum Deo commissum; Tertia deniquè Filium Dei in ejusdem Virginis utero de Spiritu Sancto conceptum, incarnatum, & natum; Sed pòst quamlibet Antiphonam Angelica Salutatio recitatur.

S. Aug. tom. 8. in Psal. 54.

S. Hieron. t. 7. in Psalm. 54.

ANTIPHONA PRIMA.

Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto.
Ave Maria gratia plena, &c.

ANTIPHONA SECUNDA.

Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.
Ave Maria gratia plena, &c.

ANTIPHONA TERTIA.

Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.
Ave Maria gratia plena, &c.

Postquàm tertiâ vice Salutatio Angelica fuerit recitata, dicitur oratio, quæ Annunciationem Angelicam, Beatę Mariæ sempèr Virgini præstitam; Conceptionem ìtèm, Incarnationem, Passionem, Mortem, ac Resurrectionem Filii Dei, nostramque precationem comprehendit in hanc verborum formam:

GRatiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut qui, Angelo nunciante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus, & Crucem, ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

TEM-

TEMPORE PASCHALI.

Non desunt autèm, Ecclesiastici præsèrtim viri, qui tempore Paschatis Antiphonam, tempore Paschali in Ecclesia recitari consuetam, sinè genuflexione dicant juxtà formam infrà præscriptam:

ANTIPHONA.

REgina Cœli lætare, Alleluja. Quià quem meruisti portare, Alleluja; Resurrexit, sicut dixit, Alleluja. Ora pro nobis Deum, Alleluja.
℣. *Gaude, & lætare Virgo Maria, Alleluja.*
℟. *Quià surrexit Dominus verè, Alleluja.*

OREMUS.

DEus, qui per Resurrectionem Filii tui Domini Nostri JESU Christi familiam tuam lætificare dignatus es: præsta quæsumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Christum Dominum Nostrum. Amen.

Post dictam orationem ad omnem Dæmonum machinationem, versutiam, ac nequitiam à nobis effugandam, ter signo sanctæ Crucis frons muniri solet. Multis itèm in locis post sonitum Salutationis Angelicæ, præsèrtim verò in Urbe Româ pulsatur in Vespere, sivè in Sero Campanula, qua excitamur, & invitamur ad orandum pro defunctis. Multi autèm ex laicis hominibus, ex iis præcipuè rei literariæ ignaris, ad signum Salutationis Angelicæ pulsatum, orationem cum Antiphonis prætermissâ, orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, tàm pro vivis, quàm pro defunctis recitare solent. Cæteri verò pro defunctis recitare solent Psalmum, *De profundis*, omnibus ferè notum. Hæc sunt, quæ de hujus generis ritu mihi dicenda videbantur; nunc reliquum est, ut ejusdem Ritus inventores, ac institutores, & causas ostendamus.

CAP. XVIII.

De causis pulsandi Campanam in Vespere, in Mane, & in Meridie, deque hujusce Ritus Institutoribus.

DE Institutoribus, & causis illius Ritus pulsandi Campanas in tribus diei temporibus, jàm non semèl commemoratis, diversi diversa scripserunt. Frater Alphonsus Ciacconius in vitâ Urbani II. qui floruit circà annum Domini MXC. ad hunc ritum per preces Beatæ Mariæ sempèr Virginis alludere videtur, dum subobscurè ità inquit: *Urbanus preces Beatæ Virginis, & Præfationem ejus in Ecclesia Latinè cantari instituit, Præfationibus novem antiquis adjungens decimam, [& Te in veneratione Beatæ Virginis collaudare] Sabbatoque de ea commemorationem fieri præcepit.* Hæc Ciacconius, qui per preces, Angelicam Salutationem intelligere videtur. Id quod Arnoldus Wion, Monachus Benedictinus in libro, qui Lignum Vitæ inscribitur, expressè dicit in hæc verba: *Institutionem pulsus Campanæ, qui fit Vespere, Mane, & Meridie, vocaturque Ave Maria, ex scholâ quoque Benedictinâ manasse, indicat Campanula illa, quæ sub brachio dextro ejusdem Pontificis visitur. Considerans nàmque Urbanus actiones omnes nostras, nisi orationis scuto fortissimo muniantur, eàdem facilitate disperdi, & labi, qua excogitatæ videntur; scienssque impossibile esse multorum preces à Deo non exaudiri, ut quod semèl ex divinâ voluntate instituerat, tandèm etiàm eâ ipsâ juvante, perficeretur, in eòdem Concilio Claromontano, ut à primo die, quo Exercitus Christianus Terram sanctam recuperaturus discederet, Vespere, & Mane in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis, tàm Cathedralibus, quàm Abbatialibus utriùsque sexus, Populus Christianus trino Campanæ pulsu ad orationem excitaretur, statuit tùm, ut Deus Optimus Maximus Exercitui Christiano suo signo signato vires contrà inimicorum suorum potentiam suâ pietate conferre dignaretur, tùm etiàm eorum misereri, qui in opere tàm pio perficiendo animas suas pro defensione Fidei, omniaque sua tradentes, ex hac vitâ migraverant. Qui mos inviolabilitèr servatus est per annos ferè CXXXIV. usquè ad tempora Gregorii Papæ IX. Anagnini ex Comitibus Monachi Camaldulensis, Hic videns hujusmodi consuetudinem laudabilem in oblivionem à fidelibus tradi, eo quòd scilicèt institutionis ejus causâ, Hierosolymis ipsis à Sultano Ægyptio iterùm recuperatis, Christianisque fugatis, jàm cessasse videretur; eamdem in laudem Divæ Virginis; adjuncto & meridiano pulsu, transmutavit.* Hæc ad verbum Arnoldus, qui dum illa tria meditatur tempora, in quibus Campana pro Angelicâ Salutatione recitandâ pulsari solet; hunc ritum institutum fuisse ait ob tria mysteria, quibus Beata Maria sempèr Virgo, ac Dei Mater à Christifidelibus honoratur; *Primò scilicèt ob mysterium gaudiorum, quæ in Christi Incarnatione cœperunt, & hæc indicat pulsus Campanæ Vespertinus; Secundò ob mysterium dolorum, qui summi fuerunt in Dominicâ Passione; & hos memorat pulsus Meridianus; Tertiò deniquè ob mysterium glorioforum, quæ in Christi Domini Resurrectione initium sumpserunt, & hæc pulsus excitat Matutinus.* Hæc itèm omnia ex Arnoldo recitat Ferreolus Locrius in libro, qui Maria Augusta, Virgo Deipara, inscribitur. Non desunt autèm, qui etiam contrà Arnoldum, & Ferreolum, sententiâ mutatâ, pulsum Campanæ Meridianum non à Gregorio Nono, sed à Ludouico Undecimo Gallorum Rege inventum fuisse dicant, quorum è numero est Robertus Gaguinus in Historiis Francorum, sivè Annalibus, in quibus ità inquit: *Introducta quoquè est [Auctore Ludovico] consuetudo Campanam horâ meridianâ [ut in noctis crepusculo*

Fr. Alphon. Ciaccon. in Vita Vrb. II. Ann. Domin. 1090.

Arnoldus Wion. lib. 5. Embl. 3. c. 20. par. 2. in lib. qui Lignum vitæ inscribitur, in quo agitur de S. Benedicti Ordine.

Concil. Claromont.

Gregor. IX. Ann. Dom. 1227.

Arnold. ubi supra.

Ferreol. Locrius lib. 7. c. 16. in Maria Augusta.

Ludov. XI. Gallorũ Rex lib. 10. c. 12. Hist. Francorum. Roberti Gaguini.

Vide Genebrardum in Chron. lib. 4. ad An. 1227.

Figuratè dictum, pars pro toto, id est, vno poplite pro duobus.

solet] *pulsandi*; *quo tempore Populus, uno poplite humi deflexo, Angelicam Divæ Mariæ Salutationem, obtinendæ publicæ pacis gratiâ, religiosè exhibet. Qui mos hactenùs diligentèr à plerisque servatur.* Hæc Gaguinus, qui quàmvis pulsum Campanæ Meridianum à Ludovico Undecimo, Arnoldus modò ab Urbano Secundo, modò à Gregorio Nono, & Genebrardus ab Honorio Tertio institutum fuisse velint, aliorum tamèn sententia est, dictum in Meridie Campanam pulsandi ritum à Calixto Tertio fuisse inventum, Vespertinum autèm à Joanne XXII. si Polydoro Virgilio hac in re acquiescendum sit; vel potiùs, & quidèm veriùs affirmandum est; pulsum Campanæ Meridianum à Calixto Tertio fuisse inventum eàdem sanè de causâ, qua pulsus Matutinus, & Vespertinus ab Urbano Secundo fuerant instituti, ut eo scilicèt Meridiano pulsu Populus Christianus excitatus, orare pro Exercitu Christiano in Hungariâ contrà Turcas decertante recordaretur; Nàm Grègorius Nonus non pulsum Campanæ Meridianum instituit, sed tantùm, ut ad consecrationem sacrosanctæ Eucharistiæ Campanæ pulsarentur, præcepit, sicut in capite primo, ad ejusdem ferè capitis calcem sàtis benè juxtà eàndem plurium Auctorum sententiam demonstratum fuit. Quòd autèm, ut nupèr jàm diximus, Meridianus Campanæ pulsus à Calixto Tertio fuerit institutus, colligitur ex diversorum Auctorum scriptis, præsèrtim verò ex Francisco Joannetto, qui in libro de Vitis Romanorum Pontificum in eòdem Calixto ait hisce verbis: *Statuit prætereà Calixtus, signum Campanis in Meridie dari, quo orationibus assiduis Christifideles Deum contrà Turcas pro nostris militibus supplicitèr rogarent.* Idem scriptum reliquit Platina dicens: *Mandavit prætereà Calixtus, ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in Meridie Campanis signum dari fidelibus omnibus, ut orationibus eos juvarent, qui contrà Turcas continuò dimicabant.* Istùc ipsum ad verbum refert Fr. Alphonsus Ciacconius in eòdem Calixto, qui, ut ambo referunt, statìm post suæ consecrationis solemnitatem, Bellum Sacrum, quod *Cruciatam* appellant, in publico Consistorio Turcis indixit, idquè se ante Pontificatum vovisse ostendit suo Chirographo his verbis scripto, quod in libro quòdam extabat: *Ego Calixtus Pontifex Deo omnipotenti, & Sanctæ, ac individuæ Trinitati voveo me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demùm quibuscumque rebus potero, Turcas Christi nominis hostes sævissimos persequuturum.* Hùcusque Platina, & Ciacconius de pulsu Campanæ Meridiano instituto à Calixto Tertio contrà Turcas, qui Constantinopolim, ac totum Orientale Imperium, pulsis Christianis, occupaverant. Platina verò subdit hæc verba dicens: *Crediderim ego tùm precibus omnium, Christianos ad Bellogradum contrà Turcas dimicantes, Duce Joanne Vaivoda, viro clarissimo, astante etiàm Joanne Capistrano Ordinis Minorum, Crucemque pro Vexillo hostibus inferente, eos, Bellogradum oppugnantes, ingenti clade superasse.* Hæc Platina. Non desunt, qui juxtà vulgatam opinionem, aut sententiam, pulsum Campanæ Vespertinum, & Matutinum ad tempus illud, in quo Beata Maria semper Virgo fuit ab Angelo salutata, & in Angeli Salutatione, atquè Annunciatione ipsi Virgini præstitâ, Christus Dominus in ejùsdem Virginis utero conceptus fuit, referendum esse dicant; Quam rem præseferre item vidèntur Antiphonæ illæ præviæ, quæ in Salutatione Angelicâ recitandâ dicuntur, quæque dictam Salutationem Angelicam, Annunciationem, Conceptionem, & Incarnationem complectuntur. Quæ omnia in capite decimosexto, & fusissimè quidèm explicata sunt. Quòniam verò quotâ horâ diei Angelus Domini Beatæ Mariæ sempèr Virgini apparuerit, certò non constat; propterèa pulsus Campanæ Vespertinus, & Matutinus dari solent ad talem diei horam insinuandam, aut commemorandam. Nonnulli enim arbitrantur, ut Azorius, & Ferreolus testantur; *Nocte appetente, Angelum ad Beatam Virginem venisse, & eam salutasse, atquè cum ea sermonem habuisse usquè ad mediam noctem, tandèmque Virginem consensum præstitisse suum, tuncque Filium Dei in ejus utero secundùm carnem fuisse conceptum.* Quàmvis autèm juxtà hanc opinionem Christus Dominus mediâ nocte fuisset conceptus, & natus in utero virgineo; anticipativè tamèn, ut ait Ferreolus Locrius, in Vespère pulsatur Campana, nè Campanæ sonus foret omninò vanus, dum in ipso mediæ noctis silentio somnus altus dormientium premit corda. Alii verò cum Sancto Athanasio in sermone de Deiparâ sempèr Virgine dicunt, Angelum Beatæ Virgini apparuisse initio diei, hoc est, in Aurorâ matutinâ; & tunc Christum fuisse conceptum. Hæc ex acutissimo Theologo Joanne Azorio, qui in institutionibus moralibus dicta omnia facta fuisse mediâ nocte desinente, & incipiente jàm die, probat, & eruditissimè quidèm. Verùm quiâ (ut diximus) certò non constat, quotâ horâ, hoc est, vel Vespertinâ, vel Matutinâ Angelus Domini Beatæ Mariæ sempèr Virgini apparuerit, Vespere, ac Mane trinus Campanæ pulsus pro Salutatione Angelicâ recitandâ in Sanctâ Dei Ecclesiâ fuit institutus. Hæc de Ritu pulsandi Campanam in Vespere, Mane, ac Meridie in Sanctâ Dei Ecclesiâ recepto. Nunc superest, ut cæteros ejusdem Ecclesiæ usus pulsandi Campanas explicemus.

Genebrard ubi suprà.

Calixt. III.

Polyd. Virg. de Inv. 22. li. 6. de Inven. rerum cap. 12.

Greg. IX.

Vide Genebrard. lib. 4. Chro. ad An. 1227. 1241.

Franc. Joannum. 388.

Plat. in Calixto 3.

Fr. Alphons. Ciacc. in Calixto 3.

Ann. Dom. 1455. Cruciata indicitur.

Calixti Votum.

Orationum seu precũ effectus.

Jo. Capistr.

Campanæ pulsus Vespertinus, & Matutinus cur fiant.

Cap. 16.

Angelus quota hora B. Mariæ semper Virgini apparuerit.

Ferreol. Locrius lib. 7. c. 16. in Maria Augusta Virg. Deip., Et Jo. Azor. par. 2. lib. 1. cap. 17. qu. 4.

Nocte appetẽte, ideſt appropinquante.

Ferreol. Loc. ubi suprà.

S. Athanas. serm. de Deipara.

Jo. Azor. p. 2. lib. 1. cap. 17. qu. 4.

CAP. XIX.

De usu pulsandi Campanas ad laudem, & gloriam Dei omnipotentis, & honorem Sanctorum in diebus festis, & sacris Processionibus celebrandis, necnon in gratiarum actionibus.

CAmpanæ in Ecclesiâ Dei receptæ, quatenùs divino cultui dedicatæ, uti suo jàm locò diffusè diximus, consecrantur. Propterèa in diebus festis, & in sacris Processionibus ad laudem, & gloriam Dei omnipo-

Campanarũ pulsatio in diebus festis.

potentis, & honorem Sanctorum pulsari solent, ut ad earum pulsum mentes hominum interiùs excitentur ad laudandum Deum, & ad Sanctos honorificè invocandos eleventur. Nàm sicut Campanarum pulsus Christifidelibus mentem excitat, & ad hæc facienda extollit; ità è converso Dæmones per aërem cursitantes, earumdem sonum, tamquàm divino cultui, & Sanctorum honori dicatum, mirum in modum effugiunt, & abhorrent, quippè qui ex eo Campanarum pulsu non parùm affliguntur. Adde etiàm, quòd Campanæ, dum etiàm ad Festivitates, & Processiones indicandas pulsantur, Populi per ipsum Campanarum sonum præmonentur, & ad illas convocantur; necnon ad eas ritè celebrandas animum ad Deum elevatum præparare studeant. Idcircò Campanæ non semèl antè festivitatum Ecclesiasticarum, & Processionum celebrationem, atquè in iisdem celebrandis frequentèr pulsari solent.

Campanarũ pulsatio ad Dæmones fugandos.

Campanarũ pulsatio ad Festivitates indicandas.

Istùcipsum pro gratiarum actione fieri solet, victoriâ contrà impios Ecclesiæ Sanctę hostes divino auxilio partâ, vel pro aliâ id genus re assiduis precibus apud Deum impetratâ. Nàm multiplici Campanarum sonitu mentes hominum ad gratias ipsi Deo agendas, & habendas excitantur, & gaudio afficiuntur, spirituali solatio perfusi.

Campanarũ pulsatio pro gratiarum actione.

CAP. XX.

De usu pulsandi Campanas pro defunctis.

Cornelius Schultingius in Hierarchia anacrisi lib. 9. n. 47. lib. 12. num. 47.

Beda lib. 4. c. 23., & Stephan. Duranus lib. 1. c. 22. num. 4. c. 23. num. 14.

2. Machab. 12. in calce.

Guillel. Bernard. in lib. de sepulturis, & exequiis.

USus pulsandi Campanas pro defunctis, à Calvinistis vetitus, in Sanctâ Dei Ecclesiâ perantiquus est, Christianâ pietate institutus; propterea quòd tali Campanarum sonitu (ait Beda) viventes perindè, atquè invitati quòdam modo cohortantur, ut defunctos ad Ecclesiam delatos comitentur, vel saltèm pro illis ad Deum preces effundant: *Sancta enim, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*, sicùt in secundo Machabæorum legitur libro. Comitatus autèm ille ad opus sepeliendi mortuos, ex septem operibus misericordiæ corporalibus unum, referri potest. Quæ sanè institutio, & consuetudo perantiqua, valdè pia, & valdè necessaria censetur, quià (ut ait Guillelmus Bernardus) citrà hunc usum pulsandi Campanas, morte multorum à multis ignoratâ, defunctorum animæ precibus Fidelium non juvarentur, nec viventibus ob hujus generis operâ præmium apud Deum merendi daretur occasio. Hinc, ut sentio, laudanda videtur consuetudo illorum locorum, in quibus ad sonitum, seù tinnitum funebrem expressiùs indicandum, Campanæ non ad utràmque, sed ad unam tantùm partem paulàtim, aut sensìm pulsantur, quasi mœrorem quemdam, vel humanam viventium imbecillitatem quòdam modo repræsentantes. Hoc autèm Campanarum tinnitu non solùm ea, quæ dicta sunt, pro defunctis præstantur, sed etiàm cum Hymnis, & Canticis, necnon cum cereis ardentibus, aut luminaribus, pium Christicolarum transitum honoramus juxtà Sancti Gregorii Nazianzeni sententiam dicentis: *Nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus nos Christiani pium è vitâ discessum ornandum existimamus*; Vel, ut inquit Joannes Chrysostomus: *Defunctos tamquàm Athletas comitamur; perindè, ac si dicatur*; *Quàmvis animæ, quarum corpora* (ut Guillelmus Bernardus verba Chrysostomi interpretando ait) *sepelienda sunt luminaribus accensis ad significandum*, (inquit Durantus) *animas vivere, ac defunctos filios lucis, & eorum corpora surrectura comitamur, mòx ad beatitudinem forsàn convolarint; corpora tamèn, quibus, ut organis* (ait Guillelmus Bernardus) *ad pias efficiendas operationes, per quas, debellatis hostibus, triumphum assequutæ sunt; his honoribus prosequi solemus. Hæc*, ut Damascenus in Oratione de Fidelibus defunctis ex Athanasio inquit, *grata sunt Deo, ingensque ab eo præmium referunt*. Ad hujus generis comitatum Fidelibus defunctis præstandum in Ecclesiâ Sanctâ Dei à Christicolis in funeribus pulsari solent Campanæ benedictæ, seù consecratæ, quibus etiàm, quatenùs consecratis, Dæmones, ut infrà explicabitur, expelluntur; Id quod ab Ethnicis, falsos Deos colentibus, in suis funeribus fieri haudquàquam poterat, etsi, cùm quis è vitâ decedebat, æra, quasi Campanas prophanas, pulsabant, per Campanarum sonitum malos, infestosque Spiritus repelli, aut coërceri superstitiosè, ac falsò quidèm credentes, utì suo jam loco dictum fuit.

Greg. Naz. in orat. 2. in Julianum.

Jo: Chrysost. homil. 4. in Epistola ad Hebr. tom. 5., & homil. 70. ad Pop. Antioch. tom. 5., Hieronymus in Epitaph. Paulæ.

Guill. Bern. de sepult., & exequiis. Steph. Duran. l. 1. c. 23. num. 14.

Jo: Damasc. pag. 316. b

Campanæ cõsecratæ ad ipsos Dæmones expellendos pulsantur cap. 21.

Cap. 3. p. 761.

CAP. XXI.

De usu pulsandi Campanas ad improbas pluvias, vel tempestates expellendas.

CAmpanæ, quatenùs benedictæ, seù consecratæ, ut plurimùm nec fulgure, nec fulmine afflatæ, seù tactæ inventæ sunt, immò ea, necnon procellas, vel tempestates expellunt, sicùt ità fieri solere constat, & in earumdem consecratione, sicùt in Pontificali Romano videre licet, obsecratur Deus, ut ipsarum Campanarum sonitu fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum, ac fulminum temperentur; infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur; spiritus procellarum, & aereæ potestates prosternantur. Quæ itèm omnia in Concilio Provinciali Colonienſi leguntur eo in capite, cujus titulus est: *Cur benedicantur Campanæ*. Immò dicto in loco, ut superiùs, & fusissimè quidèm in capite sexto videre est, de ipsis Dæmonibus propulsandis expressa fit mentio; Dæmones enim, quippè quibus (quatenùs Deus illis permittit) quantùm ad motum, ut Theologi omnes affirmant, ad nutum, sicùt etiàm Angelis bonis, obediunt; pluvias, tempestates, fulgura, & fulmina, & id genus alia, sed justâ, & occultâ nobis de causâ, Deo permittente, possunt efficere. Propterea, dum procella nobis imminet, sivè turbo, vel grando, & generalitèr quivis cæli status inquie-

Pontificale Romanũ p. 2.

Conc. Colon. 1. c. 14. pag. 69. tom. 5. Ann. Dom. 1536.

Vide cap. 6. pag. 165.

Vide cap. 6. pag. 165. Hieron. Mag. lib. 4. Miscell. cap. 14. Paulus Christianus qu. 6. de Sortilegiis. Guido Panciroll. de novis repertis tit. 9. de Campanis.

tior sese nobis offert, Campanæ pulsantur, ut Dæmones, quatenùs dictarum rerum interdùm patratores, aut excitatores, Campanarum tinnitu, Christianos ad preces concitantium, terreantur; quin potiùs precibus ipsis territi abscedant, illisque summotis, fruges, mentes, & corpora credentium serventur, cunctis malis, quæ ex tempestatibus oriri solent, Dæmonum fugâ propulsis. Nec silentio prætereundum videtur miraculum illud, quod narratur de Campanula à Sancto Bennone Misnensi Episcopo benedictâ. Nàm ad sonitum illius Campanulæ (quæ quòdam in loco extat apùd Misnam, Germaniæ Civitatem) totum ejus Territorium à fulgure, & tempestate, ut incolæ ipsius loci affirmant, tempus usquè in præsens conservatur, etiàmsi loca viciniora sæpè ab illis lædantur. Istùc ipsum de aliâ Campanâ in Pago Scomberch ab eòdem benedictâ Bennone (quod nomen à Slavorum linguâ translatum, *Benedictus* latinè dicitur) omninò affirmatur. Sonitus nàmque illius Campanæ omnem vim cæli ab agris finitimis, ac tuguriis avertit.

Concil. 1. Colon. cap. 14. tom. 5.

Campanæ benedictæ à S. Bennone sonitus quid efficiat.

Benno apud Slavos nuncupatus, *Benedictus* latinè interpretatur.

Quàmvis autèm per multiplicem Campanarum sonitum aer nubibus condensatus, ac turbulentus concutiatur, & ob hujus generis discussionem, quandòque serenus reddi queat; earum tamèn tinnitus, dum tempestatum ostenduntur indicia, in Ecclesiâ Sanctâ Dei etiàm ad procellas repellendas institutus fuit; præsèrtim verò ad fulgura, & fulmina propulsanda, fugatis Dæmonibus, qui consecratas Campanas tantòperè abhorrent, earumque sonitum tanto prosequuntur odio, in quo Hæretici, atquè Turcæ Dæmonibus valdè assimilantur, quippè qui bellum Campanis indixerunt, ut superiùs dictum fuit. Hæc de usu pulsandi Campanas ad improbas pluvias, vel tempestates expellendas conscripta in ipso festo Sanctorum Martyrum Gervasii, & Protasii, die decimanonâ Junii, qua scilicèt die, dum hæc de fulgure, ac tempestate conscriberem in Apostolico Vaticani Palatii Sacrario, ecce tibi procella fulmine associata suborta fuit, & à me non procùl ictus est Aulæ Regiæ locus fulmine non sinè magni animi mei consternatione, absquè tamèn ullâ tàm hominum læsione, quàm rerum perditione, misericordiarum Patre, totiusque consolationis Deo adjuvante, dum Campanæ ad preces fundendas Christifideles excitabant, pulsatæ:

Hæretici, ac Turcæ Dæmonibus assimilati.

Idem supra cap. 19.

Anno Dom. 1610.

2. Cor. 7.

CAP. XXII.

De usu pulsandi Campanas in alicujus magni Viri adventu ad Urbem.

CAmpanæ in sanctâ Dei Ecclesiâ, quatenùs divino cultui dedicatæ, utì jàm diximus, consecrantur, & non solùm ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, atquè ad honorem Sanctorum, necnòn ad lætitiam interdùm spiritualem indicandam pulsari solent, sed intèr alia permulta jàm à nobis enarrata, etiàm ad primarios Ecclesiæ Sanctæ Viros decorandos, hoc est, S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios Prælatos in eorumdem scilicèt occursum, dum ipsi intrà Civitates, Oppida, & alia loca, in quibus Ecclesiasticam præsèrtim jurisdictionem, & potestatem exercent, honorificè, ac lætantèr excipiuntur, intèr quos locum obtinet supremum Summus Pontifex, Patriarcharum Patriarcha, universalis Ecclesiæ Pastor, Christi Vicarius, & Sancti Petri successor. De hoc usu pulsandi Campanas in alicujus magni Viri adventu ad Urbem mentionem faciunt Canonistæ, dum alios usus pulsandi Campanas recensent, sed indefinitè quidèm, hoc est, nullâ penitùs mentione factâ de Prælatis in hæc verba; *Campana est etiàm quandòque signum gaudii, & honoris occurrendi processionalitèr alicui.* Hæc Joannes Andreas, Ægidius Bellemera, Cardinalis Zabarella, Cardinalis Ostiensis, & alii in primum librum Decretalium cap. 1. de officio Custodis. Quàmvis autèm Campanæ, quatenùs consecratæ, ac divino in primis cultui dedicatæ prætèr alios usus Ecclesiasticos enarratos, etiàm in adventu Virorum Ecclesiasticorum ad Urbes, & ad alia loca, utì diximus, gaudii, & honoris gratiâ pulsandæ censeantur, talibus tamèn gaudii, & honoris indiciis Imperator quoquè, necnon Reges frui solent, ac debent, sacrâ unctione insigniti, David, Saulis, Salomonis, & aliorum instàr, qui in Reges inuncti fuerunt, ut in primo, ac tertio Regum legitur libris; Rex enìm, & Imperator sacro nunc Cathecumenorum oleo inunguntur, Brachium scilicèt eorum dextrum, atquè itèm Scapulæ, ut in Pontificali Romano, & in Sacrarum Cæremoniarum libro videre licet. Hujus generis usum pro Imperatore, ac Rege in Sanctâ Dei Ecclesiâ vigere ipsa exempla, sivè facta, ubìque occasione sese offerente, declarant. Id quod tamquàm frequenti usu firmatum ostendit Laurentius Surius in Vitâ Beati Ermenoldi Abbatis, qui Henricum V. Imperatorem à Paschali II. excommunicatum, & antè Monasterium, cui Ermenoldus præerat, transeuntem, Campanarum sonitu honorare noluit. Surius enìm hac de re ità inquit: *Putabant omnes S. Ermenoldum, Abbatem loci, tùm ob Imperatoriæ celsitudinis majestatem, tùm ob B. Othonis reverentiam obviam ei processurum cum Fratrum Collegio, cum Canticis, & Hymnis, Campanarumque clangoribus, cum Vexillis, & Sacris Reliquiis. At ille multùm diversus ab Adulatoribus, nec metu impellebatur, nec flectebatur gratiâ, aut favore, ut illi honorificè obviam veniret, aut blandìtèr illum salutaret, quem sciebat à Pontifice Maximo Ecclesiasticâ communione privatum.* Hæc ex Surio; ex cujus verbis usum pulsandi Campanas in honorem Imperatoris, necnon Regis, dictam saltèm ob causam, consuetum esse colligimus, propter Imperatoriam, & Regalem dignitatem, qua sunt insigniti, quippè qui in ipsa Coronatione totius Imperii, ac Regni Rectores, Ecclesiæque Sanctæ, ac Fidei Christianæ defensores, Infidelium expugnatores,

Summi Pontificis nomina.

Jo: Andr. to. 1, num. 13. Bellemera par. 2. n. 1. Zabarella p. 2. num. 2. Ostien. tom. 1, num. 1. Abbas tom. 1, num. 2.

Pontificale Romanũ de Coron. Regis par. 1.

1. Reg. 10. & 16.

3. Reg. 1.

Pontif. Rom. p. 1., & lib. 1. cærem. sect. 5. cap. 3.

Laur. Surius tom. 7. de Vitis Sanctorum die 6. Januarii.

Pontific. Roman. par. 1.

res, Justitiæ cultores, necnon meritorum, ac demeritorum remuneratores declarantur.

Hujus generis honor, in signum lætitiæ præstari consuetus, aliis item Principibus, præsertim verò Ducibus dari debet, ut colligitur ex sententia Canonistarum, qui, ut nupèr diximus, hac de re indefinitè loquuntur in hanc verborum formam: *Campana est etiàm quandòque signum gaudii, & honoris occurrendi processionalitèr alicui.* Per quæ sanè verba etiàm Duces inter magnos Viros, vel Principes dignitate scilicèt, ac potestate insignitos recensentur. Talibus itaquè Viris, vel Principibus dignitate, ac potestate decoratis, è longinquo ad sui dominii loca, sivè suæ ipsorum jurisdictioni subiecta redeuntibus Campanæ in signum honoris, ac lætitiæ pulsari solent. Hi deniquè omnes tàm sæculares, quàm Ecclesiastici, dignitate, ac potestate insigniti, in locis haùd sibi subjectis ad arbitrium illorum, qui eis dominantur, sonitu Campanarum in signum lætitiæ honorantur, dum solemni apparatu intrà Civitates excipiuntur. Id quod Religiosis item Viris præstari solere constat, dum inter visitanda Monasteria, suorum Ordinum Magistri (hoc est, Priores Generales) Civitates, vel Oppida ingrediuntur.

Canonistæ in lib. 1. Decretal. cap. 1.

CAP. XXIII.

De multiplici usu Campanæ in Ecclesiâ Sanctâ Dei, tàm horis distinguendis, quàm aliis Universitatum, Collegiorum, Scholarum, Communitatum, Cœnobiorum, Xenodochiorum, & Magistratuum commoditatibus deserviente.

QUàmvis de Horologii pro distinguendis horis usu in primo hujusce Commentarii capite, necnon in tertio capite satìs dictum videatur, dum de ipsius Horologii apùd Ethnicos Inventore, atquè usu loquebamur; nos tamèn de usu in Sanctâ Dei Ecclesiâ recepto verba facturi, perpauca, & brevitèr quidèm ex iis hoc loco repetemus. Nàm etsi, utì iam diximus, Lucianus Samosatensis, qui vixit circà Annum Domini centesimum, Hippiæ Balneum describit, & commendat Horologiis exornatum duobus, uno scilicèt per aquam, & sonitum (quod *Hydrologium* nuncupàtur) altero autèm per Solem; primus tamèn Inventor ignoratur. Non desunt etiàm, qui velint, usum Horologii Obelisco Ægyptiaco additum fuisse ab Octaviano Augusto Imperatore, cujus Imperii anno 42. ineunte, Christus Jesus, Rex Regum, & Dominus dominantium, & Salvator noster natus est. In Ecclesiâ verò Sanctâ Dei Sabinianus Pontifex Maximus, qui Sancto Gregorio Magno Anno Domini 605. successit, Phocâ Imperatore, horas diei sono Tintinnabulorum distinxit, ut Volaterranus in Anthropologia scriptum reliquit. Hujus generis inventum quantâ sit laude dignum, vix verbis explicari posset. Quid enìm homini gratius, & commodius inveniri potuit Horologio, quo nobis, etsi occultato Sole, per Campanam, suâ, ut ità dicam, sponte sonantem, horæ distinctæ nunciantur? Quot autèm commoditates, & utilitates ex Horologii usu nobis nascantur, esse hominem, qui ignoret, arbitror, neminem, si cujusque status, & indigentia in horis distinguendis examinentur.

Cap. 1. pag. 10. & c. 3. pag. 37.

Ex Theat. vit. hum. to. 20. lib. 3.

Lucian. to. 2. de Hipp. Balneo An. Domin. C.

Pag. 156.

Octav. Augusti Horologiũ.

Sabinian. An. Dom. 605.

Volaterr. l. 22.

Polid. Virg. lib. 3. cap. 18.

Universitates autèm, Collegia, Gymnasia, aut Scholæ, Communitates, necnon Cœnobia, & Xenodochia, non solùm Horologio indigent, sed etiàm alio, & frequenti quidèm, Campanæ pulsandæ usu, ac ritu.

CAP. XXIV.

De aliis Campanæ usibus in Ecclesiâ Sanctâ Dei receptis.

USus item Campanæ in vigiliis nocturnis excubitoribus deservire solet, in locis præsèrtim præsidiariis, in quibus ad pulsum Campanæ illicò responderi necesse est, ut in Arcibus, aut Castris fieri sempèr solet. Campanulæ deniquè pulsandæ usus receptus fuit in Monasteriis, & in Ædibus Virorum Principum, seù Magnatum tàm Ecclesiasticorum, quàm Sæcularium. Nàm in Monasteriis Campanæ sonitus adhibètur, dum ibi degentes convocantur ad orationem serotinam, & ad alia in Monasteriis facienda, præsèrtim verò dum Cœnobiorum familiæ ad prandium, & ad cœnam invitantur.

Idem Campanulæ pulsandæ usus, utì diximus, in Ædibus S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, necnon aliorum Magnatum observatur, dum familiæ in obsequium Dominorum suorum, vel pransum, & cœnatum per Tintinnabula in superioribus Ædium appensa turriculis convocantur, ità verò, ut non solùm, qui domi sunt, sed etiàm qui domo absunt, Campanulæ sonum audiant, & sui quisque domestici Tintinnabuli, aut Campanulæ tinnitum agnoscat: Immò Principes Viri, & præsertim Cardinales, & Episcopi, cum domi, aut in cubiculis versantur, ut linguæ, ac lateribus parcant, per ipsa Tintinnabula minora, sivè minima, eorùmdem manibus mota, famulos ad se accersire solent.

Ca. 2. pag. 157. & seq.

Magnatum Campanulæ.

Hinc locum illum, in quo Familiæ S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, necnon aliorum Magnatum comedere solent, ab ipso Tintinnabuli, seu Campanulæ tinnitu, utì iam diximus, *Tinnellum* vulgò appellant, quasi Tintinnellum à Tintinnabuli tinnitu ita vocitatum, mediâ syllabâ per syncopem detractâ, sicut in secundo huiusce Commentarii capite fusiùs explicatum fuit, dum de Campanæ Nominibus habetur sermo.

Cap. 2. p. 158.

Tinnellum unde dicatur.

Cap. 2. p. 158.

Magistratus deniquè, atquè publicam personam gerentes, in causarumque cognitione sedentes per Tintinnabula minora, sive minima litigantes accersunt in auditorium, & iis item silentium imponunt, ut Hieronymus Magius refert, qui Florentiæ id se non semèl, sed sæpè spectasse testatur.

Hieron. Mag. c. 18. de Tintinnab.

Hæc de multiplici Campanæ usu in Ecclesia Sancta Dei recepto. Nunc reliquum est, ut ea explicemus tempora, in quibus Campanas pulsare non licet, causis de hac prohibitione allatis.

CAP. XXV.

De temporibus in quibus Campanas pulsare non licet, & cur ità.

IN triduo *Hebdomadæ Sanctæ*, in qua passionis, & mortis Christi Domini Salvatoris nostri memoria recolitur, Campanæ non pulsantur, sed silent, & Campanarum loco tabulæ malleo ferreo pulsantur, quià tunc siluerunt Apostoli, & Prædicatores, atquè alii, qui per Campanas, ut scribit Guillelmus Durandus, intelliguntur, aut designantur; Sonus enim Campanarum sonum prædicationis significat juxtà illud: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Id quod de Apostolis dictum fuit, qui cùm audissent Christum Dominum dicentem: *Ecce appropinquavit, qui me tradet*; præ tristitia siluerunt, & dormitaverunt, & ex consequenti à laudibus, & prædicationibus conticuerunt. Ad Apostolorum itaquè silentium repræsentandum *à Completorio*, ut ait Durandus, vel *à Vespera*, qua Dominus traditus fuit, Campanarum silentium inchoàtur, quandò scilicèt Discipuli fugerunt, Dominùmque dereliquerunt, à fidei confessione cessantes. Ad eosdem Discipulos fugientes, atquè in laudibus, & prædicatione conticentes repræsentandos, candelæ candelabro appositæ in tribus Matutinis Hebdomadæ Sanctæ singulàtim extinguuntur, supremâ, in candelabro sità, exceptâ, quæ (ut cæteros prætermittam significatus) è candelabro ipso amovetur accensa, & ità ad finem usquè Matutini latentèr asservatur, ut postèà ostendatur accensa, & Ecclesia illuminetur; significat fidem, quæ in Deipara Virgine semper mansit; necnon designat Christum Dominum, qui licèt videretur secundùm carnem extinctus, tamèn secundùm divinitatem, quæ illis erat occulta, vivebat; & postèà resurgens cum luce clarissima sese suis Discipulis manifestavit, eosquè illuminavit. Hæc ex Durando.

Guillel. Dur. lib. 6. cap. 72. num. 3.

Psalm. 18.

Matth. 26. Mar. 14.

Dur. vbi supra, & Paulus Fuscus de Visit. lib. 1. c. 14. num. 10.

Notandum.

Durand. ubi supra cap. 72. num. 25.

Campanæ igitùr, ut eò, undè digressi sumus, revertamur, silent in tribus illis diebus. Ad Missam deindè *Sabbati Sancti*, Resurrectione Christi Domini prænunciatâ, pulsantur. Sed in Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. decretum fuit, ut nulli Ecclesiæ in tali die Campanas pulsare licèret, antequàm Campana Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis pulsaretur. Concilii verba sunt hæc: *Ut debitus honor Matrici Ecclesiæ reddatur, tàm ipsi Fratres, quàm alii Clerici sæculares, etiàm supèr hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris Hebdomadæ, antequàm Campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsaverit, Campanas in Ecclesiis suis pulsare minimè possint. Contrà facientes pœnam centum ducatorum incurrant.* Hæc de Campanarum silentio in illis diebus majoris Hebdomadæ observando.

Concil Later. sess. 11. tom. 5. Conc. Anno Dom. 1521. pag. 179.

Tempore itèm *Interditi* Campanas pulsare non licet, dum proptèr celebranda officia Campanarum pulsatio cum ingressu Ecclesiæ prohibetur. Nàm si Ecclesiasticis concedatur celebratio divinorum officiorum, & administratio Sacramentorum; id nonnisi januis clausis, interdictis, & excommunicatis omninò exclusis, & non pulsatis Campanis, concedi solet, divinis quoquè officiis voce summissâ recitatis. Pulsatio tamen Campanæ in tempore Interdicti conceditur *in Mane*, *Meridie*, ac *Sero* pro Angelica Salutatione ad honorem Beatæ Mariæ sempèr Virginis recitandâ, ut à cunctis laudetur, ac veneretur, & ut nobis in nostris necessitatibus Virgo Deipara opem ferat. Quàmvis hæc ità sese habeant, Innocentius tamen hujus nominis Tertius concessit Abbati, & Monachis Sancti Germani Antisiodorensis, ut *in morte*, atquè *exequiis* Monachorum ipsius Monasterii tempore Interdicti Campanam unicam pulsare possent; ità verò, ut non multum foret intervallum, nec prolixa pulsatio. Id quod, & Cathedrali etiàm Ecclesiæ, & Monasterio Sancti Juliani Antisiodorensis aliàs datum fuisse in ea narratur concessione. Hæc ex libro anni 6. Innocentii Tertii Epistola 24., Alexander itèm huius nominis Quartus Ludovico Sancto Francorum Regi, & Margaritæ uxori ejus; Gregorius Decimus Philippo III. Regi, & Mariæ Uxori ejus; Nicolaus III. eidem Regi Philippo; Martinus IV. eidem Philippo, & Uxori ejus, necnon Honorius IV. eidem Philippo concesserunt, ut in locis generalitèr, vel particulariter interdictis Missæ sibi celebrari possent, etiàm cum cantu, & altâ voce; sed in tali casu concedere noluerunt, ut pulsarentur Campanæ. Hæc ex Registris dictorum Pontificum in Vaticana Bibliotheca asservatis. Hactenùs autèm de multiplici Campanarum usu, necnon de silentio earumdem. Nunc deniquè superest, ut Commentario nostro finem imponamus, ubi primùm verba fecerimus de numero Campanarum Ecclesiis concesso.

Calder. 2. par. tract. num. 4. tom. 14. Tractatuum.

Armill. verb. Interd. n. 40.

Summorum Pontificũ Registra, quæ in Bibliotheca Vaticana asservantur.

Registra Bibliothecæ Vaticanæ.

CAP. XXVI.

De numero Campanarum tàm Clericorum sæcularium, quàm Religiosorum Ecclesiis concesso.

NUmero Campanarum crescente, contentiosa inter Ecclesiasticos viros prætensio de numero earùmdem suborta fuit, ut refert Albericus de Rosate dicens: *Audivi, quòd magna lis fuit in Curia Romana, utrum Fratres Prædicatores possent habere plures Campanas.* Hæc Albericus in suo dictionario, in quo multis rationibus, & allegationibus affirmativam sententiam conclusam fuisse narrat. Istùc ferè ipsum Oldradus in Consilio ducentesimo vigesimo octavo scriptum reliquit. Ad hanc controversiam intèr Ecclesias

Alber. in dictionario suo in vocab. Campana.

Oldradus consil. 228.

cleſias Cathedrales, necnon intèr alias Clericorum ſecularium, & Eccleſias Religioſorum ſubortam, ſpectat Conſtitutio Joannis Vigeſimi ſecundi in libro primo *Extravagantium* capite unico *de Officio Cuſtodis*, in quo ad omnium Eccleſiarum quietem comparandam Summus Pontifex limitationem de numero Campanarum Apoſtolicis literis edidit. Huic autèm Conſtitutioni, ut Vincentius de Caſtronovo, ac Stephanus Durantus rectè ajunt, generali conſuetudine derogatum fuiſſe conſtat. Controverſia item orta fuit in Curia Romana intèr Ordinem Humiliatorum, & quoſdam Monachos, ut idem Albericus, & Oldradus teſtantur, quiſnàm videlicèt primò Campanas ad Matutinum pulſare deberet. Sed tandèm aliquandò decretum fuit, ſicut iidem Teſtes ajunt, ut qui primò ſurgeret, primò pulſaret.

Extrav. lib. 1. de Officio Cuſtodis.

Steph. Durant. lib. 1. de Rit. Eccl. c. 22. num. 9.

Albericus, & Oldradus ubi ſuprà.

Quàmvis autèm res ità ſeſe habeant, præsèrtim verò de numero Campanarum, hoc tamen loco, ut noſtro Commentario finem imponamus, tanquàm ſigillum apponendum illud cenſetur, quod hac in re ſcriptum reliquit Sanctus Carolus Borromæus, Cardinalis Sanctæ Praxedis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis: Is enim in libro de Inſtructione Fabricæ, atquè de ſupellectili Eccleſiaſtica ad Mediolanenſis Provinciæ uſum edito, de numero Campanarum ità inquit: *Si Eccleſiæ Cathedralis eſt, ſeptem, aut quinque ad minimum Campanas; ſi Collegiatæ, tres, grandiorem ſcilicèt, mediam, & minimam: ſi Parochialis, totidem, aut duas ſaltèm habere debet; caſque diſtincto quòdam ſoni concentu intèr ſe conſentientes pro varia divinorum Officiorum, quæ fiunt, ratione, ac ſignificatione.* Hæc ibi Sanctus Carolus. Infrà verò ait: *Campanæ verò nec in Turri, nec alio in loco collocandæ ſunt, niſi primùm ſolemni benedictionis, precumque Ritu ex Eccleſiæ inſtituto ſint conſecratæ, nullam rem prophanam inſculptam, inſcriptamve ullo modo, ſed Sancti Patroni Eccleſiæ, vel aliam ſacram Imaginem, piamque inſcriptionem habentes.*

S. Carolus Borromæus lib. 1. c. 25.

Hùcuſque Sanctus Carolus Borromæus. Campanæ itaquè in rebus prophanis pulſari non debent, nec itèm in rebus ſacris à Laicis, quatenùs benedictæ, atquè conſecratæ, utì ſuo jam loco ſatis dictum fuit.

Cap. 13.

Quòniam verò de Campana Ænigma ſàtis elegans circumfertur, illud in gratiam curioſi Lectoris hoc loco cenſeo apponendum, quod Franciſcus Suvertus in hæc verba ſcriptum reliquit:

ÆNIGMA

Franciſci Suverti.

In Mag. cap. 20.

EST intrà cælos, eſt intrà manſio terras,
Non cælum tango, non quoquè tango ſolum.

Conſtringor vinclis, concludor robore duro,
Ut nulla mutem conditione locum.

Os mihi ſemper hiat, petulantèr & exero linguam,
Nec, niſi cum cogunt verbera multa, loquor.

Cum loquor, aſſiduis repleo clamoribus aures;
Verbera cum ceſſant, tunc quoquè ceſſo loqui.

Non ulli noceo clamoribus; hortor iniquos,
Contrito ut quærant corde ſalutis iter.

ÆNIGMA

Nicolai Reuſneri.

Os mihi ſemper hians, & pendens ferrea lingua eſt;
Vox eſt nulla, niſi prodita verberibus.

HÆC ſunt, quæ mihi de Campanis dicenda videbantur, duobus concluſa Ænigmatibus, quæ juxtà propriam Ænigmatum conditionem, quàmvis obſcura ſint; horum tamèn ſenſus, Campanæ formâ, & linguâ ejuſdem, idèſt malleo, necnon ſitu, & pulſatu ipſius cum aliis rebus ad Campanam pertinentibus, undequàque, ac diligentèr quidèm penſitatis, facillimè profectò explicantur, & intelliguntur.

PARALIPOMENA

HOC EST

Res in capite 14. & 18. hujuſce Commentarii prætermiſſæ.

CAP. XIV.

NOS de multiplici Campanarum uſu, in ſancta Dei Eccleſia recepto, verba facientes, prætermiſimus Ritum, quo Summi Pontifices antiquitùs uti ſolebant, dum aliquem Populum, vel Principem iuſtâ de cauſa excommunicabant. Singulis namquè

Cap. 14. pag. 176.

Do-

Dominicis, & festivis diebus per Episcopos, & Archiepiscopos intèr pulsandas Campanas candelis accensis, excommunicati publicè declarabantur. Quo facto, Campanarum sonitus cessabat, & candelæ itèm extinguebantur, in terram dejectæ. Campanæ pulsabantur, ut eorùmdem sonitu, quo Dæmones expelli solent, Excommunicati, Dæmonibus assimilati, à Fidelium commertio expulsi declararentur. Per candelas autèm extinctas, & humi dejectas, Excommunicati, tanquàm divinæ gratiæ luminis expertes, extràque *Sanctorum Communionem* ejecti, hoc est, Ecclesiæ Sacramentis, ac suffragiis, necnon aliis piis Fidelium operibus, dictarum scilicèt rerum omnium participatione declarantur privati. Quem profectò Excommunicandi Ritum ab Innocentio hujus nominis Tertio non semèl observatum esse antè annos circitèr quadringentos, Anno scilicèt sui Pontificatus *Tertio*, *Sexto*, & *Quintodecimo*, dum ipse diversos Populos, ac Principes excommunicatos publicè nunciari mandavit, sicùt ex antiquis Romanorum Pontificum Regestis, vel, ut ajunt, *Registris* in Bibliotheca Vaticana asservatis, constat. Id quod etiàm ad hanc usquè diem fieri solet à Summo Pontifice, quando in Feria V. majoris Hebdomadæ, quæ dicitur *in Cœna Domini*, Bulla coram Populo promulgatur: nàm pulsatis jàm Campanis, & Bullâ denique lectâ, Summus Pontifex è sublimi suggesto, sive pulpito, candelam accensam, in ipso tractu extinguendam, supèr Populum astantem projicit. His peractis, datur Christifidelibus *Benedictio solemnis*, & *plenaria Indulgentia* promulgàtur, ut in Cæremoniali Romano videre licet, ubi fit mentio de aliis itèm, hoc est, de S. R. E. Cardinalibus, & Prælatis, qui olim, Bullâ recitatâ (quam etiàm *Processum* appellant) candelas accensas è loco illo sublimi projiciebant in terram ad eamdem rem designandam.

Excommunicati Dæmonibus assimilati.

Innoc. III. antè Annos circitèr 400.

Cæremoniale Rom. lib. 2. cap. 45.

CAP. XVIII.

Pag. 179.

IN decimooctavo hujusce Commentarii Capite, in quo diximus trinum Campanæ pulsum, vel sonitum, in *Mane*, *Meridie*, ac *Sero* pro Salutatione Angelica recitandâ institutum fuisse non solùm, dum Christifideles Bello Turcarum diversis in locis vexabantur, necnon dum Bellum sacrum, hoc est, *Cruciata* pro Terra Sanctâ recuperandâ gerebatur, sed etiàm pro publica pace intèr Christianos obtinendâ; silentio prætermisimus alium orandi Ritum in magnis Ecclesiæ Sanctæ calamitatibus tempore Nicolai Tertii ad sonitum Campanarum intèr omnes quorumcumque locorum Christiani Orbis Missas celebrandas observatum, ut in ejusdem Summi Pontificis legitur Bullâ, quæ in Bibliotheca Vaticana asservatur. Verborum Bullæ forma hæc est:

Bellum Sacrum, ideſt, Cruciata.

Nicolaus III. antè annos circitèr 300.

Intèr alia verò [Nicolaus Papa pòst multa inquit] *Devotorum suffragia, quibus proptèr hoc in laudis sacrificio Dominum honorabunt, in singulis Missarum celebrationibus post dictum à Celebrante*, Pax Domini, *responsionemque sequutam, antequàm ipse Celebrans, vel Respondentes* [hoc est Chorus] *incipiant* Agnus Dei, *cum devotione debitâ in patena duabus Eucharistiæ partibus collocatis; tertiâ quoque cum Oratione solitâ in Calice mixtâ cum Sanguine, ipso quoquè Calice cooperto, illud eximii Citharœdi Canticum*, Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, *&c. à vobis Religiosis, Clericis, & aliis literatis dici volumus cum Oratione, ac Versiculis infrascriptis, ipso Celebrante, aliisque præsentibus genua flectentibus, dum præmissa dicuntur. Dicto Psalmo cum Gloria Patri*, dicatur: *Kyrie eleison. Christe eleison. Pater noster, &c.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Domine salvos fac Reges.*
℟. *Et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.*
℣. *Salvum fac Populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.*
℟. *Rege eos, & extolle illos usquè in æternum.*
℣. *Fiat pax in virtute tua.*
℟. *Et abundantia in turribus tuis.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

LArgire, quæsumus, Domine Fidelibus tuis Indulgentiam placatus, & pacem, ut paritèr ab omnibus mundentur offensis, & securâ tibi mente deserviant. Per Christum Dominum nostrum. Respondetur: *Amen.* Post hæc dicuntur *Agnus Dei*, & cætera, quæ supersunt in Missa.

Hæc Nicolaus Tertius in Bulla sua pro pace intèr Principes Christianos, præsèrtim verò inter Reges Franciæ, atquè Castellæ invicem dissidentes impetrandâ, ut Bellum Sacrum, hoc est, *Cruciata* contrà Turcas instaurari faciliùs posset. Omnibus autèm singulo quoquè die ità orantibus *decem dies* de injunctis pœnitentiis idem Summus Pontifex relaxavit.

Bellum Sacrum, ideſt, Cruciata.

Joannes itèm Vigesimus secundus in gravissimis Romanæ Ecclesiæ necessitatibus, præsèrtim verò tempore *schismatis*, eàmdem orandi formam frequentàvit, sicut ex ejusdem Bulla, quæ in Archivo Castri Sancti Angeli asservatur, constat: & ità orantibus idem Summus Pontifex *Indulgentias* quoquè concessit, ut in eàdem legitur Bulla. Hic autèm orandi Ritus per trinum Campanæ sonitum Christifidelibus indicabatur, ut omnes ad orandum sese pararent.

Joann. XXII. antè annos circitèr 200.

Proptèr denique schisma è medio tollendum, & proptèr pacem Christifidelibus à Deo impetrandam, ad hanc usquè diem remansit Ritus dicendi, *dona nobis pacem*,

in

in tertio Agnus Dei, dum celebratur Missa. Antiquitùs enim tribus vicibus uniformitèr dicebatur: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis*; sed ob multas, & varias Ecclesiæ olim adversitates Ecclesia cœpit ad Dominum de tribulatione clamare: *Dona nobis pacem*. Basilica verò Lateranensis tanquàm antiquior, & quatenùs aliarum Ecclesiarum primogenita, numquàm in *Agnus Dei*, dicit, *Dona nobis pacem*, in celebratione Missæ, sicut nec *Schola Cantorum*, idèst, Chorus; sed tribus vicibus uniformitèr dicit: *Miserere nobis*, ad antiquitatem illam conservandam, quavis aliâ opinione prætermissâ.

Schola Cantorum, ideſt, Chorus.

Hoc igitùr ab omnibus ejusdem Basilicæ Sacerdotibus observatur. Quandò autèm in eàdem Basilica coràm Summo Pontifice, & S. R. E. Cardinalibus Missa solemnitèr cantatur, tertia vice tàm à Celebrante, quàm à *Schola Cantorum*, qui Cappellæ Pontificiæ deserviunt, dicitur: *Dona nobis pacem*.

Schola Cantorum.

De hoc Ritu in celebranda Missa observato, deindè mutato, Innocentius hujus nominis Tertius antè annos quadringentos mentionem facit in hæc verba: *Porrò secundum consuetudinem antiquam Scholæ Cantorum, quæ adhùc ipsi conservant, & in pluribus observatur Ecclesiis, ut in Lateranensi, nullatenùs variatur; sed tribus vicibus uniformitèr dicitur Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis, propter tria genera peccatorum, quæ petimus nobis remitti, cogitationis, locutionis, & actionis*, Et infrà: *Postmodùm autèm multis, & variis adversitatibus, & horroribus Ecclesiæ ingruentibus, cœpit ad Dominum clamare de tribulatione, Dona nobis pacem*. Hanc Innocentii sententiam recitat etiàm Guillelmus Durandus in Rationali Divinorum officiorum, nullâ tamèn mentione de Innocentio factâ. Stephanus autèm Durantus in libro tertio de Ritibus Ecclesiæ sub Innocentii nomine affert in medium eamdem sententiam, cui assentiendum omninò censètur, qualibet aliâ consideratione, aut opinione silentio à nobis prætermissâ.

Innoc. lib. 6. Mysteriorum Missæ c. 4.

Guill. lib. 4. cap. 25.

Steph. lib. 3. cap. 53.

Hæc de trino Campanæ sonitu, necnon de Ritu in tertio, *Agnus Dei*, in celebratione Missæ mutato, suadente occasione sese oblatâ de Pace, dum de Ritu orandi perantiquo, ad eam impetrandam instituto, loquebamur.

De præcipuis quibusdam Horologiis, & Campanis hoc in Commentario descriptis.

DECLARATIO.

DUM de Turrium præstantiâ, & admirandis quorundam Horologiorum structuris, necnon de musico Campanarum concentu, musicam itèm Organorum harmonìam repræsentante, loqueremur, in medium attulimus nonnulla, quæ indigebant delineatione, ut quæ scripta sunt, faciliùs intelligerentur. Cap. 12.

De Horologio S. Marci Venetiarum.

Pag.171. PRimo loco ad hanc rem præſtandam apponere libuit Horologium Sancti Marci Venetiarum delineatum, & ære inciſum, ut è contrà.

Campanula illa, quæ ſub majori Campana horarum extare cernitur, malleolo percuſſa, anteàquam horæ pulſentur, dat ſonitum, quo dato, Campana horarum hinc indè pulſatur à duobus effictis ex ære Mauris. Deindè è duorum oſtiolorum uno, intèr quæ Deiparæ Mariæ ſempèr Virginis ſculpta infrà Horologium Imago ſedens repræſentatur, Angelus tubam, utì jàm diximus, perſonando exit, ut alterum oſtiolum ingrediatur, à tribus comitatus Magis, qui dùm antè dictam Imaginem tranſeunt, ſeſe artificiosè flectunt, & inclinato capite, manu ad frontem directâ, ipſam Imaginem, coronâ è capite cujuſque amotâ, venerantur, Angelumque intrà oſtiolum ingredientem ſequuntur. Id quod Franciſcus Sanſovinus in ejuſdem Civitatis deſcriptione sàtis fusè, ac bellè quidèm ſcriptum reliquit.

Pag.171. Franc. Sanſ. lib.8.

Stella verò, quæ ſuprà Imaginem Deiparæ Mariæ ſempèr Virginis cernitur, Magis infrà tranſeuntibus apparet, deindè in ſuum ſeſe retrahit locum; Infrà deniquè cernitur Sphæra ſtellaria, & horaria, in qua repræſentantur duodecim Signa cæleſtia, & Solis radius horas oſtendens, atquè itèm Sol ipſe, qui ſingulo quoquè Menſe in domo ſibi prefixa manet. In centro autèm Sphæræ cernitur Luna, quæ intèr multitudinem Stellarum ſuas facit mutationes.

Infrà verò Campanam horarum per Leonis Imaginem juxtá Scripturam Sacram repreſentatur S. Marcus Evangeliſta, præcipuus Venetiarum Protector, ad cujus pedes Dux itèm Venetus cernitur genuflexus. Et hec de Horologio Sancti Marci Venetiarum.

Apocal. 4.

DE

HOROLOGIVM. SANCTI MARCI. VENETIARVM

De Horologio S. Lamberti in Eccleſiâ Cathedrali Leodii.

SECUNDO loco ſe nobis offert explicandum Horologium Leodii, quod eſt Germaniæ inferioris, hoc eſt, Flandriæ Civitas maxima: Ibi enim præter magnitudinem, & multitudinem Campanarum, quæ dum organorum inſtar pulſantur, muſicum reddunt concentum, ut in *Cap.* 12. ſatis fusè narravimus; In Eccleſiâ Cathedrali, Sancto Lamberto dicatâ, extat etiam Horologium mirâ arte conſtructum, ſicut Rotæ, ac funiculi multiplices præſeferunt. Quælibet enim hora in quatuor diſtinguitur partes, quæ à quatuor Statuis illis ex ære fictis diſtinctè pulſantur; quibus pulſatis, à Statuâ illâ inferiori pulſatur Horarum Campana, quæ Horas diſtinctè perſonando refert.

Cap. 22. pag. 170



De modo pulsandi magnas in Belgio Campanas, hoc est, in Flandriâ, Galliæ Belgicæ Regione.

Cap. 12. pag. 171.

TERTIO loco repręsentatur modus pulsandi magnas in Belgio Campanas, hoc est, in Flandriâ, Galliæ Belgicæ Regione. Nam in Cathedrali præsertìm Ecclesiâ Leodiensi, Sancto Lamberto dicatâ (utì iam in *Cap.* 12. hujusce Commentarii dictum fuit) octo sunt ampliſſimæ Campanæ, minusculæ verò duodecim ad Horarum pulsationem accommodatæ. Ad Campanæ harum maximæ pulsationem quatuor & viginti requiruntur homines. Maxima hæc enim Campana duabus, & quidèm magnis est cincta rotis, quæ circumligatæ sunt duobus deorsùm pendentibus funibus, quibus item alligati sunt quatuor & viginti alii funiculi. Deindè homines duodecim trahunt vice versâ funes ab unâ parte; ità verò, ut, quando pars una deorsùm trahit, altera sursùm trahat.

Qui sanè modus in pulsandis Campanis pro musico efficiendo concentu per totum Belgium obsèrvatur, sicut dictæ Civitatis, & Regionis Indigenæ, qui Romæ degunt, omninò affirmant,

CAMPANA. A. XXIIII.
HOMINIBVS
PVLSATA

De promiſcuâ magnitudine 33. Campanarum, quę ſunt in Cathedrali Antuerpien. Eccleſiâ Deip. Mariæ ſemper Virgini dicatâ.

QUARTO deniquè loco ſeſe nobis offerunt triginta tres promiſcuæ magnitudinis Campanæ, delineatæ, ac ære inciſę, quę ſunt in Cathedrali,& primariâ quidèm Antuerpienſi Eccleſiâ, Deiparæ Mariæ ſemper Virgini dicatâ, cujus Turris admirandæ altitudinis, ac ſtructuræ dictas continet Campanas. De præſtantiâ hujuſce Eccleſiæ, ac Turris, necnon de dictis Campanis, earumq; harmoniâ muſicâ ſermonem habuimus in 12. hujuſce Commentarii *Cap.* juxtà Georgii Braunii verba. Nùnc autèm ad majorem dictæ delineationis Campanarum intelligentiam nonnulla explicanda cenſentur. Turris enim triginta trium Campanarum non ſolùm eſt alta pedes quadringentos viginti, utì ſuo jam diximus loco, ſed intùs habet trecentos, & ſexaginta tres gradus, per quos aſcenditur ad Campanarum faſtigium. Habet etiam intùs diverſa loca ſatìs ampla, in quibus pendent Campanę, præſertìm verò triginta tres promiſcuæ magnitudinis Campanæ illæ, quæ quotidiè tam pro divinis officiis, quàm animi causâ, ſivè pro oblectamento præſtando pulſantur. Suprà dictas Campanas extat Horologium cum Campanâ, quæ pulſat horas. Extat etiam ſuperiùs alia contignatio, in qua pendent Campanæ, quæ præludium aliquod, vel, ut Muſici ajunt, *Motectum*, in majoribus nempè Feſtivitatibus, anteaquàm horæ pulſentur, ſonant. Alio deniquè in loco ad latus ejus tres magnæ pendent Campanæ, quarum major, *Triumphalis* dicta, motu primo nonniſi à viginti hominibus pulſari poteſt; deindè à duodecim tantùm viris facilè pulſatur, quæ tandèm cum aliis duabus, in majoribus tamèn Feſtivitatibus, muſicum refert concentum, quem vulgò Muſici *Contrapunctum* vocant.

Cap. 12. pag. 170.

Pag. 171.

Triginta tres deniquè Campanæ illæ quarto loco delineatæ, ac ære inciſæ, ſeù potiùs earumdem mallei per rotulas, & funiculos moventur: & ità, ut ſuo loco videre licet, Campanæ ipſæ, Organorum inſtar, manibus, ac pedibus pulſantur: & hunc in modum pulſatæ, tàm conſonantem edunt ſonum, & diverſas Eccleſiaſticas melodias ità exprimunt, ut ab harmoniâ muſicâ (Georgio Braunio teſte) vix eum diſtinxeris, utì ſuo jam loco dictum fuit.

Cap. 12. pag. 171.

De



CAMPANÆ. XXXIII. ORGANI. SONVM. REDDENTES

DE SACROSANCTO

JUBILEO

ANNO MDC.

COMMENTARIUS

Commoditati exterarum Nationum consertus.

De Origine, & Antiquitate

JUBILEI,

Deque Jubileis præfinito in tempore celebratis.

Levit. 25.

JUBILEUM Hebræorum in libris Levitici à Deo institutum, Jubilei nostri, quod *Christianorum Jubileum* possumus appellare, typum fuisse constat, ut infrà demonstrabimus, dùm de Jubilei Etymologiâ, variisque ejusdem nominibus, ac definitione verba facimus. Sacrosanctum autèm Christianorum Jubileum, à JESU CHRISTO Salvatore nostro, Deo, & Homine, sicùt etiam sentit Cyrillus Franchus, originem traxisse censendum est, eo scilicèt tempore, quo summum Pontificatum, summumque Sacerdotium Petro tradidit, eique Regni Cœlorum Claves ità commisit, ut quem judicaret solvendum solveret, quem verò ligandum ligaret. Quàmvis autèm res ità se habeat, Jubileus tamèn Christianus in primordio nascentis Ecclesiæ eo ritu, quo nunc Sancta Mater Ecclesia utitur, usum haudquàquam recepit, sed multis post seculis fuit promulgatus, propterea quòd Ecclesia Sancta Dei à Tyrannis Christianæ Religionis hostibus exagitata, ritum hunc celeberrimum exercere non poterat: ubi autèm Tyrannorum persecutionibus, cæterarumque Nationum incursionibus fuit tandèm aliquandò liberata, suasquè vires cum Pontificiâ majestate recepit, Romani Pontifices Jubileum solemnissimo ritu, quo nunc utimur insignitum celebrare cæperunt. Etsi solemnissimum Jubilei ritum à Bonifacio VIII. originem traxisse scribant nonnulli, ex eodem tamèn Pontifice indulgentias Jubilei ipso antiquiores fuisse invenio: Bonifacius enìm VIII. suam Jubilei Bullam hunc in modum exorsus est: *Antiquorum habet fida relatio, quòd accedentibus ad Basilicam Principis Apostolorum de Urbe, concessæ sunt remissiones magnæ, & Indulgentiæ peccatorum.* Hæc in Bullâ. Adde etiam, quòd (si Jubilei substantiam, non ritum spectemus) à Gregorio Magno, à Bonifacio III., ab Honorio IV., & ab aliis Indulgentiæ plenariæ concessæ fuerunt. Bonifacius autèm VIII., tempus Jubilei forsàn non præfinitum præscripsit, illumque centesimo quoquè anno celebrandum decrevit. Clemens verò VI. proptèr brevissimum vitæ nostræ cursum ad quinquagesimum annum Jubileum revocavit. Eandem itèm ob causam Urbanus VI., ut Pientino placet, Jubileum ad tertium, ac trigesimum annum transtulit, sicùt etiam in Bullâ Pauli II., & Julii III. idem videre licet; in quibus etiam fit mentio de Martino V., qui dictam Urbani VI. anni Jubilei institutionem, aut reductionem ratam habuit, & confirmavit. Cyrillus autèm Franchus hanc rem totam diligentissimè se indagasse ait, nequè tamèn institutionem modò memoratam invenisse omninò affirmat. Utcùmque verò sit; Paulus denique hujus nominis II. Jubileum ad vigesimum quintum annum revocavit, sed ipsum Sixtus Quartus (teste Platinâ) anno salutis MCDLXXV. primus celebravit, cùm Paulus anno Domini MCDLXX. de Anni Jubilei contractione Bullam promulgasset, & sequenti anno ex hac vitâ decessisset.

Pientinus lib. de Jubil. c. 7.

Lib. de Jubil. cap. 9.

Platina.

Quàmvis autèm numeri misteriis non careant, ut Philosophi, præsertìm verò Pythagoras, & Plato censuerunt, eosque numeros Sanctus Pater Augustinus, cui subscribunt Patres ferè omnes tam Latini, quàm Græci, sacratissimos, & mysteriorum plenissimos nominet, immò eorum scientiam cuilibet Scripturas sacras intelligere cupienti necessariam esse affirmet, nos tamèn brevitati studentes, hanc investigationem, seù contemplationem, tamquàm nostro Instituto haùd necessariam, silentio prætermittendam esse judicavimus. Quot verò Jubileos inveni præscripto in tempore celebratos, hoc loco ex Cyrillo Francho recensere visum est.

Augustin. lib. quæst. super Gen. qu. 152. in nu. tom. 4.

Bonifacius VIII. Annum Jubilei celebrandum curavit ——— MCCC
Clemens VI. ——— MCCCL
Bonifacius IX. ——— MCCCC
Nicolaus V. ——— MCCCCL
Paulus II., vel potiùs — Sixtus IV. ——— MCCCCLXXV
Alexander VI. ——— MD
Clemens VII. ——— MDXXV
Julius III. ——— MDL
Gregorius XIII. ——— MDLXXV
Clemens VIII. ——— MDC

Matth. 16. & 18. Joan. 20.

Cyrillus Franchus.

Polyd. Virg. & alii.

Extrav. com. lib. 1. cap. 1. Antiquorum.

Hæc de Origine, & Antiquitate Jubilei, dequè Jubileis præfinito in tempore celebratis, ut ea, quæ ad Jubilei pertinent definitionem aggrediamur.

De Jubilei Etymologiâ, deque ejusdem Jubilei nominibus.

NOs de Sacrosancto Jubileo, quem *Annum Sanctum* passìm vocant, verba facturi, Commentarium nostrum ab ipsamet rei definitione auspicabimur, eloquentiæ latinæ Patrem hoc loco imitaturi dicentem: *Omnis, quæ à ratione suscipitur de aliquâ re institutio, debet à definitione proficiscì, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur.* Cicer. libr. 1. de offic. Anteà verò quàm definitionem aggrediamur, nominis *Etymologiam* investigare, ac perscrutari libet. Vox nàmque cujuscumque rei explicata, facilem nobis aditum ad ipsius rei definitionem indagandum sempèr afferre solet.

Sunt, qui Jubileum *à Jubilando* dictum velint: nec tamen desunt, qui à voce hebraicâ, *Jobel*, nuncupatum dicant, idque ità esse omnibus nervis contendant. Navarræ opinio. Hìnc non Jubileum, sed *Jobeleum* pronunciari, ac scribi volunt. Nos autèm utroque modo, & rectè scribi, & pronunciari posse, eundemque sensum habere affirmamus, sivè Jubileum *à Jubilando*, vel *à Jubilo*, sive Jobeleum *à Jobel* deduci, aut derivari velìmus. Quàmvis enìm *Jobel* apud Hebræos, sicùt hebraicam linguam callentes inquiunt, varia significet, præsertìm verò *Cornu*, vel *Buccinam*, ac proindè Navarrus illud nomen inter æquivocos esse dicat; quorum (ut Aristoteles docet Aristot. in ante prædic. c. 1. nomen solùm commune est, secundùm nomen verò subsantiæ ratio diversa, ea tamen omnia, etsi varia, si Jubilei finis, & effectus perpendatur, nonnisi Jubilum, sivè gaudium præseferunt. Annus nàmque Jubilei, hac voce *Jobel*, idèst *Buccina*, varia apud Doctores nomina sortitus est, juxtà varios Hebræorum Jubilei effectus considerata. Dicebatur enìm Annus *Quinquagesimus*, *Remissivus*, *Initiativus*, & *Buccineus*. Quæ sanè nomina Exod. 15. Hæbræorum Jubileus jure sibi adscivit, propterea quòd eo in Jubileo, quinquagesimo scilicèt quoque anno, sicùt apud Moysem legitur, cunctis erat cujuscumque debiti, remissio, & condonatio, hoc est, servi libertate donabantur, captivi dimittebantur, res immobiles priori quæque domino reddebantur, nè avitâ re contrà divinæ Legis æquitatem perpetuò quisquam privatus foret; Judicia itèm litigatorum (ut discordiæ, & inimicitiæ, atquè convitia sopirentur, eorumque vice, summa quies, ac tranquillitas vigeret animi) omninò dissolvebantur. Levit. 25.

Hebræorum itaquè Jubileus, sivè *à Jubilo*, sivè *à Jobel* dictus, *Quinquagesimus* dicebatur, quià quinquagesimo quoque anno celebrabatur; *Remissivus*, quòd remissionem præstaret; *Initiativus*, quòd res, ipsosque homines ad initium, hoc est, ad primum statum revocaret; *Buccineus*, quòd *Jubileus*, vel *Jobeleus* buccinarum sonitu prænunciaretur, vel promulgaretur. Quæ planè omnia Exod. 15. Levit. 25. Joseph Hebr. lib. 3. cap. 10. Hieron. multis in locis, & Isidor. libr. Etym. 5. *Jubilum*, seù *Lætitiam* indicantia, in Levitico, & alibì à Moyse conscripta sunt post multa ad Jubileum pertinentia hisce verbis: *Sanctificabisquè Annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitantibus Terræ tuæ: ipse est enìm Jubileus. Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque rediet ad familiam pristinam; quià Jubileus est, & quinquagesimus Annus.* Levit. 25. Hæc Moyses, idquè genus alia ad Jubileum, qui cunctarum rerum temporalium beneficentiam præstabat, pertinentia. Sed antè divinum de Anno quinquagesimo sanctificando præceptum, Deus per eumdem Moysen loco nupèr commemorato, buccinâ, vel mense antè Annum Jubilei, vel ipsius Anni Jubilei septimo clangendum esse mandaverat hunc in modum: *Numerabis quoquè tibi septem hebdomadas annorum, idèst septies septem, quæ simùl faciunt annos quadraginta novem; & clanges buccinâ mense septimo, decimâ die mensis, propitiationis tempore in universâ Terrâ vestrâ.* Levit. 25. Hæc ibi. Jubileus itaquè, sivè *à Jubilo*, voce latinâ, sivè *à Jobel* hebraicâ voce, & reverâ ab hac deductus vocetur, *Quinquagesimus*, *Remissivus*, *Initiativus*, & *Buccineus* dicebatur: Et quàmvis *Jubileus* à Latinis illum in modum vocitetur, nominibus hisce *Jubilum*, aut *Lætitiam* præseferentibus, interpretatus, ubicumque tamèn in veteri Testamento latinè reddito, de Jubileo fit mentio, Hebraica veritas, pro Jubileo, *Jobel* (quod significat *Cornu*, vel *Buccinam*) sempèr legit, sicùt Hebraicam callentes linguam fatentur. Immò, ut Lyranus ex Rabbi Samuelis interpretatione testatur, *Jubileus à Tubarum clangore* [jubilum, seù lætitiam, ut reor, indicante, aut excitante] vocitatur. Lyran. in c. 25. Levit. Hìnc in eo Exodi loco; *Cùm cæperit clangere buccinâ; tùnc ascendam in montem*, pro buccinâ, *Jobel*, hebraicè (Lyrano teste) legitur. Exod. 19.

Hæc de Jubilei Etymologiâ, ut definitionem aggrediamur.

De Jubilei definitione.

JUbilei definitionem, prævià distinctione, investigare studebimus juxtà sententiam Peripateticorum, qui in æquivocis priùs distinguendum, quàm definiendum esse docent, nè de ambiguâ voce, ac re diù, & quidèm inutilitèr disputetur. Aristot. multis in locis, & præsertim l. 1. de Cœlo. Est enìm *Jubileus* Hebræorum, alter ab eo Christianorum. Ille terrena, ac temporaria præstabat bona, hic verò cœlestia dat, & æterna. In illo debita temporaria, in hoc spiritualia condonantur. Ille temporariam libertatem, hic verò spiritualem restituit. In illo terram colendi labor omittebatur; in hoc per laborem, & merita Christi, atquè Sanctorum proprius cujusque excusatur labor. In illo possessiones terrenæ abalienatæ recuperabantur; In hoc virtutes, & merita per peccatum perdita. In illo exules in Patriam redibant; In hoc à Cœlo exules in cœlestem redimus Patriam. Navarr. p. 8. Ille tandèm buccinâ prænunciabatur, hic verò Apostolicâ voce proclamàtur. Septimo nàmque mense, vel antè Jubileum, vel in ipso Jubileo Anno, ut alii volunt, buccina olim,

ut

Levit. 25. ut in Levitico legitur, ad eam rem promulgandam clangebatur; In nostro autèm Jubileo septimo mense annum Jubilei præcedente, *Annus Sanctus*, Indulgentiarum videlicèt thesauro plenus, per Bullam Pontificiam, tubis resonantibus promulgatur. Id, quod in Sanctissimâ die Pentecostes, hoc præsèrtim anno MDXCIX., primâ vice factum esse constat.

Quàmvis autèm ea, quæ ad Hebræorum Jubileum pertinent, ab iis, quæ in nostro Jubileo præstantur, diversa sint, quandam tamèn intèr se similitudinem habent, si rectè spectentur: Immò hæc ab illis adumbràta, præmonstrataquè quodàmmodò videntur. Ex iis itaquè rebus omnibus, gaudium, sivè jubilum præseferentibus, quas in nostro Jubileo præstari videmur, jubilum nostrum nonnisi plenariam remissionem, aut Indulgentiam esse facilè dignosci potest.

Indulgentia Jubilei quid sit.

Indulgentia quid sit. INdulgentia, sivè remissio, est *relaxatio temporariæ pœnæ peccatis actualibus dimissis debitæ, in gratiâ tamèn existenti, de thesauro Ecclesiæ concessa*. Indulgentia dicitur *remissio pœnæ*, ut differat à remissione culpæ, quæ in absolutione remittitur Sacramentali. Dicitur *remissio pœnæ temporariæ*, ad pœnam damnatòrum in inferno existentium perpetuam, & irremissibilem excludendam.

Dicitur *remissio pœnæ peccatis debitæ*, ad Sanctorum Martyrum pœnas, quæ peccatis non debebantur, amovendas.

Dicitur *remissio pœnæ peccatis actualibus debitæ*, ad excludendum peccatum Originale, quod remittitur in Baptismate, eique solùm respondet pœna damni; Indulgentia verò est pœnæ sensus remissio.

Dicitur *remissio pœnæ peccatis actualibus dimissis debitæ*, quià pro culpâ per contritionem, & absolutionem Sacramentalem non dimissâ, nemò Indulgentiam potest consequi. S. Thom. p. p. qu. 64. art. 2. in corp. Culpæ nàmque mortali non dimissæ perpetua debetur pœna, quæ per Indulgentiam non remittitur. Adde insupèr, quod *Indulgentia est relaxatio non solùm temporariæ pœnæ peccatis mortalibus actualibus debitæ, sed etiàm culpæ, & pœnæ venialium peccatorum remissio*, ut ait S. Thomas multis in locis.

Dicitur *remissio pœnæ peccatis actualibus dimissis debitæ, in gratiâ existenti concessa*, quià existentibus in peccato mortali, ut ait Sanctus Thomas, vel non contritis, & confessis Indulgentia non prodest, quæ culpam mortalem in absolutione Sacramentali dimissam præsupponit. S. Thom. 4. Sent. dist. 20. art. 5. quodl. 1. & Extravag. leg. 5. cap. 2. Vnigenitus. Hìnc in omnibus Indulgentiis dictæ duæ particulæ (contritis, & confessis) vel hæc saltèm (in formâ Ecclesiæ consuetâ) apponi solent.

Dicitur *talis remissio de Thesauro Ecclesiæ concessa, sèd desumpta*, quià Ecclesia Sancta facit hac in re instàr piissimi Imperatoris, aut Regis, qui, ut alicui magnum æs alienum, quod habet solvere cupienti, sed ob rei domesticæ angustiam solvere non valenti, opem ferat, ex publico ærario pecuniam eidem munificentissimè largitur.

Hunc in modum Romanus Pontifex Indulgentiam, *quæ est satisfactio quædam, pœnalibus operibus alienis constans*, ex sacrosancto Ecclesiæ Thesauro desumit, & concedit. Quidnam verò Thesaurus, de quo loquimur sit, hoc loco scitu, & explicatu dignum censetur.

Thesaurus Ecclesiæ quid sit.

De acquir. rer. dõ. 1. Nunquam ex Pigellio, & Brissonio Quintil. l. 2. cap. 7. Cic. de Orat. Extrav. lib. 5. cap. 2. Vnigenitus de pœn. & remiss. THesaurus, (ut quid nomen sibi velit in primis explicetur) *est non solùm vetus quædam auri, aut pecuniæ*, Paulo Jureconsulto teste, *depositio*, sicut vox ipsa græca præsefert; *Sed quarumvis rerum repositarum pœnu, & abundantia*. Ecclesiæ itaquè Thesaurus [ut legitur in Extravaganti] ex superabundantia meritorum, & passionum Christi, ac Sanctorum constat, ex quarum rerum superabundantia *Indulgentiæ*, sicut communi Theologorum Scholæ placet, & ab Ecclesia Sancta, decretum est, desumuntur. Cum itaquè, ut Bartholomæi Fumi Villaurensis utar verbis, Indulgentia purè succedat satisfactioni pœnitentiali quantùm ad vim solam satisfactivam; stàtim dicas, necesse est, thesaurum Indulgentiarum esse thesaurum satisfactionum, quæ per opera pœnalia, & meritoria fiunt. Hinc idem Thesaurus, *& passionum, & meritorum* dicitur, ut Villaurensis ait, quatenùs opera ipsa satisfactoria sunt, & quatenùs unus pro alio in temporalibus, & spiritualibus satisfacere potest. Propterea quæ in hoc thesauro sunt reposita, satisfactiones dici debent, ac sunt, non satisfactiones quæcumque, sed solùm superabundantes, aut supererogatoriæ. Satisfactiones enim, quibus cuncti satisfacientes pro seipsis indiguerunt, jàm in solutionem pœnarum propriis peccatis debitam cesserunt, ob idque pœnæ illæ pro aliis salvi haudquàquam possunt. Idem quoquè de aliis satisfactionibus, quæ pro quibusdam determinate fiunt, dicendum est: Jam enim Deo oblatæ, suum effectum sortitæ sunt. Quòniam verò satisfactiones in Thesauro Sancto repositæ, nonnisi pro alienis pœnis offerri Deo possunt; hinc eas superabundantes, vel supererogatorias esse fatearis oportet. Ut autèm neminem lateat, quænam satisfactiones superabundantes dici queant, & sint, communem Theologorum sententiam hoc loco aperire necesse est. Armil. tit. Ind. num. 7.

Superabundantes vel supererogatoriæ satisfactiones quænam sint.

SUperabundantes satisfactiones sunt, *passiones* plenè haudquàquam remuneratæ *Christi*, atquè *Sanctorum*, sicut universæ Theologorum Scholæ placet, Francisco de Mayrone excepto, cui omnes hac in re, & merito quidèm, adversantur, ejus opinione tàmquam falsa, in *Extravaganti* damnata. Extrav. com. lib. 5. c. 2. Vnigenitus. Meritum Christi sese diffundit in Membra Ecclesiæ, cujus caput ipse est, sicut meritum privati hominis in ejusdem Corpus. Hinc, sicut quilibet homo, non solùm animę suæ,

sed suo itèm corpori meretur, ità Christus, non solùm sibi, vel aliis etiàm meruit, immò aliis magis, quàm sibi meruit, quià nobis meruit Beatitudinem, quàm sibi, cum à suæ Conceptionis initio fuerit beatus, non meruit. Infinita verò Christi merita plenè remunerata non fuerunt. Sanctorum itèm merita, quatenùs satisfactoria pro pœna temporali peccatis actualibus debita; in ipsis Sanctis remunerari plenè non possunt; vel quià peccato carebant, sicut de Beata Maria semper Virgine, ac Dei Matre, affirmare necesse est, vel quià pro peccatis dimissis plura opera satisfactoria, quàm debebant, Deo obtulerunt, ut patet de Sancto Job dicente: *Utinam appenderentur peccata mea*, *quibus iram merui*, *& calamitas*, *quam patior*, *in statera*, *quasi arena Maris hæc gravior appareret*. Cum itaque multi Sancti plùs satisfecerint, quàm propria peccata exigerent, eorundem satisfactiones, quatenùs debita excedentes, meritò superabundantes dici possunt, ac debent, & hoc sensu in ipsis Sanctis non remuneratæ: quamvis enim hujus generis merita, quantùm ad vim merendi gratiam, & gloriam, ideſt, quantùm ad præmium, ut ajunt, *essentiale*, *& accidentale*, in ipsis fuerint remunerata ultrà condignum, tamèn quantùm ad pœnæ solutionem, ideſt, quantùm ad vim satisfaciendi, vel quatenùs satisfactoria non itèm: quià prima remuneratio, ut ait Villaurensis, vim satisfactivam non aufert, neque minuit.

Iob. 6.

Armil. verbo Ind. num. 8.

De Infinitis Christi meritis, ac passionibus, necnon de superabundantibus Sanctorum satisfactionibus pro aliis in Ecclesiæ thesauro repositis.

QUòd superabundantes Sanctorum satisfactiones pro aliis in Ecclesiæ thesauro sint repositæ, ex eo patet, quòd Apostolus Sanctus ad Colossenses scribit dicens: *Factus sum ego Paulus Minister. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Hæc Beatus Paulus. Passiones autèm Christi duobus modis, Lyrano teste, intelligi possunt; Uno modo in corpore proprio, in quo sustinuit famem, sitim, ac deniquè mortem. Passionibus hunc in modum sumptis, nihil in iis adimplendum defuit: Immò, ut quàmplurima uno complectar verbo, infinitè passus est, ità tamèn, ut effusio unius guttæ Sanguinis Christi, pro totius Generis humani redemptione sufficissèt: Immò, ut Doctor Angelicus ait, minima passionum, quas Christus sustinuit, sufficissèt, quòad sufficientiam, etiàmsi, quòad convenientiam, sivè redundantiam omne genus earum sustinuerit, sicut idem Doctor demonstrat.

Coloss. 1.

Nic. Lyran.

S. Thom. 3. p. q. 46. art. 5. ad 3.

Alio modo Christi Passiones intelliguntur, quatenùs Christus in suis patitur membris, quæ sunt ejus fideles, ex quibus constat Ecclesia, quæ *Corpus Christi mysticum* appellatur. Hunc in modum Sancti intentione expressâ, vel saltem virtuali, opera satisfactoria supererogationis exhibuerunt, ut nobis in remissionem temporariæ pœnæ applicarentur: Et ità instar Beati Pauli Apostoli adimpleverunt ea, quæ deerant passionum Christi, & Christianorum, (ut Sanctus Thomas Doctor Angelicus declarat) in sua ipsorum carne pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Hisce de rebus opiniones Franciſci Mayronis, & Durandi confutantur: quorum ille in Christo, & in Sanctis satisfactiones remuneratas fuisse opinabatur, hic verò merita Christi superogatoria fuisse affirmabat, Sanctorum autèm satisfactiones nùm fuerint, ambigebat. Passiones ergò Christi, ac Sanctorum superabundantes in thesauro Ecclesiæ pro aliis repositas fuisse, affirmare necesse est.

S. Thom.

Franc. Mayr. l. 4. sent. d. 19. Durand. l. 4. d. 20.

De Thesauri Ecclesiæ Dispensatore.

THesauri Ecclesiæ Dispensator est *Romanus Pontifex*, deindè *Papæ Legatus*, etiàm non Sacerdos, quià hæc facultas ad Jurisdictionem pertinet, sicut ait S. Thomas, necnon *Archiepiscopi*, *& Episcopi*, *sivè electi*, *nondùm confecrati* hanc dispensandi facultatem, sed præscriptam. Solus namquè Papa, ut inquit idem Doctor Angelicus, Indulgentiam plenariam in universas Christiani Orbis plagas Christifidelibus impertiri potest, tamquàm universalis Ecclesiæ Pastor, plenitudinemquè potestatis Pontificiæ, quasi Rex in Regno, habens, ut idem S. Doctor in quarto Sententiarum Libro docet. Alii verò omnes nonnisi præfinitam, præfixis locorum terminis, determinatas Indulgentias elargiendi potestatem habent juxtà Jurisdictionem sibi commissam, *ut Legati*, vel ordinariam, seù à Jure sibi præscriptam, ut Episcopi habere solent. Indulgentias impertiendi potestatem à Christo Domino datam Vicario suo, & Petri successori fuisse, Sanctus Thomas in libro nupèr commemorato affirmat, ex eo quod Beatus Paulus Apostolus ad Corinthios scribit dicens: *Nàm*, *& ego quod donavi*, *si quid donavi*, *propter vos in persona Christi*, hoc est, ut ait Glossa interlinearis, *ac si Christus donasset*. Hinc Doctor Angelicus hęc subinfert verba: *Sed Christus poterat relaxare absquè ullâ satisfactione pœnam peccati*, ut patet Joannis cap. 8. de Muliere adultera. *Ergo & Paulus potuit*, *ergo & Papa potest*, *qui non est minoris potestatis*, *quam Paulus fuit*. Hæc Sanctus Thomas.

S. Thom. l. 4. Sent. dist. 20. art. 4. ad usq.

Ex S. Thom. d. 20. art. 4. ad 2. q.

Plenaria itaquè Ecclesiæ Thesauri dispensatio ad Papam pertinet, in plenitudinem potestatis vocatum: Ad Episcopos autèm, & cæteros Ecclesiæ Prælatos in partem sollicitudinis assumptos, nonnisi præscripta, seù utròque modo nupèr commemorato limitata pertinet: Illa igitùr plenaria dispensatio à Romano Pontifice per Indulgentiam singulo vigesimo quinto quoque anno, in nostro Jubileo præstari solet: quonam verò modo dictam Indulgentiam, aut dispensationem quis consequi possit, hoc loco explicare oportet.

De

De Rebus ad Indulgentiam Jubilei consequendam necessariis.

REbus iis, quæ ad Indulgentiæ largitionem pertinent, & ad nostrum institutum haùdquàquam spectant, silentio prætermissis, præcipua Indulgentiam recipere cupientis conditio est, ut ipse non solùm in gratia sit constitutus, nullo videlicèt mortali peccato detentus, aut irretitus, verùm etiàm, ut constantèr animo stabilierit, nolle ampliùs [Deo juvante] peccare, quæ est, & contritionis pars, sinè qua nec culpæ remissio, nequè ulla Indulgentiarum vis in susscipientem manare potest: tepidis enim, seù non verè contritis, sed post Confessionem Sacramentalem ad peccatum redire cupientibus, aut statuentibus, Indulgentia Jubilei prodesse non valet. Hinc in antiquis Bullarum formis, nonnisi verè pœnitentibus, & contritis Indulgentiæ concedi solent, sicut etiàm in hujusce Jubilei Bulla pro Anno Sancto milleſimo sexcenteſimo celebrando id expressum fuisse constat. Qui itaquè tàmquam Canis ad vomitum suum, vel sus lota ad volutabrum luti post confessionem Sacramentalem reverti cogitat, hic verè pœnitens, & contritus non est, ob idquè Indulgentiæ, aut Jubilei fructum consequi haùdquàquam potest. Ad Indulgentiam intereà Jubilei consequendam, prætèr gratiæ statum, & veram contritionem, atquè confessionem Sacramentalem, operum quoquè Sanctorum adimpletio requiritur, sicuti in hoc Jubileo est, quatuor Ecclesiarum visitatio, quæ sunt *Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Joannis ad Lateranum, & Sanctæ Mariæ Majoris*, sivè *ad Præsepe*, Basilicæ, aut Ecclesiæ. Quæ sanè omnia ad fructum Jubilei percipiendum, juxtà numerum dierum in Bulla præfinitum, necnon juxtà eandem exequendi formam in Bulla præscriptam, necessaria omninò sunt, iis casibus, aut impedimentis, quæ in Bulla narrantur, exceptis.

Qui autèm plura ad dispositionem susscipientis Indulgentiam Jubilei pertinentia nosse cupit, ad eruditissimum Robertum Bellarminum S. R. E. Cardinalem confugiat: hic enim in additionibus disputationum suarum, eo scilicèt de Indulgentiis Opusculo, multa scitu digna, & quidèm utilia, non minùs doctè, quàm piè more suo docet. Nunc reliquum est, ut explicemus, quomodò opus injunctum hoc est Basilicarum visitatio fieri debeat.

De modo visitandi quatuor Urbis Romæ Basilicas, quantùm ad numerum dierum pro Jubileo susscipiendo, & de legitimè impeditis.

QUatuor Urbis Romæ Basilicarum, hoc est, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Joannis ad Lateranum, & Sanctæ Mariæ Majoris, à Romanis, & Incolis Urbis per trigintà continuos, aut intermissos dies; à Peregrinis autèm, vel advenis, sivè aliàs externis, per quindecim dies continuos itèm, vel intermissos, semèl saltèm in die, religiosè visitandæ sunt, piis inibi precibus, pro ipsorum Fidelium, ac totius Christiani Populi ad Deum effusis. Ii verò Peregrini scilicèt, ac externi, qui legitimè impediti, præfinitum dierum numerum in Basilicis, & Ecclesiis visitandis completè, aut nequidèm inchoare potuerint, fructu Jubilei non carebunt, ut expresse legitur in Bulla hunc in modum: *Quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de Causa iter aggressi fuerint, vel ad Vrbem se contulerint, aliqui in via, aut etiàm ipsâ in Vrbe morbo, vel aliâ legitimâ causâ impediti, aut morte præventi, præfinito dierum numero non completo, ac nè quidèm inchoato, præmissa exequi, & dictas Basilicas, ac Ecclesias adire nequeant: Nos piæ, promptæque illorum voluntati, quantùm in Domino possumus, benignè favere cupientes, eosdem verè pœnitentes, & confessos prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perindè fieri volumus, ac si dictas Vrbis Basilicas, & Ecclesias diebus à nobis præscriptis reipsâ visitassent.* Hæc de legitimè impeditis, ut præfinitum dierum numerum explicemus.

De Triginta, necnon de quindecim diebus continuis.

DIes Triginta continui hunc in modum intelliguntur; ut (*exempli gratiâ*) si quis hodiè quatuor Basilicas visitaverit, & cras idem, ac perendiè itidèm, ad trigesimum usquè diem faciet, nullo penitùs die absquè illarum quatuor Basilicarum visitatione intermisso, aut interiecto, triginta scilicèt dierum intervallo nunquàm sinè dicta Visitatione completâ interrupto; dies illi triginta, & *continui* appellantur, & *sunt*. Istùcipsum de quindecim diebus sentiendum est. Quàmvis autèm dierum numerus sit præscriptus, qui tamèn Ecclesias, aut Basilicas ipsas visitaverit, magis merebitur, ut ex Bulla Bonifacii VIII. constat, dicentis: *Vnusquisque tamèn plus merebitur, & Indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas ampliùs, & devotiùs frequentàbit.* Hæc in Bulla ad verbum pòst eundem numerum dierum præfinitum. Extrav. com. lib. 1. c. 1. Antiquorum

De Diebus intermissis, aut interpolatis.

DIes intermissi, aut interrupti, quos nonnulli nominant *interpolatos*, intelliguntur, dùm intèr Basilicas visitandas, aliqua dies absquè alicujus visitatione interponatur, aut intermisceatur: Si quis enim (*exempli gratia*) quatuor Basilicas hodiè visitaverit, cras verò non itèm, sed perendiè dictas Basilicas visitabit, ut nudiustertius fecit, dies illi in opere visitandi adhibiti, dies *intermissi, aut interpolati* nuncupàntur. Addè etiàm, quòd numerus visitandi quatuor Ecclesias præfinitus duobus, aut pluribus ad arbitrium mensibus compleri potest, dummodò quatuor Ecclesiæ prænominatæ semèl saltèm in die visitentur.

Eundem in modum quindecim tàm continui, quàm intermissi dies Peregrinis, sivè

Advenis, aut Externis destinati conceduntur: dictumque dierum numerum, & Romanis, sivè Urbis Incolis, & Peregrinis, vel Advenis, & Externis, à Bonifacio VIII. Clemente VI. Clemente VII. Paulo II. Sixto IV. Julio III. Gregorio XIII. & Clem. VIII. in Bullis Jubilei præfinitum fuisse constat. Hæc de numero dierum Indulgentiam Jubilei suscipere cupientibus præfixo, nunc reliquum est, ut quonàm modo Basilicas visitandi opus quantùm ad animæ dispositionem injunctum fieri debeat, explicemus.

De modo visitandi Basilicas, quantùm ad Animæ dispositionem.

AN eo solùm tempore, quo percipitur Indulgentia, vel quandò opus pro ea consequendà injunctum perficitur, gratiæ status requiratur, Doctores intèr se dissentiunt, rationibus ad utràmquè partem comprobandam explicatis, sed secunda opinio tutior censetur, quià opus, pro quo datur Indulgentia, debet esse vivum, non mortuum, cujusmodi est opus in peccato mortali factum. Quàmvis eleemosyna in peccato mortali facta pro aliquo existente in Purgatorio valeat, Indulgentia tamèn non itèm. Eleemosyna enim extrà charitatem facta, non per modum satisfactionis, sed per modum supplicationis defuncto valet, juxtà illud Ecclesiastici dictum: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Indulgentia nàmquè pro vivis satisfactionis vim habet, supplicatio autèm pro mortuis soli divinæ misericordiæ innititur, ut Cajetanus, & alii docent; Hinc opus injunctum in statu gratiæ fieri necesse est, ut Indulgentiæ fructus percipi queat. Addè etiàm, quòd hæc opinio tutior, ac certior est ex literis Summorum Pontificum comprobata: Nàm in Extravaganti de pœnitentia, & remissione, necnon in Constitutionibus de Indictione Jubilei Clementis VII. Julii III. Gregorii XIII. & Clementis VIII. expressè jubetur, ut qui Indulgentiæ fructum consequi volunt, verè pœnitentes, & confessi Ecclesias visitent. Id quod, cæteris Bullis brevitatis causâ silentio prætermissis, in Bulla Clementis VIII. de Indictione Jubilei, in hanc legitur verborum formam: *Omnibus utriùsquè sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum Basilicas, & Ecclesias, semèl saltèm in die per tringinta continuos, aut intermissos dies, si Romani, vel Incolæ Urbis fuerint; seù per quindecim dies, si fuerint peregrini, aut aliàs Externi, devotè visitaverint, & pro ipsorum fidelium, ac totiùs Christiani Populi salute pias ad Deum preces effunderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, ac veniam misericorditèr in Domino concedimus, & impertimur.* Hæc ad verbum in Bulla Clementina. Qui itaquè plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, hoc est, omnium pœnarum, quas pro suis peccatis in Purgatorio pati tenentur, veniam consequi volunt, verè pœnitentes, & confessi Basilicas, & Ecclesias visitare debent.

Quàmvis autèm hanc Summi Pontificis mentem esse censeat Navarrus in Commentario de Jubileo, & Indulgentiis, in expositione Bullæ Gregorii XIII. de Indictione Jubilei; infrà tamen ait: *Si fortè non esset aliquibus justa copia benè confitendi, saltèm quòd volunt generalitèr omnia peccata suæ vitæ confitèri, vel Confessarius (ut sæpè contingit hoc anno) vult studere, vel consulere, antè absolutionem, possunt incipere visitationes, modò antè ultimam inveniantur probabilitèr benè confessi, & absoluti. Si itèm post confessionem illam primam ceciderint (quæ fragilitas humana est) in aliqua peccata mortifera, possunt, præmissa illorum peccatorum confessione visitationes continuare, ità verò, quòd ex integro eas denuò incipere non teneantur.* Hæc ex Navarro. Ratio hujusce consilii est, quià opus ad Indulgentiam Jubilei consequendam requisitum, jàm per peccata mortifera mortificatum per pœnitentiam, & confessionem reviviscit. Quàmvis enim in Bulla mandari videatur, ut à verè pœnitentibus, & confessis Basilicæ, & Ecclesiæ visitentur, non desunt tamèn, qui confessionem ad ultimam visitandi vicem, aut diem referri posse dicant, ità scilicèt, ut antè ultimam quatuor Ecclesiarum visitationem, sicut etiàm sentit Navarrus, vel pòst visitationes Basilicarum, & Ecclesiarum saltèm peractas confiteatur, dummodò *in voto, seù proposito* sit confessus, ut ait Glossa in Bulla Bonifacii VIII., qui plenissimam largitur indulgentiam omnibus, juxtà formam Bullæ ad Basilicas Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Romæ Anno Jubilæi reverentèr accedentibus, verè pœnitentibus, & confessis, vel qui verè pœnitebunt, & confitebuntur, ut inibi legitur.

Cur Annus Jubilei vocitètur Sanctus, Portaquè in ipso Jubilei initio aperienda Sancta itèm dicàtur.

SAnctum ab Ethnicis nonnisi *à Sanguine Hostiæ* nuncupatum narrat Isidorus in suo Etymologiarum libro: *Nihil enim apùd eos (inquit) dicebàtur Sanctum, nisi quod hostiæ sanguine fuisset consecratum, aut conspersum.* Id quod in veteri etiàm Lege omnia sanguine Animalium in Sacrificiis Sanctificabantur, aut mundabantur Beato Apostolo Teste, qui ait: *Et omnia penè in Sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione, non fit remissio.* Hæc Sanctus Paulus. Hinc Beati omnes in Cœlo existentes, *Sancti* dicuntur, requè ipsâ sunt, quia in Sanguine Agni immaculati à suis peccatis mundati olim fuerunt, juxtà illud Apocalypseos dictum: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apocal. 1. Quod autèm Latini appellant *Sanctum*, Græci Ἅγιον dicunt, quasi *sine terra.* Propterèà Beati in Cœlo vere nuncupantur *Sancti*, quià tàm operis, quàm desiderii terreni sunt omninò expertes: peccatores autèm, Dei gratiâ carentes, jure suo *terreni* vocitantur, sicut enim Terra, quæ est elemen-

mentum ſiccum, & aridum, nonniſi ſpinas, & tribulos, & herbas venenoſas ſinè aqua, producit, ità anima peccatoris carens Dei gratiâ. Quarè Propheta peccatoris perſonam referens ait: *Anima mea, ſicut Terra ſine aquâ tibi*,

Utròque modo per figuram metonymiam, quam latinè *tranſnominationem*, *ſivè tranſmutationem* vocant, Chriſtifideles Agni Immaculati ſanguine tincti, ſeù abluti, per operam ad Sanctitatem pertinentia in ipſo Jubileo confecta Sancti efficiuntur, ità verò, ut qui Jubilei fructum verè conſequuti fuerint, ſi ſtatim pòſt pleniſſimam Indulgentiam ſuſceptam obirent, in Cœlum, omnibus Purgatorii pœnis per pleniſſimam Indulgentiam ex pretioſiſſimo Eccleſiæ theſauro depromptam dimiſſis, advolarent. Hac itaquè ratione Annus Jubilei vocitàtur *Sanctus*, non quòd tempus illud ſit Sanctitatis capax, ſed per homines, eo in tempore ſanctificatos, vel per opera ad ſanctitatem pertinentia, quæ in illo Anno fiunt, Annus ipſe *Sanctus* nuncupatur; qua item ratione aliquod Anni tempus nonnùnquàm eò *triſte*, *aut lætum* appellatur, quod per ipſum homines triſtes, aut læti reddantur. Eandem ferè ob cauſam Porta etiàm illa in initio Jubilei aperiri ſolita, *Sancta* vocitàtur. Adde etiàm, quòd Porta hæc (ut alias de hac re meditationes ſilentio prætermittam (cœleſtem illam præſefere, & adumbrat portam, in qua, nonniſi Juſtis introire licet. Hinc David in Pſalmo ait; *Hæc porta Domini, Juſti introibunt in eam*: quam ſcilicèt Portam Ceſſiodorus, & S. P. Auguſtinus docent eſſe Chriſtum, qui apud Joannem Evangeliſtam de ſeipſo inquit: *Ego ſum Oſtium; Per me ſi quis intràverit ſalvabitur*. Et infra: *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*. Porta itaquè in ipſo Jubileo inchoando aperiri conſueta, non immerito *ſancta* vocitàtur, quippè quæ Portam illam cœleſtem dictis de cauſis inſinuat, ſupernæque Civitatis aditum adumbrat. Annus item Jubilei ſanctitatis operibus eo in tempore confectis, qua homines terrenis deſideriis protritis, & omninò conculcatis, ſanctificatos reddunt, congruè, ac Jure quidèm Sanctus nuncupàtur.

Joan. 10.

Hæc de Anno Jubilei, ut ſolutiones Dubiorum pro Indulgentia Jubilei conſequendâ aggrediamur.

Solutiones Dubiorum à Pœnitentiariis examinatæ, majoriquè ex parte uſu comprobatæ.

MDXCIX. 1. ANnus Jubilei à primis Veſperis Vigiliæ Nativitatis Domini 1599. incœpit, & ad mediam uſquè noctem, quæ diem ejuſdem Nativitatis Anni MDC. præcedet, durabit.

2. Quàmvis pro Jubileo acquirendo ingreſſus Portæ Sanctæ neceſſarius non ſit; ad illius tamèn ritus aperiendæ Portæ Sanctæ ſignificatum, quem nupèr explicavimus, repræſentandum obſervari ſolet.

3. Toto Jubilei Anno, nonniſi ſemèl tantùm Indulgentiam Jubilei acquirere quiſpiam poteſt, etiàmſi opus injunctum ſæpènumerò verè contritus, & confeſſus efficiat: magis tamèn merebitur, qui ſæpius dictas Eccleſias, & Baſilicas viſitabit.

4. Irregulares, Suſpenſi, & Interdicti, ſunt Jubilei capaces; quià hujus generis homines verè contriti, & confeſſi opus injunctum (quod eſt opus privatum) adimplere poſſunt.

5. Excommunicati Eccleſias viſitare, atquè orare poſſunt, cùm hujus generis opera, quatenùs privata, eis prohibita non ſint. Hinc ſi Anno Jubilei durante ab excommunicatione ipſos abſolvi contingat, eoſdem etiàm verè contritos, & confeſſos, Indulgentiam Jubilei conſequi poſſe dicendum eſt, opere injuncto jàm completo. Qui autèm ab Excommunicatione abſoluti non ſunt, eam conſequi non poſſunt. Niſi injuſtè, & invalidè fuerint excommunicati quos Indulgentiam Jubilei conſequi poſſe piè credendum videtur, ſi opus injunctum ritè confecerint.

6. Regulares profeſſos, qui abſquè venia è clauſtro receſſerunt, Indulgentiam Jubilei conſequi poſſe tutum non videtur, etiàmſi opus injunctum perfecerint, quià ſuarum Peregrinationum Domini reipsà non ſunt.

7. Quàmvis Epiſcopi abſquè Romani Pontificis licentiâ peregrinari non queant, quatenùs tamèn in Bulla commonentur, ut verbo, & exemplo Populos ad Jubileum acquirendum excitare ſtudeant, Romam abſquè alia Papæ veniâ, ſeſe conferre poſſunt. Vid. D. Tho. 3. p. addit. qu. 27. art. 2. ad 2.

8. Quàmvis Parochi abſquè veniâ decedere à ſua Parochia, non poſſint, eos tamèn tamquàm ſuarum actionum dominos Indulgentiam Jubilei poſſe conſequi credendum vidètur, iis rebus prævìis, quæ pro Jubileo acquirendo in Bulla jubentur: nàm verè pœnitentes, & confeſſi aliquandò eſſe poſſunt.

9. Quàmvis in Bulla mandari videatur, ut à vere pœnitentibus, & confeſſis Baſilicæ, & Eccleſiæ viſitentur, non deſunt tamen, qui confeſſionem antè ultimam, & pòſt ultimam viſitationis vicem referri poſſe dicant, ità ſcilicèt, ut poſt, vel antè ultimam quatuor Eccleſiarum viſitationem, ut etiàm ſentit Navarrus, quiſque confiteatur.

10. Si quis abſquè peccato mortali Eccleſiarum viſitationem aggrediatur, rectè facit, quàmvis id neceſſarium non exiſtat. Si autèm verè pœnitens, & confeſſus Eccleſias viſitare incipiat, & intèr viſitandum in aliquod peccatum mortale incidat, neceſſe non eſt, ut iterùm viſitandi opus exordiatur, dummodò eum pœniteat. Qui verò frequentèr per confeſſionem ſacramentalem ſuorum peccatorum abſolutionem habere ſtudebit, optimè faciet, quàmvis id neceſſarium haudquàquam ſit.

11. Si cui nocte, januis Eccleſiarum clauſis, opus injunctum exequi contigerit, ad januas acceſſiſſe, ibique devotè oraſſe ſat erit. Non enim neceſſe eſt, ut quis Eccleſias ingrediatur. Dies autèm in Bulla nominatus, pro die naturali, quæ 24. horarum intervallo conſtat, ſumitur.

12. Ne-

12. Necesse est, ut uno, eòdemquè die quatuor Ecclesiæ in Bulla nominatæ semèl saltèm in die visitentur. Si quis verò quatuor illas Ecclesias, bis in die visitaverit, magis merebitur, sed illæ duæ visitationes, nonnisi pro una sumentur.

13. Advena, vel externus, qui dictas quatuor Ecclesias aliquoties visitaverit, deindè in Patriam sese contulerit, si Romam antè finem Anni Sancti redierit, opus inceptum complere poterit, ut Indulgentiam Jubilei consequàtur.

14. Romani extrà Urbem habitantes, qui alibi constituerunt sibi domicilium, si Romam pro Jubileo acquirendo venerint, peregrinorum, sivè externorum privilegio fruentur. Romani etiàm, qui in aliqua universitate studendi gratiâ, vel in aliqua Provinciâ, vel Civitate gubernandi causâ commorantur, eòdem exterorum privilegio potiuntur.

15. Curiales non exterorum, sed incolarum conditionem sibi sortiuntur, quippè qui Romæ, non ad præfinitum usquè tempus commorari decreverunt, sed perpetuum quasi domicilium inibi constituerunt, ut ex Bonifacio VIII. constat.

16. Qui ob litem tractandam Romam sese contulerunt, lite ad finem perductâ recessuri, eòdem exterorum privilegio potiuntur, etiàmsi Romæ diù fuerint commorati.

17. Habitantes in Suburbiis, Vicis, & pagis Romæ immediatè subjectis, conditionem Romanorum sibi sortiuntur, nisi alitèr à Summo Pontifice decernatur.

18. Qui Romam studendi gratiâ venerunt, nec Romanorum, nec Incolàrum, sed exterorum conditionem sibi sortiuntur, & id si Romæ decem annos fuerint commorati: Hùc enim accesserunt, studiis completis recessuri.

19. Religiosi exteri ex alicujus Cœnobii familiâ Romæ vitam degentes, Exterorum privilegio potiri non debent: sunt enim Incolæ, ac Cives Romani, donèc reipsâ ab Urbe decedant, etiàmsi obedientiæ causâ, aliò habitandi gratiâ sese brevi conferre debeant.

20. Si quis antè aliquam Ecclesiarum visitationem in peccatum mortale (*quòd Deus avertat*) fuerit lapsus; visitatio ipsa tàmquàm moralitèr bona, ac devota pro Jubileo acquirendo valet, *dummodò* in ipso actu visitationis mortale peccatum non perpetretur.

21. Visitatio, religiosa, seù devota, sempèr esse deberet, & devotio, sivè actio religiosa, toto in itinere opportuna existimatur.

22. Visitatio tàm curru, aut lecticâ, quàm equis præstita, valet: qui autèm pedibus iter facit, magis mereri potest ob majorem in visitando laborem exantlatum, aut perpessum.

23. Altare cujuscùmque Basilicæ præcipuum, atquè illud in primis, in quo Sacratissimum Christi Corpus asservàtur, omni veneratione visitari debet: qui cætera itèm Altaria visitat, rectè facit: Id autèm necessarium non est, dummodò Basilica, sivè Ecclesia visitetur: Hoc enim tantùm pro Jubileo acquirendo necessarium omninò est, eo modo, quem in undecimi solutione explicavimus.

24. Visitatio, sine oratione esse non debet, sivè precatio ipsa sit *vocalis*, sivè *mentalis*: orandum autèm præsèrtìm est, vel *prolixè*; *vel brevitèr* pro salute animæ, atquè corporis eorum, qui ad Jubileum acquirendum veniunt, nec non pro universis Christifidelibus.

25. Confessio generalis, vel universalis ad plenissimam omnium pœnarum temporalium Indulgentiam, ac remissionem obtinendam necessaria non est: Id enim in Bulla non exprimitur, dum Summus Pontifex pro ea consequendâ homines verè pœnitentes, & confessos fore declarat. Hinc peccata jàm confessa, & per absolutionem sacramentalem olim deleta, & pòst ultimam confessionem ampliùs non perpetrata, iterùm confiteri necesse non est: qui autèm ad majorem erubescentiam contrahendam, necnon ad majorem peccatorum detestationem indicandam id facit, promeretur.

26. Pœnitens Anno Jubilei pro plenissima Indulgentiâ consequendâ à confessario cogi, non debet, ut aliquam gravem pœnitentiam accipiat, quià omnes pœnæ etiàm in purgatorio solvendæ ex Thesauro Ecclesiæ per Jubileum remittuntur, debet tamèn pœnitens à Confessario admoneri, non solùm ad integrandum Sacramentum, sed etiàm ad supplendum defectum, ut aliquam ad majorem etiàm cautionem recipiat si videlicèt opera Jebilei minùs benè consumasset, ac propterèà Indulgentiam consequutus non fuisset. Adde etiàm, quòd satisfactio, est tertia pars pœnitentiæ Sacramentalis, & sæpè est in remedium contrà peccata futura, & in exercitium virtutum.

27. Quàmvis pœnitentiæ pro peccatis injunctæ per Jubileum relaxentur; pœnitentiæ tamèn pro commutatione votorum, necnon pro dispensationibus concessis injunctæ, per Jubileum non relaxantur. Hæ nàmquè non pro peccatis delendis, sed pro onere commutando, sub quo gratiâ dispensationis conceditur, injungitur.

Nunc reliquum est, ut cœremonias pro Porta Sancta in sancto Jubilei Anno aperienda fieri consuetas in medium afferamus.

Ritus pro aperienda Porta Sancta observari consuetus.

Ordine supplicationis, aut Processionis explicato.

NOno Kalandas Januarii, hoc est vigesima quarta Decembris, die, qua Natalis Domini (in vigilia celebratur) *horâ Vesperarum*, Porta Sancta pro sacrosancto Jubileo inchoando aperiri solet, si nullum inter-

intercedat impedimentum : Si enim aliquid impediet, quominùs id tali die fieri queat, Ritus aperiendi Portam Sanctam in aliam viciniorem diem non impeditam differtur, Annus verò Jubilei *à Vesperis vigiliæ Natalis Domini* sumit initium, etiàmsi Porta Sancta aperta non fuerit, propterea quòd Portæ Sanctæ ingressus Indulgentiam Jubilei consequi cupienti, opusque injunctum facienti necessarius haudquàquam est, sicut à Summis Pontificibus in Constitutionibus, aut Bullis, vel vivæ vocis oraculo declaratum fuit.

Clemens itaquè hujus nominis VIII. Anno à partu Virginis MDXCIX. in Vigilia Nativitatis Domini adversâ valetudine impeditus, Ritum aperiendi Portam Sanctam distulit ad pridie Kalendas Januarii, hoc est ad ultimam Decembris usquè diem Sancto Sylvestro Papæ consecratam, pridiè scilicèt illius diei, quæ in circumcisionis Salvatoris nostri memoriam, ac venerationem colitur, celebravit. Is enim lucernâ Pontificali, seù Clamyde coloris albi sericeâ, & acu distinctissimè pictâ, sacrisque Imaginibus, & quidèm pulcherrimis hinc indè insignitâ, quam *pluviale*, *ac mantum* vulgò appellant, cæterisque Ecclesiasticis indumentis amictus, pretiosâque mitrâ, gemmis videlicèt, atquè unionibus ornatâ decoratus, in Sacellum Palatinum, quod *Sixtinum* vocant, magno, & quidèm etiàm præstantissimo, cùm S.R.E. Cardinalium, tùm Prælatorum, ac Principum Oratorum, ac Nobilium comitatu accessit; Eòquè deindè in loco mitrâ depositâ, flexisque genibus supèr faldistorium, quod alii *subsellium* vocant, procumbens, præmissisque itèm ad Deum precibus, sacrosanctum Christi Corpus, quod in Altare intrà Tabernaculum pro Viatico Papæ diù, noctuque toto anno, lampadibus duabus hinc indè perpetuò ardentibus asservari solet; Thure juxtà ritum consuetum suffivit, seù Thurificavit venerabundus: mox Pontifex exorsus est hymnum, *Veni Creator Spiritus*: quem scilicèt hymnum Cantores dulci modulatione prosequuti sunt, universo Urbis Clero, tàm Seculari, quàm Regulari ad Atrium Palatii præstolante; Summus deindè Pontifex, primo hymni versu absoluto, è faldistorio surrexit, mitrâque iterùm pretiosâ redimitus in sella gestatoriâ sedit, donèc supplicationis, processionisve ordo è Sixti Sacello ad primariam Palatii januam dirigeretur. Hinc ad Basilicam Vaticanam hoc ordine itum fuit: Universum Urbis Clerum Familia Pontificia vestibus rubeis amicta subsequebatur: deindè Secretarii Apostolici; pòst eos Advocati Consistoriales vestibus violaceis induti. His succedebant Cantores, qui non minùs dulci, quam pio cantu omnium animos ad spiritale alliciebant gaudium. His propinqui erant Abbreviatores, Acolythi Apostolici, Auditores Rotæ, Subdiaconi itèm Apostolici, omnes superpelliceis, & Rochetis induti: Hunc itèm in modum Subdiaconus Apostolicus, Crucem Pontificiam præferens, vestitus incedebat, intèr duos Ministros virgas rubeas gestantes. Crucifierum statim subsequebàntur Pœnitentiarii Sancti Petri casulis amicti, deindè Abbates, tùm Episcopi, deinceps Archiepiscopi, Patriarchæ, necnon Prælati Sanctissimo Domino Nostro assistentes pluvialibus, ac mitris ornati. Hos propè sequebàntur S. R. E. Cardinales Diaconi Dalmaticis, & mitris, mòx Cardinales Presbyteri casulis, & itèm mitris; post Cardinales Episcopi pluvialibus, atque itidèm mitris induti, postremò autèm duo Cardinales Diaconi, Sfortia, & Montaltus, tamquàm Pontifici assistentes; ab horum lateribus Oratores Principum, hoc est *Imperatoris*, *Franciæ*, *Reipublicæ Venetæ*, *Ducisque Sabaudiæ*; Omnes autèm Ecclesiasticis vestibus induti, cereos albos accensos manu gestabant.

Summus deniquè Pontifex, iis omnibus ordine præcedentibus, cereum album sinistrâ manu deferens, gestatoriâ Sede sublimis, & quidèm solemnitèr evehebàtur sub umbella quam Oratores Principum, Optimates Urbis, & alii viri primarii gestarunt, honori simùl, & labori vicissim succedentes. Summum Pontificem subsequebàntur duo Assistentes ab intimo Papæ cubiculo, interquè eos medium tenebat locum Rotæ Decanus mitræ Summi Pontificis functioni deserviens: Hic Cappâ, & Rochetto, illi verò vestibus rubeis erant induti. Hos subsequebàntur Protonotarii Apostolici, Cappâ item, & Rochetto amicti, cereos etiàm manu gestantes, quibus, tùm Civium Romanorum, tùm aliorum Virorum nobilium multitudo succedebat, & quidèm frequentissima: A Pontificis, & Cardinalium lateribus magna Helvetiorum Cohors ad tantæ multitudinis Turbam dimovendam, ac repellendam præsto erat.

Hoc deniquè ordine per primariam Palatii Portam, perquè forum ipsum ad Porticum Sancti Petri, & ad Portam usquè Sanctam perventum est. Forum Vaticanum, quàmvis amplissimum quacùmque parte omnium ordinum hominibus confertum erat, prætoriisque Equitum turmis undiquè circumseptum, & communitum, curribus jàm, & vehiculis cujuscumque generis, atquè impedimentis omnibus ad Vaticanum Suburbium aditu præcluso. Hoc loco videre erat universum Urbis Clerum, & confratrias omnes, infinitæquè multitudinis, tàm Romanorum, quàm Exterorum, & Peregrinorum turbam, quæ scalas itèm Sancti Petri undiquè, necnon atrium, & Porticum repleverat, viis etiàm, editioribusque locis ingenti hominum multitudine refertissimis.

Postquàm ad Basilicæ Sancti Petri porticum perventum est, Summus Pontifex è gestatoriâ Sellâ descendens, Solium Pontificium ad dextram Portæ Sanctæ sibi paratum ascendit, ibìque paulispèr sedit, suisquè itèm in locis S. R. E. Cardinales sederunt. Deindè è solio descendens, mitrâ insignitus, à Cardinalibus Diaconis Sfortia, & Montalto,

talto, Assistentibus Papæ adjutus, ad Portam Sanctam se contulit, malleoque argenteo, & inaurato è manibus Cardinalis Sanctæ Severinæ, Pœnitentiarii majoris, accepto, ter Portæ Sanctæ murum malleo percussit: singulo autèm quoquè ictu, versiculum unum, Cantoribus respondentibus decantavit, eo ordine, quo infrascripti leguntur, hunc scilicèt in modum

℣. *Aperite mihi Portas Justitiæ.*
℟. *Ingressus in eas confitebor Domino.*
℣. *Introibo in Domum tuam Domine.*
℟. *Adorabo ad Templum Sanctum tuum in timore tuo.*
℣. *Aperite Portas, quòniam nobìscum est Deus.*
℟. *Qui fecit virtutem in Israel.*

His ritè gestis Sanctissimus Dominus Noster reddidit malleum Pœnitentiario, (qui etiàm murum percussit) deindè in solium rediit; dictus autèm Portæ murus, qui intrà erat Ecclesiam, pridiè illius diei undiquè excavatus, & circumfossus, nècnon rudentibus ingeniosè implicatus, ac vi extractus statìm introrsùm corruit: cujus rudera, quæ lateribus, & calce, arenaquè commista constant, Christifideles abstulerunt, pietatisque, aut devotionis causâ suas in domos asportarunt: deindè Pœnitentiarii postes, ac utrùmque Portæ limen spongiis aquâ benedictâ plenis abluerunt, & linteolis absterserunt. Hæc dùm fierent, Summus Pontifex suo in solio stans, depositâ mitrâ cantavit, quæ infrà sequuntur Cantoribus respondentibus;

℣. *Domine exaudì vocem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

ACtiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Cantores deindè Psalmum *Jubilate Deo omnis terra &c.* decantaverunt, Papâ sedente. Absoluto Psalmo, ruderibus itèm è pavimento omninò ablatis Sanctissimus Dominus Noster ad Portam Sanctam se contulit, ibique antè eam depositâ mitrâ, versiculos, qui infrà leguntur, cantavit, Cantoribus respondentibus.

℣. *Hæc Dies, quam fecit Dominus.*
℟. *Exultemus, & lætemur in ea.*
℣. *Beatus Populus tuus Domine.*
℟. *Qui scit Jubilationem.*
℣. *Hæc est Porta Domini.*
℟. *Justi intrabunt in eam.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DEus, qui per Moysen famulum tuum Populo Israelitico annum Jubilei, & remissionis instituisti, concede propitius nobis famulis tuis Jubilei annum hunc tuâ auctoritate institutum, quo Portam hanc Populo tuo ad preces tuæ majestati porrigendas ingredienti solemnitèr aperire voluisti; felicitèr inchoare, ut in eo veniâ, atquè indulgentiâ plenè remissionis omnium delictorum obtentâ, cum dies nostræ vocationis advenerit, ad cœlestem gloriam perfruendam, tuæ misericordiæ munere perducamur. Per Dominum nostrum. Amen.

Summus deindè Pontifex ingeniculatus, candelam sinistrâ manu, dextrâque crucem accipiens, antèquam Portam Sanctam ingrederetur, Hymnum, *Te Deum laudamus*, cantando exorsus est. Dum autèm Cantores eum prosequebantur, insurgens Papa, primus omnium Portam Sanctam ingressus fuit, deindè mitrâ insignitus, in sella gestatoria vectus, Cardinalium, & Prælatorum ingressum intrà Basilicam sedens expectavit. Postquàm Cardinales, & Prælati Basilicam ingressi sunt, Sanctissimus Dominus Noster post Cardinales ad Sanctissimi Sacramenti Altare inibi oraturus, accessit; indè ad Sanctorum Apostolorum Aram, & illinc ad Solium Pontificium sese contulit, postremò autèm vesperæ solemnitèr fuerunt decantatæ.

Eòdem die, dùm scilicèt Sanctissimus Dominus Noster ad Basilicam Sancti Petri, in sella gestatoria vectus, adiret, tres Cardinales Papæ Legati ad aliàs Portas Sanctas aperiendas profecti sunt, hoc est ad *Sanctum Paulum* Alphonsus Cardinalis Gesualdus Episcopus Ostiensis; Ad *Sanctum Joannem Lateranum* Ascanius Cardinalis Columna, dictæ Basilicæ Archipresbyter; Ad *Sanctam Mariam Majorem* Dominicus Cardinalis Pinellus dictæ Basilicæ Archipresbyter; easdèmque cœremonias in Portis Sanctis aperiendis præstiterunt. Quantâ eo die lætitiâ tàm Romani, & Urbis Incolæ, nècnon Exteri, ac Peregrini fuerint affecti, vix unquàm verbis explicari posset. In cujus lætitiæ signum majora, & minora tormenta bellica, & maximo quidèm numero in aperitione Portæ Sanctæ displosa fuere; ità verò, ut terribili boatu Cœlum crepitare, terra quati, ac tecta deniquè nutare viderentur. Omnia verò ità spiritalis gaudii plena erant, ut parietes ipsi præ lætitia gestire viderentur.

AUREA ROSA, ENSIS, ET PILEUM,

Quæ Regibus, ac Magnatibus à Summo Pontifice benedicta in donum mittuntur.

Cur AUREA ROSA *in quartâ Jejunii Quadrageſimalis Dominicâ à Summo Pontifice benedici ſoleat, quidque ſibi velit.*

Cur itèm hujus generis ſolemnitas in Baſilicâ, quæ Sanctæ Crucis in Hieruſalem *nuncupatur, olìm fiebat.*

SI Roſæ naturalis, è ſpinoſo naſcentis frutice, atquè ex auro confectæ, proprietates, velutì trutinâ quadam expendantur, necnon ea, quæ in ejuſdem Aureæ Roſæ benedictione in quartâ Jejunii Quadrageſimalis Dominicâ à Summo Pontifice adhiberi ſolent, diligentèr examinentur, ipſum benedicendi ritum præſcripto in tempore à Sanctâ Romanâ Eccleſiâ inſtitutum, myſteriis non vacare neceſſariò fatendum eſt. Roſa enìm eſt flos omnium florum odoratiſſimus, atquè gratiſſimus, è ſpinoſo frutice, vel, ut ait Plinius *lib.* 21. *Natutalis hiſtoriæ cap.* 10. *è ſpi-*

è spinâ veriùs, quàm frutice nascens : & ut Ambrosio Sancto *lib.* 3. *Exaem.* 11. placet, humanam vitam spinis, hoc est laboribus plenam designans, præter medicas utilitates, quas teste Plinio *lib.* 21. *cap.* 19. affert, pulchritudine, aut colore sensum visus delectat; odore odoratum recreat, gustum sapore confortat, vel gustantem pascit, & satiat.

Hæc tria per Rosam à Summo Pontifice hoc tempore benedictam, in Christifidelium lætitiæ, ac solatii recreationis item, corroborationisque signum, repræsentantur. Id quod non inconsultò fieri solere credas oportet. Quarta enim Jejunii Quadragesimalis Dominica, intèr primam Dominicam, & Resurrectionis diem mediana est, mysteriis, & lætitiæ signis referta. Nàm pia mater Ecclesia ergà suos Christifideles sanctâ pietate affecta, nè fidelis Populus in medio abstinentiæ, ac pœnitentiæ cursu, ob continuum, & diuturnum laborem, ac mœrorem deficiat, dictâ in Dominicâ, divinum rei sacræ ritum, lætitiâ, & solatio plenum, instituit: quia si intèr continuos labores honestæ quidpiam recreationis non intercedat, humanum corpus imbecillitati, & corruptioni obnoxium, ab incepto, conatuvè suo desistere interdùm necesse est. Nàm ut fertur.

Interpone tuis interdùm gaudia curis,
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.
Et
Quod caret alternâ requie durabile non est.
Hæc reparat vires, fessaque membra novat.

Ut igitùr corpora nostra continuis laboribus, & ærumnis confecta recreentur, Ecclesia Sancta, non secùs atquè pia in suos Filios Mater, lætum in rebus sacris ritum instituit, presertim verò in divino Missæ Sacrificio, nonnisi lætitiam, & solatium, & verbis, & rebus ipsis repræsentat. Quarè, ut alia lætitiæ plena, silentio prætermittam, Introitum Missæ videre est, in quo Sancta Mater Ecclesia nos ad lætandum per illa Isaiæ verba *cap.* 66. hunc in modum cohortàtur, inquiens: *Lætare Hierusalem, & conventum facite omnes, qui diligitis eam, gaudete cum lætitiâ, qui in tristitiâ estis; ut exultetis, & satiemini ab uberibus consolationis vestræ.* Verba hæc sunt gaudii, & exultationis, totiusque solatii expressiva: Immò omnibus hisce verbis jucunditas exuberat, gaudium resonat, hilaritas inculcàtur, solatiique tandèm affluentia absquè fastidio, vel nausea nobis promittitur in Cœlo, vel in Cœlesti Hierusalem præparata, per retributionem illam, quæ nostram superat comprehensionem; Juxtà illud Isaiæ *cap.* 64. dictum: *Oculus non vidit, Deus, absquè te, quæ præparasti expectantibus te.* Hinc Isaias per illa verba paulò superiùs recitata, nos ad gaudendum cum gaudio, vel lætitiâ allicit, & invitat propter duplicem lætitiam, interiorem, scilicet, atquè exteriorem, tunc temporis à nobis ex gloriâ animæ, & corporis in Cœlesti Hierusalem capiendam. Nàm Hierusalem, quæ *visio pacis, sivè perfecta* latinè dicitur, juxtà quatuor Scripturæ Sacræ sensus, quatuor modis in Sacrâ Paginâ sumi solet: *Historicè* sumpta, est Civitas terrena; *Tropologicè*, est typus animæ fidelis; *Allegoricè*, typus Ecclesiæ Militantis; *Anagogicè*, typus Ecclesiæ Triumphantis.

Hac itaquè in quartâ Jejunii Quadragesimalis Dominicâ, omnis jucunditatis, & exultationis, solatiique plenâ, Animæ fideli, & Ecclesiæ Militanti Charitas post odium, gaudium post tristitiam, satietas post famem repræsentantur; Charitas post odium per illa verba: *Lætare Hierusalem, & conventum facite omnes, qui diligitis eam*; *habentes, scilicèt, veram, & firmam charitatem*, ut ait Glossa; Gaudium post tristitiam, cùm dicitur: *Gaudete cum lætitiâ*, (*vel cum gaudio*, ut Editio habet vulgata) *qui in tristitiâ fuistis*; Satietas post famem per illa verba, *ut satiemini, ab uberibus consolationis vestræ*. Hæc itèm tria per tres Rosæ proprietates hac die repræsentantur, *Charitas*, videlicèt, in colore; *Jucunditas* in odore; *Satietas* in sapore: Rosa enim, ut initio diximus, per colorem delectat, per odorem recreat, per saporem confortat, pascit, & satiat.

Quæ sanè omnia etiàm in Rosæ Aureæ benedictione designantur per ea, quæ in ipsâ Rosâ benedicenda adhibentur, per *Aurum*, videlicèt, per *Muscum*, & per *Balsamum*. Charitas enim, quæ cæteras excellit virtutes, ac perficit, per aurum indicatur, Gregorio teste *lib.* 34. *Moral. cap.* 13. quià, quamvis cæteræ virtutes Theologicæ, *Fides*, scilicet, ac *Spes*, nec quantùm ad usum, nec quantùm ad habitum in Cœlo remaneant; Virtutes autèm Cardinales habitum solum retineant, alium ibi usum habentes, *Charitas* tamen quantùm ad utrumque in Cœlo semper remanet: Nàm, ut ait B. Paulus 1. *Corinthiorum* 13. *Charitas nunquàm excedit*: Immò in Cœlo post hanc vitam remanet, augmento susceptò: nec in Terris per Tribulationes corrumpitur, sed per eas purior evadit; Ità aurum omnium metallorum pretiosissimum, suaptèque naturâ constantissimum, nec rubigini, nec erugini est obnoxium: Immò magni, ac diuturni caloris vi tantùm abest, ut in igne consumatur, ut purius fiat. Jucunditas, vel recreatio insinuatur per muscum, qui est odoratissimus. Cibus, vel esurientis satietas designatur per Balsamum, quod est succus, non solùm odoratissimus, & ad multa medicamenta, necnon ad plurimas utilitates vitæ humanæ præstandas, maximè opportunus; sed si guttatim lambàtur, cerebrum, ac stomachum non parùm confortat, concoctionem, seù digestionem adjuvat, nutrit, & satiat, juventutemque conservat, hominemque in ætate maturâ juvenem reddit, sicut, qui de Balsamo scripserunt, experimento, id ità esse testantur.

Hanc refectionem confortativam, & satietatem ex Rosæ sapore, & ex Balsami virtute nutritivâ, & corroborativâ quodammodò adumbrata, in hac itèm quartâ Jejunii Quadragesimalis Dominicâ pia Mater Ecclesia nobis apertè repræsentat, ac reipsâ in

Evan-

Evangelio exprimit per illud miraculum à B. Joanne cap. 6. conscriptum, quo Salvator noster, Christus Dominus, panis vivus, qui de Cœlo descendit, ex quinque panibus hordeacis, & duobus piscibus quinque millia ferè hominum pavit, & ad satietatem usquè recreavit, duodecim cophinis fragmentorum ex iis, quæ super fuerunt, collectis.

In lætitiæ itaquè, ac refectionis, satietatisque nostræ signum, dicta in Dominica, nostræ abstinentiæ, nostrorumque laborum medietatem complectente, Rosæ consecratio ob suas ipsius proprietates nupèr à nobis explicatas, totquè millium hominum refectio repræsentantur, ut per Rosam benedictam, (lætitiæ, ac recreationis nostræ symbolum) & per refectionem in Evangelio nobis repræsentatam, abstinentiæ Sacræ reliquum facilius, ac libentius amplectamur, lætitiam item, ac refectionem, satietatemque in Cœlesti Hierusalem nobis præstandam mereri studeamus. Hinc Romæ in Basilica tantùm illâ, quæ *Sanctæ Crucis in Hierusalem* appellatur, supremæ Hierusalem typum obtinens, & spem repræsentans, hæc Rosæ benedictio ad Innocentii III. saltèm usquè tempora, eòdem Innocentio teste, olim fiebat. Id quod factum reor, ut ex annua hujusce mysterii celebratione fieri solita in inferiori Hierusalem, Ecclesiâ videlicèt Militante; supernæ Hierusalem, Ecclesiæ videlicèt Triumphantis lætitiam sine tristitia, refectionem sine defectu, satietatem sine fastidio meditemur; meditantes expectemus, expectantesque tandèm aliquandò consequi adlaboremus, requè ipsâ, Deo favente, adipiscamur, vita inibi sine morte, tranquillitate sine labore, charitate sine malitia, jucunditate sine mœrore, felicitate sine miseria in perpetuas æternitates perfruentes.

Per Rosam deniquè tàm naturalem, quàm ex auro confectam, Christus Dominus, & Salvator noster dictâ in Dominica perbellè repræsentatur. Nàm sicut naturalis Rosa colore suo sensum visus delectat, odore odoratum recreat, & sapore gustum confortat; ità Christus est visui delectabilis, odoratui suavis, gustui suavis, & dulcis. De primo extat luculentissimum B. Petri testimonium Epist. 1. c. 1. dicentis: *In quem desiderant Angeli prospicere*. De secundo Sponsa, idest Ecclesia, vel Corpus Christi mysticum, in Canticis Canticorum cap. 1. ait: *Trahe me post te: Curremus in odorem unguentorum tuorum*: De tertio idem Petrus Epist. 1. cap. 2. inquit: *Si tamen gustatis, quàm dulcis est Dominus?* Et David in Psalmo 33. *Gustate, & videte, quòniam suavis est Dominus*. Sicùt etiàm in Aurea illa Rosa, quæ à Summo Pontifice benedici solet, tria sunt, *Aurum*, scilicèt, *Muscus*, & *Balsamum*; Ità in Christo tres sunt substantiæ, *Caro* videlicèt, *Anima*, & *Divinitas*: *Caro* incorrupta, ut ait Paludanus, per Aurum, quod corrumpi non potest, ut initio diximus, designatur: *Anima* suavium odorum, & virtutum plena, per Muscum significatur: *Divinitas* omnium rerum pretiosissima per Balsamum superiori loco descriptum repræsentatur. De Incorrupta Christi carne loquitur Propheta in Psalmo 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: De Anima suavium odorum, omniumque gratiarum, & virtutum plena, Sponsa in Canticis canticorum cap. 1. ait: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*: De Divinitate per Balsamum adumbrata in cap. 24. Ecclesiastici hunc legitur in modum: *Quasi Balsamum, non mixtum odor meus*. Divinitas enim unita fuit carni, sed non admixta. Vel sicut in benedictione aureæ Rosæ, Balsamum per Muscum auro conjungitur; ità per animam, ut ait Innocentius hujus nominis tertius, *in Christo Deitas corpori conjuncta fuit*: quia divina natura ob suam ipsius inexplicabilem subtilitatem corporis de limo Terræ formato, nonnisi per spiritum rationalem uniri congruebat, sicut reverà factum esse confitemur. Nàm juxtà S. Patris Augustini Doctrinam in libro de Agone Christiano: *Invisibilis, & incommutabilis Deitas per Spiritum, animam; & per animam corpus accepit*.

Hinc (ut eo undè digressi sumus, revertamur) solus Papa, Romanus scilicèt Pontifex Petri Successor, & Jesu Christi Vicarius, in plenitudinem potestatis assumptus (cæteris in sollicitudinis partem vocatis) hanc Rosam auream benedicit, benedictamque tot, tantisque mysteriis refertam, suis manibus, benedictionum affluentia plenis, gestat; Christumque Dominum nunc per Rosam benedictam, in sexta videlicèt ætate, quasi per speculum in ænigmate, ut ait Paulus 1. Corinth. 13. repræsentatum, cernendum nobis præbet; verum facie ad faciem, hoc est apertè, ac revelatâ facie, sicuti est in septima ætate videndum nobis proponit per Quartam Jejunii Quadragesimalis Dominicam, sed septimam ab illa, quæ *Septuagesimam* ob septuaginta ferè dies, qui inter ipsam, & Pascha intercedunt, nuncupatur. Per hunc sanè numerum septuaginta anni, quibus Judaicus Populus in captivitate fuit, repræsentantur, ut Alcuinus, Amalarius, Rabanus, Ivo Carnotensis, & alii testantur.

Hanc itaquè Rosam, quæ Christum adumbrat, in Quarta tantùm Jejunii Quadragesimalis Dominicâ, quæ ob rationem assignatam, *septima* vocitatur, Summus Pontifex cernendam præbet, quià Christus in hac sexta ætate, hoc est in hac mortali vità per fidem cernitur, in septima verò ætate, idest post Judicii universalis diem, per speciem, & revelatâ facie videbitur ab iis, qui beatâ, & æternâ in Cœlo perfruentur requie, quæ per numerum Septenarium designatur. Undè septimus dies; septima hebdomada, septimus mensis, septimusque Annus, *Sacrati, vel feriati* erant in lege.

Aurea igitùr Rosa, ut multa paucorum verborum fine aliquandò concludamus, in lætitiæ, ac recreationis nostræ, honestique solatii nostri signum, atquè ad Christum Dominum repræsentandum in hac tantùm medianâ Jejunii Quadragesimalis Dominicâ, &

septimâ nuncuputa, à Summo solùm Pontifice benedicitur, ac gestatur, ut elegantissimo Rosæ consecratæ symbolo, tot, tantisque mysteriis referto, Christum Dominum in corde gestemus, Christoque Duce reliquum jejunii, & abstinentiæ tempus faciliùs, ac libentiùs prosequamur: necnon divinæ, atque apertæ visionis, qua in septima ætate, & in Cœlesti Hierusalem, *quæ visio pacis, ac perfecta* nuncupatur, Beati possidebunt, arrhâ hisce in terris jucundissimâ per Rosam benedictam perfruamur.

Reginaldus Cardinalis Polus Philippo Regi, & Mariæ Reginæ Angliæ.

De Rosa Aurea, & Ense, muneribus, ad Regem, & Reginam Angliæ à Julio III. missis.

QUemàdmodùm Julii III. Pont. Max. obitus è gratissimis animis Vestris memoriam non sustulit eorum munerum, quæ is, non multò antè, quàm è vita decederet, ad Majestates Vestras per Antonium Augustinum Nuncium suum, hominem sibi propter virtutem, atquè doctrinam valdè charum, miserat; ità nequè meâ invaletudine factum est, ut ejus rei oblivisscerer, quam à me pridiè, quàm in morbum incidi, postulastis, ut de significatione horum munerum, quibus tradendis magnæ adhibèntur cæremoniæ, prætèr illa, quæ de his dici solent, aliquid ad vos scriberem, idquè statim, ut per valetudinem licuit, facere institui; eò quidèm libentius, quò accuratius rem mecum considerans, ea, quæ ad præclaram regii muneris functionem pertinent, his donis, tamquàm in tabella quadam expressa significari perspexi; atquè, ut de toto hoc genere libentèr audire Majestates Vestras, quæ singulari Dei Providentiâ, & benignitate, ad regnum sunt vocatæ, sempèr debent; sic nulla res est, de qua magis deceat, aut Christi summi Sacerdotis, & Regis Vicarium quacumque ratione vos commonefacere, aut ejus Legatum vobiscum loqui. Hæc igitùr munera, cum ab eo sint benedicta, cui Christus suum in Terris locum, & Jus benedicendi dedit, gladius cum cingulo, & pileo (hoc enim primum munus fuit) eâ nocte est benedictus, qua Christus natus est, quem Deus nobis, ut inquit scriptura *benedicentem misit*; quæ quidèm benedictio hanc vim, & notionem habet iis omnibus utilem, qui gladii, idèst Justitiæ potestatem obtinent, ut eos admoneat, si rectè, & salutaritèr hac potestate uti velint, illis primùm intelligendum esse, à quo sibi ea sit tradita, nempè ab ipso Christo, cum quo simùl nata est justitia, cujus quidèm ortus solemnitèr eâ nocte celebratur, qua gladius est benedictus. Is autèm à Prophetis *Rex Justitiæ*, est appellatus, non modò, quòd Justus sit, sed quòd sit fons justitiæ, cui servire debent omnes Reges, & Principes, ab eoquè hanc virtutem petere. Ille verò, etsi natus est Rex Cæli, & Terræ, nec ullis terminis ejus Regnum continetur, tamèn ob singularem charitatem, quam ergà Domum Davidis habet, sedere dicitur supèr solium ejus, quemàdmodùm verba illa Angeli ad benedictam Christi Matrem, antequàm is nasceretur, ostendunt: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Deus sedem David Patris sui, & regnabit in Domo Jacob in æternum*; quæ quidèm domus sumus nos, qui Christi beneficio, ac munere in familiam Abrahæ, & Domum Davidis adscripti sumus. In hac ipsa domo cum Majestates Vestræ regnent, & gladii potestatem obtineant, hic gladius nocte Natalis Domini benedictus, hoc eas admonet, non à se ipsis primùm, nèc à Populis suis jus gladii habere, sed ab eo, cui data est omnis potestas in Cælo, & in Terra; cui primùm dictum est, *Accingere gladio tuo supèr fœmur tuum potentissime*. Ille verò, etsi potentes omnes gladio accingit, tamèn hoc sibi tum maximè acceptum referri vult, cum eos accingit, qui ad Populi sui utilitatem, ac defensionem eo sunt usuri, id quod satis ostendit Isaias Propheta, qui de Cyro Rege, etsi à vero Dei cultu, religioneque erat alienus, tamèn quia Populum Israel sublevaturus esset, permissâ illis in patriam revertendi potestate ex persona Christi, sic ait: *Accinxi te, & non cognovisti me*; qui igitùr gladii potestatem obtinens Dei Populum maximâ consolatione, lætitiaque nunc affecit, hoc Regno Ecclesiæ, à qua penitùs sejunctum erat, quæ unicuique Patria charior esse debet, restituto, quis dubitet, quin hunc ipse Christus gladio accinxerit. Quod scilicèt magnâ cum lætitia cernens Christi Vicarius, ad vos gladium hunc benedictum cum cingulo, & pileo misit, quo duas res ad cognoscendum maximè necessarias vobis proponeret; Alteram, ut illum agnoscatis, à quo Jus gladii accepistis; alteram, ut ab eodem facultatem rectè illo utendi petatis: Id quod Summus ipse Pontifex à Deo precatur, cum gladium benedicit, qui non proptèr se benedicitur, sed proptèr eos, quibus Jus gladii datur.

Qui sit autèm verus gladii usus, per pileum ostenditur margaritis ornatum, iisque intèr se ità distinctis, ut speciem Columbæ efficiant; Nàm cum velamen capitis, ut Apostolus interpretatur, indicet habere Dominum, cui pareat; quibus datur cum gladio Pileus, hoc nimirùm significatur, non suo illis arbitratu utendum esse gladii potestate, sed ejus à quo illam acceperit, qui Dominus est, & caput omnium: Quale verò sit hoc caput, declarat Pilei ornatus, ideſt Margaritarum candor, & species Columbæ; hac enim specie Spiritus Sanctus se ostendit supèr

caput

caput Christi Regis nostri. Ex his Majestates Vestræ intelligunt, non humano spiritu, qui iræ odio, ambitioni, atquè avaritiæ est obnoxius, gladii potestate sibi utendum esse; sed spiritu ejus, qui dum in Terris versaretur, animo fuit margaritis candidiore, supèr quem Spiritus Sanctus, simùl, cum omnibus suis donis requiescit, cui servire regnare est. Sic autèm ei Reges servire debent, ut ejus animi candorem, quem margaritæ designant, imitentur, & in simplicitate fidei, quæ etiàm per Columbam significatur, permaneant, utquè eos omnes, qui idem faciunt, gladii potestate tueantur; nec gladium stringant, nisi contrà illos, qui, vel apertè sè nostræ Religionis hostes profitentur, vel fidei simplicitatem corrumpunt, vel contrà bonos mores, & leges peccant. Hic verus est gladii usus, atquè hæc significatio munerum gladii, & pilei, quibus scilicèt Reges, ad quos mitti solent, docentur, primùm, à quo potestatem acceperint, deindè quales ipsi esse, quos tueri gladio, & contrà quos gladium stringere debeant.

Nunc dicendum est de Aureæ Rosæ significatione: hanc verò sàtis indicat cùm ratio benedictionis, & tempus, tùm etiàm ipsius Rosæ naturæ, quo quidèm flore nihil ad aspectum, & odoratum potest esse jucundius, ejusque folia multiplicem utilitatem, & usum habent. Ex quo sanè Aurea hæc Rosa in primis gratum quiddam, & jucundum significat; quod etiàm dies confirmat, in quo ea benedici solet, qui dies est Dominica quarta Quadragesimæ, quæ ab Ecclesia *Dominica Lætare* appellatur. Quod verò ad ejus benedictionem attinet, Pont. Max. tam in hac, quàm in gladio ipso benedicendo pro iis Regibus, & Principibus, ad quos ea munera missurus est, precatur, ut à Deo gratiam per Christum consequantur officio suo rectè fungendi: Duo sunt autèm, quæ in officio Regis potissimùm spectantur; Alterum ut malos pœnis coerceat; Alterum, ut bonos præmiis afficiat: Ex his enim duobus constant leges, quarum tuendarum causâ Principes, & Reges constituti sunt, quòd si in pœnis infligendis, quod est Justitiæ opus, Rex Dei benedictione indiget, multò quidèm magis in præmiis tribuendis, cum non minùs in hoc, quàm in altero peccetur, magisquè proprium hoc sit ejus naturæ, in qua homo primus est creatus, quàm in primis sempèr benedictio Dei, spectare solet; Ob id enim, simulatque procreatæ res fuerunt, his Deus benedictionem impertivit, ut pro suo quoque genere fructus ederent; homo verò ad imaginem ejus, qui ipsum creavit in justitia, & sanctitate conditus hanc se benedictionem accepisse, ut fructus pro naturæ suæ ratione ferat, tum declarat, cùm potestatem de cæteris benemerendi exercet, quæ quidèm ejusmodi est, ut sempèr delectet, ac velùt Rosa odorem sui lâtè diffundat. Hujus igitur Aureæ Rosæ, quæ Principibus, & Regibus dono mittitur benedictione significatur ipsa benemerendi Potestas, cum qua conjuncta est clementia, liberalitas, beneficentia, omniaque, quæ à Principibus jucunda, & grata proficiscuntur. Hæc autèm, quæ de utràque Regum potestate dixi, quam gladius, & Rosa designant, tempus, & ipsum confirmat, quo tempore hæc ipsa benedicuntur; gladius enim tùm benedicitur, cùm horrent omnia, cumque res videntur sub maledicto esse; quæ res nimirùm ostendit, magis necessariam esse hanc potestatem, quam gratam, aut hominis propriam, quemàdmodùm ex motivo nec propria Dei est, qui cum ea utitur, ut est apùd Prophetam, alienum à se opus operari dicit. Hæc verò tùm homini data est, cùm is Deo ob peccatum invisus, benedictionem amisisset; benemerendi autèm potestas, simùl cum ipso homine nata est; Illi enim Deus hanc tribuit, cùm eum ad imaginem, & similitudinem suam effinxit, de qua potestate tantùm ipse amisit, quantùm sibi de pulchritudine ejus imaginis per peccatum detraxit; Quià verò beneficia accipere, qui hujus potestatis est fructus, sempèr hominem delectat, ideò Rosæ illa meritò comparatur, & quę signum hujus est, Rosa Aurea verno tempore, quo die *Lætare* Ecclesia canit, benedicitur.

Hæc habui, benedicti Principes, quæ de horum benedictorum munerum significatione dicerem, quæ quidèm audisse Majestatibus Vestris, tùm demùm utile fuerit, si his donis idoneo loco ritè conditis, eorum memoriam vobiscum circumferetis, nequè illam ex piis vestris animis effluere unquàm patiemini. Quæ sanè vos admonere poterunt, quoties pro regia vestra potestate aliquid vobis gerendum erit, quod Deo, & hominibus gratum, atquè jucundum futurum sit, ut ad eum ipsi precibus confugiatis, qui fons est omnis benedictionis, idèst ad Christum verum omnium Regem, ac Dominum, cujus illa nomine benedicta sunt, & ob hanc causam ad vos missa. Hoc quidèm, si feceritis, & vos, & qui ditioni vestræ, atque imperio subjecti sunt populi, beati eritis: Quòd Majestatibus Vestris concedat, qui solus potens, & beatus est Deus benedictus in secula. Amen.

CUR

SANCTORUM, ET SANCTARUM

Obitus Dies Natalis, vel Dormitio in Sancta DEI Ecclesia vocitetur.

NON sine mysterio in Sancta Dei Ecclesia Sanctorum, & Sanctarum Obitus, *Dies Natalis*, *ac Dormitio* vocitari solet. Sancti nàmque omnes, quandò ex hoc Mundo decedunt, in illo tunc instanti, mortali jàm vitâ spoliati, & quatenùs Cœlo nati, glorioſam, & immortalem vitam consequuti, in Cœlos ascèndunt perpetuâ beatitudine perfruentes; Cum itaquè Sancti tamquàm recentèr Cœlo nati, & ibi quiescere censeantur, absquè tamèn corpore usquè ad præscriptam universalis Iudicii diem, in qua Corpus, sed immortale assument, à statu scilicèt miseriæ, ad statum gloriæ immutati, eorum obitus appellatur *Dies Natalis*, & *Dormitionis*: Sancti enim, quasi Cœlo tùnc nati, usquè ad illam diem dormire quodammodo dicuntur, instàr quasi dormientium requiescentes, donèc glorioſum, & immortale Corpus assumant perpetuâ beatitudine fruituri. In illa nàmque uniuersali humani generis Resurrectione Corpus nostrum corruptibile, ut ait S. Paulus in Epistola prima ad Corinthios cap. 15. *induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem*: Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur, sed tantum Electi à statu scilicèt miseriæ ad statum gloriæ immutabuntur.

S. Paul. 1. ad Corinth. c. 15.

Propterèà in Martyrologiis dies Mortis cuiuscumque Sancti, vel sub *Natalis*, vel sub *Dormitionis* nomine frequentèr commemoratur. De huius autem generis dormientibus est etiàm sermo in secundo Machabæorum libro cap. 12. ubi legitur, *quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*. Sanctus itèm Paulus in Epistola ad Thessalonicenses cap. 4. ità inquit: *Nolumus vos ignorare fratres de Dormientibus, ut non contristemini, sicut, & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, & resurrexit; ità, & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*. Hæc Sanctus Paulus dicto in loco, in quo per talem dormitionem, somno mortis in Christo Domino intelligit Dormientes, qui cum pietate dormitionem acceperunt, ad vitam immortalem, & gloriosam sumendam in Cœlo resurrecturi.

Machab. lib. 2 cap. 12.

Epist. 1. ad Thessalon. cap. 4.

Istùcipsum, spem Resurrectionis comprehendens legitur in tertio capite libri Job dicentis: *Quarè egressus ex utero non statim perii? Nunc enim* [ait Job] *dormiens silerem, & in somnio meo requiescerem*. Hæc Job. Mortem itèm Lazari, qui erat jàm mortuus quatriduanus, Christus Dominus vocat *Dormitionem*: dicens: *Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut à somno excitem eum*. Hæc de Lazari dormitione, idèst morte. Hinc antiquitùs in primitiva scilicèt Ecclesiâ loca illa, in quibus mortui Christicolæ sepeliebantur, *Cœmeteria* græcè dicebantur, quæ latinè *Dormitoria* interpretantur. Cum itaquè mors generalitèr vocitetur *Dormitio* proptèr veram spem resurrectionis, multò magis hoc de Sanctis, & præsertim de Beata Maria sempèr Virgine, ac Dei Matre affirmandum censetur.

Job c. 3.

Joan. 11.

Cœmeteria idest Dormitoria.

Sub tali ergo Dormitione Deiparà Maria sempèr Virgo nominata reperitur in Martyrologiis antiquioribus. Nàm in Martyrologio Adonis Archiepiscopi Viennensis, qui floruit Anno Domini 879. In die 15. mensis Augusti, ità legitur. *Sanctæ Mariæ Dormitio*. In libello itèm ejusdem Adonis de Festivitatibus Sanctorum Apostolorum octavo scilicèt die Septembris hæc leguntur: *Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, perpetuæ Virginis Dormitionem 18. Kalendas Septembris omnis celebrat Ecclesia, cujus, & Sacrum Corpus non invenitur suprà Terram. Ubi autèm Venerabile Spiritus Sancti Templum illud, idèst Caro ipsius Beatissimæ Virginis Mariæ divino nutu, & consilio occultatum sit, magis elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid frivolum, & Apocryphum indè tenendo docere. Sufficiunt enim ei ad Sanctitatem, & vitam Virginis, & Matris Domini commendandam Evangelistarum testimonia, nec de ea quærere ultrà necessarium putat*. Hæc Ado cujus tempore, nondùm, ut videtur, Dormitionis loco, Assumptionis nomen in Sancta Dei Ecclesia receptum erat. Id quod etiàm esse constat ex antiquiori Martyrologio, in quo Assumptionis loco legitur: *Sanctæ Mariæ Dormitio*. Dicta verò Martyrologia jàm diù desiderata, nunc simùl Antuerpiæ impressa cernuntur. Sed Petrus Canisius in lib. 5. cap. 6. circà finem, rectè sanè reprehendit modum illum loquendi, quo utitur Ado de Assumptione Deiparæ Virginis dubitando.

Adonis Martyrolog. 879.

Adonis libellus.

Canisius de Maria Deipara.

Sanctus itèm Joannes Damascenus, qui claruit Anno Dom. 731. in secunda Oratione de Dormitione Deiparæ Mariæ sempèr Virginis, nunquàm de Assumptione ipsius celeberrimâ sermonem habet, sed tantùm de

Io. Damascenus.

Dor-

Dormitione, quàmvis ex ea Oratione tres lectiones Nocturni Secundi in Officio, quod fit in quarta die infrà Octavam Assumptionis desumptæ sint, ac etiàm sub titulo Dormitionis legantur. Nàm Damascenus in ea Oratione, ut etiàm narratur in lectionibus dicti Nocturni, de dicta Dormitione ità inquit: *Ex antiqua accepimus traditione, quòd tempore glorioſæ Dormitionis Beatæ Virginis, universi quidèm Sancti Apoſtoli, qui per Orbem Terræ ad ſalutem Gentium peragrabant, ejus Corpus, quod Deum ineffabili quadam ratione ſuſcepit, cum Angelica, & Apoſtolica Hymnodia elatum in loculo fuit depoſitum Gethſemane. Quo in loco Angelorum cantus manſit tres dies continuos: Poſt tres autèm dies Angelico cantu ceſſante, qui aderant Apoſtoli (cum unus Thomas, qui abfuerat pòſt tertium diem veniſſet, & quod Deum ſuſceperat, corpus adorare voluiſſet) tumulum aperuerunt: Sed omni ex parte Sacrum ejus Corpus nequaquàm invenire potuerunt. Quarè tanto obſtupefacti miraculo, dictum Corpus à Chriſto Domino, cujus ipſa Mater fuit, immaculatum, & incorruptum conſervatum fuiſſe, necnon translatione antè communem, & univerſalem Reſurrectionem honoratum fuiſſe crediderunt.* Hæc ex Joanne Damasceno, qui etsi de Assumptione non facit mentionem ullam expressam, per vocem tamèn illam *Translatione* intelligenda videtur Assumptio, quæ sanè vox in Ecclesia Sancta Dei nondùm erat in usu. In Chronico tamèn Eusebii Cæsariensis Anno scilicèt Domini 48. hæc leguntur. *Maria Virgo Jeſu Chriſti Mater ad Filium in Cœlum aſſumitur*, ut quidam fuisse sibi revelatum scribunt. Eusebius verò claruit Anno Dom. 320.

Angelica, & Apostolica Hymnodia Gethsemane.

Chronicon Euseb. Cæsar.

Tempore deniquè Sancti Bernardi, qui claruit Anno Domini 1140. Assumptionis Festivitas erat in usu, ut constat ex quinque Sermonibus ejus de hac Assumptione scriptis.

S. Bernardus.

Quàmvis igitùr in antiquis Martyrologiis, & in veterum Auctorum scriptis, Assumptionis Festivitas tali nomine non reperiatur; veterum tamèn, ac recentiorum sententiâ constat, Deiparam Mariam sempèr Virginem mortuam fuisse, deindè, non solùm animâ, sed etiàm Corpore in Cœlos Assumptam esse occurrente Christo ejus filio, cum Choris Angelorum applaudentibus. Non enim decuit tam Sanctum Corpus in terra corrumpi; nequè Matri suæ à Christo negari, quod aliis multis in Resurrectione sua ex mortuis concessit, ut in Evangelio Matthæi cap. 27. legitur. Adde etiàm ad hanc veritatem comprobandam, quòd Reliquiæ Corporis ejus nusquàm in terris inveniuntur. Veteres tamèn Scriptores, & quidèm Sancti dixerunt, Animam Deiparæ Virginis tertio post obitum ejus die in Corpus ejusdem rediisse, solis sepulchralibus exuviis in monumento relictis, atquè ità vivam resurrexisse, & in Cœlos fuisse assumptam, ut ait Cardinalis Baronius in Tomo primo Annalium Anno Christi 40., & Petrus Canisius lib. 5. de Maria Deipara Virgine cap. 4., & 5.; Necnon Jodacus Lorichius in Theologiæ Thesauro.

Evangel. Matth. 27.

Baron. Canisius. Lorich. in Maria tom. 2.

Quoniàm verò Deiparæ sempèr Virginis Reliquiæ nullibi unquàm inventæ fuerunt, eam non verè mortuam, sed vivam in Cœlos fuisse assumptam, nonnulli opinati sunt. Id quod nullo modo credendum censetur: quia omne Corpus humanum pòst Adæ peccatum mortis pœnam incurrit, non ex sola peccati culpâ, sed proptèr naturalem, ac successivam dissolutionem humorum in Corpore; ità ut, & Christus ipse naturaliter mortuus fuisset, nisi eum Judæi crucifigendum, & occidendum tradidissent.

Verè igitùr, & naturaliter, sed sinè dolore Deipara sempèr Virgo mortua fuit, ut Canisius ex communi Theologorum sententia scriptum reliquit lib. 5. cap. 2., & Baronius Tom. 1. Annalium Anno Christi Domini 40. Obiit autèm juxtà Eusebii sententiam, aliis opinionibus prætermissis Anno ætatis suæ sexagesimo tertio, qui est annus climactericus; & huic sententiæ adhæret Baronius dicto in loco Annalium: Eusebius enim scribit, Deiparam Virginem vixisse antè conceptum Christum Dominum annos quindecim; pòst ejus Resurrectionem totidem cum Christo Domino triginta tres. Jacobus itèm Philippus Bergomensis in supplemento Chronicorum libro septimo, anno autèm antè Christi Domini Adventum decimoquarto, Deiparæ Virginis autèm sexaginta trium Annorum fuisse affirmat hisce verbis: *Vixit autèm pòſt filii mortem ſexdecim annos.* Undè quidam de ipsius Sacratæ Virginis tempore hos edidit versus.

Canisius. Baronius.

Eusebius.

Iacob. Philip. Bergom.

Virgo Parens vixit ſexaginta cum tribus annis.
Quatuor, atque decem fuit in Partu benedicta:
Vixit cum Filio triginta, & tribus Annis,
Sexque decem Annis; ſed pòſt hæc Aſtra ſubivit.

Hæc Jacobus Philippus Bergomensis de sexaginta trium annorum ætatis Deiparæ sempèr Virginis Mariæ. Hinc ad hujus generis annorum numerum repræsentandum Orbiculus ille precarius, vel Corolla præcaria, quam *Dominæ* vulgò appellant, recitatur, in qua scilicèt Corolla, *Coronetta* vulgò dicta, juxtà ejusdem Matris Domini Annorum numerum ter, ac sexagies, Angelica Salutatio memoritèr recitatur. Hæc de annorum Ætatis Deiparæ sempèr Virginis numero, occasione sese oblatâ in declaratione illarum vocum *Dies Natalis*, & *Dormitio*, quæ pro Sanctorum, & pro Sanctarum obitu in Sanctâ Dei Ecclesia sumi consueverunt, & ad hanc usquè diem tali sensu intelliguntur.

Dormitio itaquè Deiparæ Mariæ sempèr Virginis, ut huic rei finem imponamus, absquè ullo dubio nonnisi pro ejus in Anima, & Corpore pòst ejus mortem, in Cœlum Assumptione intelligenda censetur, in qua supèr Choros Angelorum fuit exaltata; deindè tamquàm Deipara, & Cœli Regina ad Regis Christi, & Filii sui dexteram fuit collocata.

DE ORIGINE, ET INSTITUTIONE BENEDICTIONIS CANDELARUM, VEL CEREORUM *IN FESTIVITATE* PURIFICATIONIS B. MARIÆ SEMPER VIRGINIS.

SED PRIMUM

De Festivitate Sanctorum omnium, & commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Instituto.

Ecclesiæ primitivæ Patres de Christiana Republica optimè merentes, ut vanas, & impias Ethnicorum superstitiones usu olim receptas, faciliùs abolerent, nova, & pia instituta, quasi superstitionum mortifero infectarum veneno antidotum observanda, decreverunt. Hinc ut legitur in Historiis Ecclesiasticis, Sanctus Bonifacius Pontifex hujus nominis Quartus, qui circà Annum Domini 608. Romanæ Urbis Episcopatum gerebat, à Phoca Cæsare impetravit, ut Templum illud Græcè *Pantheon* vocitatum, quod *omnium Deorum* latinè interpretatur, in usum Christianæ Ecclesiæ convertere sibi liceret. Quarè Summus Pontifex Bonifacius, Templum ipsum ab Agrippa Jovi Ultori constitutum, ut ait Plinius lib. 36. cap. 15. necnon Cybeli, sivè Berecynthiæ Deorum omnium, ut Poetæ fabulantur Matri dedicatum, sicut Joannes Baptista Carmelita juxtà Græcorum sententiam refert, ritu Ecclesiastico exorcizavit; deindè eliminatâ omni spurcitiâ, exclusâque falsorum Deorum, vel potiùs Dæmonum multitudine, in honorem Deiparæ Mariæ semper Virginis, atquè omnium Sanctorum Christi Martyrum ipsum Templum Deo vero consecravit. Hanc posteà Ecclesiam à Gregorio IV. circà Annum Domini 828. omnibus Sanctis dedicatam fuisse Sigebertus, Platina, & Genebrardus testantur.

Defunctorum etiàm purgationes, quæ Sabinorum linguâ (ut Varro lib. 5. de latina lingua inquit) *Februa* dicebantur; per duodecim continuos mensis Februarii dies fiebant apùd Gentiles pro mortuorum Manibus quiete impetrandâ. Quâ in re facienda omnis Populus piaculis, & sacrificiis circà Sepulchra accensis facibus, cereisque intentus erat. Quæcumque autèm purgandi causa in quibuscumque sacrificiis adhibebantur, *Februa* dicebantur; quidquid verò purgatum erat, *Februatum* vocitabant, & ex hoc Februorum, idèst purgandi genere *Februarius mensis* nomen accepit, ut videre est apùd Festum, & Plutarchum in Numa, Ovidium lib. 2. Fastorum, Plinium Censorinum, & S. Augustinum lib. 7. de Civitate Dei cap. 7. Hanc itèm superstitionem vanè à Gentilibus celebratam, Sanctis precibus, multisque cereis accensis, in verum, rectumque ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ Patres, veri boni Æmulatores, magnâ cum pietate converterunt: Primusque Fidelium Defunctorum omnium commemorationem per cuncta sua Monasteria circà Annum Domini 995. instituisse creditur Odilo Abbas Cluniacensis Quartus, ut Volaterr. lib. 2., & Antoninus 2. p. tit. 13. cap. 15. testantur, vel Joannes XVI. ejus consilio dictam commemorationem edixisse fertur, ut Polydoro Virgilio, & aliis placet: vel quivis alius antè dictum Odilonem; Amalarius enim Fortunatus Episcopus Treverensis, qui antè hunc Abbatem, ad ducentos ferè annos, vixisse fertur, de ipsa Fidelium omnium Defunctorum commemoratione lib. 4. cap. 42. de Eccl. off., & cap. 65. de ordine Antiphonarii, verba facit. Sunt, qui velint à Pelagio Primo id fuisse institutum: quod Isidorus Apostolis Sanctis adscribit.

Multa hunc in modum aliâ à Gentilibus superstitiosè celebrata, in Ecclesiasticum ritum piè, ac sanctè conversa sunt, Ethnicorum superstitione radicitùs paulàtim evulsâ: quæ silentio prætermittam, ut ad ritum benedicendi cereos, sivè candelas in festo Purificationis Deiparæ Mariæ semper Virginis pro Gentilium superstitione abolendo inven-

ventum accedam. Pro qua re explicanda Rabani Mauri, & Innocentii III. sententias in medium afferam, & ad verbum recitabo.

Rabanus de Institutione Clericorum lib. 2. cap. 33. de Hypanti, sivè de occursu, vel obviatione in die Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis in hanc loquitur verborum formam de origine Benedictionis Candelarum pòst multa dicens.

Hac ergo de causa statuta est in Ecclesia festivitas hæc, quia Matrem Domini post 40. *dies ab ejus Nativitate secundùm legem Lev.* 12. *in hac die constabat purgari: sed non ideò quod aliquâ legali purgatione indiguerit, quæ Dominum gestabat legis; Sed quià Jesus* non venit legem solvere, sed adimplere. Matth. 5. *venit ergò Mater Domini ad Templum secundùm legem, ducens secùm puerum, ac deferens hostias: quæ lex præcepit, ut in nullo Patribus fieret dissimilis, ac illud in se ostenderet, quod scriptum est:* Quantò magnus es, humilia te in omnibus Eccl. 3. *Obvios habuit grandævum Simonem, & Annam multorum annorum viduam, & cæteras personas, quas necesse erat in hoc Sacro Ministerio assuisse; quæ benedixerunt, & glorificaverunt Deum, & multa de eo vaticinaverunt, ut Sacer Evangelii textus luculento sermone demonstrat.* Lucæ 2. *Ob hanc quippè causam eadem festivitas* ὑπαντὴ *nuncupatur, quia prædictæ personæ ad Templum obviam Christo advenerunt, devoto corde, & obsequio.* Ὑπαντάω *enim Græco sermone dicitur, quod obvio latinè interpretatur. Est quoque Festivitas hæc Purificationis, incipiente Februario mense, qui à Februo, idèst Plutone, qui lustrationum potens à Gentilibus credebatur, ità vocatus est; lustrarique eo mense apùd Romanos Civitatem consuetudo erat, ut Justa (idèst* Exequiæ) *Diis Manibus solverentur: Sed hanc lustrandi consuetudinem benè mutavit Christiana Religio, cum in mense eodem, die Sanctæ Mariæ, Plebs universa cum Sacerdotibus, ac Ministris, hymnis, & modulationibus devotis, per Ecclesias, perquè congrua Urbis loca procedit, datosque à Pontifice cunctis cereos in manibus gestant ardentes: non utiquè in lustrationem terrestris Imperii quinquennem, sed in perennem Regni Cœlestis memoriam, quandò juxtà parabolam Virginum prudentum* Matth. 25. *Omnes Electi lucentibus bonorum operum lampadibus, obviam Sponso, ac Regi suo venientes, mox cum eo ad Nuptias supernæ Civitatis intrabunt.* Hæc Rabanus ad verbum (parentheſi excepta.

Innocentius autèm cur candelæ benedictæ in hoc Purificationis festo deferantur accensæ, hunc in modum explicat dicens:

Quid est autèm, quòd in hoc Festo Cereos portamus accensos. Hoc ex libro Sapientiæ cap. 14. *potest conjici, ubi leguntur Idolatræ obscura sacrificia facientes. Gentiles enim Februarium mensem Inferis dedicaverunt, eo quod, sicùt ipsi putabant, sed errabant, in principio ejus mensis Proserpina rapta fuerat à Plutone: quam quia Mater ejus Ceres facibus accensis in Ætna totâ nocte per Siciliam quæsisse credebatur, ipsi ad commemorationem ipsius facibus accensis in principio mensis Urbem de nocte lustrabant. Undè Festum istud appellabatur* Amburbiale (*idèst* lustratio, vel processio ab Urbis ambitu dicta) *Cum autèm Sancti Patres consuetudinem istam non possent penitùs extirpare, constituerunt, ut in honorem Beatæ Virginis Mariæ Cereos portarent accensos. Et sic quod priùs fiebat ad honorem Cereris, modò fit ad honorem Virginis. Et quod priùs fiebat ad honorem Proserpinæ, modò fit ad laudem Mariæ. Ob hoc quoquè in Purificatione Virginis cereos accensos portamus, ut purificati per gratiam, cum accensis lampadibus, quasi prudentes Virgines ad nuptias ingredi mereamur* Matth. 25. Hæc Innocentius ad verbum, parentheſi exceptâ, in sermone de Die Purificationis festo.

Hinc, ut reor Candelæ in hoc Purificationis festo benedictæ ægrotis in articulo mortis constitutis accendi solent, ad ipsius videlicèt candelæ benedictæ accensæ significationem repræsentandam, & ad iisdem ægrotis agonizantibus dictæ significationis effectum deprecandum; ut scilicèt, quemadmodùm illi cerei visibili igne accensi nocturnas depellunt tenebras, ità Christifideles invisibili Sancti Spiritus splendore illustrati, omnium vitiorum cæcitate depulsâ, ad lucem indeficientem, vitamque immortalem ex hac mortali vitâ decedentes per invocationem Divini nominis, & per intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis, omniumque Sanctorum, necnon in memoriam Purificationis ejusdem ex gratia purificati, cum accensis lampadibus, quasi prudentes Virgines ad Cœlestes nuptias pervenire mereantur.

Ex Rabani autèm, & Innocentii III. sententiis, quas pro lustrationis, sivè Processionis, Benedictionisque Candelarum Origine in medium attulimus, planum fit dictum Processionis, & Benedictionis cereorum ritum, non loco Lupercalium fuisse introductum, ut quidam opinati sunt: Lupercalia enim cum Amburbiali, quod Ethnicorum superstitione paùlàtim (ut dictum est) radicitùs evulsâ, pio sanctoque ritu in Christianam lustrationem, vel Processionem cereorumque accensorum gestationem permutatum est; nullam proportionem, vel convenientiam, nullumvè symbolum habent, ut diffusè ostendimus in Quæsito de mala consuetudine Carnisprivii, quod à Lupercalibus ortum trahit. Adde etiàm, quòd Lupercalia die 15. Februarii celebrabantur, ut omnes affirmant; Amburbiale autèm in principio dicti mensis circà diem Purificationis Festum, dictumque Amburbiale, quantùm ad lustrationem, accensarumque facum gestationem, quandam nostri ritùs umbram habebat; finem tamèn, quo unumquodque ab alio distinguitur, omninò diversum.

Alcuinus itèm de Ecclesiasticis Officiis, & Beda de Temporibus idem narrant de origine Benedictionis Candelarum, & de Processione, quę *lustratio* nuncupatur, in dicto Purificationis Festo ab Ecclesiâ Sanctâ celebrari solita. Sed hunc lustrandi modum, sivè Processionis cum cereis accensis faciendæ ritum à Sergio Papa Institutum esse Ordo Romanus affirmat.

Idem

Idem refert Guillelmus Durandus lib.7. cap.7. sunt autèm, qui hunc cereorum usum, sivè ritum benedicendi candelas, antè Sergium fuisse velint: nàm Sanctum Eligium Episcopum, qui antè Sergium circà Annum Domini 663. vixit, de hujus ritus mysterio Sermonem habuisse dicunt. Id quod confirmari potest ex eo, quod de Justiniano Magno Imper: Historiographi narrant. Sub Justiniano enim Dies Purificationis Festus, qui græcè *Hypanti*, idèst *occursus*, vel *obviatio* latinè interpretatur, quo scilicèt Simeon Christo in templum delato, venerationis gratiâ occurrit; ob magnam mortalitatem circà Annum Domini 542. insurgentem, Tropario [idèst cantilena] seù modulo compositio de Christi duabus naturis, & unicâ personâ, ubique celebrari cæptum, ut Nicephorus lib.17. cap. 28. Evagr. lib.4. c.39., & Zonaras, & Genebrardus, aliique scriptores testantur.

Quâ ex re ritum benedicendi cereos cum ipsâ lustratione, sivè Processione cum iisdem cereis accensis, ejusdem Justiniani temporibus institutum esse conjectare licet.

Non deest autèm, qui velit, dictam festivitatem celebrandi ritum à Gelasio Primo, antè Justiniani Magni tempora, annos circitèr triginta fuisse institutum. Quod mihi sanè non probatur. Quàmvis enim ipsius Gelasii contrà Lupercalium studiosos extet commentarius, ut quidam refert, non tamèn necesse est, ut festivitatem, de qua loquimur instituerit, cum ex antiquis Scriptoribus, aut saltèm recentioribus, uno excepto, quod sciam, nemo hujus generis Institutum Gelasio adscribat; aliis rationibus, ad hanc rem silentio prætermissis, quæ in nostro de Lupercalibus quæsito narrantur.

De Cereo Paschali.

ZOsimus circà Annum Domini 416. cereos paschales in Sancto Dominicæ Resurrectionis Sabbato, per singulas Ecclesias benedicendos decrevit, ut Alcuinus de Div. Offic. Amalarius Fortunatus lib.1.c.18. de Eccl. Offic. Vvalafridus Strabo cap.30. de Rebus Eccl. Micrologus de Eccles. observ. cap.53. Polyd. Virg. lib.6. cap.7., & Platina testantur.

De hujus autèm cerei benedictione, ac significatione diffusè loquitur Guillelmus Durandus lib.6. c.80.

Undè

Undè Cineres ſupèr caput ſpargendi uſus originem trahat, & quæ ſibi velit.

Cur itèm ex Sacris Olearum ramis, Cineres, in prima jejunii Quadrageſimalis die benedicti, ſupèr hominis caput ſpargantur.

INERES ſupèr hominis caput ſpargendi morem in frequenti uſu antiquitùs fuiſſe Hiſtoria Sacra teſtatur. Sed tria porrò, ut ab origine ſpargendi Cineres exordium ſumatur, olim erant, quæ in luctu, & dolore magno, aut in peccati pœnitentiam, & in animi demiſſionem pro venia à Deo impetrandâ, faciebant Hebræi, Hebræorumque exemplo cæteri, qui aliquam Dei notionem habebant; Veſtimenta enim ſua ſcindebant; aut eis abjectis, ſe ſacco, vel cilicio induebant; jejunio ſe macerabant, & caput pulvere, aut Cinere conſpergebant.

De veſtium ſciſſione, de ſacco, vel cilicio indutis, necnon de carnis per Jejunium maceratione multa in Scriptura Sacra ſeſe nobis offerunt exempla, quæ ſilentio prætermittenda ſunt, ut Cinerum conſperſionis uſum ſtàtim aggrediamur. De hoc itèm Cineres ſupèr caput ſpargendi uſu, multa in Sacra Pagina extant exempla: quibus omiſſis, ad illud Mardochæi in libro Eſther c. 4. devenio exemplum, quod non ſolùm Cineres ſpargendi conſuetudinem, verùm etiàm veſtimentorum ſciſſionem, necnon ſacci, ac Jejunii uſum cum fletu comprehendit. Mardochæus enim, cum imminentem Judæorum necem, ut veritas ipſa narrat, audiſſet; *Scidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens Cinerem capiti*. Et infrà: *Planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, & fletus; & ſacco, & Cinere multis pro ſtrato utentibus*. Hæc ex loco citato: in quo ponitur veſtium ſciſſura, in ſignum doloris; Jejunium in macerationem carnis; Sacci uſus, & Cineris conſperſio in ſignum humilitatis, & in afflictionem carnis Cinere pro ſtrato utentis.

Non ſolùm autèm Hebræi, ut diximus, ſed illi etiàm, qui errore Gentilitatis infecti erant, Cinere in ſignum pœnitentiæ, & humilitatis uſi fuerunt, ut legitur de Job, qui cap. 16. de ſeipſo intèr flagella dixit; *Saccum conſui ſupèr cutem meam, & operui Cinere carnem meam*. Sed cap. 42. idipſum magis expreſſit dicens. *Ago pœnitentiam in favilla, & Cinere*. Id quod in Ninivitarum etiàm pœnitentiâ videre eſt apùd Jonam cap. 3. dicentem: *Rex ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in Cinere*. Hinc Matthæus cap. 11., & Lucas cap. 10. dum populis quibuſdam ingratitudinem exprobrant, de Tyro, & Sidone, Gentilium civitatibus ajunt: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & Cinere pœnitentiam egiſſent*.

Ex hujus generis, & Hebræorum, & Gentilium exemplis, Cinerem ad humilitatis, & pœnitentiæ ſignum præferendum in frequenti olim uſu fuiſſe, planum profectò fit, cur autèm Hebræi, & Gentiles ſupèr caput in humilitatis, & pœnitentiæ ſignum, Cinerum conſperſione uſi fuerint; Cur itèm Cineres ad illudipſum indicandum ex Sacris Olearum ramis confecti, in prima Quadrageſimalis Jejunii die in Sancta, & Catholicâ Eccleſiâ benedicantur, & ſupèr hominis itèm caput ſpargantur, ſcitu quidèm digna videntur. Id quod ex Cinerum, & Olearum naturâ facilè videre eſt. Cinis nàmque, ſi rectè intima ejus perpendatur vis; & humilitatem per ſuam ipſius vilitatem, & pœnitentiam per ejuſdem amaritudinem perpulchrè repræſentat.

Humilitatem per ſuam vilitatem repræſentat cinis, quià eſt vilis, quatenùs ultima rei corruptio eſt, vel excrementum, ſive [ut ait S. P. Auguſtinus lib. de Conſol. mortuorum] *flammarum ſtercus, quod ex earundem cibo egeritur*. Hujus generis vilitatem Abraham ſecùm meditatus, dum ipſi Deo loqui vellet, ſublimitatem promiſſionis, ac privilegii ſubjectione humilitatis temperans dixit: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis, ac cinis*. His verbis Abraham ſuam vilitatem optimè noſcens, pulverem ſeſe, ac cinerem appellat. Hinc in cap. 10. Eccleſiaſtici homini dicitur: *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Et cap. 17. legitur: *Omnes homines terra, & cinis*. Quam rem Horatius itèm Poeta, quamvis Ethnicus, & ut ajunt, Epicureus, in lib. Carm. 4. Ode 7. apertè confeſſus eſt hunc in modum: *Pulvis, & umbra ſumus*. Hæc de Cineris vilitate.

Pœnitentiam per ſuam amaritudinem cinis repræſentat: amarus enim is eſt, cum ſit res aduſta: nàm aduſtæ res, à quibus totum humidum fuerit ablatum, amarorem concipiunt evidentiſſimum. Sicut enim dulcedinis ſubjectum eſt humidum, ità amaroris radix eſt ſiccum, & aduſtum, humiditate ſcilicèt omninò privatum, veluti cinis eſt. Hinc per Cinerem, qui eſt amarus amara pœnitentia repræſentatur. Adde etiàm, quòd cinis, quo nunc ad humilitatem, & ad pœnitentiam indicandam Eccleſia Catholica in prima Jejunii Quadrageſimalis die uti ſolet, ex combuſtis oleæ ramis conficitur: quę fructum dulcem quidèm, ac ſapidum habet, ſed corticem, ac radicem amaram. Quo ſanè Symbolo Sancta Mater Eccleſia ex amara contrà peccatum, & contrà falſas Diaboli

ſuaſiones olim admiſſas, pœnitentiâ, fructus dulces, ac ſuaves, victoriam ſcilicèt, atquè præmium per reconciliationem cum Deo nos reportaturos eſſe inſinuat; hinc Latini, & Græci victoriam, & pacem per *oleam* belliſſimè indicare ſtuduerunt. Hi enim, & Athenienſes præſertim, ut Plinius lib. 15. naturalis hiſtoriæ cap. 4. ait: *Victores clearum ramuſculis coronabant: Illi autèm*, Romani ſcilicèt, eodem Plinio teſte, *frondibus olearum ovantes coronabant, legatoſque ſuos ad aliquam nationem pro pace impetranda, vel offerenda deſtinatos, nonniſi olearum ramuſculis inſignitos mittebant.* Id quod cap. Geneſeos 8. Dei juſſu innuere viſa eſt Columba, quæ in illo Cataclyſmo, universâ ſcilicèt terrarum Orbis alluvione, in reconciliationis præſtitæ, ac fœderis Dei cum ipſo hoc ſignum, ut ait Remigius, ad Arcæ feneſtram revertens, oleæ ramuſculum ore ſuo geſtaſſe narratur: quià hæc arbor *Pacis inſigne* appellatur, ut Iſidoro lib. 17. cap. 7. Etymologiarum placet.

Mortis deniquè meditationem cinis repræſentat: quià ſicut homo (quod ad corpus pertinet) ex terra conflatus eſt; ità eum, animâ è corpore ſeparatâ, in terram, pulverem ſcilicèt, vel cinerem redigendum eſſe dicas oportet, ut veritas ipſa Geneſeos 3. apertè docet, dicens: *In ſudore vultus tui veſcèris pane tuo, donèc revertaris in terram, de qua ſumptus es: quià pulvis es, & in pulverem reverteris*; vel ſicut ſeptuaginta Interpretes tranſtulerunt, *in terram abibis*: Unumquòdque enim, ſi philoſophicè item loquamur, in ea reſolvitur, ex quibus conſtat.

Tria itaquè, humilitatem ſcilicèt, Pœnitentiam, mortis meditationem in Jejunii Quadrageſimalis primordio Sancta Mater Eccleſia nobis proponit per Sacrorum cinerum ſuper humanum caput conſperſionem mediis hiſce verbis: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris*: Cinis autèm ex ſacris olearum ramis confectus, hac die *Feria 4. Cinerum* nuncupata, conſecratur, ſivè benedicitur, ut eo juxtà Eccleſiæ ritum fideles Chriſti Populi aſpergantur, atquè ità aſperſi, quaſi Terra à Deo benedicta, optimos producant fructus: Nàm ſicut Terra, in ejectione Adami è Paradiſo, maledicta, nonniſi ſpinas, ac tribulos ex ſe germinare poteſt, ità contrà per humilitatem, per pœnitentiam, & per mortis meditationem, terra noſtra benedicta, liberum ſcilicèt arbitrium noſtrum divinâ benedictione refertum, non ampliùs ſpinas, ac tribulos, ſed dignos pœnitentiæ fructus germinare debet.

Sacer verò cinis ſuper hominis caput ſpargi ſolet in modum crucis, vertice ſcilicèt capitis, cruce digitis factâ ſignato, inſtàr virorum abominationes ab aliis factas gementium, ac dolentium; quorum frontes, ut Ezechiel cap. 9. ait, *figura Thau, in ſignum indubitatæ ſalutis ab Angelo ſignabantur, ac muniebantur*: Thau enim litera, Redemptionis noſtræ Symbolum, inter duos, ac viginti hebraicos characteres antiquiores extrema, ſimilitudinem Crucis habet, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur; *perfectamque*, ut Beatus Hieronymus in cap. 9. Ezechielis ait, *in viris gementibus, ac dolentibus ſcientiam demonſtrat*. Hinc in ipſa Cinerum ſuper hominis caput conſperſione, humilitatem, & pœnitentiam, mortiſque meditationem repræſentante, Crucis figurâ ſignamur, ut tales efficiamur, quales cinerum in modum Crucis conſperſio jure poſtulat, hoc eſt, verè, ac ſemper moriendi neceſſitatem præ oculis cordis habentes, verè humiles, verèque de peccatis dolentes, per Crucem, in quo ſalutis noſtræ author pependit, divinâ pietate verè ſalvemur.

Tria verò illa, quæ ex Cinerum conſperſione nobis proponuntur, non ſolùm per dictam cinerum conſperſionem, ſed per ea itèm, quæ in eorundem cinerum conſecratione, aut benedictione, & per ea quæ in ſacratiſſima recitantur Miſsâ, ſatis bellè inſinuatur.

Expreſſior autèm mentio de morte meditanda per illa fit verba: *Memento homo, quià cinis es, & in cinerem reverteris*. Idquè non inconſultò ab Eccleſia Sancta in prima jejunij die fieri ſolet: Nàm in hoc temporis quadrageſimalis primordio (quem numerum quadragenarium pœnitentiæ conſecratum eſſe conſtat) mortis memores efficimur, ut libentiùs humilitatem amemus, promptiùs pœnitentiam amplectamur, rectiùſque tempus in poſterùm vivamus, certò ſcientes nobis eſſe moriendum. Hanc enim moriendi neceſſitatem, qui accuratè cogitat, is quidèm, ſi mentis eſt compos, *quaſi à facie colubri*, ut ait Eccleſiaſticus cap. 21. *fugiet peccata*. Et cap. 7. *Memorare noviſſima tua, & in æternum, non peccabis*. Hanc autèm moriendi neceſſitatem Beatus Hieronymus intimè perſcrutatus, non minùs ſapientèr, quàm verè dixit: *Qui cogitat ſe quotidiè eſſe moriturum, facilè omnia contemnit, & ad futura feſtinat.* Hæc Hieronymus: Non enim dixit, qui quotidiè cogitat ſe eſſe moriturum; Sed, ut opinor, inſignitèr dixit: Qui cogitat ſe quotidiè eſſe moriturum; ſe potiùs, cogitat, ſe ſingula quaque horâ mori poſſe, is profectò, ſi amens non ſit, facilè omnia contemnit, idèſt omnia hujus Mundi, veluti ſtercora nihili pendit, & ad futura feſtinat; hoc eſt, benè in Domino moriendi conditioni ſeſe libentèr, ac ſcitè parat, quaſi ſingulo temporis momento moriturus.

Cum igitùr ex divina ſententia à Moyſe conſcripta Geneſeos 3. & ab Eccleſia Matre piè, ac ſanctè ſingulo quoquè anno ſolemni ritu nobis in memoriam revocata, hiſce verbis: *Memento homo, quià cinis es, & in cinerem reverteris*; Bonum adeò inſigne oriri queat; eam cordi ſemper adnexam perpetuâ cogitatione habere quiſque debet, ut Chriſtianam ducens vitam, cinericiamque metamorphoſim libentèr expectans, atquè itèm expetens, tandèm aliquandò in Domino moriatur.

DE

D E

PRECATIONE,

Qua Lectiones in Matutino prævenimus,

Necnon de fine, quo eas conludimus, ac definimus;

Choro deniquè ſuccLamante

HOC EST

JUBE DOMNE BENEDICERE.

TU AUTEM DOMINE MISERERE NOBIS.

DEO GRATIAS.

De Precatione, quâ Lectiones in Matutino prævenimus

Hoc eſt

JUBE DOMNE BENEDICERE.

DUO in his verbis ſeſe offerunt nobis explicanda, quid videlicèt ſit *Domnus*, vel undè vox ipſa originem, aut derivationem trahat, necnon illius locutionis ſenſus verus, ac proprius quiſnam deniquè ſit: Eſt enim Oratio tribus vocibus comprehenſa, quæ ſenſum à vulgari opinione habet alienum.

Syncopæ diffinitio.

Domnus eſt vox per ſyncopam à dictione, *Dominus*, formata. Syncopa nàmque apùd Grammaticos eſt figura, cum ſyllaba, vel litera è medio dictionis abſcinditur.

Syncopa quæ ſyllabam abſcindit

Exempla de ſyllaba e medio dictionis abſciſsâ, ſeù ablatâ, ſunt, ſi dicatur *Amaſti* pro *Amaviſti*; *Laudarunt* pro *Laudaverunt*; *Virum* pro *Virorum*; *Deum* pro *Deorum*, idque genus alia ferè innumera; in quibus omnibus ſyllaba e medio dictionum auferetur, & abſcinditur.

Syncopæ quæ literam abſcindunt

Exempla verò de litera, & præſertim de illa, quæ per ſe ſolam in dictione ſyllabam non facit, ſunt, ſi dicatur, *Itaſt* pro *ita eſt*, vox apùd Comicos uſitatiſſima; *Audatièr*, pro *audacitèr*; *Extinxti*, pro *Extinxiſti*; *Extinxem* pro *Extinxiſſem*; *Compoſtus* pro *Compoſitus*; *Repoſtus* pro *Repoſitus*; *Seclum* pro *Seculum*, idque genus alia, & quidèm plurima, quæ apùd omnes ſcriptores, præſertim verò apùd Poetas in frequenti ſunt uſu: ipſæque literæ e medio dictionum abſciſſæ in iiſdem dictionibus ſyllabas per ſe non efficiunt, ut in exemplis nuper commemoratis videre licet. Hunc in modum vox, *Domnus*, legitur, ut ſic dixerim ſyncopata, à dictione *Dominus*, originem, aut derivationem trahens. Hinc auctor illius Dictionarii, quod *Catholicon*, ſeu *univerſale vocabularium inſcribitur*, ait, & rectè quidèm, *Domnus à dictione Dominus, & Domna à Domina per ſyncopam dicuntur, & propriè clauſtralibus conveniunt: Sed Dominus, & Domina ſecularibus, & mundanis tribui ſolent. Undè Domnus Abbas, & Domnus Prior. Et in Eccleſia cantatur. Jube Domne benedicere.* Hæc Auctor ille F. Joannes Genuenſis.

Domnus pro Dominus.

Quod voces quædam vernaculâ, & italicâ linguâ pronunciatæ, hoc eſt, *Don*, *Donno*, *Domno*, & *Donna*, *Dominum*, & *Dominum* ſignificent, Franciſcus Alumnus Ferrarienſis eo in libro, qui, *Fabrica del Mondo*, inſcribitur, apertè oſtendit, & ad hanc rèm comprobandam complura tàm Dantis, & Petrarchæ, quàm Boccacii teſtimonia in medium affert.

Ex Petrarcha

Per inganni, e per forza è fatto Donno; hoc eſt Dominus.

Ex Dante

Ch' ebbe i nemici del ſuo Donno in mano; hoc eſt Domini ſui.

Ex Boccacio

Roma à Boccacio totius Mundi *Domina* nuncupatur hiſce verbis:

Ch'io ſia di Città Donna di tutto'l mondo, & egli di Città ubidiente alla mia; idèſt, Roma, quæ eſt totius Mundi Domina.

Prætereà idem Alumnus dicto in libro verba hæc italicè pronunciata, *Donneare*, & *Indonnare* pro *Dominari* à Petrarcha, & Dante non ſemèl uſurpata fuiſſe demonſtrat,

exem-

exemplis eorundem Poetarum in medium allatis, quæ brevitatis causâ silentio prætermittenda censeo.

Varro de ling. Lat.

Varro denique vir Romanorum eruditissimus, tam linguæ latinæ, quàm omnis antiquitatis, & rerum græcarum, nostrarumque peritissimus, quem S. Pater Augustinus *literatorum Doctissimum* appellavit, in libro de Lingua Latina inquit: *Dominus, Domnus, & Donnus rectè dici queunt.*

S. August. l. 6. cap. 2. de Civ. Dei, & c. 6.

Domnus itaquè latinè, & italicè *Don*, & *Donno*, à dictione *Dominus*; & *Donna à Domina* per syncopam derivantur. Hæc de Domno.

De Precatione, qua Lectiones in Matutino prævenimus.

JUBE DOMNE BENEDICERE,

Lib. 1. de Div. Off. c. 12.

HAc *precatione lectiones*, ut ait Rupertus, *prævenimus, quià rogare debemus Dominum messis, ut operarios mittat in messem suam: nemo enim, nisi missus prædicandi officium exercere debet. Quomodò enim* [inquit Apostolus] *prædicabunt, nisi mittantur? Hinc dictâ precatione à Superiore, seù Majori benedictionem imploramus.* Hæc autèm præcandi forma alicujus benedictionem postulantis, in Ecclesia Sancta Dei à Lectoribus antè lectionem pronunciari consueta, est antiqua loco salutationis introducta: propterea quod cum quis olim in Ecclesia lecturus erat, vel *Dominus Vobiscum*, vel aliquid tale dicendo Populum salutabat. Quarè in Concilio Carthaginensi 3. decretum fuit, ut Lectores antè lectionem recitandam, Populum non ampliùs salutarent: cujus rei loco nunc benedictionem à Majori postulare solent.

Rom. 10.

Cap. 4. dist. 77. c. 5. Placuit.

Anno Dom. 867. Dist. 21.

De hoc ritu perantiquo Nicolaus Papa scribens ad Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum, ut videre itèm est in prima Decreti Parte, distinctione 21. cap. 6. Denique expressam facit mentionem. Hæc de Ritus antiquitate.

Nunc reliquum est, ut dictæ locutionis, vel precationis proprium, ac verum sensum explicemus à vulgari alienum. Non enim benedicere pro duabus dictionibus, hoc est pro dicere benè, seù clarâ voce, vel adamussim legere, aut cantare, ut aliqui fortasse opinantur, sed pro benedictione impetrandâ hoc sumitur loco: quæ sanè benedictio beneficentiam omnem, seù bonitatem elargitur. Lector enim, sivè publicè in Ecclesia, sivè aliquo in loco privato Sacram recitaturus lectionem, tamquam Inferior à Majore suo benedictionem postulat, Christianæque humilitatis gratiâ, quatenùs indignus, ut ab eo benedicatur, sibi visus, ab aliquo inferiore benedictionem sibi dandam rogat, quasi dicere velit: Domne jube aliquem benedicere me, vel ut aliquis mihi indigno benedictionem tuo nomine impertiatur. Sacerdos autèm Lector Christiana itèm humilitate respondens, benedicendi officium alicui sibi subjecto non committit, delegans, nec per semetipsum Lectori benedictionem elargitur, sed eam à Deo eidem Lectori, & sibi, cæterisque Christifidelibus impartiendam postulat, dicens: *Benedictione perpetuâ benedicat nos Pater æternus.* Vel, *Unigenitus Dei Filius nos benedicere, & adjuvare dignetur.* Vel, *Spiritus Sancti gratia illuminet sensus, & corda nostra.* Vel, *Ille nos benedicat, qui sine fine vivit, & regnat.* Per quas planè omnes, & id genus alias benedicendi formas, seù precationes, Sacerdos Lectori, & sibi, cæterisque Christifidelibus, divinam opem, Sanctamque benedictionem à Deo implorat.

Petr. Dam. M. L.

In hanc eandem ferè sententiam scribit Petrus Damianus Ravennas, Monachus ex Instituto Sancti Benedicti, Episcopus Ostiensis, & S. R. E. Cardinalis, qui non minùs eruditione, quàm sanctitate clarus, Anno Dom. ML. floruit. Is enim ad Leonem solitarium, & spontè inclusum; qui hujusce dubitationis nodum sibi dissolvendum cupiebat, scribens, loquitur in hanc verborum formam: *Lecturus magnæ humilitatis gratiâ, non à Sacerdote, sed ab eo, cui Sacerdos jusserit, se postulat benedici dicens: Jube Domne benedicere. Sacerdos autèm, ut tantæ humilitati vicem reddat; non subjecto cuiquam benedicendi delegat officium, nec per semetipsum benedictionem dare præsumit, sed potiùs, ut à Deo, qui est supèr omnia benedictus, prærogetur, exposcit.* Hæc Petrus Damianus. Lector igitùr recitaturus lectionem, Sacerdotem humiliter rogat, ut benedicendi officium alicui sibi subjecto delegans committat: Sacerdos verò eàdem humilitate benedictionem Lectori, & sibi cæterisque Christifidelibus à Deo largiendam implorat.

Quandò autèm Romanus Pontifex lectionem in Matutino Nativitatis Domini est cantaturus, non cum homine, sed cum Deo loquens ait: *Jube Domne benedicere*: Homo enim *Domnus* syncopatim, non propriè Dominus, sed impropriè, hoc est indulgentèr, vel nuncupativè, aut per participationem ex Dei concessu appellari potest; Hinc Romanus Pontifex in Litaniis *Domnus Apostolicus* nuncupatur: Deus autèm propriè *Dominus*, hoc est per essentiam, atque ex sua ipsius naturâ, & potestate, verèque *Dominus*, immò *Rex Regum, & Dominus Dominantium* vocitatur, & est. Romanus itaquè Pontifex sermonem suum ad Deum, non ad hominem dirigens, inquit: *Jube Domine benedicere, non Domne*; Benedictione autèm imploratâ, nemo pro danda ei benedictione respondet: quià Romanus Pontifex, quatenùs, nec majorem se, nec sibi parem hisce in Terris habens, non ab homine, sed àDeo benedictionem postulat: Minor enim à Majore benedicitur: Contrà verò non itèm: Major nàmque à minori, non benedicitur. Id quod Sanctus Paulus Apostolus Prædicator veritatis, & Doctor Gentium, exemplo Abrahę comprobavit, quem Melchisedech Sacerdos Dei summi benedixit: nàm *sinè ullâ* [inquit] *contradictione, quod minus est, à Meliore* [*seu Majo-*

Deuter. 10. (1. Tim. 6.) Apocal. 17. & 19.

Hebr. 7.

Majore] *benedicitur*. Quæ sanè res etiàm in prima Decreti Parte dist. 21. c. 6. refertur. Cùm itaque Romanus Pontifex, nec majorem se, nec sibi parem hisce in terris habeat, in Cappella Pontificia nonam lectionem cantaturus in Nocte Nativitatis Domini, sermonem suum ad Deum ipsum dirigens ait: *Jube Domine benedicere*; Sed nemo benedictionem, quam à Deo postulavit, pronunciat; Cantores tamèn respondent, Amen.

Dist. 21. c. Denique.

Lib. Cœrem. Rom. 2.

Deindè summus Pontifex suam lectionem decantat.

Absente autèm Papâ, in eâdem Nativitatis Domini nocte, ad Matutinum. Cardinalis Presbyter primam ex Tribus celebraturus Missam, cum Officium Divinum in Matutino faciat, nonam lectionem decantat, benedictionemque à primo Cardinali postulat, dicens: *Jube Domne benedicere*; benedictioneque à Cardinale datâ, sivè prolatâ, Sacerdos sivè Cardinalis celebraturus, nonam cantat lectionem. Idem in omnibus Ecclesiis Romæ observatur, in quibus Episcopus, aut quivis alius Ecclesiæ Rector à Chori primario petit, & recipit benedictionem.

Lib. 2. Cœrem. Rom.

Episcopo autèm in sua Ecclesia nonam cantaturo lectionem, benedictione postulatâ, ut inquit Glossa in locum Decreti nupèr commemoratum, dici solet: *Ora pro nobis Pater Sancte*. In quibusdam verò Ecclesiis Inferior dicit Episcopo: *Jube Domne benedicere*. Episcopus deindè ipsemet benedictionem pronunciat, & lectionem decantat. Hæc ex Glossa.

Glos. in dist. 21. c. Denique.

Sunt qui velint Episcopum in sua Ecclesia, & Legatum Papæ à latere servare hac in re Pontificium ritum. Alii verò volunt, ut Episcopus in sua Ecclesia Lectionem cantaturus, benedictionem accipiat ab ipsius Ecclesiæ Primario, qui tamèn Episcopo sit inferior, sed in Cœremoniali Episcoporum nupèr reformato decretum est, ut Episcopus in sua Ecclesia, si non aderit in Choro major se dicat: *Jube Domine benedicere, non Domne*, Choro respondente, Amen, benedictione à nemine pronunciatâ. Si autèm adesset Legatus, aut aliquis Prælatus major se, ab illo benedictionem postulare, ac suscipere debet. Hæc de Precatione, qua Lectiones in Matutino prævenimus, ut ad conclusionem accedamus.

Cœremoniale Episcop. lib. 2. cap. 5.

De Fine, quo Lectiones concludimus, ac definimus

TU AUTEM DOMINE MISERERE NOBIS.

LEctione absolutâ, seù finitâ, divina imploratur misericordia hisce verbis: *Tu autèm Domine miserere nobis*. Quibus profectò verbis; ut ait Rupertus, ad finem Lectionum uti solemus, quia ipsum etiàm prædicandi officium, quàmvis bonum, sine alicujus, vel levis culpæ pulvere exerceri non potest: & ut inquit S. P. Augustinus, *Verbum Prædicationis tutiùs auditur, quàm prædicatur, quià vana gloria Prædicatoribus insidiatur*: *Prædicator enim*, ait Rupertus, *cum benè se dicere sentit, difficilè nimis est, ut non quantulumcumque spiritu elationis tangatur*. Hæc ex Ruperto. Istùc etiàm ipsum intèr legendum cogitatione saltèm ipsâ evenire facilè potest, præsertim verò cum *septies in die*, ut inquit sapiens, *cadat justus*. Hinc nos frequentèr, immò omni horæ momento misericordiâ Dei valdè indigentes, frequentèr obsecramus Deum, ut nostri misereatur.

Rupert. de Div. Off. l. 1. c. 12.

S. Augustin. tom. 2. ep. 355

Prov. 24.

De Chori succlamatione

DEO GRATIAS.

DEi misericordiâ imploratâ, succlamat Chorus: *Deo gratias*. Quæ sanè succlamatio, ut inquit Rupertus, non ad postremam Lectoris precem, qua Dei misericordia imploratur, sed ad totam lectionem spectat: Gratias enim agimus Deo, quòd doctrinæ suę panem nobis frangendum curet.

Rupert. lib. 1. c. 14. div. off.

Hæc de Precatione, qua Lectiones in Matutino prævenimus, necnon de fine, quo eas concludimus, ac definimus, deque tandèm Chori succlamatione mihi dicenda videbantur.

FERIA

QUIDNAM SIT,

Et cur Dies ab Ecclesiasticis Viris Feriarum nominibus in Ecclesia nuncupetur.

ERIA est nomen latinum à verbo *Ferio*, *as*, vel *Ferior*, *ris*, dictum, quod est *ab opere vaco*, vel *cesso*. Hinc à Feriis dies festi à Latinis *Feriati* dicebantur, quia ut ait Festus Pompejus, *Ferias antiqui festa vocabant*, hoc est dies festos, vel dies cessationum ab opere. Hac item ratione cessationes à causis forensibus, & Judiciis, atque à studiis literarum, *Feriæ* appellantur. Dies verò, quos vernaculâ linguâ *giorni di Lavoro* italicè vocitamus, vacui videlicèt à festivitate, ut inquit Nonius Marcellus, *profesti* dicebantur, quasi procùl à festo, & à cessatione operum alieni. Fasti autèm dies erant illi, per quos Prætori Jus dicere fas erat: Nefasti verò, per quos Jus fari, aut dicere non licebat. Erant autèm multa apùd antiquos Feriarum genera: intèr Ferias autèm aliæ publicæ, aliæ familiis quibusdam erant propriæ: Feriarum verò publicarum quatuor erant genera, ut Macrobius docet lib. 1. Saturnalium cap. 16. Feriæ scilicèt *Stativæ*, *conceptivæ*, *imperativæ*, *ac nundinæ*.

Feriæ stativæ universo Populo erant communes, hoc est Saturnalia festa Saturno dicata, & Agonalia in honorem Jani, nec non Lupercalia in honorem Panos, Pastorum Dei, atque id genus alia. Hujus generis fuisse puto Ferias in honorem Augusti Imperatoris, in quo eidem Imperatori Altare Lugduni ex Svetonio erectum constat, & in multis Europæ Regionibus Augusto, qui dicto mensi suum dedit nomen, Populi feriabantur. Hujus rei vestigium quoddam in multis Europæ partibus, præsertim verò in Italia ad hanc usquè diem remansit, dum Populi primo Augusti die genio indulgentes, vino plus nimio utuntur, & corrupto loquendi modo se *ferrare Agosto* pro *feriari* Augusto ajunt.

Feriæ conceptivæ sunt illæ, quæ quotannis à Magistratibus, vel à Sacerdotibus concipiebantur in certos, vel incertos dies, ut Latinæ pro Latii salute, *Sementinæ* pro seminibus terræ mandatis, vel Paganalia, Rusticorum Festa, & Compitalia Diis Laribus Instituta.

Feriæ Imperativæ sunt, quas Consules, vel Prætores pro arbitrio extrà ordinem indicebant pro salute Reipublicæ, aut Principis, aut ob rem felicitèr gestam.

Nundinæ item, sed sine festo die dicebantur *Feriæ*, quæ Paganorum erant, ac rusticorum, quibus ad negocia, & merces conveniebant ab opere tantùm manuali cessantes. Hinc in utriusque Siciliæ Regno nundinæ vulgò vocitantur *Feriæ*; & ab aliis Italiæ Populis *Fiere* latinâ voce corruptâ, quasi *Feriæ* nuncupantur. Erant prætereà propriæ Familiarum Feriæ, quas quæque Familia ex celebritatis domesticæ usu observabat, ut Claudiæ feriæ, quæ *Natalitiæ* dicebantur. Cum itaquè feriæ ob cessationem ab opere dies festi essent, si in iis aliquod opus factum fuisset, tunc pollui dicebantur. Feriæ autèm dies cessationum ab opere fuerunt dicti, vel à feriendis victimis, vel à ferendis epulis. In his enim Sacrificia, & Epulæ ex pecorum, frugumque fiebant proventibus. Hæc de feriis Ethnicorum, sivè Gentilium.

Quoniam verò Dies Hebdomadæ *à Diis* dicti, ut Isidorus ait, *juxtà nomina Planetarum*, quos Ethnici Deos esse falsò putarunt, à Laicis numerari olim cæperunt, ut etiàm præsens in tempus (die primo, ac septimo exceptis) fieri solet; Sancta Dei Ecclesia ne nomina Planetarum intèr sacras, & ecclesiasticas res admiscerentur; feriarum nomina (Sabbato, ac Die Dominico exceptis) Planetarum loco adhibenda instituit: quià sicut in feriis Ethnicorum fiebant sacrificia, & ab opere cessabatur; ità in Feriis Ecclesiæ Dei sola res divina fieri solet, & ab operibus servilibus, præsertim verò à vitiis, ac peccatis cessari, aut vacari omninò debet.

Sunt item, qui Feriam à verbo *faris*, vel *fare*, *fatur*; quod à verbo *fero* deductum est, dictam velint: & ut ajunt *feria*, *quasi faria a fando dicitur*, placet Isidoro lib. 5. Etymologiarum dicenti: *A fando feriæ nuncupa-*

cupatæ ſunt, quod in eis nobis ſit tempus dictionis; idèſt in divino, vel humano officio fari. Dies verò *feriati*, idèſt dies feſti, cauſa divinorum Sacrorum ità dicuntur: & hanc ob rationem quælibet dies in Eccleſia Dei *Feria* nuncupari poteſt. Prima itaquè dies à Philoſophis jàm Soli dicata, non eo ſanè ordine, quo Planetæ in Cœlo ſunt, ſed eo, quo quiſque in prima cujuſcumque diei horâ dominatur, poteſt appellari *prima Feria*, vel *dies Dominicus* à Domino, qui in tali die reſurrexit, dictus. Dies Lunæ *Feria ſecunda*. Dies Martis *Feria tertia*. Dies Mercurii *Feria quarta*. Dies Jovis *Feria quinta*. Dies Veneris *Feria ſexta*. Dies Saturni *Feria ſeptima*. Prima tamèn Dies, *Dominica*, dictam ob rationem nuncupatur: & ſeptima, Hebraicâ voce appellatur *Sabbatum*, idèſt Quies, quia Deus in Die illo quievit, vel ceſſavit ab omni opere, quod patrarat.

Vel *Feria*, ut alii volunt, dicitur etiàm *à Fando*: quià Deus in creatione Mundi ſingulo quoque die fatus eſt, ſivè loquutus. In prima enim Die dixit: *fiat lux*. In ſecunda dixit: *fiat firmamentum*. Et ita in cæteris diebus. Quàmvis autèm explicationes loco ſecundo, ac tertio poſitæ ſpernendæ non ſint; prima tamèn verior, rationique magis conſona eſſe cenſetur, quippè quæ ferias Ethnicorum, earumque Etymologias, modo tamèn diverſo, ac prorsùs contrario, ſatis congruè repræſentant, ſi vera Chriſtianorum ſacrificia, divinæque laudes, operumque ſervilium, ac peccatorum ceſſatio ſubintellecta, cum falſis Ethnicorum ſacrificiis Idolatriâ, ac ſuperſtitione plenis, eorundemque ab operibus ceſſatione conferantur.

Adde etiàm, quòd juxtà ſignificationem feriarum, atquè Etymologiam jàm explicatam, quilibet feſtus dies *Feria*, vel *feriatus dies* congruentèr nuncupari poteſt, *Feria* ſcilicèt *Dominicæ Diei*, *Natalis Domini*, *Reſurrectionis*, *Aſcenſionis &c. Feria Sanctorum omnium*, *Feria Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli &c. Feria item S. P. Auguſtini*, *Feria Sancti Dominici*, *Feria Sancti Franciſci*, atque hunc tandèm in modum omnium feſtorum dies vocitari poſſunt, ſed uſus inolevit, ut dies tantùm illi, qui alicui Sancto, vel alicui feſtivitati, aut celebritati dedicati non ſunt, *Feriæ* nuncupentur, ne cæteri dies Planetarum nominibus nominentur.

Ad hunc Ethnicorum dies numerandi modum amovendum Sanctus Silveſter Papa Feriarum nomina obſervari jàm cæpta, deindè obſoleta in uſum revocavit, ut legitur in 6. lectione, quæ in officio diei feſti Sancti Silveſtri extat, ubi hæc leguntur verba: *Sabbati, & Dominici diei nomine retento, reliquos, Hebdomadæ dies feriarum nomine diſtinctos, ut jàm anteà in Eccleſia vocari cæperant, appellari voluit: Quo ſignificaretur, quotidiè Clericos abjectâ cæterarum rerum curâ, uni Deo prorsùs vacare debere*. Hæc ibi: nàm feriari eſt, ut diximus ab opere ſervili, aut mundano ceſſare, vel vacare, ſive feſtum agere, vel colere diem. Hinc Ethnici more ſuo feriabantur Auguſto, idèſt diem feſtum in honorem Auguſti primo die Sextilis Menſis, quem ipſi Auguſto dedicarunt, celebrare ſolebant. Quo ſanè loquendi modo, & quidèm corrupto, Itali dum primo Auguſti die plus nimio gulæ indulgent, *Ferrare*, vel *Afferrare Agoſto*, pro feriari Auguſto dictitare ſolent, etiamſi proprium verborum ſenſum ignorent.

A N

RELIQUIÆ NOVÆ

Ab Ecclesiâ nondum approbatæ, illorum scilicèt hominum, qui paucis ab hinc Annis ex hac vitâ non sine Sanctitatis opinione decessere, absque expressâ Summi Pontificis concessione, aut Jussione publicè, vel privatim venerari queant.

UAMVIS de honoribus, qui Sanctis canonizatis, & nondum canonizatis exhibendi sunt in nostro de Canonizatione Sanctorum Commentario satis dictum videatur: ex iis tamèn, quæ diximus ob aliquam novam causam emergentem hoc loco repetenda sunt ea, quæ novis rationibus, ac distinctionibus explicanda esse judicamus, ut rerum à me inibi conscriptarum clarior reddatur sensus.

Quòd autèm Sanctos canonizandi auctoritas, necnon Reliquias recentèr inventas venerandi concessio ad solum Pontificem pertineat, non solùm ex communi tam Theologorum, quàm Canonistarum Sententiâ; Sed duabus itèm rationibus in nostro de Canonizatione Sanctorum comprobavimus. Sicut enim Christus Dominus solus est, qui in Ecclesia Triumphante sanctificat, ut ipsemet in Levitico testatur, dicens: *Ego Dominus, qui Sanctifico eos*; ita in Ecclesiâ Militante ad solum Romanum Pontificem, qui est Christi Vicarius, sanctificationis approbatio, sivè declaratio, atque promulgatio pertinet. Præterea sicut ad Romanum Pontificem quæstionis de Fide definitio, aut determinatio pertinet, ità etiàm Sanctorum canonizatio, quæ est quædam fidei protestatio, Sanctorumque Reliquiarum publica, & externa Veneratio, ad eandem Pontificiam auctoritatem, aut concessionem pertinere omninò dijudicatur. Id quod ab Innocentio IV. in cap. 1. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, aliis itèm comprobatur rationibus in hanc verborum formam: *Solus* [inquit] *Papa potest Sanctos canonizare, quod ex hoc apparet, quia cùm constituatur omnibus Fidelibus aliquid adorandum, & nullus omnibus præsit, nisi Papa: appareret, quòd solus Papa hoc potest.*

Nec valet, si dicas, quod saltèm cuique debet esse licitum, quod in sua Diœcesi hoc faciat; quia Oratio eis facta, debet esse communis: Et Ecclesia, ubi debet venerari, debet esse communis. Itèm per hoc incideremus in illam reprehensionem, qua quidèm reprehensi sunt ab Apostolo illi, qui dicebant: Ego sum Pauli: Ego autèm Apollo: Ego vero Cephæ: Ego autèm Christi. Hæc Innocentius. Quamvis autèm Episcopus quisque in suâ Diœcesi, aut Provinciâ, ut in Concilio Tridentino videre licet, Sancti alicujus canonizati festivitatem, aut solemnitatem indicere possit, ad solum tamèn Romanum Pontificem, qui est universæ militantis Ecclesiæ cum plenitudine potestatis judex, & caput, vel ad Concilium legitimè congregatum, & à Romano Pontifice approbatum, Sanctum quemque canonizare, ejus deniquè venerationem, & solemnitatem Ecclesiæ universæ observandam proponere, sivè indicere pertinet. Hinc sicut ad Summi Pontificis auctoritatem canonizatio Sanctorum solemnis; Ità etiàm nondum canonizatorum Reliquias venerandi concessio, quæ est quædam veluti adumbrata, seù initiata Beatificatio ad Romanum Pontificem pertinere dignoscitur, ut in nostro de Canonizatione Sanctorum Commentario satis comprobatum fuit.

Quoniam verò cuilibet Episcopo olim in suâ tantùm Diœcesi, aut Provinciâ Sanctos Canonizare licebat, ut apud Sanctum Cyprianum, & in dicto Commentario nostro fusiùs videre est, hæc deindè consuetudo ad varios abusus, & quidèm scandalosos amovendos, necnon ad subortas longo post tempore fraudes, aut fallacias, tam Hæreticorum, quàm aliorum scelestorum hominum cavendas, atque ad ambitionem cum affectu humano adjunctam reiiciendam, sive ad simulatam sanctitatem detegendam rationabilitèr fuit abrogata. Affectus enim humanus cum ambitione conjunctus fuit in causâ, cur ex hac vitâ decedentes tùm consanguineos, tùm affines,

Comment. cap. 4. Viguer. de virt. fid. n. 104. ver. 4.

Levit. 21.

Concil. Trid. sess. 25. c. 12.

Comment. cap. 28.

S. Cypr. lib. 1. ep. 27. ex lib. 3. & 6. Comment. c. 4.

nes, & amicos, tamquàm Sanctos pro suo quisque arbitrio, & affectu veneraretur, patrociniumque ab eis publicè imploraret, dum eorum Imaginibus, ac Reliquiis honores, qui Sanctis conveniunt, exhiberet. Nam perturbatione, atque confusione subortâ, ille, qui à quibusdam, uti Sanctus colebatur, ab aliis magno cum scandalo irridebatur. Multis in hanc rem tam scelestorum hominum, quàm Hæreticorum, ac Pseudomartyrum, qui aliquibus pro Christo passi videbantur, exemplis silentio prætermissis, illud hoc loco de Hermanno Ferrariensi fictæ sanctitatis homine exemplum subticendum non videtur. Is enim vitâ functus, sanctitatisque opinionem, ac venerationem consequutus, post falsam à Populis Sanctitatem viginti annorum intervallo, teste Platinâ, prædicatam, Bonifacius VIII. dictum Hermannum exhumari, comburique jussit, diligentissimâ de ipsius hæresi, deque fictâ Sanctitate inquisitione priùs habita.

Platin. in Bonifac. VIII.

Sancti etiàm Martini tempore, ignotus quidam, tamquam Martyr honorabatur; Sed Sancto Martino Deum ad ejus Sepulchrum, sicut Sulpitius Severus ait, orante, illum hominem vulgi errore celebratum, scelestum, ac damnatum fuisse divino favore compertum est: Ille namque Martino Sancto Deum suppliciter Oranti, ut sibi revelaret, qualis is foret, miraculosè apparuit, seque scelestum, ob quæ scelera occisum, ac damnatum esse confessus fuit.

Sulpit. Sever. de Vita S. Martini cap. 8. & tom. 7. Bibliothecæ SS. Patrum.

Tempore denique Alexandri III. quidam in ebrietate, atque seditione interfectus, tamquàm Martyr colebatur, ut in libro 3. Decretalium cap. primo legitur in hanc verborum formam: *Hominem quendam in potatione, & ebrietate occisum quasi Sanctum more Infidelium venerantur, cum vix pro talibus in Ebrietatibus peremptis Ecclesia permittat orare. Dicit enim Apostolus: Ebriosi Regnum Dei non possidebunt. Illum ergò non præsumatis de cætero colere; cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.* Hæc ibi Alexander Papa, qui dum cultum illi homini in Ebrietate occiso, tamquàm Sancto exhibitum damnat, eidem, etiamsi miracula faceret, cultum tamquam Sancto exhibendum omninò prohibet, quasi dixerit, quempiam etiam ex hac vitâ non sine Sanctitatis opinione decedentem, & miracula operantem, tamquàm Sanctum sine auctoritate Romanæ Ecclesiæ nullo modo venerandum esse, si verba Alexandri Papæ nuper enarrata perpendantur, propterea quòd multa miraculis adsimilia à Dæmonibus, veraque miracula à non Sanctis, immò à malis hominibus ad veritatem prædicatam comprobandam fieri possunt, ut in nostro de Canonizatione Sanctorum Commentario diffusissimè demonstravimus, ubi etiàm videre licet, cur ob miraculorum evidentiam aliquis canonizari non queat, quia vitæ sanctimonia potest esse simulata, & ficta, & nonnisi temporum diuturnitate, quæ veritatis lucerna, & magistra esse solet, diligentique examine prævio declarari, & comprobari valeat. Quare, ut Glossa in dictum Alexandri Papæ locum nupèr citatum ait: *Nemo pro Sancto, quamvis miracula faciat, venerari debet, nisi ab Ecclesiâ Romanâ prius fuerit approbatus per legitimos testes, quàm diligentissimè de vita, & miraculis examinatos*, ut etiam in libro Decretalium secundo, tit. 2. de Test. cap. 12. legitur: *Quem verò Ecclesia Sancta reprobat, reprobandus est; & quem approbat, approbandus est.* 24. q. 1. c. 14. Decreto Alexandri Papæ adsimile in Concilio Lateranensi generali, Innocentio III. sedente, decretum fuit, ut reliquias recentèr inventas nullus venerari præsumat, nisi priùs à Sede Apostolicâ fuerint approbatæ. Forma verborum hæc est: *Inventas autem* [hoc est Reliquias] *de novo nemo publicè venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.* Hæc ex Concilio, & ex libro Decretalium 3. tit. 45. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum cap. 2. Quòd igitur Reliquiæ venerari non queant, nisi à Summo Pontificæ sint approbatæ, id ità clarum esse constat, ut alio adminiculo non indigeat.

Cap. 8. & in 1. Decret. par. in 1. q. 1. c. 56.

Concil. Lateran. & Decretal.

Lib. 3. Decretalium tit. 45. cap. 1.

Cap. 10. 11. & 12. & seq.

Et 1. q. 1. c. 56. ex August. Cap. 29.

Non desunt tamen, qui illud (*publicè*) Adverbium interpretantur, & Sanctos nondum canonizatos privatìm, & non publicè coli posse dicant, è quorum numero est S. R. E. Card. Bellarminus in libro de Beatitudine Sanctorum, qui dum Concilii, seù verba Innocentii Tertii nuper enarrata interpretatur, ait: *Summus Pontifex eo loco prohibet publicum cultum, ergò à contrario privatum censetur permittere. Vocamus autem* [inquit] *publicum cultum, non eum qui coram aliis, sed qui nomine totius Ecclesiæ, & tamquàm ab Ecclesia institutus exhibetur.* Hæc Bellarminus, qui dùm inter publicum, & privatum cultum differentiam explicare studet, privatum coràm aliis exhibitum permittere videtur, ità verò, ut Reliquiæ, atque Imagines nondum Canonizatorum, sicut Bellarmini præferre videntur verba *coram aliis*, hoc est in loco publico venerari possint, dummodò, ait ipse, cultus ille, nec nomine totius Ecclesiæ, nec tamquàm ab Ecclesiâ institutus exhibeatur.

Card. Bellarmin. tom. 1. contr. lib. 1. de Beat. SS. c. 10.

Quamvis verò Ecclesia sit locus publicus, hunc tamen locum (ut opinor) respectu Ecclesiæ universalis Bellarminus privatum esse ducit, & propterea cultum illum non publicum, sed privatum fortasse appellat; quippè qui non totius Ecclesiæ nomine, nec tamquàm ab Ecclesiâ institutus exhibetur. Ab eo privato cultu inter alia, quæ nullo modo conveniunt nondum Canonizatis, Templa excludit, quia hæc omnia ex suâ naturâ sunt [inquit] publici cultus: propterea quod nullum Sacrificium in Ecclesia est, nisi commune, & à Deo ipso institutum; Templa verò, & Altaria ad sacrificium referuntur.

Bellarmin. tom. 1. lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 10. tom. 1.

Quamvis interea [inquit Bellarminus] liceat nondum Canonizatum credere, & vocare Sanctum, atque invocare, etiam aliis audientibus, cum tamen tamquàm ab Ecclesiâ Sanctorum catalogo adscriptum, nec prædicare, nec Litaniis publicis, nec in officio

sacro ipsum invocare ullo modo licet: privatim tamen aliquem non canonizatum vocari Sanctum posse credit, exemplo Beati Hieronymi in vitâ Paulæ, & Gregorii Nazianzeni, in vitâ Athanasii, & Basilii.

Quamvis item publicum festum de homine nondum canonizato celebrare non liceat, in die tamen ejus Natali, ut Bellarminus ait, vel potiùs in die Anniversariorum illius [ut ego dicendum opinor] lætari, ac de eo in illius memoriam vacare licet, ut apud Cassianum collat. 19. cap. 1. videre est, de anniversariâ cujusdam Abbatis depositione solemnitèr celebrari consueta.

Quamvis denique Reliquias nondum canonizati hominis in Templo publicè honorandas constituere non liceat, eas tamen habere, ac venerari, hoc est, privatim, etiam aliis videntibus licet, dummodò scandalum absit, ut ex Ecclesiæ praxi constat: Nam ut primùm Martyres ex hac vitâ decedebant, currebant fideles ad Reliquias rapiendas, sicut etiam præsens in tempus fieri solet: quando enim homines vitæ sanctitate clari moriuntur, multi eorum manus, ac pedes devotè osculantur, deque eorundem vestibus pro Reliquiis aliquid penès se retinent, imaginesque eorum pingendas curant, ac pictas conservant, & privatim venerantur. Id quod ad hanc usque diem vetitum nunquam fuit. Imagines autèm eorum in Templo constituere eo modo, quo aliorum Sanctorum, nullo modo licet. Sed si licet (inquit) honorare viventes, quos credimus Sanctos, cur non mortuos? Hęc ex Card. Bellarmino in lib. de Beatitudine Sanctorum, ibi enim inter publicum, ac privatum cultum differentia explicatur.

Bellarm. lib. 1 de Beat. Sanct. cap. 10. tom. 1.

Henricus verò Card. Ostiensis, qui in omnes Decretalium libros conscripsit, dum utrumque Decretum, Alexandri videlicèt, & Innocentii Summorum Pontificum explanat, Adverbium illud [*publicè*] alio, & quasi contrario modo, quàm Cardin. Bellarminus, interpretatur. Is enim, utì vidimus, per cultum non publicè exhibendum illis, qui nondum canonizati sunt, privatum iisdem præstari posse concludit, etiamsi privatus ille cultus coram aliis exhibeatur, sivè nondum canonizatus, aliis audientibus, invocetur, vel ejusdem imago, aliis videntibus, veneretur. Id quod penitùs adversatur interpretationi, quam Ostiensis in medium affert, dum Alexandri Papæ Decretum interpretatur, vimque in ipso verbo [*Colere*] absolutè sumpto perpendens, ait, *Colere publicè*, quod, & mens denotat hujus verbi: aliàs enim in secreto pro devotione liceret colere scilicèt aliquem nondum canonizatum. Prætereà in Decreto Concilii Lateranensis vel Innocentii Papæ, illud ad verbium negativè sumptum explicat hisce verbis, *publicè, quasi dicatur: In occulto potest quilibet habere devotionem suam.* Hæc Ostiensis; Occultum autem, & secretum ei, quod coram aliis, vel aliis videntibus fit, vel aliis audientibus dicitur, omninò adversatur, ita verò ut simul stare non queant; quia quod est occultum coram aliis esse non potest: occulto namque verbum est frequentativum ab *occulo* verbo, quod est *abscondo*: occultare autem se ab aliquo est ex alicujus conspectu sese auferre, ut ait Spiegelius in verbo *occultare*. Cum igitur occultum subterfugere cujuscumque conspectum, omninò dicatur, coram esse non potest. Hinc idem Spiegelius occultum esse ait, quod haudquaquàm probari potest, quodque prorsùs ignoratur, vindictæque in hoc sæculo expers existit.

Ostiens. 3. lib. Decretal. de Reliq. & Venerat. Sanct. tit. 45. c. 11.

Ostiens. ubi sup. c. 2.

Concil. Later. 2. cap. 62.

Spiegel. in Diction. Juris Civil.

His itaque rebus sese habentibus, privatus cultus coram aliis præstari posse non videtur, sed publicus: quia privatæ dicuntur res, quæ sunt singulorum ut ait Brissonius ex l. 1. H. de rerum divis à verbo antiquo *priuus, a, um*, quod singulos significat; quo & Cato in libro de re rusticâ pro singulo in uno quoque per se, hoc est ab aliis separato usus est. Undè privatum Jus id esse diffinitur, quod ad singulorum pertinet utilitatem. Hinc pro eo, quod vulgò dicitur, *particularitèr, privatim*, adverbium est, cui opponitur, *publicè*, quod interdùm est, publico nomine, vel publicâ auctoritate; interdùm verò est, publico in loco, ut Brisonio placet.

Brisson. in verbo *Privatæ res.*

Brisson. in verb. *publicè.*

Quomodò itaque cultus privatus coram aliis esse queat, non video: idque suprà captum Intellectus mei esse fateor, nisi dicamus privatum esse cultum etiam coram aliis exhibitum, quatenùs ipse non ad publicam, sed ad privatam utilitatem refertur; vel quatenùs non Ecclesiæ universæ nomine, seù non quatenùs ab Ecclesiâ institutus exhibetur, ut ait Cardinalis Bellarminus.

Hæc autem, utcumque sint, hominibus nondum canonizatis in publico saltem loco, seù Ecclesiâ, quæ est locus publicus, absque expressâ Romani Pontificis concessione, aut jussione, si Decreta in hanc rem conscripta rectè pensitentur, nullum cultum externum, præsertìm verò à personis publicis exhiberi posse credo. Id quod in Sacrosancto Concilio Trident. sess. 25. de Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum expressiùs, & exactiùs explicatum fuit hisce verbis: *Statuit Sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesiâ, etiam quomodolibet exemptâ, uliam insolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam esse admittenda nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo: qui simul atque de his aliquid compertum habuerit, adhibitis in Concilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ virtuti, & pietati consentanea judicaverit. Quòd si aliquis dubius, vel difficilis abusus sit extirpandus, vel omninò aliqua de his rebus gravior quæstio incidat; Episcopus antequàm controversiam dirimat, Metropolitani, & Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam expectet; ità tamen, ut nil inconsulto S. Romano Pontifice, novum, aut in Ecclesiâ hactenùs inusitatum decernatur.* Ecce quomodo in Ecclesia, tamquàm in loco publico nil novum, aut inusitatum sine Papæ auctoritate fieri posse statuitur.

Concil. Trid. sess. 25. c. unic.

Lib. 3. Decret. tit. 45. c. 1. & 2.

Quam-

Quamvìs hoc Sacrosancti Concilii Tridentini Decretum, quòd novas Reliquias, novasque Imagines in Ecclesiâ, sine Summi Pontificis auctoritate, nec statuendas, nec venerandas, nec nova miracula admittenda esse, satis clarum sit, atque apertum per illa ultima verba: *Nil inconsulto Romano Pontifice novum, aut in Ecclesiâ hactenùs inusitatum decernatur*, nonnulla tamen Decreti verba ad majorem propositæ rei dilucidationem hoc loco pensitanda videntur; aliqua verò, quæ Decreti verbis annexa subintelliguntur, examinanda sunt, & veluti certis quibusdam finibus circumscribenda.

Lib. 3. cap. 31. & 32. de Vita, & Canonizat. S. Hiacynthi.

Quandò itaque de novis Reliquiis (quod ad Decreti verba pertinet) necnon de novis imaginìbus, novisque miraculis in Decreto verba fiunt, non est sermo de Sacris Reliquiis eorum, quos Ecclesia Sancta Dei Sanctos esse declaravit, ac publicè esse colendos mandavìt; quorum etiam dies in singulos nova eveniunt miracula, novæque Imagines, miraculis, & lampadibus, radiorumque splendore insignitæ in Ecclesiis apponuntur; sed sermo est de illis hominibus, qui nondum fuerunt ab Ecclesiâ canonizati, aut aliquâ ex parte à Romano Pontifice tamquàm Sancti approbati; sicut de Sancto Hyacintho à Clemente VII., & de Sancto Raymundo à Paulo III. deque Beato Ioanne de S. Facundo Salmaticensi à Clemente VIII. necnon de aliis factum esse constat: Immò in honorem Sancti Hyacinthi Clemens VII. Sigismundo Poloniæ Rege supplicitèr postulante, per Diploma concessit, ut in Ecclesiis ex Instituto Sancti Dominici, ac etiam in Cathedralibus ejusdem Regni, non solùm Divinum Officium, verùm etiam Missæ Sacrum in memoriam Sancti Hyacinthi festus dies celebrari ejusque Imagines depingi possent; hac tamen lege, ut ipse Sanctus Hyacinthus ob dictam concessionem, neque tamquàm Sanctus canonizatus, neque Sanctorum catalogo adscriptus censeretur. Quæ sanè concessio, multis profectò rebus ad Sanctitatem hominis comprobandam prævìis, canonizatio dici non poterat, quippè quæ universali Ecclesiæ data non erat, & propterea dicto in Diplomate Hyacinthus non Sanctus, sed Beatus; plerumque verò sine titulo nominatus fuit. Ex hujus generis concessione per Diploma Apostolicum præstita, nullum cultum hominibus nondum canonizatis in publico loco exhiberi posse colligimus, præsertìm verò Imagines etiam depingendi, apponendique in Ecclesiis facultate à Summo Pontifice concessâ. Si enim quis arbitratu suo id facere potuisset, nihil erat, quòd de Imagines pingendi concessione mentionem faceret; Sed de hac etiam facultate verba facit, non solùm, quatenùs hæc ab ipsâ Divinum Officium, & Missæ Sacrum celebrandi facultate pendet; Sed quia Sanctorum Imaginem pingendi modus, radiorum solarium præsertìm splendore, aut diademate circulari figurâ effictò insignitus, repræsentat gloriam, quam Sancti in Cœlo sunt consequuti, atque vitæ perfectionem, quæ per figuram sphæricam, illam omnium figurarum perfectissimam, adumbratur, ut in scholiis nostris de Imagine Beati Gregorii Magni conscriptis fusiùs à nobis dictum fuit. Proindè jam indè ab initio nascentis Ecclesiæ Sancti hoc modo pingi consueverunt, quia, ut alias rationes nunc silentio præteream, lux tanta super Joannem Apostolum moribundum per unam horam, Abdia Babylonico teste, apparuit, ut nullus eam sufferre posset aspectus: Undè dicta pingendi consuetudo emanasse censetur. Eò etiam spectat lampadum, cereorumque antè Sanctorum Imagines accensio præstari consueta, quæ omnes in Cœlo degentes in partes Sanctorum factos esse in lumine significat. Sensibilia enim lumina, ut Stephano Duranto placet, sunt immaterialis illius à Deo dati luminis: quià, ut ait Conradus Brunus, illud omnibus Sanctis commune est, ut lumina dicantur juxtà illud: *Vos estis lux*, vel *lumen mundi*. Quamvìs autem Joannes Baptista dicatur *lucerna ardens, & lucens*, Sancti tamen omnes ità sunt lumina, ut ipsi per se non luceant; Sed accensi per Christum, qui est *vera lux*, & *illuminat omnem hominem venientem in Mundum*. Ideò etiam de Joanne dicitur: *Non erat ille lumen*, sivè *lux*; *sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Aliâ verò ratione lampas accenditur, vel lumen ipsi Deo præstatur, alia Sanctis, alia cæteris defunctis: His enim funalia, seù cerei ad sepulchra solent accendi, ad significandum animas vivere, ac defunctos filios lucis, eorumque corpora resurrectura, ut Stephanus Durantus luculenter ostendit. Sanctis verò lampades ad ipsam gloriam, cujus comparticipes in Cœlo effecti sunt, præseferendum accenduntur. Nam, ut ait Sancta Synodus, ex Germano Patriarcha Constantinopolitano, ante Sanctorum Imagines lumina symbolicè apponi solent, ad requiem scilicèt illam, quam cum Christo habent, indicandam; eorum tamen honor ad ipsum (inquit) Christum reccurrit. Deo autem, ad æternam gloriam insinuandam, lampades, ac cerei tamquàm fonti, ac Regi gloriæ accenduntur.

Abd. l. 5. hist. Apost.

Steph. Durant. lib. 1 c. 9. n. 11. colo. 1.

Conrad. Brun. c. 16. de Imaginib. Matth. 5. Jo: 5. Jo: 1.

Durantus lib. 1. cap. 23. num. 14.

Synod. 7. gen. act. 4. ex Germano Patriarcha Constantinopolitano.

Cùm itaque, tàm solares radii ad splendorem quendàm circà Sanctorum capita indicandum efficti, vel Diadema circulari figurâ pictum, quàm lampades, vel quævis lumina ante Sanctorum Imagines apponi consueta, gloriam, quam in Cœlo consequuti sunt Sancti, præseferant, ipsorumque declarent Sanctitatem, hujus generis honores hominibus nondum canonizatis, absque Romani Pontificis Auctoritate, seù concessione, in publico præsertìm loco, dari posse non videntur; quia hujusmodi declaratio ad solum Romanum Pontificem, vel per solemnem Canonizationem, si cultus ab Ecclesiâ universò exhibendus decernatur, vel per Apostolicum saltèm Diploma exhibendus concedatur, pertinet &c. Sicut in nostro de Canonizatione Sanctorum commentario probatum est: Christus enim est, qui hominem Sanctum facit. Christi autèm Vicarius talem esse

De Imagine pingenda.

Durand. lib. 1 cap. 3. & Durantus lib. 1. cap. 5. n. 5. de Imagine pingenda.

esse in Cœlo infallibili certitudine declarat, vel per Canonizationem solemnem, quæ publicum, & universalem decernit cultum; vel per concessionem illam, quæ cultum in aliquâ tantùm Ecclesiâ, vel in aliquâ Diœcesi, seù Provinciâ, sivè aliquo in Regno exhibendum proponit. Quoniàm verò cultus, qui coram aliis, & publico in loco est exhibendus, nec omninò privatus dici potest, nec respectu Ecclesiæ universæ omninò publicus appellari valet, cultum primo loco positum, publicum; secundo loco narratum, semipublicum nuncupare necesse est. Cùm autem Canonizatio, & Beatificatio, quatenùs fidei quædam protestatio ad solum Romanum Pontificem pertineat, cultum pro aliquo nondùm canonizato, vel intèr Sanctos nondùm ab Ecclesiâ recepto sine expressa Romani Pontificis Auctoritate, aut concessione, nullo modo exhiberi posse affirmandum omninò est.

Publicus, semipublicus, & privatus Cultus.

Ut autèm aperta intèr publicum, & privatum cultum differentia facilius percipiatur, Juristarum desumemus Doctrinam ex variis digestorum locis de publicæ rei nomine conscriptam, quam Brissonius in lib. 14. de verborum, quæ ad jus pertinent, significatione, in medium affert, dum publici nomen tribus modis, hoc est à loco, à persona, & auctoritate nuncupari posse docet. De publica à loco nominata hunc in modum loquitur. *Publicè appellatio id continet, quod in communi Populi usu est, & publicis usibus destinatum, qualia erant Romæ Campus Martius, Forum, Theatrum, Stadium, Basilicæ, Viæ, Itinera publica*; & infrà: *Publicè interdùm est in publico loco veluti apud Acta, vel in Æde Sacrâ*. De publicâ re, à publicâ auctoritate, vel à publico nomine nuncupata ità inquit: *Publicè interdùm est publico nomine, aut publicâ auctoritate factum*. De publica re à personis publicis denominata, hunc ait in modum: *Publicâ personæ modò Magistratus, & Officiales, modò tabularios significant. Quo olim munere, Instrumenta scilicèt publica, testationesque conscribendi, vel calculandi, aut supputandi officio servos publicos functos esse constat*. Hæc ex Brissonio. Quotiescumque itaque cultus in aliquâ præstatur Ecclesiâ, tam ratione loci, quàm Ecclesiæ Præfecti nomine, vel saltèm permissione; quàm etiam Ecclesiasticarum personarum ratione, eum cultum tribus modis publicum esse dicas oportet: quià locus ipse absque dubio publicus est. Ecclesiæ itèm Præfectus, publica est Persona, ejusque publica censetur auctoritas. Ecclesiæ denique Ministri omnes, tam Officiales, quàm famuli, & alii, tamquàm Ecclesiæ membra, publicas in ea repræsentant personas, ut exemplis nupèr à Brissonio in medium allatis constat; atque itèm ex doctrina colligitur Cajetani, qui in secunda secundæ, qu. 93. art. 1. Ministros Ecclesiæ in persona Ecclesiæ in ea operari affirmat.

Cajetan. 2. 2. qu. 93. art. 1.

Publicus itaque, vel externus cultus, ut ea, quæ dicta sunt, summatìm repetantur, est ille, qui totius Ecclesiæ nomine, sivè ab Ecclesiâ universâ per Canonizationem solemnitèr præstitam indictus, à personis publicis, & privatis, publicis in locis exhibetur. Semipublicus verò cultus est ille, qui non totius Ecclesiæ nomine, vel non ab Ecclesiâ Universâ; sed in aliqua tantùm Ecclesia, siuè Diœcesi, vel Provinciâ, seù in aliquo tantùm Regno, per Apostolicum Diploma concessus, à personis tamèn publicis, & privatis, atque publicis in locis exhibetur. Privatus autèm cultus, atque internus, ille deniquè est, quì ab homine privato, siuè particulari, privato in loco, sivè in cubiculo, pro aliquo nondum intèr Sanctos ab Ecclesiâ recepto, privatim, & quidèm clàm, sivè à publicis, sivè à privatis personis exhibetur, quem Ostiensis in cap. 1. & 2. de reliquiis, & veneratione Sanctorum, modò secretum, modò occultum appellat, dum in secreto, vel in occulto, quemlibet suam devotionem habere posse ait; atque hunc in modum doctrina Innocentii IV. in cap. 1. de reliquiis, & veneratione Sanctorum intelligenda videtur, dum ait: *non negamus, quin cuilibet liceat, alicui defuncto, quem credebat bonum virum, porrigere preces, ut pro eo intercedat ad Deum, quià Deus fidem illorum attendit; non tamèn pro eis licet facere officium solemne, vel preces solemnes*. Hæc Innocentius, qui dum pro hominibus intèr Sanctos ab Ecclesia non dum receptis officium solemne fieri, vel solemnes preces ad eos porrigi posse vetat, cultum secretum, vel occultum solùm, ut infrà meliùs id ità esse demonstrabimus, admittere videtur, cùm publicus, ac semipublicus per ea, quæ dicta sunt, pro talibus admitti non queant. Id quod etiam Abbas Panormitanus in cap. 2. de reliquis, & Veneratione Sanctorum, supèr illud de reliquiis novitèr inventis affirmat, dum tales reliquias in publico non venerandas esse affirmat, dicens: *Nota quod reliquiæ de novo inventæ, non sunt venerandæ in publico sine auctoritate Sedis Apostolicæ, & intellige Glossam de omninò novis; secus, si essent reliquiæ Sanctorum approbatorum*. Hæc Panormitanus, qui per reliquias omninò novas, non intelligit reliquias novitèr inventas illorum, qui ab Ecclesia intèr Sanctos fuerunt recepti, sed de his præsertìm, vel qui novitèr ex hac vità decesserunt, vel qui non dum ab Ecclesia fuerunt approbati. Qui sanè homines etiamsi non sine sanctitatis opinione hanc vitam cum morte commutarint, necnon miracula faciant, sine tamèn Sedis Apostolicæ auctoritate, tamquàm Sancti venerandi non sunt, ut omnes Canonistæ affirmant, dum primum caput de reliquiis, ac Canonizatione Sanctorum interpretantur. In hunc profectò sensum verba S. Hjeronymi accipienda esse opinor, dicentis: *Si quis hominem, qui Sanctus non est, Sanctum esse crediderit, & Dei eum junxerit Societati, Christum violat, cujus corporis omnes membra sumus*. Et infrà: *similitèr qui Sanctum dicit esse non Sanctum, & rursus non Sanctum asserit Sanctum, abominabilis apùd Deum est*. Hæc S. Hjeronymus, cujus verba, quamvis tàm de Sanctis in Terra degenti-

Publicus Cultus.

Semipublicus Cultus.

Privatus Cultus.

Ostiensis in 3. Decretalium tit. 45. cap. 1. & 2.

Innocent. 4. ubi supra.

Solemne quid sit infrà explicatur.

Abb. Panormit. in cap. 2.

Ostiens. ac Panormitan.

Hjeronym. tom. 6. in ep. ad Philippen. & Decret. 2. par. 11. qu. 3. cap. 56. 57.

gentibus, quàm de iis, qui ex hac vitâ non sine Sanctitatis opinione decesserunt, intelligi possint, de hujus tamèn generis hominibus multò magis intelligenda videntur, præsertim verò per illa de Societate Dei verba. Si quis enim hominem ab Ecclesiâ pro Sancto approbatum, eum non Sanctum diceret, verè apùd Deum abominabilis foret, & gravitèr ab Ecclesiâ puniendus: Si quis ìtèm hominem nondùm ab Ecclesiâ pro Sancto approbatum, hunc talem Sanctum esse credat asseverantèr, ut dicto in loco ait Glossa, *hoc est, si quis asseverantèr credat*, eidem cultum, ut ego interprætor, publicum exhibendo, siuè publico in loco eum pro Sancto veneratur, errat: hinc S. Hjeronymus paulò inferius inquit: *Omnes credentes, secundùm Apostolum, Christi Corpus efficiuntur, qui in Christi Corpore errat, etiam labitur asserens membrum ejus, vel Sanctum esse cùm non sit, vel non Sanctum esse, cùm sit; Vide quali crimini obnoxius fiat &c.* In hoc periculi genus à Sancto Hjeronymo commemoratum incidere potest, qui homines ab Ecclesia nondum approbatos pro Sanctis, in loco publico venerantur: In secreto autèm aut in occulto, ut Ostiensis, Panormitanus, & alii scribunt, tales homines venerari aliquâ ex parte licet, dummodò honores illi, qui Sanctis canonizatis debentur, & exhiberi solent, eis non ptæstentur, ut suo in loco â nobis explicatum fuit. Ne igitùr quis in tantum prolabatur errorem, cavendum omninò est, ut honores, qui Sanctis canonizatis debentur, nullo modo exhibeantur iis, qui nondùm intèr Sanctos canonizatos ab Ecclesia sunt recepti; nec etiàm intèr Beatos per aliquod Apostolicum Diploma fuerint connumerati.

Hjeronym. ubi supra. Rom. 12. 1. Cor. 6.

Ostiens. & Panormit.

Pro hac re confirmanda splendidissimum extat exemplum ex primo Optati Milevitani Episcopi de Schismate Donatistarum contrà Parmenianum libro, in quo dictus Episcopus mentionem facit de Lucillâ quadam factiosâ fœminâ, ut in nostro de Canonizatione Sanctorum commentario diximus, à Cæciliano Archidiacono repræhensa, quòd ipsa antè Sacrosanctam Eucharistiæ sumptionem, os nescio cujus hominis jam demortui, etsi Martyris, sed nondùm, ut ipse ait, *vindicati*, hoc est, nondùm probati, ac recepti, vel canonizati, exoscularetur. Optati Milevitani verba sunt hæc: *Lucilla factiosa fœmina, cùm correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset [quæ antè Spiritualem cibum, & potum, os nescio cujus Martyriris, si tamèn Martyris, libare dicebatur], & cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed nec dum vindicati, correpta, cum confusione irata discessit.* Hæc optatus Catholicâ fide, ac Doctrinâ insignis, qui anno Domini 370. floruisse narratur.

Optat. Milevitanus lib. 1. de Schismate Donatistarū.

Quarè si defuncto illi, qui Martyr credebatur, sed nondùm ab Ecclesia intèr Sanctos receptus, per oscului honor verè privatim exhibitus, damnatus fuit, fœminâ id faciente reprehensâ, multò magis reprehendendi forent illi, qui homines ex hac vita, etiàm non sine Sanctitatis opinione decedentes, publicè colerent, dum eorum scilicèt imagines radiorum splendore, aut Diademate circulari figurâ effecto, necnon votivis miraculorum tabellis, ac lampadibus insignitas, & in publicis Ecclesiarum locis appositas, absque expressa Sedis Apostolicæ concessione venerarentur, Aris in eorumdem memoriam constructis, eisdemque tamquàm in Cœlo gloriosè triumphantibus, & Dei amicis, vel in Missæ Sacro, vel in latiniis publicis præstitâ Invocatione. Quæ sanè omnia veram in Cœlo viuentium præseferunt Sanctitatem, quam solus Papa ità esse, infallibili certitudine declarare potest.

Quoniam verò nonnulla sunt, quæ huic veritatì adversari videntur, ea pro nostra opinione confirmanda hoc loco explicare necesse est.

ARGUMENTA

Contrà ea, quæ dicta sunt.

Argumentum primum.

QUi contrariam tuentur opinionem, duo in medium afferunt argumenta, quæ nostram opinionem infirmant. Horum primum ex secundo Laurentii Surii de Sanctorum Viris desumitur tomo, in quo Sanctus Lugderus Monasterienſis Episcopus, qui vitam Sancti Switberti Episcopi Wiverdensis conscripsit, dum de ejus Canonizatione à Leone III. præstita sermonem habet, mentionem facit de Ecclesia, & Conventu Sancti Svvitberti. Verba Sancti Ludgeri sunt hæc: *Alterâ die, quæ fuit pridie nonas Septembris, omnes tam Papa Sanctus Leo, quàm Carolus Imperator, & alii convenientes in Ecclesia, & Conventu Sancti Svvitberti*, & infrà, *Papa Sanctus Leo de assensu paritèr, & consensu suorum Cardinalium, cæterorumque Prælatorum illic coràm adstantium, solemnitèr catalogo Sanctorum Confessorum ipsum adscripsit.* Hæc ibi: Ex quibus verbis aliquem vitæ probitate insignem, nondùmque Canonizatum *Sanctum* vocitari posse, eidemque honores Sanctis debitos exhiberi posse nonnulli credunt, dum in Vita Sancti Svvitberti à Sancto Ludgero conscripta dictum Svvitbertum antè Canonizationem vocitatum fuisse Sanctum, eidemque nondum Canonizato Ecclesiam sub nomine ipsius constructam legunt.

Tom. 2. die 1. Martii. cap. 9.

Solutio.

NOdus propositus dissolvitur, si dicamus, venerationem illam nomine Sanctitatis præstitam, privatam omninò fuisse. Ludgerus nàmque dum Svvitberti vitam conscriberet, ob suam ipsius ergà dictum Switbertum devotionem, & opinionem in scribendo ipsum sempèr nominavit Sanctum. Eundem in modum fecit Sanctus Thomas Doctor Angelicus, dum Bonaventuram adhuc viventem appellavit Sanctum. Idem quoque ab aliis Sanctis Viris factum esse constat: atque hanc

in

in rem sexcenta in medium afferri possent exemplа illorum, qui vel viventes, vel recentèr mortuos, intèr scribendum, vocitarunt Sanctos; quippè qui non sine sanctitatis opinione ex hac vita decesserunt. Quamvìs itaque nonnulli nondùm canonizati, immò etiam viventes, ob Sanctitatis opinionem privatè vocitari queant Sancti, eis tamèn honores, qui Sanctis debentur, exhiberi non possunt. Ecclesia verò illa antè canonizationem ædificata etiàm nomine Sancti Svvitberti nuncupata fuit, quia ipsa Ecclesia ab eodem Svvitberto in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis fuit constructa, sicut in Vitâ ejusdem Svvitberti scribit Marcellinus Presbyter, Socius, & conterraneus ejus, ut ex ipsiusmet Marcellini Prologo in ejusdem Sancti Vitam coscripto, necnon ex vita à Ludgero scriptis mandata videre licet. Quòd autèm dicta Ecclesia à Sancto Svvitberto Werdæ fuerit ædificata, id Marcellinus Presbyter nupèr nominatus, in cap. 33. scriptum reliquit dicens: *Fipinus Dux donavit Svvitberto Werdam, addens, & offerens ex copioso Thesauro aurum, & argentum multum nimis, quibus Ecclesiam, sivè Monasterium ibidem ad honorem Dei ædificaret*, & infrà: *Svvitbertus Werdam veniens, cœpit statim propè Rhenum fundare Monasterium ibidem ad honorem Gloriosæ Virginis Mariæ, ibique cum quanta humilitate, devotione, & reverentiâ rudi gentili Populo evangelizaverit fidem Christi, & præcipuè cum quanta puritate mentis, & corporis, & timore Missas celebraverit, ac divina peregerit, difficultèr posset explicari.* Hæc ex Marcellino, qui dictam Werdæ Ecclesiam, in qua Svvitberti Canonizatio declarata fuit, ab eodem Svvitberto in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis constructam fuisse apertè scribit. Ecclesia verò ipsa, quatenùs à Svvitberto ædificata, sub nomine Svvitberti à Ludgero vocitatur, sicùt in ejusmodi rebus non rarò evenire solet.

Marcell. in prol. ex Surio tom. 7.

Ludgerus cap. 9. ex Surio tom. 2.

Marcellin. in prolog. ex Surio tom. 2. Ludger. c. 9. ex Surio to. 2. Marcellin. cap. 33.

Argumentum secundum.

PRo altero Argumento, quod nostram oppinionem infirmat, extant verà Viguerii, qui dum Sententiam Innocentii IV. de precibus alicui, non sine Sanctitatis opinione defuncto, privatim porrigendis interpretando, meditatur, ait: *licet preces nondùm Canonizato porrigere, & vota Deo ad ejus Invocationem facere in Testimonium exauditionis, & vota sivè promissa in signum miraculi reddere, & circa sepulchrum privatim non publicè affigere. Non licet tamèn ea Sacerdoti solemnitèr recipere, aut publicare, sicut licitum est de Canonizatis, quamvis alicui viventi in Testimonium Miraculi etiàm coràm aliis, sine solemnitate tamèn, circà sepulchrum liceat affigere. Hæc enim est via probationis Sanctitatis, & illorum privatam affixionem, prohibere, esset Sanctitatem Sanctorum, & opera Dei occultare, contrà illud Raphaelis*: „ Sacramentum Regis abscondere bonum est: „ Opera autèm Dei revelare, & confiteri „ honorificum est. Hæc Vigverius.

Vigver. de virt. fid. ver. 4. num. 104. de Canonizatione.

Solutio.

PRo aliquo viro bono defuncto, nondùm canonizato, quem homines credunt esse Sanctum, duo à Vigverio fieri posse creduntur, privata scilicèt Invocatio, & privata itèm circà Sepulchrum Votorum affixio, quæ quamvis publico in loco fiat, quatenùs tamèn nec solemnitèr, nec à Sacerdote, sed ab homine privato fit, privata, non autèm publica à Vigverio intelligitur. Nos verò, sicut Invocationem privatam, quam nos cum Ostiensi, & cum aliis Canonistis, ac Theologis occultam, & secretam appellamus, cum Innocentio IV. fieri posse non negamus, ità privatam votorum affixionem admittendam esse arbitramur, ne piorum hominum devotioni præcludatur aditus, nevè Dei opera per Sanctos ejus præstita occultentur, sed dictam Votorum affixionem moderandam esse censemus, ut etiam hac in re differentia intèr Sanctos canonizatos, & nondùm canonizatos, vel per Apostolicum Diploma à Romano Pontifice intèr Beatos tantùm adscriptos apertè ostendatur. Id quod perbellè fieri posse opinamur. Si vota à privatis hominibus ad sepulchra talium defunctorum affixa cautè, ac pedetentìm subdicantur, & in aliquo Ecclesiæ loco, ac honesto quidèm asserventur, etiam voventibus ipsis non insciis; Immò, si opus est; eam rem hunc in modum faciendam diligentèr, ac prudentèr edoctis: ità verò, ut voventes absque indignatione, & sine scandalo (quoad ejus fieri possit) à Sacerdote, vel à Sacrarii Præfecto discedant. Hunc in modum cautio adhibenda censetur, donèc diligenti examine de vitâ, & miraculis, prævio à Romano Pontifice quid agendum statuatur: nàm nemini ullo in loco, vel Ecclesiâ Imaginem ullam insolitam ponere licere, nec ulla nova miracula admittenda, nec novas Reliquias recipiendas esse, nisi Episcopo recognoscente, atque approbante, Sacrosancta Synodus Tridentina decernit, atque in re dubiâ, vel difficili, Concilio Provinciali adhibito, nihil, inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice, novum, aut in Ecclesia hactenùs inusitatum decerni posse statuit, ut Superiori loco exactiùs explicatum fuit. Sicut itaque, ut ait Vigverius ad alicujus defuncti nondùm canonizati Invocationem, vota circà illius Sepulchrum privatìm, non publicè affigere licet, ità ea publico in loco à Sacerdote non relinquenda, sed illinc subducenda, & alibi asservanda censentur, donèc à Romano Pontifice aliquid eà in re decernatur, ne taciturnitas, vel tacita Sacerdotis approbatio, seù permissio cultum illum ex privato publicum in dies reddat, sicùt aliquandò non sine scandalo jamdiù non semel evenisse constat. Idcircò ad hujus generis abusum amovendum, ut ait Ostiensis, & rectè quidèm, cultus ille privatus alicui etiàm non sine Sanctitatis opinione defuncto exhibendus, absque Summi Pontificis Auctoritate, aut concessione, non debet esse nisi secretus, & occultus, qui publicam votorum affixio-

Vigver. de virt. fid. num. 104. ver. 4. de Canonizat. Ostien. in capit. 1. & 2. de Reliq. Lib. 3. Decretal. tit. 45.

Conc. Trid. sess. 25. c. 1.

Concil. Trid. sess. 25. cap. 1.

Ostiens. 13. lib. Decretal. de Reliq. & venerat. Sanctit. 45. c. 1. & 2.

affixionem, & permanentem, necnon Imagines luminibus, ac splendore insignitas in Ecclesiis omninò excludit, ac multò magis Altaria, Sacella, & Missæ celebrationem: quia Missæ celebratio, & communis Oratio fit in persona totius Populi, & totius Ecclesiæ, ut ait Augustinus Triumphus in libro de potestate Ecclesiasticâ: publica verò votorum affixio, atque itèm Imagines luminibus, ac splendore insignitæ in publicis Ecclesiæ locis permanentes, sub culto secreto, & occulto esse non queunt; sed potiùs in conspectu scilicèt, atque oculis omnium. Nam cultui secreto, atque occulto publicus, & apertus opponitur. Cultus itaque publico in loco, & coram aliis etiam ab homine privato exhibitus publicus dicendus censetur, quamvìs sub totius Ecclesiæ nomine non exhibeatur, ut suo jam loco demonstratum est: quià non clam, cujusmodi esse debet occultus, & secretus, sed palàm exhibetur.

Augustin. Triumph. qu. 14. art. 5.

Quòd autem cultus privatus in occulto, & secreto exhiberi debeat, non solùm Ostiensis, Armilla, & Panormitanus, sed alii etiam Canonistæ in cap. 1. de reliquiis, & veneratione Sanctorum testantur, inter quos Zanchinus ait: *Si qui publicè, & privatè venerantur, & adorant non canonizatum, malè faciunt, & debent ab hujusmodi veneratione abstinere, donec canonizetur ab Ecclesiâ, & per eam approbetur: & si non abstineant, debent, & possunt per suum Episcopum penitùs coerceri, quia faciunt rem prohibitam publicè fieri. Nec propterea excusantur, eò quòd vidissent miracula de tali homine, quia illa quandoque fiunt Dæmonis potestate.* Hæc Zanchinus. Privatus itaque cultus nonnisi secretus, aut occultus esse debet, cujuscumque arbitrio exhibendus. Publicus autèm, & semipublicus absque Sedis Apostolicæ auctoritate, aut concessione præstari nullo modo possunt; quæ autèm cuicumque cultui conveniant, hoc subiicietur loco.

Ostiens. Armill. & Panorm.

Zanchin. lib. de Hæres. §. 22. n. 8.

De Reliq. c. 1. & 2.

Quænam cultui publico, quænam semipublico, & quænam privato conveniant.

De Cultu Publico.

Cultus publicus, utì jam diximus, est ille, qui totius Ecclesiæ nomine, sivè ab Ecclesiâ universâ per Canonizationem à Romano Pontifice solemnitèr præstitam indictus publicis in locis à personis, tam publicis, quàm privatis exhibetur. Huic itaque cultui septem illi honores, qui Sanctis Canonizatis debentur, conveniunt, sicut in nostro de Canonizatione Sanctorum Commentario satis explicatum fuit. Canonizati namque catalogo Sanctorum adscribuntur, ab omnibus publicè coluntur, & vocantur Sancti. In publicis Ecclesiæ præcibus invocantur, Templa, Sacella, & Aræ Deo in eorum memoriam eriguntur. Sacrificia, tàm Sacrosanctæ Eucharistiæ, quàm laudum, & precum (quod passim officium, sivè horæ canonicæ nuncupantur) Deo in honorem, aut memoriam eorundem publicè offeruntur. Dies Festi in eorundem honorem celebrantur. Imagines eorundem pinguntur Diademate, seù radiorum quorundam splendore, necnon lampadibus accensis in signum gloriæ, quam habent in Cœlo; ac denique votivis tabellis insignitæ. Eorundem Canonizatorum Reliquiæ pretiosis thecis inclusæ publicè in Ecclesia honorantur.

Comment. de Canonizat. Sanct. cap. 38.

De Cultu Semipublico.

Cultus Semipublicus est ille, qui non totius Ecclesiæ nomine, vel non in Ecclesiâ universâ, sed in aliquâ tantùm Ecclesiâ, sive Diœcesi, vel Provinciâ, seù in aliquo tantùm Regno per Apostolicum Diploma concessus, in publicis itèm locis à personis publicis, & privatis exhibetur. Huic verò cultui nonnulla, & quidèm perpauca ex rebus iis, quas nupèr enumeravimus, prævio tamèn diligenti de Vitæ Sanctitate, ac miraculis nondùm Canonizati examine, à Romano Pontifice concedi solent. Quamvis enim Sanctos nondùm canonizatos privàtim invocare liceat, in Litaniis tamèn publicis non itèm, nec etiam in Sacro Officio; nisi à Summo Pontifice id expresè concedatur, sicut de Sancto Hiacyntho à Clemente VII. & de Sancto Raymundo à Paulo III., deque Beato Joanne de Sancto Facundo Salmanticensi à Clemente VIII. necnon de aliis factum esse constat. Immò Clemens VII. Sigismundo Poloniæ Rege supplicitèr postulante, ac prævio examine, concessit, ut in Ecclesiis tantùm ex Instituto Sancti Dominici, ac etiàm in Cathedralibus ejusdem tantùm Regni non solùm divinum Officium, verùm etiàm Missæ sacrum in memoriam Sancti Hiacinthi, necnon festus dies celebrari, ejusque Imagines dictis tantùm in locis depingi possent; hac tamen lege, ut ipse Beatus Hiacynthus ob dictam concessionem, neque canonizatus, neque catalogo Sanctorum adscriptus censeretur. Quoniàm verò Missæ celebratio, & communis Oratio, ut Triumphus ait, fit in personâ totius Populi, & totius Ecclesiæ, cultus talis in memoriam nondùm canonizati præstitus, quatenùs non ab Ecclesiâ Universale, sed solùm ab Ecclesiâ illâ particulari, etsi nomine totius illius Populi, vel Ecclesiæ, aut Regni exhibitus, Semipublicus appellari debet, quia publicus omninò haudquaquàm est, etiamsi Sacrificium nullum in Ecclesiâ sit, ut ait Cardinalis Bellarminus, nisi commune, & à Deo ipso institutum, & cultus publicus ex sui naturâ sit, veluti etiàm sunt Sacella, & Altaria, quæ ad Sacrificium ipsum referuntur, ut Bellarminus inquit, & rectè quidèm. Hęc autèm in memoriam nondùm Canonizati sinè Romani Pontificis expresâ concessione celebrari non possunt. Adde etiàm, quòd nequè etiam Imagines nondùm Canonizati, multoque minus diademate, aut radiorum splendore, sive lampadibus, votivisque Tabellis insignitę, absque Summi Pontificis concessione in Ecclesiis apponi queunt.

Lib. de Canoniz. S. Hiacynthi c. 3. & 32.

Lib. de Canonizat. Sanctorum cap. 38.

Augustin. Triumph. q. 14. art. 5.

Lib. de Canoniz. Sanct. cap. 38.

Si

Si enim dictas Imagines in Ecclesiis arbitratu cujuscumque apponere liceret, hanc facultatem tamquàm ex se liberam, ac licitam Romanus Pontifex in Bullis non exprimeret, sicut de Beato Hiacyntho, deque aliis factum esse constat à Clemente VII., qui talem facultatem Diplomate Pontificio expressit, eamque, in aliquot solùm Ecclesiis concessa esse declaravit. Si autèm id arbitratu cujusque fieri posset, facultatem illam haùd nominasset, vel saltèm arctatam non expressisset. Semipublicus itaque Cultus, in quo Missæ sacrum celebrandum, Sacella itèm, & Altaria erigenda, Imaginesque radiorum splendore, necnon lampadibus, votivisque tabellis insignitæ pro aliquo nondùm Canonizato in Ecclesiis apponendæ conceduntur, absque Romani Pontificis concessione exhiberi nullo modo potest.

De Cultu Privato.

Ostien. in 3. l. Decretal. tit. 45. c. 1. & 2.

CUltus deniquè privatus est ille, qui ab homine privato, sive particulari, privato in loco, sivè in Cubiculo, sive etiàm in Ecclesiis, pro aliquo, quem nondùm Summus Pontifex canonizavit, nec beatificavit, privàtim, hoc est, in secreto, & in occulto, vel non in publico exhibetur, ut Ostiensis, Armilla, Panormitanus, & alii volunt, adverbium illud, *privatìm*, interpretantes. Huic autèm Cultui juxtà ipsius diffinitionem, nonnisi secreta, & occulta, vel intrinseca invocatio concedi potest, quæ tamèn votivis tabellis à personis declarari valet in testimonium exauditionis, ut ait Viguerius; vel in signum miraculi pro re à Deo impetrata: Idque ad Sepulchrum, & quidèm privatìm faciendum permitti solet, quià quàmvis Defunctus ille in Cœlo non esset, Deus tamèn voventis, aut invocantis devotionem accipit, juxtà interpretationem Innocentii IV. dicentis: *Non negamus, quin cuilibet liceat alicui Defuncto, quem credebat bonum virum, porrigere preces, ut pro eo intercedat ad Deum; quia Deus fidem eorum attendit; non tamèn licet pro eis facere officium solemne, vel preces solemnes.* Hæc Innocentius, qui dum pro hominibus intèr Sanctos ab Ecclesiâ nondum receptis officium solemne fieri, vel solemnes preces ad eos porrigi posse vetat, uti jàm diximus, Cultum secretum, vel occultum solùm admittit, cum publicus, ac semipublicus per ea quæ dicta sunt, pro talibus hominibus admitti non queant; & per preces solemnes, non solùm divinum Officium in Ecclesiis recitari solitum, sed Missæ itèm sacrum, idque genus alia, tàm in Cultu publico, quàm semipublico admitti consueta, intelligi videantur. Nàm solemnitas, ut ait Spigelius, est certa verborum, vel personarum, seù temporis observatio. Hinc solemne, ut ait Brissonius, Anniversarium, legitimum, & ordinarium significat: Et solemnia munera, hoc est annua, quod singulis videlicèt annis præstanda sint. Solemnesque actiones certis formulis conclusæ, cujusmodi sunt omnes actiones Ecclesiasticæ tàm locorum, quàm temporum; tam verborum, quàm personarum ratione considerata, sivè in cultu publico, sive in semipublico celebrentur.

Armill. verbo Canonizat. Panormitanus in c. 2. de Reliquiis.

Viguer. de Virt. fid. ver. 4 n. 104. de Canonizat.

Innocent. IV. in lib. 3. Decretal. c. 1. de Reliqu. tit. 45.

Spigel. in Dict. & Brissonius.

Innocent. IV. in lib. 3. Decret. cap. 1. de Reliqu. tit. 45.

Cùm itaque solemnes preces viro bono defuncto, sed nondùm canonizato, nec etiàm beatificato porrigere non liceat, ei nullus Cultus exterior, nisi occultus, & secretus tantùm exhiberi potest, votivis Tabellis, idque genus aliis in aliquo loco honesto asservatis, cæterisque rebus juxtà modum à nobis explicatum amotis, ne permissio ipsa tacitam quandam publicarum personarum approbationem præseferre videatur. Hæc de Cultu publico, semipublico, & privato hactenùs. Restat, ut aliquot explicentur exempla de nondùm Canonizatis, nec Beatificatis, quibus ostendemus, quomodò Cultus exterior multis ab hinc annorum centuriis publicis in locis Ecclesiarum exhibeatur.

Spigel. Brisson.

Cultus exterior nondùm Canonizatis nec Beatificatis quomodò exhibeatur.

Exempla Explicantur.

EXemplum primo loco sese nobis offert explicandum, de Cultu saltèm semipublico, qui Beato Carolo Magno Franciæ Regi, & Imperatori, quadringentis ferè ab hinc annis in variis Germaniæ, Franciæ, ac Belgii Ecclesiis exhibetur. Quàmvis enim Carolum Magnum Christianâ vitâ, sanctisque operibus insignem Molanus in Usuardum à Paschale canonizatum fuisse dixerit, in libro tamèn, qui Natales Sanctorum Belgii inscribitur, dictam sententiam revocando declarat, dum eum à Paschale Schismatico canonizatum scribit: Idque legitimos deindè Pontifices non irritum feciss̀e, nec tamèn habuisse ratum, velutì à Sancta emanatum Sede addit: Immò Cardinalis Ostiensis, & Joannes Andrea Jurisperiti Carolum Magnum in solâ Aquisgrani Cappellâ, non autem in aliis Ecclesiis ex tolerantiâ Ecclesiæ Romanæ venerari affirmant. Sed reverà dictus Imperator, nunc in variis Germaniæ, Franciæ, ac Belgii Ecclesiis propter erectas Diœceses, aliaque præstita beneficia colitur, ut ait idem Molanus. Id quod vel tempore Ostiensis, & Joannis Andreæ nondùm fiebat, vel ab aliis fuit ignoratum. Quòd autèm talis cultus in quibusdam tantùm Ecclesiis, non ubique toleratur, illud passim permitti non debet, ità scilicèt, ut cuique de aliis defunctis, etiam sanctitatis opinione claris, istud ipsum pro arbitratu facere liceat: Nec tolerantia vim legis habet: nonnulla enim interdùm ex veteri consuetudine quasi comprobata, ad majus malum evitandum, ut ex Panormitano colligitur, tolerantur.

Ex Martyrologio Sanctor. Belgii, & Molano die 28. Januarii.

Vterque ad c. 1. de Reliqu. & Vener. Sanctor.

In cap. Dilecti de except.

Sanctus itèm Rocchus, qui multas Italiæ Urbes, ut in Martyrologio Romano legitur, à morbo Epidemiæ signo Crucis liberavit, quàmvis ejus Canonizatio solemnis, qua nunc utitur Ecclesia, celebrata non in-

Die 16. Aug.

ve-

veniatur, in Concilio tamèn Constantiensi anno Domini 1414. honoribus, qui sanctis debentur, decorari cæpit. Cùm enim Constantia nobilis Germaniæ Civitas peste mirum in modum laboraret, supplicationibus indictis, quibus Romanus Pontifex, & Patres Concilii omnes devotè interfuerunt, imago Beati Rocchi, ut scribit Joannes Pinus Tolosanus apùd Rempublicam Venetam anno Domini 1516. Orator, per totam Civitatem ejus nomine in Litaniis invocato, solemnitèr delata fuit. Qua ex re paulò mox pestilens illa, & bacchabunda morbi diritas tota penè referbuit, & evanuit. Hinc Patres Concilii ad propulsàndam ingentem luem, honores, qui Sanctis debentur, Beato Rocco tunc temporis tribuendos, ait Pinus, decreverunt. Hinc deinceps Imagines, Altaria, Sacella, Templaque illius, quatenùs Canonizati nomine erigi cœperunt, ejusdemque festus dies ad hæc usquè tempora, ubìque ferè locorum, ex devotione Populorum celebratur. Ipsius posteà corpus anno Domini 1485. Venetias translatum fuit, ubi Deo in memoriam Sancti Rocchi Templum celeberrimum, sub nomine Sancti Rocchi nuncupatum cernitur. Hujus generis cultus, qui Beato Carolo Magno, & Beato Rocco exhibetur; Si festus amborum dies, necnon Missæ Sacrum, divinum Officium, Altaria, & Sacella in eorundem memoriam constructa spectentur, publicus dici potest, quatenùs publicis in locis, ac totius Ecclesiæ nomine præstari videtur: quoniàm verò non omnibus Christiani Orbis Ecclesiis videtur indictus, vel saltèm, etsi publicè, non tamèn ubique locorum exhibetur, semipublicus, ut reor, nuncupari potest.

Die 18. Jan.

Beati Gregorii Decimi Placentini ex Vicecomitum familiâ Depositio, ac festus Dies Aretii, ubi hac vitâ decessit, anno Dom. 1276. atquè in Ecclesiâ Cathedrali sepultus, magnis miraculis claruit, cum duodecim luminibus ad Sepulchrum, & pulsu Campanarum die decimâ Januarii celebratur, Matutinoque tempore Magistratus Aretii universus ad oblationem sese confert, ut ait Molanus hac de re ab Aretio certior factus. Vocatur autèm Beatus, quia non fuit à Romano Pontifice canonizatus.

Die 10. Jan.

Lib. 2. conformitat. fruct. 8.

Quàmvis enim Bartholomæus Pisanus, qui libros conformitatum Sancti Francisci conscripsit, eum in Diœcesi Aretinâ, & Robertus Lyciensis Episcopus Aquinas, in Sermone de Sancto Bonaventurâ in Ecclesia Aretinâ canonizatum fuisse affirment; Joannes tamèn Andreæ in Novella, jamdiù Gregorii Canonizationem duobus Prælatis commissam, non autèm confectam esse testatur.

Ad sexti cap. nbi periculũ.

Die 6. Martii anno Dom. 1447.

Beata Coleta Gandavensis Virgo, quæ regulæ Sanctæ Claræ capitis velamen, & chordam à Benedicto XIII. accepit, ex hac vitâ anno Dom. 1447. decessit, multis miraculis, præsertim verò mortuorum suscitationibus, clara, Gandavi cultu exteriori, & quidèm semipublico, ac privato, nondùm canonizata veneratur. Nàm in ejus Virginis memoriam sextâ die Martii, annuâ scilicèt Depositionis die, ab opere Mæchanico abstinetur, summumque Sacrum de Deiparâ semper Virgine, deque omnibus Sanctis fieri solet. In Litaniis quoquè, sed privatìm hisce verbis invocatur: *Beata Mater Coleta; Ora pro nobis*. Multa Beatæ Coletæ Sanctitatem præseferentia ad Pium V. Pontificem Maximum pro majori diei festi celebratione obtinendâ, missa fuerunt; sed quoniàm ea nonnisi post obitum Pii V. Romam pervenerunt, res infecta relicta est. Corpus autèm ejus Virginis in locum digniorem intrà clausuràm elevatum fuit, ipsiusque Sepulchrum visitantibus grisea cappa, qua vestiri solet, videnda exhibetur, ejusque Virginis Aqua è Corpore fluens febricitantibus consolationem præbet. Hæc ex Molano.

Beata Lyduigis Virgo Schiedami in Olandiâ, quæ obiit anno Domini 1433. Sacellum intrà Parochialem Ecclesiam habuit, & in Sacello marmoream Tumbam: Intrà verò Conventum Sancti Francisci Altare in honorem ejusdem Virginis consecratum extabat eo in loco, ubi lecto decumbens, Deo in hac vitâ servisse narratur. Sed hæc omnia hostes fidei, & omnis pietatis funditùs everterunt. Dies festus Virginis cum solemni Sacro, & Officio de Sanctissimâ Trinitate colebatur, sacroque peracto, concio de ejus vitâ, & passione haberi solebat. Hæc ex Molano.

Die 14. April. anno Dom. 1433.

Beatus Bernardus Pœnitens ad Sanctum Bertinum obiit anno Domini 1183. Corpus ejus primùm in exteriori Ecclesiâ positum fuit, deindè ob miraculum editum ad Chorum delatum: postremò autèm in Ecclesiâ Sancti Bertini Sepulturæ traditum est. Bertinenses in die Depositionis anniversarium pro omnibus Defunctis celebrant. Missâ peractâ, itur processionalitèr ad monumentum, ubi Responsorium illud canitur: *Justorum animæ in manu Dei sunt*; Cum collecta, in qua generatìm mentio fit omnium Sanctorum, quorum Reliquiæ in Ecclesiâ requiescunt. Monumentum extat in Sanctæ Catherinæ Sacello, ut Molanus testatur.

Die 19. April anno Dom. 1183.

Beatus Aldebertus Austrovandiæ Comes, anno Domini 1... die 22. Aprilis ex hac vitâ decessit Dononii, & in Altare sublevatus fuit. Hæc Molanus.

Beata Ava Virgo die 29. Aprilis honoratur Dononii, ut legitur in Martyrologio ipsius loci, sed quia non est canonizata, in Kalendario Breviarii ejusdem loco scriptum reperitur: *Sanctæ Avæ, sicùt pro Defunctis*: Honoratur etiàm alibì non sine Doctorum quorundam admiratione, & tacitâ contradictione. Hæc ex Molano.

Die 29. April.

De nondùm Canonizatis in capsas elevatis.

Beata Rictrudis Abbatissa Marcenensis, & Mater Clothsendis 12. mensis Maii die quievit Marcianis. Septimâ verò Februarii die in capsas cum filiabus nondùm numero Sanctarum adscriptis, fuit elevata. Na-

Die 12. Maii.

talis ejus Marcianis, & alibi celebratur. Est enim multarum Ecclesiarum patrona. Hæc ex Molano.

Die 7. Aprilis & 2. Maii. Beatus Albertus inclusus Confessor Crispinienſis, & Territorii Tomacensis Pago originem ducens, obiit septimo Aprilis die. Quàmvis autèm tali die obierit, secundâ tamen Maii die ex Auctoritate Episcopi Cameracensis festus dies ipsius celebratur in Oratorio, in quo requiescit, & Litaniis privatim invocatur. Hæc ex Molano.

Die 1. Junii. Beatus Aldebertus, ejusque Beata Regina, & filia Ragemfredis in Monasterio Dononiensi honorantur, cùm corpora eorundem elevata fuerint, & in majori Monasterii Altari argenteis pheretris quiescant. De Reginâ, ejusque secundario festo, hæc in libro Ecclesiæ scripta leguntur: *Decimo sexto Kalendas Aprilis apùd Dononium elevatio Corporis Sanctæ Reginæ*. Hæc ex Molano.

Die 30. Junii. Beata Clothsendis Virgo, filia Beatæ Rictrudis Marcianis die 30. Junii obiit, ubi ejus Reliquiæ asservantur. Natalis ipsius in vetusto Martyrologio reperitur, sed in divino Officio non recolitur. Elevatio autèm fuit septimâ Februarii die.

Die 2. Julii. Beatus Petrus de Lutremburgo, tituli ad Sanctum Georgium ad velum aureum Diaconus Cardinalis, die secundâ Julii anno Dom. 1387. migravit per mortem ad vitæ Auctorem; Ejus Canonizatio sæpè solicitata fuit, sed infecta remansit. Hæc ex Molano.

Die 11. Octob. B. Bruno Archiepiscopus Agrippinę Coloniæ, die 11. Octobris ab Ecclesiâ Tornacensi tamquàm canonizatus honoratur; Ecclesia vero Colonienſis, canonum in hac præsertìm re observantior, quippè, quæ ab Apostolica Sede, dictum Brunonem Sanctorum numero scit adscriptum non fuisse, ejus diem depositionis propriè non colit, sed omnia Canonicorum Colonienſium Collegia ad Sanctum Pantaleonem, ubi Brunonis corpus requiescit, tali die annuàtim conveniunt, & ad Beati Viri honorem Sacrificium de æterna sapientiâ celebrant.

Die 23. Octob. Beatus Pompejus Sacerdos in quodam Sacello, quod ad honorem Sanctæ Catharinæ Deo dicatum, requiescit, ejusque Statua in ipsa extat Ecclesiolâ, cujus Altare tres habet Statuas, mediam scilicèt Deiparæ, sinistram Catherinæ, dextram Pompeii. Cùm autèm Populus Missæ Sacrificium inibi requirit, Sacerdotes eam ex more de communi Confessoris, non Pontificis legunt: sed quia Canonizatus non est, omissis de Confessore collectis, alias contrà pestem animalium legunt juxtà Populi devotionem.

Die 9. Martii. Beata Franciſca Romana anno Dom. 1440. die 9. Martii in ipso Sanctorum quadraginta Martyrum natali per mortem ad Auctorem Vitæ migravit, tam vitæ sanctitate, quàm antè, & post mortem miraculis clara, ut ex processu ad veritatem hac de re indagandum ritè confecto apertè constat; Et Cardinalis Baronius in Annot. ad Martyrologium testatur. Quarè à Romanâ Sede ex Diplomate Pontificio concessum jam fuit, ut in die nupèr commemorato annua ipsius memoria celebraretur in Ecclesiâ Sanctę Mariæ Novæ, in qua Corpus ejus humatum jacet: Tali namque die, dum Sanctorum quadraginta Martyrum Natalis colitur, Missa cum divino Officio de iisdem Sanctis celebratur; sine tamèn collectâ ad Beatam Franciscam pertinente; Sed sermo, Missâ peractâ, de Laudibus ipsius Beatæ Franciscæ haberi solet, maxima Populi Romani, & Prælatorum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium adstante frequentiâ. Hinc in Romano Martyrologio legitur: *Romæ Beatæ Franciscæ Viduæ nobilitate generis, vitæ sanctitate, & miraculorum gratiâ celebris*. Hinc Auditores Rotæ Clementis VIII. Pontificis Maximi jussu, Processum diligenter jàm confectum accuratè perpendunt, & ritè examinant pro ex Deo adjuvante, canonizanda.

Hæc de nondùm Canonizatis, deque honoribus, qui ipsis à particularibus Ecclesiis exhibentur. Verùm tales honores aliquibus ex suprà enumeratis per Sanctæ Apostolicæ Sedis Indultum forsitàn sunt concessi, licèt ob magnam Temporum diuturnitatem atque injuriam, vel propter hominum incuriam, id ita esse literarum monimentis non constet. Aliis verò, pro quibus nullum tale concessum est Indultum, ideò licitè exhibentur, quia longissimi temporis spatio immemorabili adjuncta est Sedis Apostolicæ scientia, & tolerantia. Si autem res aliter se haberent, abusus foret nullo modo imitandus, immò omni studio reiiciendus, atque abolendus. Sicùt enim Canonizatio, ità etiàm Beatificatio ad solum Romanum Pontificem pertinet, sicùt rationibus, & exemplis demonstratum est. Istuc etiàm ipsum de nondùm Canonizatis dicendum videtur, quorum Imagines tam Romæ, quàm extrà Urbem in multis Ecclesiis Diademate, ac radiorum splendoribus effictæ, necnon lampadibus accensis insignitæ cernuntur. Id enim pro aliquibus nonnisi expressâ Romanorum Pontificum, vel tacitâ saltèm concessione factum esse censendum est, etiàmsi literis mandatum non inveniatur, propterea quòd ob rationem assignatam, non omnia, quæ gesta sunt, scripta leguntur. Pro aliis verò, quibus id non est concessum, duntaxàt permittitur propter scientiam, & tolerantiam Sedis Apostolicæ.

Adde etiàm quòd locus argumentandi ab Auctoritate negativus, ut Philosophus ait, est infirmus. Quòd enim traditio, seu memoria per longam temporum seriem servata, factum esse monet, ac persuadet, illud sine tergiversatione, aut pervicaciâ negari non potest.

Quàmvis autèm apùd Sanctum Antoninum in tertia Chronicorum parte, Sancti Thomæ Aquinatis Corpus, anno septimo post ejus obitum exhumatum, & in locum honorabilem translatum, atque ad sinistram Altaris in Sepulchro marmoreo collocatum legatur, Sacellum tamèn, & Altare antè præfatam Canonizationem ei erecta non leguntur, S. Anton. 3. p. tit. 23. c. 7. §. 13

quo-

quoniam hæc in memoriam nondùm Canonizati absque expressâ Pontificis concessione fieri non queunt, nec debent, quippè quæ ad sacrificium ipsum, quod est commune, ac nomine totius Ecclesiæ offertur, utì jàm diximus, referuntur.

Istucipsum de Sacellis, & Ecclesiis intelligendum censetur; Sacella enim, & Ecclesiæ, quæ Sanctis Canonizatis debentur, iis, qui nondùm fuerunt canonizati nonnisi expressâ Pontificis concessione ob insignem tam miraculorum evidentiam, quàm etiam ob manifestam vitæ sanctitatem, miraculorum frequentiâ, tam in vitâ, quàm pòst obitum comprobatam erigi possint. Hunc in modum tam Templa, quàm Sacella, vel Altaria multis ex nondùm Canonizatis erecta fuisse creduntur. Si autèm res alitèr se habeat, hujus generis licentia, quamvis pia, in usum, aut consuetudinem, ad errorem, & scandalum evitandum, converti non debet, sicùt Sancti Martini, Alexandri Tertii, & Bonifacii Octavi temporibus utrumque jàm evenisse compertum est. Hæc de honoribus, qui nondùm Canonizatis debentur, è pauperculo Ingenii mei scrinio deprompta mihi dicenda visa sunt. Quæ sanè omnia Sanctæ, atque Catholicæ Dei Ecclesiæ Romanæ judicio, ac censuræ libentèr subiicio, & subjecta esse volo, ac declaro.

DE

SALUTATIONE SACERDOTIS

In Missa, & in Divinis Officiis,

NECNON

De Ministri, vel Chori responsione,

HOC EST

DOMINUS VOBISCUM, VEL PAX VOBIS, ET CUM SPIRITU TUO.

Et Cur ab Episcopo in prima Missæ Salutatione dicatur, Pax Vobis, & non Dominus Vobiscum.

QUAMVIS dictæ salutandi formæ, ac Responsio Salutationi congrua paucis verbis, & apertis quidèm sint compræhensæ; aliquâ tamèn explicatione indigere videntur, quippè quę in sacris rebus adhibitæ, atque à piissimis viris, Sanctisque Patribus in usum talem receptæ, mysteriis non carent, multoque plura in recessu, quàm in fronte, ut dici solet pollicentur. Hæc itaque se se nobis offerunt explicanda, hoc est antiquus duarum salutationum, & responsionis usus; Cur itèm una salutatio ad Sacerdotem, altera ad Episcopum pertineat; & an vtraque uno tantùm adstante in Missa sit pronuncianda; numque deniquè illa salutatio, *Dominus Vobiscum*, à solitario Divinum Officium recitante sit proferenda, vel potius tacenda.

Utraque Salutatio, Sacerdotis videlicèt per illa verba, *Dominus Vobiscum*, necnon Episcopi, per illa etiàm verba, *Pax Vobis*, ad Populum præstari consueta vetustissima est. Salutationem primo loco positam, originem à traditione Apostolica traxisse Concilium Bracarense testatur; eamque Sanctus Dionysius, qui tempore Apostolorum fuit, in libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, Sanctissimam, & divinissimam appellavit, eamque à Scripturâ Sacrâ desumptam, ubi modò pluralitèr, modò singulariter Salutatio Sacerdotis ipsa legitur. Pluralitèr namque in libro Ruth, Booz messores suos salutando dixisse narratur, *Dominus Vobiscum*. Propheta itèm à Deo missus Asa Regem, & exercitum ejus salutando, ut in lib. Paralipomenon 2. legitur, dixit, *Dominus Vobiscum*. Singularitèr Angelus Domini in libro Judicum Gedeoni apparens dixit: *Dominus tecum Virorum fortissime*. Angelus itèm Gabriel à Deo ad Beatam Mariam semper Virginem missus, eam salutando dixit: *Ave gratiâ plena Dominus tecum*.

Bracar. 1. Can. 21. Lib. de Eccl. Hier.

Ruth. cap. 2.

Paralipom. 2. cap. 15. Judic. 6.

Lucæ 1.

De Salutatione pluralitèr præstari consueta Summi Pontifices primitivæ Ecclesiæ suis in Decretis, Anacletus videlicet Papa, à Petro Quintus, & Soter à Petro tertius decimus, mentionem fecerunt.

Alia quoquè Salutatio, tam pluralitèr, quàm singularitèr prolata per hæc verba: *Pax vobis*, & *Pax tecum*, tam in veteri, quàm in novo testamento in usu fuisse legitur. Salutatio autèm pluralitèr pronunciari solita in Sancti Jacobi, & Sancti Basilii Liturgiis reperitur, deque ea Sancti Patres, & Ecclesiæ Sanctæ Doctores expressam fecerunt mentionem, & frequentèr quidèm.

Iacob. Basil. S. Ambros. cap. 5. de dign. sac. Chrysostom. homil. 3. ad Colos. & homil. 33. in c. 10. Matth.

ET CUM SPIRITU TUO.

AD utramque verò tàm Sacerdotis, quàm Episcopi Salutationem hisce respondetur verbis.

ET CUM SPIRITU TUO.

QUod supradictum est ex Epist. Pauli ad Timoteum scribentis: *Dominus Jesus Christus cum Spiritu tuo*. Et benè

Homil. 18. in 2. ep. ad Corinth.

Sacer-

Sacerdos, & Episcopus Populo precantur, & benè iisdem precatur Populus: quià sicut Sacerdos, & Episcopus Dominum, & Pacem cum Populo esse precando desiderant; ità Populus, vel Ecclesia, ut ait Petrus Damianus, salubri Salutatione acceptâ Sacerdotis, vel Episcopi, & ipsa resultando orat, & orando resalutat, postulans, ut sicut ille Dominum, aut pacem Domini esse cum ipsis optavit, ità & cum eo esse dignetur, dicens. *Et cum Spiritu tuo*, ideſt cum anima tua sit, ut eum dignè pro nostra salute possis orare. Et notandum (inquit Petrus Damianus) quòd non dicit, *Tecum*, sed cum Spiritu tuo, ut totum, quod in Ecclesiasticis officiis geritur, spiritualitèr fieri perpendatur. Et benè cum Spiritu hominis optatur esse Deus; vel pax Dei, quia in mente, & Spiritu ad Imaginem, & similitudinem Dei homo rationalis est conditus, atque ibi Divinæ gratiæ, & illuminationis est capax. Hæc ex Petro Damiano.

Petr. Damian. in Bibliot. Veterum PP. in tom. 3. Auctarii cap. 3. pag. 718.

Isidorus autèm Peluſiota vult responsionem Ministri, aut Populi, sivè Ecclesiæ non ad Sacerdotem, sed ad Deum directam esse, inquit, hisce verbis: *Illud autèm quod à Plebe respondetur: Et cum Spiritu tuo, hanc habet sententiam: Pacem quidèm nobis præbuisti Domine, hoc est mutuam intèr nos concordiam; Pacem autèm nobis da, hoc est ejusmodi tecum conjunctionem, quæ nullo modo divelli possit, ut cum Spiritu tuo pocati [quem nobis in creationis initio indidisti] à tua charitate distrahi nequeamus.* Hæc Peluſiota; sed prior expositio congruentior videtur, Sacerdotisque Salutationi magis consona.

Isidor. ep. 122. lib. 1.

Cur Episcopus in prima Missæ Salutatione ad Populum, aliâ salutandi formâ à Sacerdotali distincta utatur.

SAcerdos quotiès Populum salutat in Missa, in qua Populus septies salutatur, inquit. *Dominus Vobiscum*. Episcopus verò primâ vice ait: *Pax Vobis*. Deindè ut se unum ex Sacerdotibus esse ostendat, Sacerdotali sempèr utitur salutatione. Quarè sicut illa ab omnibus *Sacerdotalis* appellatur, ità hæc à Petro Damiano *Episcopalis* nuncupatur. Quæ sanè salutatio à Scriptura Sacra originem traxit: Nàm in veteri Testamento Angelus Danielem salutasse legitur hisce verbis: *Noli timere vir desideriorum: Pax tibi, & esto robustus*. In novo etiàm testamento Christus Dominus Discipulos, & Apostolos suos penè semper salutasse invenitur, hunc in modum: *Pax Vobis*. Immò eandem salutandi formam eis apud Matthæum commendavit dicens: *intrantes quamcunque Domum, salutate eam dicentes: Pax huic Domui*. Cùm itaque omnes Episcopi, ut Petro Damiano placet, Apostolorum sint Successores, ideſt Ecclesiarum præsules, hujus Salutationis formâ utuntur, & meritò quidèm, Domum scilicèt Dei salutantes, ubi omnes oportet esse filios pacis, ut Salutatio pacis super eos requiescens, & Salutantibus, & Salutatis fructuosa esse possit, ut ait idem Petrus Damianus. Hac verò salutandi formâ Episcopus in prima Missæ Salutatione uti solet ad Christi imitationem, quoniàm hæc fuit prima Christi vox ad Discipulos, quando eis post resurrectionem apparuit: *Pax vobis*, ut scripsit Innocentius hujus nominis Tertius, vel quatenùs Apostolorum Successor [ut ego opinor] Christi servet mandatum, de domo primùm salutandâ, Apostolis datum sub narratâ verborum formâ, præsertim verò cum Ecclesia sit Dei Domus, in qua Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, esse debet.

Petr. Damian. in Bibl. Veterum PP. in tom. 1. Auctarii cap. 3. pag. 718. Dan. 10. Luc. 24. Io: 10.

Matth. 10.

Innocen. III. lib. 2. Myst. Missæ cap. 24.

Quamvis autèm Concilium Bracarense decreverit, ut tam Episcopus, quàm Sacerdos uno modo Populum salutare debeant; hic tamèn ritus antiquatus non est, qui illud Concilium non Generale, sed Provinciale fuit ab Episcopis Provinciæ Galitiæ celebratum.

Bracar. 1. Can. 21.

Hinc Salutatio illa per hæc verba: *Pax Vobis* ab Episcopo in primâ tantùm vice Missæ datur, quandò scilicèt Canticum Angelorum, hoc est, *Gloria in Excelsis Deo, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis*, dicitur, quià in eo pax pronunciatur: quandò autèm Canticum illud non legitur, aut non cantatur, Salutatio per hæc præstatur verba Dominus Vobiscum. Hæc de Sacerdotis, & Episcopi salutatione.

Nunc reliquum est, ut ea, quę postremo loco explicanda proposuimus, aggrediamur.

An salutatio pluralitèr pronunciari consueta, uno adstante Ministro Singularitèr proferri, vel omninò prætermitti debeat; aut à solitario Divinum Officium recitante tacenda sit.

NOn desunt, qui hac de re tempus insæsens dubitent, nec defuerunt, qui ante quingentos, & ampliùs annos dubitarint, nùm scilicet Salutatio in Missa, uno tantùm Ministro adstante pluralitèr sit pronuncianda; vel à solitario Divinum Officium recitante sit omninò tacenda: è quorum numero olim fuit Leo solitarius, & sponte inclusus, qui hac de re Petrum Damianum Cardinalem Ostiensem, qui se Cardinalatu jàm abdicaverat, & in eremum sese receperat, consuluit. Hinc Petrus Damianus, ut nodum solveret, ad eundem Leonem Opusculum scripsit, cui titulus est: *Dominus Vobiscum*. Opusculi Prologus ità exorditur: *Domino Leoni amore Supernæ libertatis incluſo Petrus Peccator Monachus, quidquid sit, servus, & filius &c.* Dicto itaque in Opusculo hanc salutationem à solitario Divinum Officium recitante pluralitèr pronunciari debere hac præsertim ratione, quatenùs videlicèt Ecclesia Sancta Dei est in omnibus una, & singulis tota, hoc est in pluribus per fidei unitatem simplex, & in singulis per charitatis glutinum, diversaque charismatum dona multiplex. Quàmvis enim (inquit) Ecclesia

Lib. qui, Dominus Vobiscum, inscribitur in Bibl. Veterum PP. tom. 1. Auctarii cap. 3. 4. 5. 6. & 7.

Petr. Damian. in lib. Dominus Vobiscum cap. 5. & 6.

personarum multiplicitate sit diversa, una tamèn est Sancti Spiritus igne conflata: quia sicut Spiritus Sanctus est unus, & multiplex; unus videlicet in majestatis essentiâ, & per diversa charismatum dona multiplex; ità facit, ut Ecclesia Sancta, quam replet, in universitate sit una, & in suis partibus, vel in singulo quoque tota existat.

Joan. 17. Id quod Salvator noster Christus commendabat, dum Patri de suis Discipulis diceret: *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt in me; ut omnes unum sint &c. Et ego claritatem, quam dedisti mihi dedi eis; ut sint unum, sicùt, & nos unum sumus.* Hæc Salvator in Joanne. Sicut ergo credentis in Christo unum sunt; ubicumque per corporalem membrorum speciem videntur esse, ibi etiàm per Sacramenti Mysterium totum est corpus: & quidquid competit toti, quodammodò etiàm parti congruere videtur. Quarè nec unius Personæ solitudo verbis pluraliter pronunciatis præjudicat, nequè fidelium multitudo à singularitate personæ discordat; quia per virtutem Sancti Spiritus, qui, & singulis inest, & omnes replet, solitudo pluralis, & multitudo singularis intelligenda est. Hinc rectè fit, ut quidquid in Sacris Officiis à quibuscunque fidelibus singulariter, aut pluraliter agitur, hoc Ecclesia ipsa per unitatem fidei, & charitatis amorem unanimiter agere videatur.

Petr. Damian. cap. 6. dicti libri.

Salutatio itaquè illa, *Dominus Vobiscum* à solitario Divinum Officium recitante, nec taceri debet, ut quidam faciunt, qui loco ejus dicunt, *Domine exaudi orationem meam*; nec singulariter, sed pluraliter pronuncianda est tam à solitario DivinumOfficium recitante, quàm in Missâ, uno tantùm adstante Ministro.

Petr. Damian. dicto in lib. cap. 7. Prætereà sicùt à solitario Divinum Officium recitante dicuntur, & rectè quidèm, *Oremus*; *Benedicamus Domino*; *Venite, exultemus Domino, Regem Regum Dominum venite adoremus*; & alia id genus quàm plurima, quæ sanè omnia pluraliter à solitario pronunciantur, ità *Dominus Vobiscum*: quià si hæc salutatio pluralis à solitario Divinum Officium recitante tacenda sit, illa, quæ nupèr commemoravimus, & alia permulta prætermitti necesse est: ea tamèn omnia ob rationem assignatam in Divinis Officiis recitantur, & rectè quidèm.

Adde etiàm, quòd sicut multa plurali numero à solitario in Divinis Officiis recitantur; ità à multitudine singulari numero multa pronunciantur: nàm in conventu positi, hoc est multi in Ecclesia, seù in choro constituti rectè dicunt. *Inclina Domine aurem tuam ad me, & exaudi me, quoniàm inops, & pauper sum ego. Benedicam Dominum in omni tempore, sempèr laus ejus in ore meo*; & alia id genus innumera, quæ brevitatis causâ silentio sunt prætermittenda.

Istucipsum tam de salutatione Sacerdotali, quàm Episcopali, quæ in Missâ pluraliter proferri solent, dicendum, affirmandumque omninò est, etiàmsi solus Minister præsto ei adesset: sicùt enim Sacerdos, dùm Populum ad orandum cohortatur pluraliter ait: *Orate fratres*, & *gratias agamus Domino Deo nostro*, atque alia permulta, solo Ministro adstante; ità etiàm ob eandem rationem nupèr assignatam dictæ Salutationes plurali numero pronunciari debent, Ministro solo præsente.

Anacl. ep. 2. Soter. de consecr. dist. 2. cap. 61. Bracard. Quàmvis autèm Anacletus Papa à Petro quintus, & Soter in ordine tertius decimus decreuerint, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare audeat, nisi duobus saltèm præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur: (quià cum pluraliter ab eo dicitur, *Dominus Vobiscum*, & illud in secretis, *Orate pro me*, ut commemorati Summi Pontifices inquiunt, aptissimè convenit, ut ipsius respondeatur salutationi) illud tamèn Decretum, ait Doctor Angelicus, nonnisi de solemni Missa intelligendum est, quià in Missa privata, quam alii *peculiarem*, vel *solitariam* vocant, sufficit unum, ut inquit S. Thomas habere Ministrum, qui gerat personam totius Populi Catholici, ex cujus personâ Minister Sacerdoti pluraliter respondet.

S. Thom. 3. par. quæst. 83. art. 5. ad 12.

Innocen. III. l. 2. Myster. Missæ c. 25. Sunt qui dictas Salutationes pluraliter sempèr pronunciandas esse velint, etiamsi Missæ solus Minister præsto adsit, Officiumque Divinum à solitario recitetur ob Angelos orantibus assistentes juxtà illud Psalmi dictum: *In conspectu Angelorum Psallam tibi*: Hinc Angelus ad Tobiam dixit: *Quandò orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino*: ob idque in Sacro Missæ Canone dicitur: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui ad sublime Altare tuum*. Hùc accedit, quòd quilibet homo suum Angelum habet Custodem juxtà illud Salvatoris nostri de parvulis in Matthæo dictum: *Angeli eorum in Cœlis sempèr vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est*. Hùc itèm spectare videtur illud, quod in actibus Apostolorum legitur de S. Petro jusso Herodis Carceri jàm mancipato, & miraculosè per Angelum indè liberato; cùm enim puella Petrum ad Ostium Domus pulsare affirmaret, Discipuli, qui præ timore dictâ in Domo erant inclusi, id ità esse non credentes, dixerunt, *Angelus ejus est*. Hæc ex Innocentio hujus nominis tertio, qui suam opinionem hisce concludit verbis: illos igitùr habemus in oratione participes, quos habebimus in glorificatione consortes. Alexander etiàm de Ales dictæ opinioni suffragatur, dum Innocentii rationem tuetur; immò addit aliquos non deesse, qui reclusum solum, hoc est sivè assistente rem Sacram facere posse velint.

Pfal. 137. Tob. 12. Matth. 18. Act. 12. Innocen. III

Ego verò, quamvis ipsam Innocentii rationem de Angelis, qui orantibus assistunt, veram esse omninò affirmem; non tamèn ob eam præsertim causam dictas Salutationes pluraliter pronunciandas esse opinor: quià ipsi Angeli cum sint comprehensores, non viatores, iis salutationibus non egent, quippè qui sempèr vident Deum, & cum Deo sempèr vivunt, divinâ perpetuo perfruentes

Innocen. III ubi suprà.

visio-

visione, quæ omnē, ac verum bonum in se continet, omnem sensum, omnemque intellectum creatum superat, ac sine fastidio satiat, satiatumque semper conservat, nullum externum admittens bonum. Quarè sicùt Martyri, vel cuilibet Sancto faceret injuriam ille, qui pro eo beatam in Cœlo vitam degenti oraret, ut ait S. P. Augustinus, ità & Angelis talem vitam viventibus, pace scilicèt, ac salute in Domino sempiternâ perfruentibus, eveniret, si eis dictæ salutationes, aut præcationes, quæ sunt, *Dominus Vobiscum*, & *Pax Vobis*, impertirentur: Angeli enim boni sunt ità in bono confirmati, ut ab eo, sicùt item mali à malo nunquàm divelli queant.

S. August. de Verbis Apostoli serm. 17. non procul à princip. to. 10.

Conclusio.

QUandò igitùr, ut huic rei finem imponam, à solitario Divinum Officium recitante, vel à Sacerdote, atque Episcopo Salutationes in Missa, solo Ministro adstante, pluralitèr pronunciatur in Officio Divino, ac per solum Ministrum Missæ adstantem tota Ecclesia per rationem paulò superius assignatam repræsentatur: quià, ut diximus, quidquid in Sacris Officiis à quibuscumque fidelibus particularitèr agitur; hoc ipsa Ecclesia per unitatem fidei, & charitatis amorem unanimitèr agere videtur. Itaquè sicùt singularitèr positi, aut solitarii plurali voce non incongruè salutant, & salutantur, ità multi in conventu, aut in choro constituti singulari voce rectè dicunt: *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo*; idque genus alia: quià nimirùm; ut ait Petrus Damianus, nequè illìc pluralibus verbis unius personæ solitudo præjudicat, nequè hìc multitudo fidelium à singularitate discordat; nàm per virtutem Sancti Spiritus, qui singulis inest, & omnes replet: illìc solitudo pluralis, & hìc multitudo intelligitur singularis: Ecclesia namquè in omnibus una, & in singulis tota repræsentatur.

DE SANGUINE À CHRISTO DOMINO *In Resurrectione reassumpto.* COMMENTARIUS.

Christus Dominus resurgens, totum Sanguinem, quem in Arâ Sanctissimæ Crucis effudit, quique ad humanæ naturæ veritatem, & perfectionem pertinebat reassumpsit.

INNOCENTIUS hujus nominis tertius in lib. 4. Mysteriorum Missæ capit. 30. hac de re hunc ait in modum: *si capillus de capite vestro non perit, quantò magis sanguis ille non periit, qui fluxit de veritate naturæ.*

Lucæ 22.

S. Thomas.

S. Thomas 3. par. qu. 54. art. 2. ad 3. ità inquit: *totus Sanguis, qui de Corpore Christi fluxit, cùm ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in Corpore Christi resurrexit*; & eadem ratio est de omnibus particulis ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinentibus. Sanguis autem ille, qui in quibusdam Ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculosè de quadam Imagine percussâ. Idem dicit in quodlib. 5. art. 5. in quo distinctionem de sanguine in medium affert dicens, aliquem sanguinem esse vitalem, & aliquem nutrimentalem, ex cibis generatum; illum ad veritatem humanæ naturæ pertinere, ac propterea totum reassumptum fuisse ait, non autem nutrimentalem, quem ad veritatem humanæ naturæ non pertinere affirmat, & hac de Causa hunc reassumptum non fuisse affirmat. Quod etiam Cajetanus confirmat, explicans hanc S. Thomæ Doctrinam.

Cajetanus.

Color sanguineus non est sanguis quantum ad substantiam.

Quàmvis autem una, vel alia sanguinis gutta, spinis, clavis, & lanceæ, & sudario adhærens, aut linteo apùd nos remanserit, illa tamen gutta, sivè potiùs color, qui in eis apparet, non videtur esse sanguis, quantùm ad substantiam, ut Theologi volunt, sed quidam color ex ipso sanguine relictus, nec propterea hypostaticè Verbo Dei unitus: quia ille color, seù tinctura sanguinea non est pars Humanitatis Christi, nec in actu, nec in potentiâ, quià nunquam amplius Christi Corpori est conjungendus. Sanguis autem à Christo in passione fusus, Verbo permansit semper unitus, ut ait S. Thomas. Id quod definitum fuit à Clemente VI. ut refertur in Directorio Inquisitorum 2. par. quæst. 16. & à Pio II. ut latè Silvester in Rosa Aurea refert quæst. 30. in Evangelia, & sequentibus, & Dominicus de Dominicis in Tract. de Sanguine Christi. Et huic veritati favet sexta Synodus act. 16. ubi damnatur hæreticus, qui dicebat. Verbum in Cruce exuisse Carnem, & Sanguinem. Hinc non solùm sanguis in Cruce fusus ad veritatem humanæ naturæ pertinens fuit à Christo resurgente reassumptus, sed etiam alii humores, qui in Christi Corpore glorioso fuerunt, bilis videlicet atra, & flava, & pituita, quatenùs ad Constitutionem humanæ naturæ, humanasque operationes, & affectiones, & convenientem dispositionem, ac temperiem necessarii; & ut Theologi volunt, hi tres humores erunt in corporibus omnium resurgentium.

Humores reassumpti.

S. P. Augustinus tom. 2. epist. 146.

Istucipsum sub aliis verbis docet S. P. Augustinus in epistolâ satis longâ ad Consentium scriptâ respondens illius quæstionibus de Christi Corpore, ac de nostris corporibus, qualia futura sint in resurrectione. Is enim non procùl à principio Epistolæ ità inquit: *Ego proindè Domini Corpus ità in Cœlo esse credo, ut erat in Terra, quando ascendit in Cœlum*, & infrà pòst mentionem de carne, de sanguine, deque ossibus à Christo Domino in Resurrectione reassumptis, & à nobis in Resurrectione universali reassumendis factam, de humoribus à Salvatore nostro reassumptis, & à nobis itèm reassumendis in hanc loquitur verborum formam. *Fortassis enim acceptâ occasione sanguinis, urgebit nos molestior perturbator, & dicet: si sanguis, cur non, & pituita* (ideſt phlegma) *cur, non, & fel flavum*, (ideſt cholera) *& fel nigrum* (ideſt melancholia) *quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari, etiàm medicinæ disciplina testatur. Sed quod libet quisque, corruptionem addere caveat, ne suæ fidei sanitatem, castitatemque corrumpat.* Deindè inferiùs ait: *Valet igitur divina potentia de istâ visibili, atque tractabili naturâ corpo-*

corporum, quibusdam manentibus, auferre, quas voluerit, qualitates: ac per hoc valet etiam membra mortalia, formæ lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortuâ, stabili vigore firmare: ut absit (corruptionis videlicèt) *adsit effigies* (hoc est corruptionis) *adsit motio, absit fatigatio: adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas.* Hæc S. P. Augustinus ad verbum, verbis iis, quæ per parenthesim scripta sunt, exceptis. Quatuor igitùr humores, sanguis videlicèt, phlegma, cholera, & melancholia, & cætera omnia ad integritatem corporis, & ad naturæ humanæ veritatem pertinentia, qualibet tamèn corruptione, sivè imperfectione omninò amotâ, à Christo Domino reassumpta sunt, & à nobis in Resurrectione universâli reassumentur. Nàm ut docet S. Thomas, sicut Elementa in universo se habent, ità etiam quatuor humores in corpore humano: quià homo est Microcosmus, hoc est parvus Mundus, Elementa verò componunt mixta, ut sunt intèr partes universi. Et sic in homine cholera igni respondet, aeri sanguis, aquæ phlegma, melancholia Terræ, ut Alphonso Salmeroni placet. Elementa autèm sunt in viâ generationis respectu corporum mixtorum, quia sunt eorum materia: ità humores quatuor se habent ad membra. Elementa verò habent formas determinatas quasdam, quarum ratione sunt de perfectione universi, sicùt, & corpora mixta. Quatuor ergò humores, quatenùs sunt de perfectione Corporis humani, sicùt aliæ partes in Resurrectione à Christo Domino reassumpti sunt, & à nobis reassumentur. Alii autem humores in corpore humano existentes, ex actione tantùm nutritionis, ut Ros in principio transmutationis, & cambium in medio incipiens dealbari [ex quo tandèm fit gluten, & incorporatur membris] non sic se habent, quià non pertinent ad integritatem humanæ naturæ, licèt sit sanguis verus, & naturalis, primus tamèn imperfectus, & secundus à formâ sanguinis recedens, ut Theologi, ac Philosophi affirmant: Et ob id tales humores non fuerunt à Verbo Divino eandem ob causam reassumpti. Adde etiàm, quòd tales humores ex actione nutritionis provenientes, in corporibus glorioſis non erunt, quia in illis nutritio non ampliùs extabit. Hinc tales humores à Christo Domino non fuerunt assumpti, nec reassumpti. *Quod enim semel Verbum Dei assumpsit, numquam dimisit*, ut Theologi omnes constantèr fatentur, Alphonsus Tostatus in Paradoxo 2. cap. 40. & Franciscus Mayronis in lib. sermonum, serm. 86. exceptis, qui nimis audactèr, quidèm, loquuntur de vitali, vero, ac naturali Christi Sanguine, ad veritatem humanæ naturæ pertinente, quem à Divinitate nunquàm separatum fuisse omninò affirmamus. Illud autèm Theologorum Axioma, *quod semel assumpsit &c.* nonnisi de natura humanâ primò assumptâ, & de iis, quæ ad ejus veritatem, & integritatem pertinent, intelligendum est; non de singulis materialibus partibus, cujusmodi sunt humores supradicti, & id genus alia, e quorum numero est etiàm sanguis nutrimentalis, superfluus per superfluitatem naturalem in Christi Corpore generatus, nec per superfluum cibum, aut per superfluum vivendi modum, omnia enim in eo, & ab eo erant optimè ordinata. Dicitur autèm sanguis vitalis, non quòd in se vivat, & animetur, vel ab animâ informetur; sed quià est veluti vehiculum caloris naturalis, sivè spiritum à corde usquè ad alia membra, quibus reliqua membra operationes vitales exercent, sicut etiàm ipsi Spiritus vitales dicuntur, non quòd in se formalitèr habeant vitam, sed quià ad operationes vitales sunt Instrumenta: ità sanguis dicitur vitalis, quià vehit spiritus ad alia membra; Et quià ex eodem sanguine, qui à corde procedit, vitales generantur Spiritus. Sanguis verò nutrimentalis dicitur superfluus, quià licèt iste sanguis, utplurimùm restaurationi, & nutritioni deserviat; *superfluus* tamèn appellatur: respectu sanguinis illius, qui ad ingritatem naturæ pertinens dicitur *necessarius*. Quamvis itaque sanguis nutrimentalis ad nutritionem, & ad restaurationem sit necessarius ratione status nostri in corpore hoc mortali, absolute tamèn dicitur *superfluus*, si comparetur sanguini absolutè necessario, qui pertinet ad integritatem naturæ. De sanguine igitùr vitali, ac necessario, & ad integritatem humanæ naturæ pertinente intelligendum est dictum illud: *quod semel Verbum Divinum assumpsit, nunquàm dimisit*. Adde etiàm juxtà Doctrinam S. Thomæ in lib. 4. sentent. dist. 44. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. ad 2. quòd sicut in glorificatis corporibus resurgentium intestina non erunt plena turpibus superfluitatibus, sed nobilibus humiditatibus, ac sanguine purissimo, sub quo alii etiam humores comprehendi possunt, aere tandem addito, quo magnâ ex parte concavæ corporis glorioſi partes replentur, ità, & multò quidèm magis, de glorioſissimo Christi Corpore istucipsum sentiendum omninò est.

Ea igitùr (ut supradicta summatim repetamus, & concludamus) Christus Dominus resurgendo reassumpsit quæ ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinebant, præsertìm verò totum illum sanguinem in cruce effusum, ac Dei Verbo unitum, & nunquàm à Divinitate separatum: quàmvis enim Anima à Corpore in morte discesserit, nunquàm tamèn Divinitas, vel ab Animâ, vel à corpore separata est: Immò eadem Christi persona eo tempore apùd Inferos fuit, & in sepulchro jacuit, ut catholica fatetur Ecclesia; sanguinem verò nutrimentalem, & superfluum, & alia ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ haùd pertinentia non reassumpsit. Quàmvis autèm Pius II. in quadam extravaganti, Anno Domini 1461. data, dixerit, *veritati Fidei non repugnare, si asseramus Christum* [*ut piè creditur*] *in terris pro Redemptione hominis aliquam sui præciosissimi Sanguinis in Crucis Ligno salubritèr effusi particulam ad memoriam, & gene-*

Humores quatuor reassumendi.

S. Th. 4. sent. dist. 44. qu. 2. art. 2. qu. 3. ad 3.

To. 2. Tr. 5. de causis Resurrectionis.

Ros, & Cambium.

Alphonsus Tostatus, & Franciscus Mayronis.

Axioma Theologorũ.

Sanguis vitalis, cur ità dicatur.

Sanguis nutrimẽtalis dicitur esse superfluus.

Sanguis nutrimẽtalis cur superfluus appellatur.

Axioma Theologicu.

Intestina quomodo resurgent plena

Sanguis vitalis semper fuit unitus Verbo Divino.

Pius II.

venerationem fuæ passionis, atque ad Fidelium devotionem conservandam reliquisse, ut Silvester de Prierio narrat in Rosâ Aureâ quæst. 31. & sequentibus in Evangelia; Duo tamèn in extravaganti eâdem, seù Bullâ ejusdem Summi Pontificis perpendenda se se nobis offerunt quorum primum est dictum illud: *Plè creditur*, ex quo apertè constat, hoc non esse, ut ità dicam decretalitèr affirmatum. Alterum est dictum illud de *Sanguine in Crucis Ligno salubritèr effuso*: Nàm ut ait Silvester in quæst. 31. in Evangelia, intèr sanguinem *salubrem*, & *salubritèr* effusum est differentia: quia sanguis vitalis verus, & naturalis ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinens, semper unitus divinitati, fuit *salubris*, & *salubritèr* in Crucis Ligno effusus; sed sanguis *nutrimentalis*, hoc est ex nutrimentis, aut cibis generatus, ut ait Silvester; fuit à Christo *salubritèr* effusus, quoniàm ad salutem contulit, ex parte fundentis per modum meriti, cujus actionem determinat *ly salubritèr* adverbium; non tamèn [inquit ipse Silvester] omnis fuit *salubris* post effusionem per modum deficientiæ, sed solus ille, cui Deitas fuit unita. Undè sanguis effusus in Circumcisione, suppositò quòd fuit nutrimentalis, fuit *salubritèr* effusus, non tamen salubris, quasi pretium nostrum, sicut nec alia superflua. Reperitur ergo in Terra [inquit Sylvester] de sanguine *salubritèr* effuso cum *salubri*, sed non de ipso *salubri*, qui Deitati unitus reassumptus fuit.

Quòd autèm Pii II. verba in hunc sensum intelligenda sint, constat ex eo, quod fecit Clemens VI. ejus Prædecessor, quem tantâ præsertim in re sequi Pius jure censetur, atque id ità esse omninò credendum est. Is enim Clemens ubiprimùm anno Domini in Crucis ligno effusum à Deitate separatum prædicabat; Solemni Magistrorum, ac Doctorum Theologorum Concilio coacto, per literas patentes mandavit Inquisitori, ut dictum Articulum tamquàm hæreticalem, & erroneum publicè revocandum, ac solemnitèr condemnandum curaret. Id quod in Ecclesiâ Cathedrali Parchinonensi, ut in Directorio Inquisitorum videre licet, factum esse constat. Cùm igitùr sanguis vitalis, verus, & naturalis ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinens Deitati sit semper unitus, totus ipse sanguis in Passione pro Redemptione humani generis effusus, in Resurrectione fuit reassumptus, ut ait S. Thomas in Quodl. 5. q. 3. art. 5., & in 3. p. q. 54. art. 2. ad 3.

Quàmvis autèm circà ea, quæ de veritate humanæ naturæ inquit S. Doctor in commemorato Quodlibeto, sit diversa diversorum opinio; tamèn secundùm quamlibet opinionem non totus sanguis nutrimentalis, hoc est ex cibis generatus, pertinet ad veritatem humanæ naturæ. Et quoniàm Christus antè Passionem comedit, & bibit, nihil prohibet, ait S. Thomas in eo fuisse aliquem sanguinem nutrimentalem, qui ad veritatem humanæ naturæ non pertineret: Verùm, quià præcipua quæstio versatur circà sanguinem in Passione Domini pro Redemptione humani generis effusum; hunc totum in Resurrectione ad Christi Corpus rediisse S. Thom. in Quodl. 5. tribus rationibus, quas brevitatis causâ, silentio prætermittamus, demonstrat. Sanguinem verò Christi, qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, ex quadam Imagine Christi percussâ miraculosè, vel etiàm ex corpore Christi miraculosè itèm fusum esse concludit.

Quoniàm verò hæc ultima Doctoris verba ad calcem Quodl. 5. q. 3. art. 5. conscripta sensum habere videntur subobscurum; ideò ea hoc loco sunt explicanda. Sanctus enim Doctor de Christi sanguine in Crucis Ligno effuso, & de sanguine ipsius miraculoso in hanc loquitur verborum formam: *Undè manifestum est, quòd Sanguis in Passione effusus, qui maximè fuit salubris, fuit Divinitati unitus, & ideò oportuit, quòd in Resurrectione jungeretur aliis Humanitatis Partibus. Sanguis autèm Christi, qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, dicitur ex quadam Imagine Christi percussâ miraculosè fluxisse: vel etiàm aliàs ex Corpore Christi.* Hæc S. Doctor, quasi [ut ii, qui contrariam tuentur opinionem interpretantur] dixerit: Si sanguis qui ostenditur in quibusdam Ecclesiis non fuit miraculosus, idèst per miraculum ab Imagine Crucifixi percussâ effusus, fluxit à Corpore Christi, *aliàs*, idèst [ut ipsi ajunt] *alio tempore*, quàm tempore Passionis: Et ità [ut inquiunt Adversarii] juxtà Doctrinam S. Thomæ, sanguis, qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, Divinitati unitus, & à Corpore Christi effusus, in terrâ remansit.

Hic sanè sensus ejusdem S. Thomæ doctrinæ omninò adversatur, si superiora ipsius Doctoris Verba nupèr citata cum inferioribus conferantur. Hinc pro genuino S. Thomæ verborum sensu excipiendo, illud Adverbium *aliàs* in quo deceptio latet, explicandum est: Nàm ly *aliàs* eo in loco, ut ait Silvester in Aureâ Rosâ quæst. 32. in Evang. Tract. 3. *sumitur pro ly aliàter, ità verò, ut sit sensus: Si ille sanguis non est miraculosus, qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, fluxit de Corpore Christi, aliàs, idèst, aliter, quàm dicto modo, seù aliter, quàm ille, qui fluxit, ut pretium Redemptionis nostræ, vel si illud adverbium aliàs, pro alio tempore sumatur, adverbium illud non refertur ad tempus Passionis, sed ad tempus illius effluxus miraculosi ab Imagine Christi Corporis percussâ.* Hæc Silvester in Aureâ Rosâ.

Sanguis igitùr vitalis verus, ac naturalis Christi Corporis ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinens, & Divinitati unitus, juxtà Doctrinam S. Thom. in Resurrectione totus fuit reassumptus. Sanguis verò, qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, vel est sanguis miraculosus ex quadam Imagine Christi percussâ effusus, vel alio modo, vel alio tempore antè scilicèt Passionem, vel in circumcisione, suppositò, ut dictum jàm fuit, quòd sanguis ille fuerit nutrimentalis, ac superfluus: Nàm de hoc sanguine nutrimentali, ac superfluo antè Passionem effuso, potuit aliquid remanere hisce in terris, quatenùs ad veritatem humanæ naturæ pertinens,

Privilegia examinantur.

Tractat. 3. Aureæ Rosæ.

S. Thom. Quodl. 5.

Doctrina S. Thomæ explicatur ab Adversariis.

Sanguis in Terra relictus qui nam fit.

Clemens VI.

S. Thom. Quodl. 5.

Doctrinæ S. Thomæ vera explicatio.

Episcopus Torcellanus.

nens, ut ait, & rectè quidem Dominicus de Dominicis Episcopus Torcellanus in Tractatu de Christi sanguine in Resp. ad 2. & 4. Argumentum, ubi S. Thomæ Doctrinam declarat. Nàm S. Doctor, ut ait Episcopus Torcellanus, non dixit nullum sanguinem nutrimentalem ad veritatem humanæ naturæ pertinere, sed solùm superfluum de veritate naturæ non esse intellexit, quià non totus sanguis nutrimentalis est superfluus, sed solus ille ex cibis nuper generatus, qui in Christo Domino Cruci affixo esse non poterat: quàmvis enim Christus comedisset, ac bibisset in Cœna antè diem Passionis, nihil tamèn superfluum in sanguine ipsius fuit, tùm ob inediam 18. horarum, tùm etiàm quià proptèr labores illius noctis, & diei sequentis maximà cibi resolutio facta censetur, cibo scilicèt in sanguinem verum mutato: Cibus enim, ut ajunt Medici, ad horas convertitur in sanguinem verum, qui ad humanæ naturæ veritatem pertinet, cum superfluus non sit. Sanguis autèm superfluus ex cibis nupèr generatus ad veritatem naturæ non pertinere dicitur, non quòd veram sanguinis speciem non habeat, vel alteri continuatus non sit, sed quia, quatenùs superfluus, necessariam ad corpus humanum habitudinem non habet secundùm partes naturales; habet tamèn habitudinem convenientem, & proportionatam. Hæc ex Torcellano in Resp. ad 2. Arg.

Sanguis nutrimentalis non totus superfluus.

Cibus ad horas convertitur in Sanguinem verum.

Totus igitùr sanguis, ut huic rei finem imponamus, qui in Crucis ligno de Christi fluxit Corpore [cùm ad veritatem humanæ naturæ pertineat Divinitati unitus] in Corpore Christi resurgentis reassumptus fuit, ut Doctori Angelico, & rectè quidèm in 3. p. q. 54. art. 2. ad 3. placet. Eadem itèm ratio est [inquit] de omnibus particulis ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinentibus. Sanguis autèm ille, qui in quibusdam Ecclesiis pro Reliquiis conservatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculosè dicitur effluxisse de quadam Imagine Christi percussâ, vèl etiàm, ut ait Doctor in Quodl. 5. qu. 3. ad calcem art. 5. *aliàs* de Corpore Christi, hoc est *alio*, ut diximus, *tempore*, antè scilicèt Passionis tempus, & miraculosè quidèm, ut dicitur de sanguine, qui Parisiis ostenditur, de novo à Deo creatus, & ab unâ Hostiâ gladio per quendam Judæum vulneratâ effusus. De sanguine itèm miraculoso ex Hostiâ ob alias causas effuso monimenta variis in locis conservantur.

anguis nutrimentalis si humor rudis.

ajet. in 3. p. Thom. q. 54 rt. 2.

De sanguine autèm nutrimentali [quem cum Cajetano in 3. p. q. S. Thom. q. 54. art. 2. humorem crudum nondùm redactum perfectè in sanguinem, qui pars hominis est, appellamus aliquid apùd nos forsàn permansit; Sed cùm eodem Cajetano ibidèm absquè ullâ penitùs hæsitatione affirmamus, talem Christi sanguinem nutrimentalem etiàm in Passione effusum non esse unitum Verbo Dei personalitèr, quià talis sanguis nunquàm fuit actu pars sanguinis, qui est de naturæ humanæ veritate, verùm enim verò, an talis sanguis in Christi Corpore tempore Passionis fuerit inventus, dùm sanguis effunderetur, & an aliquid in Terrâ de tali sanguine Christi inveniatur, Cajetanus ipse subdubitat, dicens: *Hæc magis divinare, quàm affirmare possumus*. Ideò ut nullus pertinax in propriâ opinione inveniatur, nullus dubia pro certis affirmet, sed piè dubitando devotionem suam prosequatur.

Joannes à Turrecremata Cardinalis Sabinensis in 3. p. Decreti dist. 2. de Consecratione, sanguinem Christi in Crucis ligno effusum nullo modo in terris reperiri sentit, id quod & fusissimè quidem, multis comprobat rationibus, & ad argumenta nostræ opinioni adversantia respondet; quibus dissolutis, affirmativam confirmat opinionem nostram rationibus munitam evidentissimis in quæstionibus Evangelii in die Resurrectionis Domini quæst. 3. Bartholomæus autèm à Medina in 3. p. S. Thomæ ait hunc in modum: *Licèt Sanguis Domini fuerit pars humanæ naturæ, & totus unitus Verbo Divino, non tamen totus fuit reassumptus in Resurrectione. Undè [inquit] sine errore, & absurditate aliquâ potest concedi, quòd quædam particulæ sanguinis Domini nostri Jesu Christi perseverent in terrâ apùd nos, etiàmsi modò non maneant unitæ Verbo personalitèr. Et illa sententia (quod Christus assumpsit, nunquam dimisit) exponenda est de partibus, quæ secundùm se totæ pertinent ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ, quemadmodùm, & capilli erant partes humani corporis, & uniebantur Verbo Divino hypostaticè, at non omnes reassumpti sunt, sed tantùm illi, qui ad ornatum spectabant. Ungues quoquè partes erant humanæ naturæ in Christo, sed non omnes ungues secti reassumpti sunt.* Hæc Medina, cujus opinionem aut sententiam de quibusdam sanguinis guttis, vel potiùs de colore sanguineo in Lanceâ, Spinis, Clavis, & in Cruce relicto intelligendam esse opinor.

Turrecrem. 3. p. Decreti dist. 2. c. Imit.

Medina 3. p. q. 54. art. 2.

Explicatio Axiomatis Theologici.

Capilli, & ungues.

De sanguine in Arâ Sanctissimæ Crucis effuso varia variis in locis monimenta [ut ajunt] conservantur, & præsertim Romæ in Ecclesiâ Lateranensi, Venetiis in Ecclesia S. Marci, Mantuæ in Ecclesiâ S. Andreæ, Rupellæ Franciæ in Ecclesiâ Fratrum Minorum, necnon in Cappellâ Regis Franciæ, atque aliis in locis. In Civitate Nuremberg Alemaniæ Longini ferrum sanguine aspersum, in Sabaudiâ Linteum, quo Christi Corpus fuit involutum, & in eo extat figura corporis à sanguine ipsius relicta.

Quæ de Christo in Ecclesia asservantur.

Sanguis miraculosus Venetiis in Ecclesia S. Marci.

Hujus generis monimenta Catholicæ S. Thomæ doctrinæ adversantur; proindè qui opinionem Doctoris Angelici hac in re non sequuntur, hisce persuasi monimentis, ut suam opinionem aliquâ ratione firmatam magis probabilem, magisque suasibilem reddant, hac utuntur ratione dicentes, aliquid de sanguine in Arâ Crucis effuso hisce in terris remansisse, quia corpora glorioſa non indigent tanto sanguine, quanto indigent non glorioſa: quia sanguis in corpore duo facit; præbet scilicèt nutrimentum, & est materia, & vehiculum spirituum. Quatenùs dat nutrimentum

Argumentum Adversariorum.

tum, appellatur sanguis *nutrimentalis*; quatenùs autèm est materia, & vehiculum spirituum nuncupatur *sanguis vitalis*. Sed corpora glorioſa non indigent nutrimento: Sufficit ergò (inquiunt Adversarii) sanguis vitalis. Cùm autèm Christi Corpus resurrexerit glorioſum; Christus (ut Adversarii volunt) minùs sanguinis reassumpsit in Resurrectione, quàm haberet, dùm passus fuit.

Sanguis vitalis, & nutrimentalis quid sit.

Nos autèm contrariam opinionem tuentes cum doctrina S. Thomæ hunc in modum respondemus: Quamvis corpus glorioſum tanto sanguine nutrimentali proptèr nutrimentum non indigeat, indiget tamèn, ut ait S. Thomas in lib. 4. Sentent. & præsertìm in solutione unius Argumenti, vel proptèr perfectionem naturæ, vel proptèr naturalis virtutis ostensionem, vel proptèr venas corporis implendas, quæ non debent remanere vacuæ, sed plenæ, non superfluitatibus, sed nobilibus humoribus, puriſſimo scilicèt sanguine. Sanguis autèm vitalis non sufficit implere, nisi arterias, quæ sunt subtiliores. Nec sanguis vitalis, quatenùs materia spirituum, ac nutrimenta eorum, est superfluus in corpore glorioſo, quamvis post resurrectionem spiritus non generentur, nec resolvantur; quia sanguis vitalis in corpore glorioſo est contentivus, & conservativus ipsorum, ut Dominicus de Dominicis Episcopus Torcellanus, & rectè quidèm ait in Tract. de Christi sanguine. Addè etiàm, quòd etiàmsi in corpore glorioſo non remaneat sanguis tamquàm alimentum ejus; remanet tamèn, ut ostendat naturæ humanæ veritatem, & ut illud pulchrum. Debitoque colore appareat, ut ait Hieronymus de la Rua.

Argumenti solutio lib. 4. Sent.

Dominicus Episcopus Torcellanus in Resp. ad 3. arg.

Quamvis itèm comestio Christi Domini post Resurrectionem, ut ait S. Thomas in 3. Quodlib. quæst. 2. art. 5. fuerit vera veritate significationis, & naturalis speciei, ad humanam in eo naturam significandam, veramque Resurrectionem indicandam [quià comestio illa fuit actio vera à principiis specie naturalis comestionis dependens] vera tamèn non fuit veritate incorporationis: quoniàm Christus post Resurrectionem, cùm esset extrà generationis, & corruptionis statum, corpus habens glorioſum, cibum illum in præjacentem materiam, vel in aerem, vel in vaporem resolvebat, sicut sol aquam in vapores convertere, aut resolvere solet. Comestio autèm talis, utì diximus, fuit vera; etiàmsi comestionis effectus, qui est conversio in comedentem, non sequatur. Sicut vox, quamvis non audiatur, veritate tamen naturalis speciei, quatenùs debitis Instrumentis, & ex ore Animalis, cum aliquâ imaginatione proferentis formatâ, vera esse censetur. Hæc de Christi Domini comestione post Resurrectionem, occasione suadente, hactenùs, ut eo, undè digressi sumus, revertamur.

S. Thom. Quodl. 3. q. 2. art. 5.

Quòd autèm verus, & prætioſus Christi Domini Sanguis in Cruce pro Redemptione generis humani effusus, hisce in terris non remanserit, hac deniquè ratione comprobatur, & confirmatur. Nàm si talis apùd nos remansisset sanguis, in die Judicii, vel corrumperetur, vel reassumeretur à Christo Domino. Sed neutrum est dicendum; ergò non remansit. Primum affirmari non potest propter illud Psalmi de Christi Corpore scriptum. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: nec itèm secundum: quià si reassumeretur, in Dei Judicii reiteraretur ejus resurrectio, quæ ut ait Joannes à Turrecremata, reiteranda nullo modo censetur. Prætereà si talis tunc Sanguis reassumeretur, ut superfluus foret, vel Corpus ejus ad illam usquè diem fuisset imperfectum, quià Sanguis ille pertineret ad naturæ humanæ perfectionem. Cùm verò utrumque falsum sit, talem Christi Sanguinem nullo modo hisce in terris remansisse, dicas necesse est.

Psalm. 15.

Turrecrem. quæst. 3. in die Resurrectionis tract. 2.

Alia in utramque propositæ quæstionis partem argumenta cum solutionibus eorundem pro affirmativâ parte confirmandâ, & pro contrariâ infirmanda in medium afferre possem; ea tamèn brevitatis causâ silentio prætereunda censetur, conclusione affirmativâ initio propositâ ad mentem S. Thomæ, rationibus jam satis comprobatâ, & roboratâ. Reliquum est igitùr, ut ea, quæ juxtà S. Thomæ doctrinam sparsim dicta sunt, summatìm repetamus, & concludamus, appendiculâ quadam accedente de iis, quæ Christi Corpus tetigerunt, coloreque sanguineo conspersa, ac cruentata in Ecclesiis conservantur, & venerantur.

Epilogus de toto Sanguine in Resurrectione reassumpto.

CHristus resurgens totum Sanguinem vitalem, quem in Arâ Sanctiſſimæ Crucis effudit, quique ad humanæ naturæ veritatem, & perfectionem pertinebat, reassumpsit. Sanguis verò, qui in Ecclesiis ostenditur, vel est Sanguis miraculosus ex Imagine Christi Crucifixi percussa, & miraculosè quidèm effusus; vel est Sanguis ad veritatem manifestandam, infidelitatemque alicujus indicandam, atque ad Populorum devotionem excitandam, procùl res, vel occasio postulabat, è Christi Corpore, hoc est, ex Hostiâ ipsâ miraculosè itèm effusus. Sanguis autèm, vel ipsius color Sanguineus, quo Passionis Instrumenta cruentata cernuntur, & variis in locis conservantur, particulæ scilicèt crucis, clavi, spinæ, lanceæ ferrum, & aliquid vestium, idque genus alia, est sanguineus color sanguinis illius, qui fluxit è Christi Corpore Cruci affixo.

Parergon Corollarium.

De Adoratione Latriæ.

HÆc in Epilogo enarrata tamquàm Christi Reliquiæ, ac tamquàm aliquid Christi fuerit, vel Christum, vel Imaginem ejus repræsentans, atque etiam ratione contactus, latriæ adoratione sunt adorandæ,

Silvester in Aurea Rosa.

landæ, ut ait Silvester de Prierio in Aureâ Rosâ Tract. 3. in Evangelia quæst. 34. ubi Sanguinem item superfluum, si talis in terrâ reperiatur, Latriæ adoratione adorandum esse ait ex consensu Joannis Domini Cardinalis, & Joannis de Poliaco Doctoris Parisiensis, dummodò Sanguis ille fluxerit è Christi Corpore, idemque affirmat de Sanguine, qui ex Imagine Christi, vel ex Hostia fluxerit consecratâ, quæ repræsentat Christi Passionem, & Christi gratia adoratur. Quoniàm verò Latria uni Deo debetur, ut omnem reiiciat scrupulum, quadrupliciter aliquid Latriæ adoratione adorari ait: Primò adoratur Deus, Pater scilicèt, Filius, & Spiritus Sanctus. Secundò quia est in suppositò Divino, ut Humanitas Christi, & Sanguis Divinitati unitus. Tertiò, qnia est imago prædictorum, ut Crux. Quartò, quia tetigit Christum, tamquàm aliquid ejus, ut vestes, clavi, spinæ, lancea, & id genus alia. Dicitur autèm aliquid ejus, ad manus Crucifigentium, qui eum tetigerunt, excludendas. Dicitur enim ejus esse aliquid, quod possedit, vel quo usus est ipse, vel alii circà ipsum, dummodò non sint partes rationalis Creaturæ. Hinc isto quarto modo, ratione contactus, Sanguis nunc Divinitati non unitus, Latriæ adoratione adorari debet, ità etiàm Capilli, atque hujus generis alia. Si enim Crux, quæ Christum tetigit, & prout Christi Sanguine cruentata, Latriæ adoratione adorari debet, quatenùs ejus Imago, & quatenùs eum tetigit; quantò magis ipse Sanguis, qui fuit pars Corporis, & Deitati unitus? eodem modo esset adoranda aqua illa, quæ ab ejus latere fluxit, si quà inveniatur, quatenùs tetigit Christum, eumque lanceatum repræsentat. Hæc ex Silvestro de Prierio in quæst. nupèr citatâ. Et hæc dicta sufficiant de toto Sanguine in Arâ Sanctissimæ Crucis effuso in Resurrectione reassumpto.

Primus modus.
Secundus.
Tertius.
Quartus.

Quamvis de totius Sanguinis in Sanctissimæ Crucis ligno effusi, & ad perfectionem, integritatemque humanæ naturæ pertinentis reassumptione, affirmativam tueamur partem; non desunt tamèn, qui negativam comprobare conentur, tam ex iis, qui nunc vitam degunt, quàm ex iis, qui nostram præcesserunt ætatem. Nec propterèà, qui hanc, vel illam sequuntur partem, hæresis ullam sibi contrahunt notam, quia nihil unquàm hac de re ab Ecclesiâ Catholicâ definitum, aut Decretum fuit, ut infrà demonstrabimus, etiàmsi in Directorio Inquisitorum, quod Nicolaus Eymericus edidit, alitèr legatur: Directorii namquè Auctor in decimâ secundæ Partis quæstione, articulo primo, ait, quemdam, (qui Barchinonæ in Cataloniâ prædicabat, Divinitatem in Christi Sanguine, qui in ligno Sanctissimæ Crucis effusus fuit, non remansisse, & ex consequenti Sanguinem illum non fuisse deificatum) jussu Clementis VI. abiurasse, habito priùs hac de re Magistrorum, aliorumque peritorum hominum Concilio. Ex hujus generis opinione, tamquàm hæreticali Barchinonæ publicè condemnata colligitur opinio eorum, qui negativam tuentur partem, hoc est illorum, qui totum Sanguinem in Sanctissimæ Crucis ligno effusum, non fuisse reassumptum, quasi non totum salubritèr, idèst meritoriè, & utilitèr effusum: quià talis Sanguis, cum sit de veritate humanæ naturæ, ut ait Silvester in Aureâ Rosâ, secundùm omnes fuit reassumptus. Nam, ut inquit S. Thomas in lib. 3. Sententiarum dist. 2. *Divinitas non mansit unita, nisi reuniendis, vel reassumendis.* Quòd autèm erronea sit opinio eorum, qui totum Christi Sanguinem in ligno Sanctissimæ Crucis effusum in Resurrectione non fuisse reassumptum; & illum, qui in Terrâ remansit, Divinitati non fuisse unitum, nec propterèà adorandum colligitur ex Directorii loco nupèr laudato, aut citato, nec non ex Aureâ Silvestri Rosâ tract. 3. in Evangelia qu. 31.

Silvester tract. 3. in Evang. qu. 31.

S. Tho. lib. 3. dist. 3.

Silvester ubi supra.

Quòd itèm dicta opinio non sit erronea, probatur septem rationibus, quarum prima sumitur ex quatuor Pii II. Brevibus, in quorum primo, sub anno ipsius Pontificatus V. scribit, Beatum Jacobum de Amandulâ Piceni, seù Marchiæ, qui talem doctrinam prædicaverat, esse Catholicum, & non suspectum de fide. In secundo, eodemque Pontificatus Anno, dicit eam Sententiam à Sede Apostolicâ non esse definitam; & proindè Beatum Jacobum non posse haberi hæreticum, nec suspectum de hæresi. In tertio, eodem itèm Anno, scribens ad omnes Fratres Minores, dicit. Beatum Jacobum esse Catholicum, & non suspectum &c. In quarto, sed in sexto sui Pontificatus Anno, dicit, se non definivisse, nec authenticare voluisse processum Barchinonæ factum tempore Clementis VI. & quamvis hoc Breve non videatur esse Originale, sed ejus copia, est tamèn antiquum.

Anno Domini 1462.

Secunda ratio sumitur ex disputatione habitâ de hac re coram Pio II. & Cardinalibus; quam Disputationem diffusè conscriptam reliquit ipse met Pius in suo Commentario rerum à se gestarum lib. 11. pag. 511. usque ad pag. 537. Nam si Clemens VI. hoc definivisset, non revocasset publicè in dubium, nec indecisum reliquisset; præsertìm verò cùm in ipsâ Disputatione mentionem faciat de Clemente VI. ex Directorio Inquisitorum lib. 11. pag. 520. Quamvis autem Pius II. in Sententiam Prædicatorum inclinaret, nihil tamèn fuit definitum, & per Brevia sua minoribus videtur indulgere, ut juxtà quorundam Doctorum suorum sententiam eam opinionem tenere possent.

Direct. Inquis. part. 2. quæst. 10.

Anno Domini 1351.

Tertia ratio sumitur ex schedulâ repertâ inter Beati Jacobi scripta, quæ manu ejusdem propriâ creditur conscriptâ, ubi dicit suam causam commissam fuisse duobus Cardinalibus Protectoribus Ordinum, Beati scilicèt Dominici, & Beati Francisci, ac tandèm Processum factum Barchinonæ inventum fuisse falsum, & Inquisitorem Brixiæ fuisse condemnatum, ut à Beato Jacobo veniam peteret, idque factum fuisse scribit.

Quarta ratio sumitur ex libro de Christi

Sanguine, quem librum Sixtus IV. vel antè Cardinalatum, ut colligitur ex principio, & fine ipsius libri, vel in Cardinalatu edidit, & Clem. VI. vel Paulo II. dedicavit: Et in eo libro defendit opinionem Beati Jacobi tamquàm veram. Quod certè non feciſſet, ſi fuiſſet condemnata à Clemente VI. & Pii II.

Quinta ratio ſumitur ex eo, quòd poſt mortem Clementis VI. Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis in Hiſpaniâ defendit opinionem eandem: & poſt mortem Pii II. Gabriel Byel in explicatione Canonis Miſſæ eandem opinionem defendit.

Sexta ratio ſumitur ex libro de vitâ Beati Jacobi Sixto V. dedicatâ, in qua apertè narratur, quomodò B. Jacobus obtinuit victoriam, & fecit miracula in confirmationem ſuæ opinionis: & in ſignum talis victoriæ Imago ejus Beati depingitur geſtans manu dextrâ calicem Sanguine plenum. Si autèm hæc opinio fuiſſet condemnata à Sede Apoſtolica, non fuiſſet permiſſum, ut liber talis ederetur; multòque minùs fuiſſet permiſſum, ut Imagines ità depingerentur jamindè à centum, & amplius annis ad hæc uſquè tempora,

Septima ratio ſumitur ex eo, quod Beatus Jacobus poſt hanc controverſiam claruit multis miraculis in vitâ, & poſt mortem. Hinc Leo X. conceſſit, ut publicè invocaretur, indulgentiaſque conceſſit. Itaquè ſi vera eſſet atteſtatio directorii, Jacobus, de quo loquimur eſſet Hæreticus, & Pius II. Sixtus IV. & Leo X. hæretico faviſſent, & Deus ipſe feciſſet miracula in favorem hæretici: quæ omnia abſurdiſſima ſunt, & nullo modo concedenda.

Ex omnibus hiſce rationibus colligimus, hanc quæſtionem de totius Chriſti Sanguinis reaſſumptione nondùm fuiſſe deciſam, & locum Directorii citatum emendandum, vel explicandum eſſe.

DE PRÆPUTIO CHRISTI DOMINI

In Resurrectione reassumpto,

Et in Basilicâ Lateranensi asservato.

CHRISTI Domini Corpus (ut omnes, quod sciam, constantèr fatentur) integrum, ac perfectum, cunctisque solidis constans partibus resurrexit: Immò cum Francisco Svarez, quòd tale Christi Domini Corpus resurrexit, de fide esse omninò affirmo. Quamvìs autèm hæc veritas multis testimoniis, & rationibus comprobari possit; hanc tamen comprobationem, tamquàm veram, & ab omnibus concessam, brevitatis gratiâ silentio prætermittendam censeo, ut statìm ad partes Corporis integrales accedatur.

Franciscus Suarez 3. p. tom. 2. qu. 54. disp. 47. sect. 1.

De Solidis humani Corporis partibus.

PArtes humani Corporis integrales, & quidèm solidæ; quæ ità vocantur, ut per hoc nomen à Sanguine, atquè ab aliis humoribus distinguantur; sunt (cunctis membris subintellectis) caro in primis, ossa, dentes, ungues, capilli, & pili barbæ; nervi, & intestina; & prætèr membra extrinseca, etiàm intrinseca, & principalia quidèm, cerebrum scilicèt, hepar, & cor. Quæ sanè omnia ad naturalem humani Corporis integritatem pertinent, & ab animâ rationali informari censentur, pilis barbæ, capillis, & unguibus exceptis, ut majorum Philosophantium parti placet. Hæc enim, quamvìs ad integritatem pertineant, vel saltèm ad ornatum, & ad complementum humani Corporis plurimùm conferant, ab animâ tamèn rationali informari non censentur, sicut multi Philosophi volunt; proindè veræ Corporis partes non esse dicuntur, sed potiùs, ut ait Hieronymus de la Rua in controv. 4. habent substantiam à Corpore distinctam, seque habere dicuntur respectu Corporis, sicut se habet vestis respectu vestiti, ac tamquàm ornamentum respectu rei ornatæ: Ungues nàmque, capilli, & pili barbæ, ut idem Hieronymus inquit, non vivunt, sed crescunt, & augentur per naturæ expulsionem; propterèà inanimata esse dicuntur. Non desunt tamèn, qui opinentur ea esse animata, quantùm ad principium tantùm, vel quantùm ad solam radicem, qua continuatur carni, ut Dominico de Dominicis Episcopo Torcellano in Tractatu de Sanguine Christi, placet, qui inconveniens non esse ait, si alicujus continui pars una sit animata, altera verò non itèm, ut de virgâ hoc esse constat, cujus medietas una est viridis, altera verò sicca: quę sanè virga secundùm quantitatem, continua est, non autèm secundùm formam substantialem. Istùcipsum de pilis barbæ, de capillis, & unguibus dicendum videtur: ea enim partìm animata sunt, partìm verò non itèm.

Vngues capilli, & pili barbæ, nervi, intestina, & omnia membra ad integritatem humani Corporis pertinent.

Hieronym. de la Rua controv. 4.

Vngues capilli, & pili non vivunt. Hieronym. de la Rua.

Dominicus Episc. Torcellanus art. 1.

Virgæ exemplum.

Quamvìs ergò hæc tria non sint veræ Corporis partes, vel ad humani Corporis integritatem non pertineant; ea tamèn tamquàm Corporis humani ornamenta in Christi Domini Corpore fuerunt reassumpta. Aliæ namquè partes (præter eas, quæ ad Corporis humani spectant integritatem) pertinent ad ornatum, velutì sunt pili barbæ, capilli, & ungues; Aliæ verò ad naturæ pertinent necessitatem, ut saliva, sudor, & alia excrementa. Illæ igitùr partes, quæ in Christi Domini Corpore fuerunt ad ornatum, post Resurrectionem in eo manserunt; Si enim omnes homines cum capillis, & pilis barbæ, atque unguibus non superfluis, ac fectis, sed cum eis, quibus forma, & humanus decor perficitur, sunt resurrecturi, ut S. P. Augustinus rectè colligit ex eo Lucæ cap. 21. *Capillus de capite vestro non peribit*; Multò magis Christum Dominum, ad cujus mensuram, & ætatis plenitudinem omnes electi surrecturi creduntur, cum earundem partium ornatu surrexisse credendum omninò est.

Vngues capilli, & pili barbæ reassumendi.

Saliva, & sudor.

Lib. 22. de Civit. cap. 19.

Dentes itèm atquè intestina non turpibus replenda superfluitatibus, sed Sanguine purissimo, & aere in omnibus resurgentium corporibus reassumenda omninò censentur; Hinc multò magis in Christi Domini Corpore omnibus membris humanis decorato, reassumpta fuisse nemo inficias ire audebit: dentes enim & intestina cum cæteris membris tamquàm partes præcipuas, ad veram humani Corporis integritatem absque ullâ contro-

Dentes reassumendi.

Intestina reassumenda, & purissimo Sanguine replenda.

versiâ pertinere, pro comperto habetur. Illæ verò Corporis partes, quæ in Christi Domini Corpore ex corporis corruptibilis necessitate fuerunt [dicta scilicèt excrementa] in eo amplius non apparuerunt, cessante jàm corruptione, & corporis gravedine, acceptisque glorificati jam Corporis dotibus: quia ut ait Apostolus Paulus *seminatur corpus animale, surget spirituale: seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ.*

Excrementa non sunt reassumenda.

1. Corinth. 15.

De Præputio reassumpto Scriptores.

HÆc de Solidis humani Corporis partibus ad ejusdem integritatem, seù perfectionem, vel saltèm ad ornatum pertinentibus, & à Christo Domino in Resurrectione reassumptis. Nunc reliquum est, ut de Præputio loquamur, nùm scilicèt ipsum in Resurrectione à Christo Domino fuerit reassumptum: diversi enim hac de re diversa senserunt.

Quamvìs autèm multi Scriptores, qui de Salvatoris nostri Præputio loquuti sunt, ipsum in Ecclesiâ Lateranensi asservatum olim fuisse dicant; multi tamèn hanc rem negant, vel sub dubio relinquunt, Deoque potiùs committendam, quàm temerè deffiniendam esse volunt. E' quorum in primis numero est Innocentius hujus nominis Tertius qui hac de re subdubitando loquitur hisce verbis:

Innocent. III. lib. 4. de Myst. Missæ cap. 30.

Quid de Circumcisione Præputii, vel umbilici præcisione dicetur? An in Resurrectione Christi similitèr rediit ad veritatem humanæ substantiæ? Creditur enim in Basilicâ Lateranensi asservari, licèt à quibusdam dicatur, quòd Præputium Christi fuit ex Hierusalem delatum ab Angelo Carolo Magno, qui transtulit illud & posuit Aquisgrani; deindè à Carolo Calvo positum est in Ecclesiâ Salvatoris apùd Carosium. Hæc Innocentius, qui, si ejus verba perpendantur, tam de loco in quo Præputium asservari creditur; quàm etiàm de ejus reassumptione subdubitat: Immò ad partem affirmativam, quòd scilicèt Præputium in Resurrectione Christi Domini fuerit reassumptum, declinare videtur. Dubitationem verò de utrâque tandèm re ità concludit: *Melius est tamèn Deo totum committere, quàm aliud temerè deffinire.* Quòd igitùr Salvatoris nostri Præputium in terris remanserit; vel si remanserit in Basilicâ Lateranensi fuerit asservatum ex Innocentii sententiâ nihil certi affirmari potest, utroque sub dubitatione relicto.

Carolus Magnus.

Carolus Calvus.

Quòd autèm Præputium à Christo Domino in Resurrectione fuerit reassumptum, ex Anastasio Episcopo olìm Nicæno, satìs apertè colligitur in Responsione ad Orthodoxorum aliquorum Christianorum Interrogationes, quæst. 67. hisce verbis: *Omninò autèm, & quibus novit rationibus, qui voluntariè fuit circumcisus, servavit id, quod fuit circumcisum, ut ipse quoquè, cum in eo non esset mancus, ac defectus, resurgeret plenus, & toto corpore, minimè obnoxius interitui. Nam nos quoquè in Resurrectione nostrum Corpus plenum recipiemus.* Hæc Anastasius Scriptor antiquissimus,

Bibliotheca SS. PP. tom. 1. pag. 105.

Huic adsimile illud est, quod in libello suo, sivè Carmine, *Josephina* Inscriptio, ait Joannes Gerson, vir [ut Tritthemius inquit] in divinis Scripturis eruditissimus, sententiâ certus & stabilis; consilio cautus, & dubiorum clarissimus interpres, qui floruit circà Annum Domini 1400. de Præputio itaquè reassumpto à Christo Domino loquitur in hanc verborum formam.

Io: Gerson p. 2. dist. 8. ad calcem.

Nondùm erat in Carne Pueri curata cicatrix Præputii. Pellis hæc portio scissa refertur Terris mansisse. Negat hoc alius: quia Christus [inquit] surrexit cum Carne, & Sanguine totus. Totum, quidquid erat, nos surrexisse fatemur. Integrans hominis naturam, Pellis adempta, & cruor effusus. Sint talia (crede) resumpta. His superè atque aliis sensus sit sobrius; . . . . . Et tu . . . Dic ità, quod fidei pietas non derogat ulla. Consilium tale dat litera, &c.

Theophylactus in cap. 2. Lucæ præputium fuisse reassumptum sentit, dum in hæc verba inquit: *Inutilitèr quæritur, ubi sit abscecta illa particula. Nam quæ Scriptura tacuit, ea quærere non oportet, præsertìm ubi nulla utilitas. Dici autèm posset, quod quandò abscectum terràm tetigit, illam quoquè sanctificarit, sicùt etiàm sanguis, & aqua, quæ ex latere ejus fluxerunt. Et videtur, quod servarit particulam illæsam, & in Resurrectione iterùm reassumpserit, ut hæc particula non inveniatur deesse. Quippè & nos in Resurrectione perfectum Corpus reassumpturi sumus.*

Theophylactus in cap. 2. Lucæ pag. 145 6.

S. Bonaventura in lib. 4. Sententiar. de Præputio Christi Domini loquens, affert in medium plures dicendi modos in hujus generis materiâ, hunc in modum: *Præputium, vel non fuit de Carne Christi secundùm speciem, sed divinâ dispensatione parum de carne secundùm materiam ibì fuit, ut daretur nobis in devotionem, sicùt reliquiæ, & sic dicendum est de sanguine; vel aliquid fuit de veritate; & illud resurrexit cum Christo, & illud est in Cœlo; & residuum mansit. Aliqui tamèn dicunt, quòd circumcisi resurgent sine Præputio, quia illud signaculum est ad decorem. Et si tu obiicias, quòd totum resurget; dicunt, quòd verum est totum, quod spectat ad esse, vel pulchritudinem: & ideò non est instantia de Præputio. Quod autèm horum verius sit, difficile est scire; tamèn, quocumque modo dicatur, verum est, quòd totus Christus, idest perfectus, quantùm ad esse, & benè esse in Cœlo est.* Hæc S. Bonaventura, qui tandèm ad partem de Præputio reassumpto affirmativam declinare videtur. Si aliquid autèm hisce in Terris de Præputio remanserit, illud non esse propriam corporis partem, sed pelliculam quandam innuere videtur, ut Medina interpretatur.

S. Bonavent. cap. 4. d. 12. dub. 2. litterali.

Resurgentes sine Præputio.

Gabriel Byel in supplemento quarti libri Sententiarum idem ferè sentit, dum dicit, *totum resurrexisse in Salvatoris nostri Corpore, & in nobis resurrecturum esse totum illud, quod ad humanæ naturæ veritatem, aut perfectionem, tam de Sanguine, quàm de Præputio pertinet.*

Byel. lib. 4. d. 44. qu. 1. ad calcem.

Bar-

Bartholomæus à Medina in 3. p. q. 54. art. 2. post explicatam S. Bonaventuræ opinionem ait: *Sed non videtur dubitandum, quin Christus habeat Præputium in Cœlo.* Et infrà post traditionem de Præputio in Ecclesiâ Lateranensi asservato recitatam, & post aliquorum Doctorum opinionem dubitativam in medium allatam, ità asseverantèr ait: *Sed quidquid sit de hoc, habeo pro certo Christum habere Præputium in Cœlo, vel reassumptum idem, quod habuit in Terrâ, vel formatum ex aliâ materiâ.* Hæc Medina.

Bartholom Medina in. 3.p.5.Thomæ q.54. art.2.ad calcem,

Præputium reassumptũ, vel idem, vel ex alia materia.

Franciscus Suarez in 3. p. q. 54. disp. 47. sect. 1. post opiniones, & quidèm varias recitatas, hac itèm de re fusiùs, & fortassè satìs bellè loquitur, dicens; *Quia Præputium est particula humani Corporis ad ejus integritatem aliquo modo pertinens; Ergò non deest nunc Corpori Christi in Cœlo; quia esset aliqua imperfectio, cujus nulla sufficiens causa fingi potest.* Hæc ibi Suarez. Quoniam verò nonnulli, ut Præputium à Christo Domino non fuisse reassumptum, sed hisce in Terris manere ostendant; omnes Beatos in Resurrectione habituros esse circumcisa Corpora opinando censuerunt; hanc opinionem de iis præsertìm, qui in hac vitâ circumcisi non fuerunt, tamquàm fabulosam, & judaicam reiicit, idque prorsùs incredibile esse affirmat. Deindè inquit; *Cur humanum Corpus non habebit in Beatitudine omnem illam naturalem perfectionem, & substantialem integritatem, quam in primâ Creatione habuit, & in statu Innocentiæ haberet? Aut cur potiùs virile Corpus, quàm fœmineum ex parte aliquâ mutilum futurum erit? Quòd si in aliquo futurum est integrum, & sine ullo defectu, maximè in Christo.* Hæc Suarez, qui traditionem & historiam de particulâ Præputii in Ecclesiâ Lateranensi asservatâ sub dubio cum Innocentio III. relinquit. Deindè opinionem Byelis dicentis probabile esse, Præputium simùl manere in Terrâ, & in Corpore Christi, ibique reformari animâ rationali, & vivere; in terrâ verò inanime esse, confutat hisce verbis; *Sed mihi non videtur hoc credibile; non quòd existimem implicare contradictionem; sed quia nulla est causa tanti miraculi, nec probabile fundamentum, ut illud credatur.* Hæc ibidem Suarez, qui ut rationem S. Bonaventuræ magis probabilem reddat, ait hunc in modum; *Mihi dicendum occurrit, particulam illam Præputii formaliter* [*ut sic dicam*] *esse de integritate Corporis, non autem materialiter, idest, ut constans ex illâ individuâ parte materiæ, ex qua constabat Præputium in Circumcisione abscissum*, juxtà doctrinam generalitèr superiùs datam de veritate Resurrectionis; ubi ex Sententiâ S. Augustini, & S. Thomæ diximus, non esse ad veram Resurrectionem simpliciter necessarium, ut omnes partes materiales Corporis ex eisdem numero partibus materiæ constent, ex quibus priùs constabant; sed sat esse, ut totum constet ex eâdem materiâ totâ; & ad majorem perfectionem satìs etiàm esse, ut principales partes, seù organicè omninò eædem sint, & ex eâdem materiâ. Quòd verò minima aliqua materialis pars interdùm ex aliâ materiâ suppleatur, nihil obstat tàm veritati, quàm perfectioni Resurrectionis, præsertìm si illamet materia fuit aliquandò pars ejusdem Corporis. *Sic* [inquit Suarez] *in præsenti dici potest Corpus resurgens habuisse Præputium formatum ex aliquâ parte materiæ illius, quæ aliquandò fuit in Corpore Christi, & per continuam nutritionem resoluta fuerat*: particulam verò illam, quæ in circumcisione abscissa fuerat, relictam esse in terris ad fidelium devotionem. Hoc modo [inquit Suarez, ut aliorum opiniones conciliet] *& salvatur perfecta integritas Corporis Christi resurgentis, & fides humana adhibetur traditioni asserenti, Christi Præputium manere in Terris: Nequè in hoc* [inquit] *apparet ulla difficultas, vel inconveniens. Nam etiàm illamet particula temporè infantiæ abscissa, non constabat ex totâ materiâ necessariâ, ut restitueretur in eâ quantitate, quam corpus perfectæ magnitudinis requirit. Oportebat ergò addere aliquid materiæ; id scilicèt, quod in vitæ progressu acquisitum esset per nutritionem. Rursus illamet particula materiæ, qua constabat Præputium in infantiâ fortassè, si tunc non fuisset abscissa, per continuam nutritionem fuisset resoluta, sicùt de materiâ aliarum partium est verisimile; ergò non oportuit assumere Præputium ex illâmet materiâ. Et hoc est satìs ad rem incertam; dummodò certò constet, Christi Corpus in Cœlo hac parte non carere.*

Suarez qu.54. art.4. disp.47. sect.1.

Opinio de Resurrectione sine Præputio.

Byel ubi suprà.

Præputium animatum, & inanimatum

Ratio S. Bonaventuræ probabilior redditur.

Partes non eædem numero.

Conciliatio.

Præputium in infantia non constabat ex totâ materia.

Hæc Suarez, & ut varias conciliet opiniones, præsertìm verò, ut rationem, & opinionem S. Bonaventuræ magis probabilem reddat. Quarè hunc in modum Præputium hisce in terris manere, nec tamèn Christi Corpus absquè Præputio in Cœlo esse ostendit. Favet itèm traditioni de Præputio in Ecclesiâ Lateranensi asservato; & Christi Corporis integritatem, vel humanæ naturæ veritatem esse demonstrat; probabilissimâque ratione utrumque in suo robore satìs bellè conservat.

Præputium in Terra, & in Cœlo.

De Præputio in Basilicâ Lateranensi asservato, Historia pro traditione conscripta.

AD illam de Præputio Domini in Basilicâ Lateranensi asservato traditionem, & historiam juvandam, atquè confirmandam, non desunt, qui dicant, Præputium ipsum à Beatâ Mariâ sempèr Virgine, Christi Domini Matre, summâ diligentiâ, & veneratione fuisse asservatum. Id quod per se verisimile est, ut ait Suarez, necnon charitati Virginis consentaneum censetur.

Præputium à B. Virgine servatum.

Suarez.

Huic itèm Historiæ, ac traditioni favet illud, quod in Sexto Revelationum S. Birgittæ libro scriptum invenitur hisce verbis: *Maria* ait: *Cùm filius meus circumcideretur, ego membranam illam in maximo honore servabam, ubi ibam. Quomodò enim ego illam traderem Terræ, quæ de me sinè peccato fuerat generata. Cùm tempus vocationis meæ de hoc Mundo instaret, ego ipsam commendavi Sancto Joanni custodi meo, cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus ejus, quando depositus eum*

S. Birgittæ revel. lib. 6 cap. 112.

eum de Cruce. Post hoc Sancto Joanne, & Successoribus ejus sublatis de Mundo, crescente malitiâ, & perfidiâ, fideles, qui tunc erant, absconderunt illam in loco mundissimo sub terrâ, & diù fuit incognita, donèc Angelus Dei illam amicis Dei revelavit. O Roma, ò Roma, si scires, gauderes utiquè: Immò si scires flere, fleres incessantèr, quia habes thesaurum mihi carissimum, & non honoras illum. Hæc ibi S. Birgitta, cujus verbis traditio extat, & historia de Præputio, quod Carolo Magno ab Angelo in Jerusalem revelatum fuit, & à Carolo Magno ad Aquisgranum fuit asportatum. Deindè Romam multos post annos delatum, ut etiàm refert Sixtus IV. in libro de Sanguine Christi, veritate septimâ.

Sixtus IV.

Quòd autèm Præputium in Basilica Lateranensi fuerit asservatum, multi sanè scriptores, tàm veteres, quàm recentiores testantur. Id quod etiàm ex vetustissimis libris, qui in Archivo Lateranensi asservantur, constat; In direptione autèm Urbis cum cæteris rebus a militibus fuit ablatum: deindè Calcatam non procùl ab Urbe sitam, asportatum, ubi nunc extare dicitur, ut ex processu constat, superioribus annis præstito; necnon ex eo quod in hanc rem scripsit Cardinalis Toletus, qui in secundo Evangelii Lucæ capite interpretando, in quo sermo habetur de Christi Domini Circumcisione, multa pro hac re comprobanda conscripsit.

Calcata.

Tolet. in cap. 2. Lucæ.

Epilogus de Præputio Christi Domini in Resurrectione reassumpto, & in Basilicâ Lateranensi asservato.

Quæ intèr se pugnare videntur de Christi Domini Præputio reassumpto, & in terris asservato per distinctionem conciliantur. Unum enim, & idem distinctis in locis, ac diversis esse duobus modis intelligi potest; hoc est, vel idem numero, vel idem specie. Primo modo nonnisi supranaturalitèr per potentiam divinam concedi potest. Nam sicùt Deus juxtà S. Thomæ, & omnium Theologorum sententiam suâ virtute, ac potentiâ facere potest, ut duo simul corpora eodem in loco supernaturalitèr sint, duæque contrariæ item qualitates, passibile scilicèt, & incorruptabile supernaturalitèr futurum sit in damnatorum corporibus, quæ semper incorrupta manebunt, alterationi, & passioni obnoxia; ita suâ Deus potentiâ, & virtute facere potest, ut unum, & idem Corpus quantùm, diversis in locis supernaturalitèr existat. Præputium tamèn non sic se habet, quia non idem numero, sed idem specie in Cœlo, atque hisce in terris manet. Nam si Præputium apùd nos conservetur (id quid ad fidelium devotionem factum esse piè creditur) illamet membranæ particula, seù pellicula abscissa in Circumcisione hisce in terris remansit. Quoniàm verò particula membranæ illa tempore infantiæ abscissa, non constabat ex totâ materiâ necessariâ, sivè quantitate, quam Corpus perfectæ magnitudinis requirebat, quamque in vitæ progressu per continuam acquisivisset nutritionem; Præputium juxtà propriam Corporis perfecti magnitudinem, non idem numero, sed idem specie, hoc est, ex eâdem sui Corporis carne, ac pelle in Resurrectione reassumpsit, ut ratio maximoperè postulabat. Si enim, ut Theologi volunt, Adam, & Beati omnes tam circumcisi, quàm non circumcisi, corpora in Resurrectione habebunt integra absquè etiam hujusce partis defectu; id multò magis de Christo Domino credendum.

Suarez 3. p. qu. 55. disp 48. sect. 5. Duo corpora in eodem loco, & unum, & idem corpus in diversis locis.

Præputium reassumptum & asservatum non idem numero, sed specie.

Beati omnes Corpora habebunt integra.

In re itàque tam incertâ hunc in modum non solùm variæ scriptorum opiniones conciliantur, sed etiàm Corporis Christi resurgentis perfecta salvatur integritas, & fides humana adhibetur traditioni, quæ Christi Domini præputium in terris manere affirmat, ex eâ præsertìm historiâ, quam Viri graves, quos hoc in loco brivitatis causâ silentio prætermittendos censemus, scriptam reliquerunt, Revelatione Sanctæ Birgittæ accedente.

Hæc de Præputio, quatenùs incerta patitur res, dicta sufficiant, variis opinionibus conciliatis.

Parergon Corollarium de Præputio Christi Domini in Resurrectione reassumpto, & in terris relicto; deque hujus adoratione.

Quamvìs illud Theologicum de Divino Verbo Axioma, *quod semel assumpsit, nunquàm dimisit*, non propriè de pelliculâ illâ abscisâ in circumcisione; sed de naturâ humanâ primò assumptâ, & de partibus essentialibus, ac principalissimis ad propriam naturæ humanæ veritatem, & integritatem pertinentibus, quæ sunt Corpus: & anima, intelligendum sit, tamèn etiàm de ipsâ pelliculâ, sivè Præputio adimpletum esse constat. Christus enim in Resurrectione reassumpsit Præputium juxtà, utì jam diximus, quantitatem, quam Corpus perfectæ magnitudinis requirebat, pellicula illa, quæ fuit in circumcisione abscissa, in terris relicta, quippè quæ non propriè pars Corporis erat, nec ità abscissa Divinitati vnita censetur, sicùt unita semper fuit Corpori ejus in sepulcro, & animæ apùd inferos. Nam eadem Christi Persona, sicùt universa Theologorum fatetur schola, in illo triduo apùd inferos fuit, & in sepulcro jacuit. Quamvis autèm pellicula illa ad fidelium devotionem in terris relicta, Divinitati unita esse non censeatur, ut Theologi volunt, ea tamèn, tamquàm olim particula quædam Christi Domini Corporis, quod semper fuit, & est Divinitati unitum adoratione Latriæ adoranda est juxtà quartum adorationis Latriæ modum, quem explicavimus in Commentario nostro supràpositio de toto Christi Sanguine in Resurrectione reassumpto. Hæc de Christi Domini Præputio mihi dicenda videbantur. Quæ sanè omnia melioris Judicii censuræ subjecta esse volo, ac declaro. Errare enim possum, correctionem subire paratus, ut errata si quæ

Axioma Theologicè.

Eadem Christi persona in sepulcro, & apud inferos.

Particula præputii non unita Verbo.

in hoc

in hoc reperiantur Commentario, ex charitate christianâ corrigantur, & emendentur.

Quæritur, quid fiet de Præputio in die Judicii, si in terris remansisse concedatur.

SUnt, qui velint Præputium in Christi Corpus resolvendum sine magnâ mutatione, sicuti fieri posse colligitur ex eo, quod S. Thomas scriptum reliquit 3. p. quæst. 55. art. ultimo de cibo sumpto post Resurrectionem ejusdem Christi Domini.

Alii verò, qui pelliculam illam ad integritatem speciei non pertinere volunt, incinerandam esse post diem Judicii opinantur, dicentes cum S. Bonaventura, Judæos remansuros cum ipso signo Circumcisionis. Id quod etiàm intelligendum esse dicunt de Præputio Christi Domini, qui est remansurus cum cicatricibus in signum Passionis. Ipsa verò incineratio facilè colligitur ex Sententiâ Thomistarum, qui ponunt resolutionem usquè ad materiam primam.

Alii deniquè, & fortè melius, in aliquâ parte Cœli dictam pelliculam conservandam esse volunt, si illa in terris remansisse concedatur: Nam si in terris remansit, constat eam ad hanc usquè diem miraculosè non esse incineratam, sed conservatam. Ergò post diem Judicii conservabitur in aliquâ parte Cœli, sicùt gravissimi Auctores faciendum esse credunt de Cruce, & de Mysteriis Passionis Christi Domini. Quæ in die Judicii præcedent, deindè in Cœlo conservabuntur, ut ipsi opinantur, & rationabiliter quidèm.

Imago Crucifixi cedrino ligno à Nicodemo ex [a] Phariſæis homine, & ex Principibus Judæorum uno, [b] Diſcipuloque Chriſti Domini ante Paſſionem occulto, inciſa, & Lucæ aſſervata.

(a) Io: 3. & Gloſs. Interlin. (b) Nic. Lyr. in c. 19. Io:



Imago Crucifixi cedrino itèm ligno à S. Luca Evangeliſta, & [a] individuo S. Pauli omnis peregrinationis Comite, inciſa, & Siroli propè Anconam aſſervata.

(a) S. Hier. de vir. ill. & Lyr. in 2. epiſt. ad Timoth. 4.

Imago Crucifixi tempore Joannis Papæ VII. opere muſivo ſuprà Portam Sanctam, ad interiorem veteris Baſilicæ Sancti Petri partem, olim repræſentata circà Annum Dom. DCCVI.



Imago Crucifixi argentea in Sacrario Baſilicæ S. Petri aſſervata, quam Carolus Magnus Imperator, à Leone III. Pont. Max. Romæ coronatus, eidem Baſilicæ dono dedit, circà Annum Dom. DCCCXV.

DE

DE PARTICULA
EX PRETIOSO, ET VIVIFICO LIGNO
SACRATISSIMÆ
CRUCIS
SALVATORIS
JESU CHRISTI
DESUMPTA

Sacris Imaginibus, & Elogiis eodem Ligno inciſis inſignita, & in Apoſtolico Sacrario aſſervata.

COMMENTARIUS.

DE Particulâ ex pretioſo, & vivifico Ligno ſacratiſſimæ Crucis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti deſumptâ nos verba facturi, de ipſius primùm Particulæ antiquitate, atquè inventione loquemur, luculentiſſimis in hanc rem teſtimoniis adhibitis, & in medium allatis.

Deindè cujuſnam Arboris fuerit Lignum Sanctiſſimæ Crucis, opiniones diverſorum Scriptorum, rationibus eorundem recitatis, oſtendemus.

Tertiò Imagines, & literas in eâdem Ligni Particulâ inciſas declarabimus.

Quartò deniquè Crucifixionem Dominicam quatuor clavis tamquàm propriam, ac veram demonſtrabimus fuiſſe repræſentatam in hac Ligni Particulâ, quam præ manibus habemus.

CAPUT I.

De Particulæ Sanctiſſimæ Crucis antiquitate, ac inventione.

BEda, vir in divinis Scripturis ſtudioſiſſimus, & valde eruditus, atque in ſecularibus literis peritiſſimus, Philoſophus, Aſtro-

Astronomus, Calculator, & Poeta insignis, Græcique sermonis, ut ait Tritthemius, non ignarus, in Martyrologio, die 9. Septembris, & fusiùs in libro de sex Ætatibus Mundi, Anno Mundi 4652. de hac Sanctissimæ Crucis Portione in hanc loquitur verborum formam: *Papa Sergius in Sacrario Beati Petri Apostoli capsam argenteam, quæ in angulo obscurissimo diutissimè jacuerat, & in eâ Crucem diversis, ac pretiosis lapidibus adornatam, Domino revelante, reperit; de qua tractis quatuor petalis, quibus gemmæ inclusæ erant, miræ magnitudinis portionem Ligni salutiferi Dominicæ Crucis interiùs repositam inspexit; quæ ex tempore illo annis omnibus in Basilica Salvatoris, quæ appellatur* Constantiniana, *die exaltationis ejus ab omni osculatur, atquè adoratur Populo.* Hæc Beda, qui Sergii Papæ, hujus nominis primi, contemporaneus fuit. Is enim Sergius circà Annum Domini 690. in suo vixit Pontificatu, obiit autèm Anno Domini 701. Beda verò ex hac vitâ decessit Anno Dom. 732. Anno ætatis suæ 72. sub Flavio Leone Imperatore, & Gregorio III. Pontifice Maximo. Istucipsum Anastasius Bibliothecarius Apostolicus in Scripturis divinis eruditus, & in secularibus item literis insignitèr doctus, Græcâ, & Latinâ linguâ admodùm peritus, in ejusdem Sergii vitâ de hac etiàm Ligni Sanctissimæ Crucis portione sub iisdem ferè verbis ità scriptum reliquit: *Hic Beatissimus Vir in Sacrario Beati Petri Apostoli capsam argenteam in angulo obscurissimo jacentem, & ex nigredine transactæ annositatis, nec si esset argentea, apparentem, Deo ei revelante, reperit. Oratione itaquè factâ, sigillum expressum abstulit, locellum aperuit, in quo interiùs plumacium ex holoserico superpositum, quod* stauracis *dicitur, invenit; eoque ablato, inferiùs Crucem diversis, ac pretiosis lapidibus peromatam inspexit, de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clausæ erant miræ magnitudinis, & ineffabilem portionem salutaris Ligni Dominicæ Crucis invenit. Quæ etiàm ex die illo pro salute humani generis ab omni Populo Christiano die exaltationis Sanctæ Crucis in Basilicâ Salvatoris, quæ appellatur* Constantiniana, *osculatur, & adoratur.* Hæc Bibliothecarius. Istuc deniquè ipsum ex Beda, vel ex Bibliothecario iisdem ferè verbis desumptum Luitprandus Ticinensis, Albo Floriacensis, & Ado Viennensis in Chronicis in ejusdem Sergii vitâ; Necnon Usuardus in Martyrologio, die 9. Sept. Ciacconius cap. 34. in lib. de Signis Sanctissimæ Crucis scriptum reliquerunt; & omnes ferè mentionem fecerunt de quatuor petalis aureis, quæ non sunt nisi laminæ. Petalum enim, brevi secundâ syllaba πέτελον, vox Græca est, quæ apùd Latinos *lamina* dicitur. Hinc Josephus in lib. 8. Judaicarum antiquitatum cap. 2. dum de Templi Hierosolymorum loquitur pavimento, utitur hac voce. In textu autèm latino in hunc legitur modum: *Pavimentum etiàm Templi constravit laminis aureis.* Ruffinus verò hunc locum ità vertit: *Stravit pavimentum Templi petalis aureis.* Qua re per petala illa aurea nonnisi laminæ aureæ intelligendæ sunt.

Quòd autèm commemorati Scriptores de Sanctissimæ Crucis Ligni portione, quam præ manibus habemus, non de aliâ sermonem habuerint, satis profectò constat ex insigni testimonio Onuphrii Panvinii (Paulo Manutio teste) antiquitatum helvonis, qui in libello de septem Urbis Ecclesiis propè finem Basilicæ Lateranensis ad eum locum, in quo agitur de Oratorio, quod *Sancta Sanctorum* nuncupatur, de hac Ligni Sanctissimæ Crucis portione ità inquit: *Intèr cæteras reliquias pretiosissimas, & certissimas aliquandò fuit ibi pars Ligni Sanctissimæ Crucis, cujus meminit Beda in libro de sex ætatibus Mundi, Anno Mundi 4652.* &c. ubi omnia, quæ de hac Historiâ scripsit Beda, ad verbum recitat Panvinius, deindè post cætera verba nupèr ex Beda, & Bibliothecario à nobis recitata, ad hujusce rei propositæ confirmandam ità scribit: *Hanc Ligni Sanctissimi portionem excidio Urbis sub Clemente VII. à militibus aliquot, thecâ argenteâ direptâ, ablatam, Pontifex prodigiosè, & non sine ope divinâ recuperavit; & aureâ, cristallinâque Cruce inclusam, in Palatio Vaticano, ubi est Sacristia Pontificia, servari jussit.* Hæc Panvinius ad verbum, necnon Alfonsus Ciacconius de ipsâ Sanctissimæ Crucis portione, quæ tanta est, quanta in hujusce libri fronte cernitur repræsentata: circino enim undequaquè fuit commensurata; cujus crassitudo, vel profunditas, ut infrà videre licet, latitudinem indicis, qui est digitus pollici manus proximus ostendit. Hæc autèm Crucis Particula circumligata est intrà argenteam, & auratam quamdam zonam, sivè fasciolam, aut lamellam, in qua Græcæ literæ, sivè voces, in hanc grandiorem incisæ leguntur formam:

Primùm quæstum, Portio Dominicæ Crucis miræ magnitudinis, Beda Sergii contemporaneus anno Dom. 690. Anast. Biblioth. in vit. Sergii. Dominicæ Crucis portio ineffabilis. Luitprandus. Albo flor. & Ado A.C.696. Vsuardus, & Alfon. Ciacc. Josephus. Ruffinus. Paulus Manut. Ep. lib. 2. Ep. 9. Panvin. antiquitatum helvo. Pag. 138. Onuph. Panvin. Alfonsus Ciaccon. in libello de signis Sanctis. Crucis, & alii. Particulæ Crucis quantitatis.

ΜΕΡΙΔΙΟΝ ΕΚ ΤΟΥ ΤΙΜΙΟΥ
ΚΑΙ ΖΩΟΠΟΙΟΥ ΞΥΛΟΥ
ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΙΥ ΧΥ

Hoc est

Particula ex pretioso, & vivifico Ligno Salvatoris Jesu Christi.

Figu-

Figurâ, quæ infrà cernitur, delineata, est latitudo zonæ, sivè fasciolæ, aut lamellæ argenteæ, atquè auratæ, quæ circumcingit Sanctissimæ Crucis Particulam, ejusque crassitudinem, vel profunditatem repræsentat, necnon literas, vel voces Græcas in eâdem fasciolâ, sivè lamellâ incisas comprehendit.

Latitudo Lamellæ,



Quisnam verò hanc Dominicæ Crucis Particulam sacris Iconibus, characteribusque, aut literis Græcis, ac Ruthenicis, vel Servianis insignitam, & Romam, & ad quemnam Romanum Pontificem miserit, certò haùdquaquàm scire potui; eam tamèn à Græco forsàn viro, Ruthenicæ aut Servianæ linguæ non ignaro ad Sanctum Leonem Papam, hujus nominis Primum, missam fuisse, conjecturam facio, ex Epistolâ dicti Leonis ad Juvenalem Episcopum Hierosolymitanum scriptâ persuasus. Nàm ad ejusdem Epistolæ calcem hæc Leo ipsi Juvenali, & brevissimè quidèm, scripsisse invenitur dicens: *Particulam Dominicæ Crucis cum Eulogiis dilectionis vestræ venerantèr accepi.* Hucùsque Leo, qui floruit circà annum Dom. 450. antè Sergium trecentos circitèr annos. Sergius enim vixit circà annum Dom. 690. Idcircò ex trium ferè centuriarum, ut ità dixerim, intervallo, quod intèr Leonem, & Sergium interceßit, dicta Sacratissimæ Crucis Particula antiquissima esse comprobatur, satisquè bellè illustrantur verba Bibliothecarii dicentis: *Beatissimus Sergius in Sacrario Beati Petri Apostoli capsam argenteam in angulo obscurissimo jacentem, & ex nigredine transactæ annositatis, nec si esset argentea, apparentem, Deo ei revelante, reperit.* Hæc Anastasius Bibliothecarius de capsâ argenteâ in qua Dominicæ Crucis asservabatur Particula, quæ quàmvis à Beda *miræ magnitudinis*, & à Bibliothecario *ineffabilis Portio* nuncupetur, quantitas tamèn ipsa, hoc loco à nobis repræsentata, verbis non refragatur Panvinii, qui ait Portionem miræ magnitudinis à Beda superiùs commemoratam, esse illam, quæ nunc in Apostolico Sacrario intrà crystallinam Crucem asservatur. Nàm dicta quantitas intèr alias Dominicæ Crucis portiones, quæ diversis in locis asservantur, comparata, miræ magnitudinis dicenda esse censetur. Adde etiàm, quòd nec in Basilica Salvatoris in Laterano, quæ etiam *Constantiniana* nuncupatur; nec in Basilica Sanctæ Crucis in Hierusalem, nec alibì tanta Dominicæ Crucis portio invenitur, quanta erat illa à Sergio Papa eò translata, quæ nunc in Apostolico Sacrario asservatur. Nàm suprà Absidem primariam Basilicæ Sanctæ Crucis in Hierusalem extat Oratorium, in quo intèr alias pretiosas Reliquias asservantur tres Particulæ Sanctissimæ Crucis. Pars Tituli Dominicæ Crucis major, cum hebraicis literis, græcis, ac latinis ligno incisis, quæ omnes Hebraico more, à dextra scilicèt ad sinistram leguntur, hoc est, JESUS NAZARENUS REX JUDEORUM. Sed prima, & ultima dictio desiderantur, ligno ipso fracto, ac deficiente ob tantam vetustatem. Extant ibì etiàm duæ Spinæ illius coronæ Christi Domini Cruci affixi. Unus itèm ex triginta argenteis, quibus fuit venditus; necnon unus ex clavis, quibus Cruci fuit affixus. Quæ omnia non semel venerantèr vidi, miroque animi mei solatio contrectavi. Tres verò illæ Particulæ, ut ipsa traditio docet, desumptæ sunt ex tertiâ illâ Dominicæ Crucis parte, quam Helena Magni Constantini Mater misit Romam ad Basilicam Sanctæ Crucis in Hierusalem. Helena enim, quæ Dominicam Crucem invenit, unam Partem Hierosolymæ reliquit; Alteram Constantinopolim ad Constantinum misit Filium; Tertiam autèm Romam, ad dictam misit Basilicam, in qua præsens in tempus nonnisi tres illæ supersunt particulæ, quas Onuphrius Panvinius in libro de septem Ecclesiis Urbis Romæ in reliquiis ejusdem Basilicæ recensendis tres frustulas appellat, parvas videlicèt Particulas. Particula verò in Apostolico Sacrario asservata, quantùm ad longitudinem, latitudinem, & profunditatem, sivè crassitudinem, dictarum trium Particularum quamlibet omninò cernitur superare.

Quòd autèm pretiosissimæ Crucis Particula ad Sanctum Leonem Primum à Juvenale Hierosolymitano Episcopo missa, ea sit, quæ nunc præ manibus habetur, & in Apostolico Sacrario asservatur, per Eulogia in quarto casu pluralis numeri cum Dominicæ Crucis Particulâ à Juvenale missâ ad Leonem, satis congruentèr probatur; *Eulogium* enim, sive *Elogium* vox Græca profectò est, quæ intèr alias significationes, ut Joannes Genuensis in suâ summâ catholicâ inquit, *Laus electa, vel summàtim collecta* latinè interpretatur, à verbo Græco, εὐλογέω dicta; quod est benedicere, laudare, aut honorificè aliquâ de re loqui, sivè prædicare, aut celebrare: quorum verborum sensus comprehenditur in brevissimis illis Inscriptionibus, quæ in Dominicæ Crucis Particulâ cum sacris Iconibus incisæ leguntur, ac tertio loco explicandæ à nobis propositæ sunt. Adde etiàm, quòd Sanctus Leo Papa particulam Dominicæ Crucis cum eulogiis venerantèr se accepisse fatetur:

S. Leo ep. 78. tom. 1. part. 2. pag. 249.

S. Leo I. anno Dom. 450. Sergius I. anno Dom. 690.

Anast. Biblioth.

Reliquiæ in Basilica S. Crucis in Hierusalem.

Panvin. de Basil. S. Crucis in Hier.

Eulogia quid.

Io: Gen. in Dict. Catholicon. dicto.

tut : quæ profectò *Eulogia*, in recto pluralis numeri, seu *Elogia*, pro laudibus desumpta, si non essent illa, quæ in Particulâ Dominicę Crucis circà Imagines extant incisa, ea venerantèr se accepisse non dixisset, nè rebus non sacris venerationem præstare videretur. Sed eulogias, pro munificentiâ, vel pro muneribus, & id genus aliis rebus non sacris desumptas, ab ipsa Dominicæ Crucis Particulâ sejunctas separatìm nominasset. Si autèm pro illâ voce, *Eulogiis*, in sexto pluralis numeri casu pronunciatâ, Eulogiæ pro sacris muneribus, ex charitatis, ac venerationis affectu missis hoc in loco sumerentur, ut etiàm sonat vox ipsa Græca, ἐυλογία, *Eulogia*; Sanctus Leo absolutè dixisset: *Eulogias dilectionis vestræ venerantèr accepi*: Ut intèr Eulogias, ideſt, sacra dona, illam quoquè Dominicæ Crucis comprehenderet Particulam, quæ erat itèm donum. Vel dixisset: *Particulam Dominicæ Crucis cum aliis Eulogiis dilectionis vestræ venerantèr accepi*: addidisset enim illam dictionem, *aliis*, ut Particulam Dominicæ Crucis Eulogiam esse, hoc est, munus charitatis, & venerationis affectu, missum, ostenderet. Eulogia itaquè illa, de quibus nunc sermo habetur, non pro muneribus, aut eleemosynis, quæ dicuntur Eulogiæ, sed pro laudibus, aut inscriptionibus, vel benedictionibus, quæ latinè dicuntur *Elogia*, sacris Imaginibus in ipsâ Dominicæ Crucis Particulâ incisa leguntur, accipienda censentur: Nàm benedictiones pro laudibus frequentissimè in Scripturâ sacrâ sumi solent juxtà illam Apocalypseos Auctoritatem: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, &c.* quo in loco vox illa, *Benedictio*, à Glossâ Ordinariâ, & à Lyrano interpretatur, *Laus*, græcè autèm ἐυλογία, *Eulogia* dicitur. Græcus enim textus, ità ibìdem legitur: ἡ ἐυλογία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ σοφία, καὶ ἡ ἐυχαριστία. Hinc in multis itèm Scripturæ sacræ locis, juxtà græcum textum legitur modò ἐυλογημένος, modò ἐυλογητός, idèst, *Benedictus*, vel *Laudatus*. Quę sanè loca brevitatis gratiâ, cum sint multa, silentio videntur prætermittenda.

Eulogia quid.

Apoc. 7.

Gl. Ord. & Lyran.

Matt. 21. Marc. 11. Luc. 1. Io. 12. Ephes. 1.

Adde etiàm, quod ex illâ voce, *Eulogiis*, in sexto pluralis numeri casu, non magis Eulogia in singulari numero, quàm Eulogium sumi posse censetur. Eulogium autèm citrà omnem dubitationem nonnisi pro dicto sententioso, ac brevi, necnon pro testificatione de aliquo honoris præsertìm, vel vituperationis causâ suscipitur, ut omnes fatentur; hinc in plurali etiàm numero Eulogia dicuntur *Laudes electæ, ac summatìm collectæ*, velutì sunt illæ in alicujus Imagine Laudes conscriptæ, quæ à nobis, *Elogia*, dicuntur: à Latinis enim pro, *Eulogio*, *Elogium* dici solet, ut apud Ciceronem pluribus in locis, necnon apùd alios latinos Auctores videre licet. Usus est itèm hac voce Sanctus P. Augustinus in sermone de Beatâ Mariâ semper Virgine dicens: *Præcisum est in eâ illud Evæ infelicitatis Elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos, quia ipsa in lætitiâ Dominum peperit.* Hæc S. P. Augustinus, quasi dixerit:

Eulogium quid sit.

Nizol. in thes. & Dict. Papias in Dict. Jo. Gen. in Cathol. & alii.

S. Aug. serm. 18. de Sanctis qui est 2. de annun. to. 10. Ex Brev. in Nativ. Beatæ Mariæ.

Elogium doloris, ac tristitiæ, in Elogium lætitiæ mutatum est, quod scilicèt Elogium lætitiæ nonnisi in Beatæ Mariæ semper Virginis laudem sumi potest, ac debet. Propterèà libri illi, in quibus hominum insignium testificationes, vel laudes narrantur, *Elogia virorum illustrium* vocitantur, ità inscripti. Per Eulogia igitùr, vel Elogia cum particulâ Dominicæ Crucis a Juvenale Episcopo ad Leonem Papam, hujus nominis Primum, missâ Laudes electæ, vel summatìm collectæ in ipsâmet Dominicæ Crucis Particulâ incisæ intelligendæ censentur; quæ sanè Laudes cum ipsis Imaginibus infrà suo loco explicabuntur.

Quàmvis autèm Ruthenorum Christianitatem circà annum Domini nongentesimum nonagesimum cœpisse, nonnulli scribant; non desunt tamèn, qui eorumdem conversionem multò antiquiorem fuisse affirment; atquè ità esse contendant; quorum è numero est Matthias Michovienſis. Is enim in lib. 2. cap. 1. & alibì de rerum Polonicarum antiquitate scribens, ità inquit: *Russi* (hoc est Rutheni) *Intèr Sanctos colunt plus Thaddæum Apostolum, asserentes, quòd eos converterit, & fidem Christi docuerit; deindè Bartholomæum Sanctum Dei Apostolum venerantur, per quem multos Articulos, ut ipsi asserunt, de Fide acceperunt.* Hæc Matthias Michovienſis dicto in loco ex traditione Populi acceptâ, & alibì de Ruthenorum conversionis antiquitate. Quæ sanè omnia, & multò plura in hanc sententiam refert S. R. E. Cardinalis Baronius in appendice ad septimum Annalium Tomum de Ruthenis ad communionem Sedis Apostolicæ à Clemente VIII. receptis, ubi dictam Ruthenorum conversionis antiquitatem, à Matthiâ Michovienſi enarratam, laudat hisce verbis: *Cui* (scilicèt Matthiæ) *magis assentior, quàm iis, qui Ruthenorum Christianitatem cœpisse tradunt circà Annum Domini nongentesimum nonagesimum, quos errare omninò, proximè dicturi sumus.* Hæc Baronius. Hujus generis antiquitati, quam de Ruthenorum conversione Michovienſis narrat, adsimili scriptum reliquit Sigismundus Liber in rerum Moscovitarum commentariis in hanc verborum formam: *Rutheni in Annalibus suis apertè gloriantur, antè Vvolodimerum, & Olham*, (quam primam intèr Ruthenos Christianam fuisse ajunt) *Terram Russiæ* (undè *Russi*, *Russeni*, & *Rutheni* vocitantur) *esse baptizatam, & benedictam ab Andreâ Christi Apostolo, quem ex Græcia ad ostia Borysthenis venisse affirmant; & adverso flumine ad montes, ubi nunc Chiovvia est, navigasse, atque ibi omnem terram benedixisse, & baptizasse, Crucem suam illic collocasse, prædixisseque magnam ibi Dei gratiam, multasque Ecclesias Christianorum futuras.* Hæc Sigismundus Liber. Tantâ itaque Christianæ Religionis intèr Ruthenos antiquitate comprobatâ, usus Ruthenicæ linguæ cum Græcâ conjunctus, & in re tàm Sacrâ adhibitus, nullam aut admirationem, aut dubitationem admittere valet. Facilè namquè credi potest, ac debet, ut quispiam homo Græcam, & Ruthe-

Matth. Michov.

Rutheni à Sanct. Thad. Apost. conversi.

Rutheni à Clem. VIII. accepti. Card. Baronius tom. 7. pag. 679.

Sigismundus Liber.

Rutheni à Sanct. Andr. Apost. baptizati.

Crux S. Andreæ.

thenicam Linguam callens, præsertìm verò, ut jàm probatum est, ipse Juvenalis Episcopus Hjerosolymitanus, qui dictam Crucis Particulam ad Leonem primum misit, Græcos, & Ruthenicos characteres in eadem Crucis Portione incidendas curarit, si verba Leonis primi rectè pensitentur, dicentis: *Particulam Dominicæ Crucis cum Eulogiis dilectionis vestræ venerantèr accepi*: Adde etiàm quòd intèr Græcos, & Ruthenos magna intercedit consuetudo; immò Rutheni more, ac ritu Græco vivunt, & Ruthenici characteres instàr Hebraicarum literarum mysteriis pleni, à Russiâ, & à Serviâ, necnon à Bulgariâ, Vallachiâ, & Moldaviâ Daciæ partibus; à Bosinâ itèm, & Moscoviâ, atquè ab aliis gentibus ad Orientalem plagam pertinentibus, adhibentur, majorique ex parte à Græco fonte desumptæ cernuntur; Lingua verò eorum omnium à Græco Idiomate diversa.

Juvenalis Episcop. Hierosolym.

Rutheni more ac ritu Græco vivunt.

Charact. Ruth. aut Servian. præstantia, & usus.

Quamvis intereà Alphabetum Ruthenicum, vel Servianum à nonnullis Cyrillo Sclavorum Episcopo, tamquàm inventori, qui vixit circà Ann. Domini DCCCLXXVI. adscribatur; non desunt tamèn qui dictum Alphabetum antiquius esse, Cyrillumque ipsius Alphabeti non inventorem, sed cultorem, vel instauratorem fuisse velint, sicùt de Alphabeto Illyrico, sivè Sclavonico à S. Hieronymo factum esse diximus in Libro nostro, qui *Bibliotheca Vaticana* inscribitur. Nàm etsi Sclavonicos characteres à Sancto Hieronymo inventos fuisse passim dicunt, Joannes tamèn VIII. in epistolâ ad Sfentopulchrum Comitem, eos à Constantino quodam Philosopho inventos fuisse narrat, ut in nostrâ Bibliothecâ Vaticana videre licet. Quoniàm verò Sanctus Hieronymus Scripturam Sacram in linguam Sclavonicam, & Cyrillus in Ruthenicam, vel Servianam transtulisse censentur; propterea dictarum linguarum characterum fuisse inventores fortasse dicuntur; Immò Cyrillus à Sede Apostolicâ tempore Joannis VIII. primus impetravit, ut in Dalmatiâ illius Provinciæ Idiomate Divinum Officium recitare, ac rem Divinam facere liceret, ut Æneas Silvius testatur in Bohemiæ historiâ, & videre est in Registro M. S. Vaticano, in Epistolâ Joannis VIII. ad Sfentopulchrum Comitem missâ, quam in dictâ nostrâ Bibliothecâ Vaticanâ descripsimus, & imprimendam olìm curavimus. Res autèm utcumquè sese habeat, hanc tamèn Dominicæ Crucis Particulam omninò antiquam, & plures ob causas celeberrimam esse constat. Hęc de Particulæ Dominicæ Crucis antiquitate.

Bibl. Vat.

Cap. 13. in fin.

CAPUT II.

Crucis Lignum quanam ex Arbore fuerit.

Secundum quæsitum.

PRimâ re initio propositâ satìs explicatâ, secundam aggrediemur. Quâ in re tractandâ, & brevissimè quidèm perscrutabimur. quanam ex Arbore fuerit Sanctissimæ Crucis lignum: variæ namquè sunt, & incertæ Scriptorum opiniones. Sunt qui ex quatuor lignis, alii ex tribùs, alii verò ex uno ligno Dominicam Crucem factam fuisse velint. Beda in collectaneis, & Joannes Cantacuzenus in Assertione contrà Mahomettum ex Cupresso, Cedro, Pino, & Buxo Crucem Domini compactam fuisse scribunt: differunt autèm intèr se quantùm ad lignorum situm juxtà quatuor lignorum frustra, quæ, ut ait Innocentius in sermone de uno Martyre, quatuor fuerunt, stipes videlicèt erectus, lignum transversum; truncus suppositus, in quo scilicèt sustentantur, vel affiguntur pedes; & titulus superpositus. Sunt etiàm qui ex Cedro, Palmâ, Cupresso, & Olivâ Sanctissimam Crucem factam velint: sed hanc lignorum varietatem, aut diversitatem hac in re magis curiosam, quàm veram esse cum Lipsio arbitror: ex obvio enim, & prompto aliquo ligno, & robusto quidèm ad corporis pondus perferendum, aut sustentandum apto, Crucem ipsam fuisse crediderim cum eodem Lipsio, qui eam è quercu, tamquàm crebrâ, & frequenti olìm, & nunc in Judæâ; robustâ itèm, & fixioni, laturæque aptâ, factam fuisse censet. Hujus generis videtur esse Sanctissimæ Crucis Particula, quæ nunc præ manibus habetur, & in Apostolico Sacrario asservatur. Nam meatus lignei, aut venæ ligneæ, necnon color cinericius, vulgò *berettinus* vocitatus, at propter tantam ligni vetustatem obscurus, & ad nigredinem accedens, id ità esse præseferunt, judicio peritorum hominum, tam in arte Pictoriâ, quàm Lignariâ.

Beda tom. 1.

Cantacuzen.

Quatuor lignorum species.

Innocent. Sermon. de martyr. Crux ex quatuor lignorum frustis.

Quatuor lignorum species.

Lips. lib. 3. cap. 13. de Cruce.

Hæc de Ligni Sanctissimæ Crucis nomine, aut specie, ut Imagines in hac Sacratissimæ Crucis portione repræsentatas, compendiariisque Ruthenorum, vel Servianorum Notis (quas vulgò *breviaturas* appellant) ad nomina earumdem Imaginum declaranda insignitas, ac tertio à nobis loco propositas explicemus, propriisque nominibus nuncupemus.

Notæ compendiariæ quid.

CAPUT III.

De Imaginibus, & Characteribus in Crucis particulâ incisis.

SEcundâ igitùr re initio propositâ, brevitèr, sed satìs convenientèr enucleatâ, tertiam rem, Sacras videlicèt Imagines in ipsomet Sanctissimæ Crucis ligno incisas enarrabimus, & unamquamque singulo quoquè indigitabimus loco, quasi videlicèt digito, & quidèm nominatìm ostendemus hunc in modum: Sanctissimi Ligni Particula Imaginem, aut formam Sanctissimæ Crucis repræsentare cernitur. Ad eam verò partem, in qua Christus Dominus noster, Salvator, & Redemptor, Cruci affixus repræsentatur, duodecim extant Imagines, ipsomet Sacratissimo, utì diximus, Ligno incisæ. Suprà ipsum Sanctissimæ Crucis Lignum lamella aurea instàr schedulæ, Notis hisce compendiariis cernitùr insignita, ✠ Is. Xs. hoc est,

Imagines duodecim.

Jeſus Chriſtus. In ipſo autèm Sacratiſſimo Ligno, ad ejus frontem, Sacroſancta Trinitas more Græco per tres Imagines humanas repræſentatur, Notis itèm compendiariis Ruthenicis, aut Servianis, hiſce videlicèt vocibus: *Sveta Troiza*, ideſt, *Sancta Trinitas*. Quàmvis autèm hæ Notæ compendiariæ in ipſomet Sacratiſſimo Ligno (cujus formam, aut Imaginem initio, aut fronte hujuſce libri videmus repræſentatam) ſupèr dictas tres Imagines Sacras cernantur inciſæ; eas tamèn, atquè id genus alias ſuis in locis incidendas non cenſuimus ob linguæ, atque literarum ignorationem, nimiamque locorum anguſtiam, quam inciſio, & impreſſio ſatìs bellè ferre non queunt. Nos verò, ut hujus generis rei ſuccurramus, omnes Imagines, earumdemque Notas compendiarias latinâ explicabimus linguâ: Notæ namquè ipſæ, Ruthenicâ, aut Servianâ linguâ, literiſque Ruthenicis, vel Servianis cernuntur inciſæ, ut ab iiſdem accepi Ruthenis, qui eas interpretati ſunt; Etenim Rutheni, & Serviani literis utuntur ferè iiſdem, quæ magnam cum literis græcis habent affinitatem, etiàmſi græca lingua à Ruthenicâ, & Servianâ omninò diverſa exiſtat. Hæc de Notis compendiariis Ruthenicè aut Servianè inciſis, ut cæteras Imagines, ac Notas explicemus. Infrà Sanctiſſimæ Trinitatis Imagines Chriſtus Dominus quatuor clavis Cruci affixus repræſentatur. Ad Crucifixi dextram Sanctus Paulus Apoſtolus, deindè Maria Cleophæ, propè autèm Crucifixum Beata Maria ſempèr Virgo, & Chriſti Domini Mater; Ad ſiniſtram verò S. Petrus Apoſtolus, deindè Maria Magdalena, & propè Crucifixum Sanctus Joannes, qui fuit Diſcipulus Jeſu, & Evangeliſta, quem etiàm Jeſus Chriſtus præ cæteris Diſcipulis familiariùs diligebat, cui etiàm tamquàm filio matrem ſuam commendavit, repræſentantur, ut ex Notis compendiariis, & aliquâ ex parte, ex verbis ipſiuſmet Evangeliſtæ Joannis colligitur dicentis: *Stabant autèm juxtà Crucem Jeſu Mater ejus, & Soror Matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cum vidiſſet ergò Jeſus Matrem, & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus, deindè dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam Diſcipulus in ſuâ.* Hoc in loco S. Evangeliſta Joannes mentionem facit de ſe, tamquàm de quodam altero, ut ait Lyranus, poſtquàm mentionem fecit de Beatâ Mariâ ſemper Virgine, Chriſti Domini Matre, necnon de Matris Domini Sorore, Mariâ ſcilicèt Jacobi minoris Matre, Filia Cleophæ, ac de Mariâ Magdalenâ, quæ intèr alias Mulieres Jeſum ſequutæ fuerant, & antè Crucem ſteterunt, ut etiam alii narrant Evangeliſtæ. Quamvis autèm Evangeliſtæ nullam de Beato Petro hac in re mentionem faciant, & S. Paulus ibì eſſe non potuerit, quippè qui poſt Chriſti Domini Aſcenſionem, & Glorificationem ad Chriſtianam fidem vocatus fuit, & ad Apoſtolatum aſſumptus; ipſi tamèn tamquàm Glorioſi Apoſtoli, per quos Chriſtianæ Religionis ſumpſit exordium, ut Catholica Eccleſia cantat; Necnon tamquàm Principes ejuſdem Eccleſiæ, quæ in prætioſiſſimo Chriſti Sanguine effuſo in Cruce fundata fuit, & opus humanæ Redemptionis conſummatum, omnibus Eccleſiæ Sacramentis è latere Chriſti emanatis, hoc in loco repræſentati cernuntur, Paulus videlicet ad dextram, & Petrus ad ſiniſtram: quia ille pòſt Chriſti Domini Glorificationem, per quam dextra inſinuatur: Hic verò antè Paſſionem ejuſdem Domini, per quam ſiniſtra ſignificatur. Adde etiàm quòd Paulus fuit è Tribu Beniamin, quæ vox Hebraica eſt, & *Filius dextræ* latinè interpretatur, ut in Commentario noſtro hac de re conſcripto, & fuſiſſimè quidèm explicatum fuit, multis hinc indè picturis, aut muſivis perantiquis in medium allatis, & multiplici ratione comprobatis.

Suprà Chriſti Domini caput ad Crucis frontem hæ duæ leguntur voces: *Jeſus Chriſtus*. Iiſdem tamèn Notis compendiariis, quas nuper in medium attulimus. Infrà ejus pedes, mortis caput, ſivè Imago cernitur: inferiùs autèm S. Baſilius, & Sanctus Chryſoſtomus, Doctores Græci, qui adversùs Hæreticos contrà Sanctiſſimam Trinitatem blaſphemantes conſcripſerunt, repræſentantur, ut Notæ compendiariæ oſtendunt.

Ad alteram Sacratiſſimæ Crucis Ligni partem, in qua Sanctiſſima ſempèr Virgo, & Chriſti Domini Mater cernitur repræſentata, decem extant Imagines, ipſomet Sacratiſſimæ Crucis Ligno inciſæ. Suprà ipſum Sanctiſſimæ Crucis Lignum lamella itèm aurea ſchedulæ inſtàr Notis hiſce compendiariis cernitur inſignita ✠ ĩ. x̃. hoc eſt, *Jeſus Chriſtus*, Ad ipſius autèm Sacratiſſimi Ligni frontem Nicolaus Myrenſis Epiſcopus, Ruthenorum Patronus, Notis Ruthenicis, aut Servianis repræſentatur. Quatuor itèm hoc loco Evangeliſtas videre licet: nàm ad Beatæ Mariæ ſempèr Virginis Deiparæ dextram Mattheus per faciem hominis; Marcus per faciem Leonis; Ad lævam autèm ejuſdem Virginis, ac Matris Domini Joannes per faciem Aquilæ; Lucas autèm per faciem Bovis repræſentati cernuntur. Infrà Deiparæ ſemper Virginis Imaginem Sanctus Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, & Doctor, Rutheno rumque item Patronus: Et paulò inferiùs ad dextram Sanctus Sergius, & ad ſiniſtram Sanctus Niconus, ambo Martyres, & in Græcià ſolemniter celebrati, Notis Ruthenorum compendiariis repręſentati cernuntur. Deipara verò Maria ſempèr Virgo Filium ſuum unigenitum, Deum ſcilicèt, atque hominem in ſinu ſuo geſtare, atquè circumcircà habere conſpicitur Eulogium, aut Elogium, vel Encomium tam linguâ, quàm literis, aut Notis Ruthenorum, aut Servianorum compendiariis conſtans, latinè autèm ab ipſis Ruthenis redditum in hanc verborum formam: *Honorabilior, & verè glorioſior Cherubinis*. Hæc ibi: Adde etiàm, quòd verè honorabilior, & glorioſior non ſolùm Cherubinis, ſed omnibus Angelorum Choris; quia, ut cantat Eccleſia: *Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſupèr*

SS. Trinitas more Græco repræſentata.

Tacitæ objectioni reſpondetur.

Christus Dominus quatuor clavis Cruci affixus.

Sacræ Imagines ad alteram Crucis partem repræſentatæ.

Jo. 19.

Lyr. in c. 19. Joann. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Jo. 19.

S. Petrus, & S. Paulus.

Eccleſiæ fundamentum.

Cur S. Paulus ad dextram & S. Petrus ad ſiniſtram.

Beniamin. quid.

S. Baſil. S. Chryſ.

Imagines decem ad alteram Cruc. partem repræſentatæ.

S. Nicolaus *Myrenſis*.

Quatuor Evangeliſtæ.

S. Gregor. Nazianz.

S. Sergius, & S. Niconus.

B. Maria ſemper Virgo.

Eccleſiæ canticum.

Supèr Choros Angelorum ad Cælestia Regna: hoc est, supèr omnes tàm angelicas, quàm humanas Creaturas, quæcumque illę sint, tamquàm Victrix, ac Triumphans exaltata est, quippè quæ de omnibus hæresibus triumphavit, juxtà illud vetus, & jàm pridèm in Ecclesiâ decantatum Acroama in honorem Deiparę Mariæ, Keginę victricis, ac triumphantis in hanc verborum formam: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo Mundo: quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti, dum Virgo Deum, & hominem genuisti, & post partum Virgo inviolata permansisti.* Hæ sunt laudes Deiparæ sempèr Virginis de cunctis hæresibus in universo Mundo ab eâ interemptis decantatæ, & veræ quidèm laudes, quia cunctas hæreses in universo Mundo sola interemit; Sola (inquam) quia sola peperit illum, qui juxtà Psalmistam *Contribulavit capita Draconum in aquis*, hoc est superbias Dęmoniorum per Baptismum, ut ait Glossa, Dæmones enim sunt omnium hæresum inventores. Sola igitùr Deipara sempèr Virgo cunctas hęreses interemit, quia sola pòst Filium tanti est apùd Deum meriti, & gratiæ tantæ, atque tantę in homines misericordiæ, ut per hanc velit, perquè illam possit cunctas hęreses expugnare: cunctas enim hæreses interemit sola, dùm Angelo credidit; dum Christum Deum, & Hominem sola peperit; dum ad Crucem Filii sui gemebunda stetit, solaque constantem in eum fidem, fugientibus Apostolis, retinuit. Cunctas deinde interemit hęreses, dùm Evangelium dictavit, hoc est, dum suę Conceptionis, Parturitionis, aut Paritudinis, ac Partus, Christique Pueritię gesta panxit, dumquè insupèr Apostolos consiliis juvit, dùm Catholicos Doctores instruxit, & conciliavit, sempèrque instruit, & conciliat; dùm deniquè Hæreticos in incredibili pœnâ, & vindictâ mulctavit, & mulctat in dies, ut exempla permulta in Historiis videre licet; quę brevitatis causâ hoc loco prætermittuntur, alibì explicanda. Hæ igitùr veræ sunt laudes Deiparæ Mariæ sempèr Virginis de cunctis hæresibus in universo Mundo ab eâ interemptis. Id quod jam diù antè Christum natum in veteri Testamento insinuatum, seù quodam modo adumbratum fuit per illam Dei sententiam, quam contrà fraudolentissimum Serpentem, Diabolum scilicèt, qui primam ab ipso Mundi primordio decepit fęminam, in tertio Geneseos capite Deus pronunciasse legitur, hisce verbis: *Inimicitias* (inquit) *ponam intèr te, & Mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*, &c. Theologi enim ferè omnes tam Scripturales, quàm Scholastici per Mulierem in hoc Geneseos capite nominatam, Beatam quoque Mariam sempèr Virginem, ac Deiparam intelligendam esse volunt, quorum è numero est Eucherius Episcopus Lugdunensis, qui Anno Dom. CCCC.XL. floruit: Is namquè post interpretationem de primâ Generis humani fœminâ hunc ait in modum: *Quidam autèm quod dictum est, de Virgine, undè natus est Dominus, intellexerunt, eò quòd illo tempore ex eâ Dominus nasciturus ad inimicum generis humani devincendum; & mortem, cujus ille Auctor erat, destruendam, promittebatur. Propterea post ipsa verba (inimicitias ponam intèr te, & Mulierem; semen tuum, & semen Mulieris) illud, quod subiunctum est, (ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus) de ventris Mariæ fructu, qui est Christus, intelligunt; ideſt, tu eum supplantabis, ut moriatur; ille autèm Victor resurget, & caput tuum conteret, quod est mors.* Hæc ex ipso Eucherio, qui eodem in loco per semen Serpentis pravam suggestionem intelligendam esse apertè ostendit. Per semen Mulieris fructum ventris ejus, qui est Christus, interpretatur: *Solus namquè Christus Dominus*, ut ait Rupertus Tuitiensis, *est ità semen Mulieris, ut non etiàm viri semen sit.* Per caput Serpentis initium suggestionis à Gregorio Magno intelligitur. Per Mulieris verò calcaneum, qui est corporis humani finis, ultima vitæ humanæ peryodus intelligitur, ut idem Eucherius eodem in loco ait. Deipara ergo Maria semper Virgo caput Serpentis contrivit juxtà Dei Sententiam contrà Serpentem hisce verbis latam: *Ipsa conteret caput tuum*, ut vulgata legit editio. Quàmvis enim pronomen in hac sententia juxtà varias translationes variè legatur, hoc est, in fœminino genere, *ipsa*, ut habet translatio Hebraica, & vulgata Editio in masculino, *ipse*, ut habet textus Grœcus; ambæ tamèn lectiones eundem ritinent sensum, sivè ad Deiparam, sivè ad ejus Fructum, vel ad semen, quod est Christus, referantur. Hæc autèm varietas ex Hebraico fonte oritur: nàm Textus Hebraicus absquè punctis habet illud pronomen, iisdem conscriptum literis, tàm si in masculino, quàm si in fœminino, aut neutro sumatur genere: puncta enim sunt illa, quæ unum genus ab alio diversum efficiunt, sicùt constat ex Dictionario Hebraico, ab Academiâ Complutensi conscripto, & linguam callentes Hebraicam ità esse testantur. Sed quàmvis Hæbraica Lingua Neutrum non habeat genus, dicto tamèn in loco Geneseos 3. in codicibus Hebrœorum scribitur, *hu*, cum puncto, *Surec*, quod interpretatur, *ipse*, vel, *ipsum*, & refertur ad semen. De quo superiùs dixerat: *Inimicitias ponam intèr te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*: Utroque tamèn modo legi potest, quia eisdem literis utrumque scribitur in Hebræo, scilicèt, *ipsum*, & *ipsa*. Hæc ex Dictionario Academiæ Complutensis ad verbum. Prætereà etiàmsi juxtà Editionis vulgatæ lectionem sententia contrà Serpentem lata ad Deiparam Mariam sempèr Virginem referatur, non tamèn ob id honorem Christo adimimus, omnium bonorum Auctori, ac Donatori: Non enim dicimus, quòd Deipara sempèr Virgo suâ propriâ virtute contriverit Serpentis caput, sed ejus, quem concepit, & genuit, singulari virtute, qua duce, se velut alteram invictam Judith præstitit, ac Populi Dei hostem infensissimum Holophernem, Diabolum scilicèt, summâ cum laude superavit

Ecclesiæ canticum. Resp. 8. in off. Ann., & in Sab.

Psal. 73.

Glossa, Interl.

Vasæus in Hist. Hisp. ex Bozio. Sig. 36. & Niceph. l. 2. cap. 21. & 15. ca. 14. & l. 17. cap. 14. Gregor. Nyss. in vita Gre. Thaum. Nic. l. 14. cap. 28. Paulus Diac. Zon. 3. Ann. Eutrop. l. 22. rerum Rom. Nic. lib. 18. cap. 33. Lind. lib. 2. cap. 2. sug. Idol. &c. Genes. 3.

Eucher. lib. 1. ca. 29. in Gen

Semen. Serpentis quid sit.

Semen Mulieris quid.

Ruper. lib. 3. cap. 19.

Greg. lib. 20. Moral. Calcane. quid.

Vide Histo. Virginalem pag. 3.

Vniversitatis Complutensis Dictionariũ Hebraicum.

Gen. 3.

Dict. de incip. à litera Heb. pag. 33.

vit, atquè sola omnes hæreses etiàm per Dei Hostem, Diabolum, seminatas interemit: sola (inquam) quatenùs ipsa sola Christum Dominum hæreticæ pravitatis Domitorem concepit, ac genuit; dequè hac ipsâ Christi Victoris Potentiâ, & Majestate; Divinitate insuper, & Humanitate fidem præ omnibus illustrem, & constantem ad omnes omnium Hæreticorum insanias, & oblatrationes aterendas, præsertìm verò ad primas, & præcipuas illas hæreses, quæ contrà Divinitatis Mysterium, & contrà utramque Christi naturam, arte Satanicâ suadente, velùt ab inferis in Orbem eruperunt. Meritò igitùr jamindè ab ipso ferè nascentis Ecclesiæ primordio de solâ Christi Domini Matre illud Encomium decantari cœpit in hanc, ut diximus, verborum formam: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo Mundo; Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti, & post partum Virgo inviolata permansisti.* Istuc ferè ipsum antè annos mille ducentos à Sancto Hieronymo, vel potiùs, ut alii volunt, à Sophronio in Sermone de Assumptione Deiparæ celebratum fuit. Idem quoquè Venerabilis Beda, S. Bernardus, & alii non pauci scriptum reliquerunt tamquàm Encomium jàmindè ab exordio nascentis Ecclesiæ decantari cœptum, hoc est, à Deiparâ Mariâ sempèr Virgine universam hæreticam pravitatem interemptam fuisse absquè ullâ Christi Domini Gloriæ diminutione, immò Christo ipso tantæ rei Auctore subintellecto, quem sola Virgo ipsa concepit, & genuit, affirmantes.

Ecclesiæ canticum.

S. Hieron. tom. 9. ep. 10.

Beda, & S. Bern.

Deipara ergò Maria sempèr Virgo propter admirandas, & singulares ejusdem laudes non solùm honorabilior est, & verè gloriosior Cherubinis, sed omnibus Angelorum Choris, cùm supèr omnes Angelorum Choros fuerit exaltata, ut cantat Ecclesia; hoc est, supèr omnes tam Angelicas, quàm humanas Creaturas, quæcumque illæ sint, exaltata, tamquàm Victrix, ac triumphans, quippè quæ de omnibus hæresibus triumphavit, juxtà illud vetus, & jampridèm, hoc est, jàmindè à primordio nascentis Ecclesiæ decantari cœptum. Nunc reliquum est, ut rem quarto, & postremo loco propositam, Crucifixionem videlicet, quatuor clavis præstitam explicemus.

CAPUT IV.

De numero Clavorum.

Arbitrarius clavorũ numerus.

Crux à cruciando dicta Instrumentũ puniendi commune.

CRucifixionem quantùm ad numerum clavorum, & quantùm ad ipsum crucifigendi modum, arbitrariam fuisse dicamus necesse est, si Tabellæ, aut figuræ ære incisæ diversorum Auctorum spectentur, in quibus variæ crucifigendi formæ repræsentantur. Crux enim *à cruciando* dicta, ut Isidoro placet, notum erat supplicii genus, & Instrumentum Romanis, Judæis, & Græcis in puniendis facinorosis, sed tandèm abolitum in Testamento novo propter Passionis Christi Domini, Salvatoris nostri reverentiam. Immò à Theodosio, & Valentiniano Imperatoribus prohibitum fuit, ut nec silici, nec marmoribus humi positis insculpere signum Crucis liceret. Id quod à Constantino Magno didicerunt Imperatore, qui signum Crucis primus in vexillum transformavit, eoquè mirificam contrà Maxentium victoriam consequutus fuit; Deindè ad hanc victoriam perpetuò repræsentandam, Statuam suam ex ære fabrefactam, dextrâ manu Signum Sanctissimæ Crucis ex eâdem materiâ elaboratum tenentem Romæ in loco celeberrimo collocari præcepit hac Inscriptione latinâ insignitam:

Imperatorũ Decretum.

Constantini Victoria, & Statua.

HOC SALUTARI SIGNO VERO FORTITUDINIS INDICIO CIVITATEM NOSTRAM TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS PRISTINÆ AMPLITUDINI, ET SPLENDORI RESTITUI.

Euseb. lib. 1. de vita Constan. cap. 33. Niceph. Callist. lib. 7. cap. 30.

Eamdem victoriam, qua contrà Maxentium Tyrannum Constantinus Magnus potitus fuit, in Arcu videre est triumphali, quem S. P. Q. R. ingenti formidine per Constantinum signo Sanctissimæ Crucis liberatus, eidem Constantino erexit propè Amphitheatrum, quod vulgò *Colosseum* vocitatur, juxtà Sanctam Mariam novam ad Campum Bovarium, non procùl ab Ecclesiâ, S. Gregorio Magno dicatâ, ut ipsa Inscriptio marmore incisa in hanc docet verborum formam:

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO P. F. AUGUSTO S. P. Q. R.

QUOD INSTINCTU DIVINITATIS MENTIS MAGNITUDINE CUM EXERCITU SUO TAM DE TYRANNO QUAM DE OMNI EJUS FACTIONE UNO TEMPORE JUSTIS REMPUBLICAM ULTUS EST ARMIS ARCUM TRIUMPHIS INSIGNEM DICAVIT LIBERATORI URBIS FUNDATORI QUIETIS.

Hæc autèm Inscriptio ad hanc usquè diem illesa cernitur, Victoriamquè per Crucis apparitionem à Constantino partam, ipsiquè Divinitati adscriptam, verbis sàtis significantibus ostendit. Hunc Arcum Victoriâ, & Inscriptione insignitum, & Constantino dicatum, magnâ ex parte superstitem resarciendum, eique Crucem imponendam optabat SIXTUS V. ad res sanè pias, heroicas, atquè arduas, Principe quidèm potentissimo, quin Pontifice Summo, ac se ipso digniissimas efficiendas, & producendas natus. Hucùsque occasione satìs bellè suadente, digredi libuit, ut eò, undè digressi sumus, revertamur, hoc est ad varium, & arbitrarium crucifigendi modum, circà quem in Crucifixione Dominicâ quantùm ad clavorum numerum, varias hac in re opiniones perlegimus, præsertìm

Sixti V. pia propensio.

Opiniones de numero clavorum diversæ.

tim verò varietate in picturis, & sculpturis repertâ. Hinc sunt qui tribus tantùm, quique etiàm quatuor clavis Crucifixionem Dominicam factam fuisse dicant. Quòd autèm tres tantùm clavi adhibiti fuerint in Crucifixione Dominicâ, Picturæ, atquè Sculpturæ passim obviæ, ut rectè Gretserus ait, id satis videntur persuadere, communemque hac in re hominum ferè consensum efficiunt. Sed hanc usitatam, non tamèn satis antiquam, nequè congruam, immò satis operosam consuetudinem repræsentandi Crucifixionem Dominicam trium clavorum, arbitratu Pictorum, & Sculptorum minùs congruentèr introductam, & admissam fuisse crediderim, si veterum aliquot Patrum, & aliorum scripta, necnon antiquorum opera vermiculta, vel tessellata, quæ etiàm *musiva* passim dicuntur, spectemus, in quibus Crucifixionem Dominicam clavis quatuor repræsentatam semper fuisse constat, ut infrà ostendemus. Quamvis autèm antiquæ omnium Gentium Crucifixiones arbitrariæ, modò, uno, vel duobus, modò tribus, modò quatuor, ac plùribus, etiàm duodecim clavis ad majorem sævitiam indicandam, ut in Tabulis, aut Iconibus è Lipsio, & à Bartholomæo Riccio Fidardensi ære incisis, ac descriptis videre licet, repręsentatę reperiantur; Crucifixionem tamèn Dominicam (etiàmsi Nonnus, & Nazianzenus magno, & singulari clavo pedis utriusquè pectusculum transfixum fuisse, & pedibus mutuò impositis, & complicatis dicere videantur; lignumque ipsum Nazianzenus *triclavium*, hoc est, tribus clavis perforatum appellet) nonnisi quatuor clavis præstitam fuisse reor cum aliis præclarissimis Viris, ac etiàm SS. Patribus.

Gretserus.

Trium clavorum numerus arbitratu Pictorum introductus.

Crucifixio Dominica clavis quatuor repræsentata.

Lipsius de Cruce. Riccius de triumpho Christi Crucifixi Nazianz. in Trag. Christus patiens. Nonn. in Io. cap. 19.

Gregorius itèm Episcopus Turonensis, qui floruit antè mille, atquè ampliùs annos, in libro primo de gloriâ Martyrum clavos Dominicos, quatuor fuisse valdè asseverantèr narrat in hanc verborum formam: *Quòd clavi Dominici quatuor* (inquit) *fuerint, hæc est ratio: Duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis; & quæritur, cur plantæ affixæ sint, quæ in Cruce Sanctâ dependere visæ sunt potiùs, quàm stare? Sed in stipite erecto foramen factum manifestum est. Pes quoquè parvulæ tabulæ in hoc foramen insertus est. Supèr hanc verò tabulam tamquàm stantis hominis Sacræ affixæ sunt plantæ.* Hæc Gregorius Turonensis, qui, dum in stipite erecto foramen factum manifestum esse, parvulæque tabulæ pedem in foramen insertum fuisse ait, se tamquàm oculatum testem præbere videtur, quippè qui ipsummet Sanctissimæ Crucis lignum aliquo in loco viderit, ut ex verbis ejusdem Gregorii rectè pensitatis colligitur. Adde etiàm, quòd deindè statìm narrat, quid de quatuor illis clavis factum sit, nonnullaque de clavis ipsis recensetmiracula. Multò antè Gregorium Turonensem, trecentos videlicèt, & ampliùs annos Cyprianus Martyr, Episcopus Carthaginensis, Vir doctus atquè Sanctissimus, qui Anno Dom. CC. XLIX. Martyrio fuit insignitus, in Sermone de Passione Domini non de uno tantùm, sed de pluribus pedum clauis hunc in modum loquitur: *Clavis sacros pedes terebrantibus.*

Greg. Tur. lib. 1. cap. 6.

S. Cypr. Serm. de Pass. Dom.

Ruffinus Presbyter Aquileiensis intèr Doctores Ecclesiasticos, ut ait Tritthemius, non parvæ opinionis, atquè in Scripturis Divinis valdè eruditus, qui claruit Anno Dom. CD. in cap. 8. Ecclesiasticæ Historiæ, dùm loquitur de Helenâ Imperatoris Constantini Matre, quæ Dominicam Crucem, & clavos, divinis admonita visionibus, invenit, de clavis ab Helena ad Constantinum Filium cum ipsa Cruce allatis, ità inquit: *Clavos quoquè, quibus Corpus Dominicum fuerat affixum, portavit ad filium. Ex quibus ille* [hoc est, Constantinus] *Frænos composuit, quibus uteretur ad bellum. Et ex aliis galeam nihilominùs belli usibus aptam fertur armasse.* Hæc Ruffinus, cujus verba si rectè perpendantur; quatuor clavos in Crucifixione Dominica adhibitos fuisse fatendum est. Nàm si Constantinus ex clavis, ut ait Ruffinus, bis, in plurali loquens numero, equi frenos composuit; & galeam ex aliis clavis armavit, clavos plures tribus omninò fuisse dicamus, necesse est.

Ruff. lib. 1. cap. 8.

Theodoretus Episcopus Cyri, Vir in Scripturis divinis valdè doctus, & in secularium literarum disciplinis, ut ait Tritthemius, sufficienter eruditus, qui floruit circà Ann. Dom. CCCXC. in libro primo Ecclesiasticæ Historiæ ait, *Clavorum partem fræno equi, & partem galeæ admixtam, necnon expletam fuisse veterem illam prophetiam Zachariæ dicentis; Quod est supèr frænum equi, erit sanctum Domino.* Hæc ex Theodoreto. Sed non desunt qui verba Zachariæ alitèr interpretentur.

Theod. l. 1. c. 3.

Tritthem.

Zach. c. 14.

Sanctus Pater Augustinus, qui floruit circà Ann. Dom. 430. in lib. Meditationum cap. 6. de pedum clavis duobus mentionem facit hisce verbis: *Immaculata vestigia Christi diris confixa clavis.*

S. Aug. l. Med. c. 6. tom. 9.

Innocentius III. Vir in divinis Scripturis eruditissimus, de Christi Domini Cruce, atquè clavis in hanc loquitur verborum formam: *Fuerunt autèm in Cruce Dominica ligna quatuor, Stipes erectus, & Lignum transversum, Truncus suppositus, & Titulus superpositus. Fuerunt & clavi quatuor, quibus manus confixę sunt, & pedes affixi.*

Innoc. serm. de uno Martyre. Ann. Dom. 1209.

Quòd autèm in crucifixione Dominicâ quatuor clavi fuerint adhibiti, Sancta Brigitta, intèr tot, ac tantas revelationes cælestes, etiàm clavorum Crucifixionis Dominicæ numerum sibi revelatum fuisse satis apertè ostendit in lib. primo Revelationum c. 10. lib. 4. cap. 70. lib. 7. cap. 15. & Revel. extravag. cap. 51. præsertìm verò in lib. 4. cap. 70. hisce verbis: *Pervento igitùr ad locum Crucifixionis, & eccè malleus, & quatuor clavi acuti in promptu sunt.* Quamvis autèm dictis in locis nupèr citatis mentionem semper faciat de quatuor clavis, hoc est, de duobus clavis ad manus, dequè duobus ad pedes adhibitis; pedes tamèn non disparatos, sed cancellatos, idèst sinistro pede super dextrum pedem impositio,

S. Brigitta.

S. Brig. l. 1. Revel. quæ Anno D. 1373. anni 2. Greg. XI. obiit.

positò, duobus clavis Crucifixos fuisse dicere videtur, ut Consaluus Durantus, Vir doctus, & Episcopus Feltrensis, qui dictas Revelationes notis eruditissimis illustravit, ex M. S. codicis Farnesiani lectione optimè interpretatur.

Consalv. Durantus.

Hanc de quatuor clavis Dominicis assertionem Scriptorum antiquorum, quos in medium attulimus, comprobant, & sequuntur Scriptores alii, hoc est Joannes Justus Lanspergius homil. 41. Jansenius in Concordiâ c. 143. Medina in 3. p. S. Thomæ q. 46. art. 2. Et ex recentioribus Alphonsus Palæotus Archiepiscopus Bononiensis in libro de Stigmatibus, sacræ Sindoni impressis, cap. 19. Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 20. Cardinalis Toletus in cap. 19. Joannis, & Cardinalis Baronius tom. 3. Annalium pag. 333. atquè item alii, quos brevitatis causâ prætermittendos censeo.

Lansp. Jan. *Medina*, *Palæotus* c. 19. pag. 241. Gretz. Toletus, Baron.

Hujus generis opinioni, aut assertioni, quam ego etiàm sequor, Sculpturæ, ac Picturæ valdè antiquæ favere inveniuntur. Nam duæ sunt Imagines Christi Domini Crucifixionem repræsentantes, cedrino ligno incisæ, quarum altera à Nicodemo ex Judæorum Principibus uno, necnon ex iis, qui in Christum crediderunt, & ex Pharisæis homine. Altera verò à S. Luca Evangelistâ effictæ; ambæ autèm valdè insignes, tùm propter antiquitatem, tùm etiàm propter nobilitatem Sculptorum, quorum ille Christi Domini familiaris, & Discipulus ejusdem occultus fuit; &, ut Sanctus Joannes Evangelista inquit, mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum detulit pro ejusdem corpore sepeliendo; Hic verò Apostoli Pauli sectator, & omnis peregrinationis ejus comes. Hinc ambæ Imagines ob hujus generis eminentias, & ob miracula diversis temporibus à Deo per eas præstita, maximâ cum veneratione, ac fidelium eas adeuntium frequentiâ, & devotione asservantur; Illa in Hetruriæ Civitate, quæ *Luca* nuncupatur; Hæc verò Siroli propè Anconam Oppidi, ubi erat Civitas maritima, quæ *Numana* vocitabatur, olim, ut ajunt, à Gothis eversa; nunc autèm *Humana* vulgò, & corruptè quidèm, nuncupatur.

Io: 3. Nicodemus, & S. Lucas. Vide Icones ut in pag. 152. Io: 19. Pomp. Mela, lib.

Ambæ insuper Imagines, tibiis divaricatis, pedibus videlicèt discretis, cedrino, utì diximus, ligno incisæ, quatuor clavis Cruci affixæ, non nudæ, sed vestitæ; illa calceatis pedibus; hæc autèm pedibus nudis cernuntur. Illa Imago, quæ Lucæ asservatur tamquàm viva Cruci affixa cernitur: barbam coloris avellanæ, subflavam scilicèt, comæ adsimilem, haùd longam, sed in extremâ parte sensim bipertitam habens, juxtà epistolam, quæ sub nomine Lentuli ad Tiberium Cæsarem scripta circumfertur, necnon juxtà ea, quæ Nicephorus in libro primo Ecclesiasticæ historiæ scripta reliquit, repræsentatur, nigrâ veste, at fericeâ, cunctis indumenti oris, aut extremitatibus, quas vocant *fimbrias*, acu pictis, aut phrigiatis, hoc est, auro contextis, cinguloque itèm aureo, nec-

Imagines Crucifixi Lucæ, ac Siroli asservatæ. Lentuli Epistola. Nicepb. lib. 1. c. 40.

non anteriore vestis parte infrà cingulum auro contexta cernitur, auream habens Coronam, regalem scilicèt, ac imperialem; suprà verò Coronam sunt duæ Græci Alphabeti literæ, hoc est, prima & ultima, quæ sunt A. Ω, Alpha, & Omega quibus literis per principium scilicèt, atquè finem Dominus Deus repræsentatur, antè quem nullus, vel à quo omnia cœperunt, & post quem nullus, vel in quo omnia terminabuntur, ut in diversis Scripturæ sacræ locis videre licet.

Isai. 41. & Apoc. 1. & c.

Calcei ejusdem Imaginis argentei sunt, sed aurati, Cruce insigniti, quorum dextrum ad hominem quendam, pro ope sibi impetrandâ orantem, ipsamet Imago miraculosè projecisse narratur. Indè pro eo calceo substentando (nudato calcaneo, qui calceum nunquàm recipere potuit) Calix non consecratus appositus fuit, sicùt ad hanc usquè diem illic cernitur; & calcei pretium illi homini, Crucifixum imploranti, datum fuit. Indumentum verò, & calceamenta non à Nicodemo, sed ab aliis Christifidelibus eidem Imagini non sine Dei monitu per Angelum indicato, addita, fuisse, docet historia. Ad latus ejusdem Imaginis dextrum circà tergum fenestratum extat repositorium, in quo Reliquiæ insignes à Nicodemo inibi reconditæ asservantur. Hæc de Imagine Christi Domini quatuor clavis Cruci affixâ, quæ Lucæ custoditur, cujus exemplar in Bibliothecâ itèm Angelicâ Romæ asservatur.

Imago Crucifixi asservata Siroli.

Altera Imago Christi Domini Salvatoris nostri cedrino itèm ligno, utì diximus, à S. Lucâ Evangelistâ dicitur incisa, & quatuor clavis Cruci affixa, Siroli, propè locum, in quo fuit Numana Civitas, custoditur, sed modò nuda ostenditur, & modò vestita, eoque miraculosè deveniisse per traditionem enarratur. Sed pòst Numanam à Gothis funditùs eversam, dictam Imaginem trecentos, & ampliùs annos sub terram jacuisse, Divinoque tandèm aliquandò nutu intèr fodiendum repertam, Siroli, ubi nunc maximâ omnium Populorum veneratione cernitur, locatam fuisse tradunt. Hæc Imago, quatuor clavis Cruci affixa, repræsentat illud tempus, in quo latus ejus lancea nondùm erat apertum. Hinc Crucifixus adhùc vivens repræsentatur, barbam & comam Imagini Crucifixi Lucensis habens adsimiles, regalemque deferens Coronam in capite. Suprà verò Crucem Tabella extat, in qua Titulus cernitur hisce literis insignitus: J. N. R. J. hoc est, Jesus Nazarenus Rex Judæorum.

Ad illud itèm veteris Basilicæ S. Petri residuum, quod superioribus diebus dirutum fuit, Basilica nova expletam, & perfectam formam susceptura, à tergo Oratorii, sivè Sacelli, vel Altaris olìm Sudarii Sanctissimi Salvatoris nostri, *Veronicæ* nuncupati, suprà Portam Sanctam, ad interiorem Basilicæ partem, extabat etiàm Oratorium opere musivo insigni, excultoque decoratum, & in honorem Immaculatæ semper Virginis, ac Dei Genitricis à Joanne VII. circà Annum Domini DCCVI. constructum, ut ipsa Tabula

Basilica S. Petri. Ioann: VII. DCCVI. Tab. quadrata quid.

bula quadrata ad Capitis ejusdem Joannis occiput sita præseferebat, quæ, Joanne Diacono teste in vitâ S. Gregorii Magni, signum viventis apùd veteres Pictores esse solebat. Quòd etiàm dictum opus musivum Joannis VII. jussu factum fuerit, Anastasius Bibliothecarius, Platina, & Panvinius testantur; immò Inscriptio, quæ in opere ipso legebatur, docebat hisce verbis:

Io:Diac.lib.4. c.83. & 84.

JOANNES INDIGNUS EPISCOPUS FECIT SANCTÆ DEI GENITRICIS SERVUS.

In hoc musivo intèr alias, & multas quidèm Icones, quæ Romæ in Bibliothecâ Angelicâ asservantur, Imago Christi Domini Salvatoris nostri quatuor clavis Cruci affixa, & à collo ad convexum usquè pedum, amictu quodam castanei coloris velata, pedibus tamèn, & brachiis nudatis, & diademate, signum Crucis præseferente, insignita, repræsentabatur. Suprà verò Diadema Titulus hisce legebatur literis: J. N. R. J. hoc est, Jesus Nazarenus Rex Judæorum.

Carolus Magnus Imperator Augustus à Leone III. Romæ circà Annum Domini DCCCXV. coronatus, Basilicæ Sancti Petri dono dedit intèr alia Crucifixum ex argento fabrefactum, quatuor clavis Cruci affixum, cujus altitudo septem constat palmis. Crucis latitudo undecim, altitudo autèm tredecim palmis. Suprà Crucem ligneam sacra Christi Domini extat Imago, quæ manu dextrâ gestat sceptrum, sinistrâ verò globum, per quem totus insinuatur Mundus: Ad Crucis dextram Beata Maria sempèr Virgo, Christi Domini Mater; Ad sinistram verò Sanctus Joannes Evangelista repræsentantur: Infrà Crucem Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus conspiciuntur. Omnes autèm Imagines, hisce in locis ligno incisæ repræsentantur; Idcircò eas hoc loco apponendas non censuimus. Dicta Crucifixi argentea Imago in ipsâ Urbis direptione tempore Clementis VII. à militibus ob ejus nigredinem cognita non fuit. Hinc Anno Dom. 1551. tempore Julii III. ob magnam rerum penuriam, ex Urbis depopulatione contractam, in usus pios ejusdem Basilicæ [cujus proventus, vel reditus annui, satis tenues tunc temporis erant] conversa fuit, hoc est, in Calices, in Crucem magni ponderis; in duo Candelabra majora, & sex minora, necnon in duo Simulacra, Sanctos, videlicèt, Apostolos, Petrum, & Paulum repræsentantia. Crucifixi verò argentei vice, Imago ex plaste, vel misturâ, quam *stuccum* vulgò appellant, ad eandem omninò similitudinem efficta fuit, eidemque Cruci quatuor itèm clavis affixa, in ejusdem Basilicæ Sacrario, quod antiquitùs vocitabatur *Templum rotundum Sancti Andreæ*, deindè *Sanctæ Mariæ de Febribus*, ad hanc usquè diem custoditur. Hæc aliquâ ex parte ex Onuphrio Panvinio in libro 7. de præstantiâ, & rebus antiquis Basilicæ Sancti Petri cap. 3.

Caroli Magni donum.

Jul.III. Anno Dom.1551.

Panv.l.7. c.3.

Hi verò libri manuscripti sunt, & in Bibliothecâ ejusdem Basilicæ asservantur. Quæ autèm scripta sunt de Argento librarum circitèr centum in usus pios conversò, relata sunt nobis partìm ab iis, qui eâ tempestate vivebant, remquè ipsam cum Manno Pisano Aurifice tractabant tempore Julii Tertii P.M. Anno Dom. 1551. partìm verò desumpta sunt ex eo expensi codice, quem Sacrarii Basilicæ Sancti Petri librum *exitus*, vel *mandatorum* vulgò vocitare solent, dum aliquid pro Sacrario, vel Basilicâ faciendum curant.

Die 17. Apr. 1551.

Hunc itèm in modum Crucifixionis Dominicæ Imago per pictoriam artem quatuor clavis repræsentata invenitur in perantiquo Sancti Gregorii Graduali, in membranâ conscripto, notis musicis antiquis insignito, & Iconibus, aut Imaginibus, etsi satis rudibus, proùt illa ferebat ætas, ornato. Hujus generis Graduale, quod in Bibliothecâ Angelicâ, publicæ dicatâ commoditati Romæ in Ædibus Augustinianis, asservatur, omnia comprehendit, quę in Missis totius anni juxtà temporum, ac dierum festorum varietatem à Cantoribus in choro cantari solent; hoc autèm non est proprium Sancti Gregorii exemplar, sed ex eo desumptum, vel descriptum circà Ann. Dom. MXXIX. ut videre est in quibusdam Notationibus, aut Regulis de Cyclo solari & lunari, de Epacta, de anno bissextili, dequè aliis rebus ad computum Ecclesiasticum pertinentibus, quæ ipsi Graduali præpositæ leguntur. Dicti verò Gradualis exemplar fuit concinnatum, & editum à Sancto Gregorio Magno, qui etiàm Antiphonarium edidit, & Ecclesiasticam musicam reformavit diversis in locis, præsertim verò in Galliâ, & Scholam Cantorum in Basilicâ Sancti Petri, & in Basilicâ Lateranensi Romæ instituit, ut Joannes Diaconus in ejusdem S. Gregorii Magni Vitâ scriptum reliquit. Quòd tandèm dictum Gradualis exemplar fuerit Sancti Gregorii Magni, apertissimè constat ex quadam Rubricâ ad frontem Gradualis, ac Dominicæ primæ Adventus Domini conscripta hisce verbis: *Gregorius Papa, &c. composuit hunc libellum Musicæ artis Scholæ Cantorum Anni Circuli.* Hanc igitùr Crucifixionis Dominicæ Imaginem Sancti Gregorii Magni tempore, quod fuit antè mille annos, quatuor clavis repræsentatam fuisse constat.

Gradualè Sancti Gregorii Magni.

Bibliothecæ Angelicæ.

MXXIX.

Musica reformata à Gregorio Magno. Io:Diac.lib.2. cap. 6. & seq. tom.1.

Hanc supèr Crucem extat etiàm Titulus fieri consuetus hisce verbis: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Quamvìs enìm talis Titulus in ipsâmet Crucifixione Dominicâ hebraicè, græcè, ac latinè fuerit conscriptus, ut Lucas, & Joannes Evangelistæ sancti testantur, & ipsemet Titulus, tribus hisce constans linguis, Hebraico more, à dextrâ scilicèt ad sinistram conscriptis, in Basilicâ Sanctæ Crucis in Hierusalem asservatus, re ipsâ docet (utì jam demonstratum fuit) in Crucifixione tamèn Dominicâ repræsentandâ latine tantùm scribi, pingi, & sculpi solet, primâ Tituli voce solâ originem Græcam retinente per secundam

Luc.23. Io:19.

præ-

præsertim vocis literam H, quæ apùd Græcos Ητα, *Ita*, vocitatur, & apùd Latinos convertitur in, E, longum, ut ΙΗS, JESUS. Hinc imperiti græcos characteres ignorantes, scribunt, *Jesus*, cum aspiratione hunc in modum, *Iheſus*, vel, *Jhs*, per abbreviationem, secundam literam hujusce vocis ΙΗS, esse aspirationem putantes, ignoratione linguæ Græcæ decepti,

Hunc item in modum Dominica Crucifixio cernitur repræsentata in Absíde Ecclesiæ Sancti Clementis musivo perantiquo decoratâ: In Confessione quoquè subterraneâ Sancti Nicolai in Carcere Tulliano antiquissimis picturis ornatâ; Necnon in Julii Papæ Primi Cœmeterio, quod est in vineâ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Patris Augustini ad Viam Flaminiam, ubi erat vetustissima Ecclesia S. Valentini, Crucifixio Dominica quatuor clavis repræsentatur. Idem crucifigendi modus cernitur in antiquissimo Beatæ Constantiæ, Constantini Magni Imperatoris filiæ templo, quod est in via Nomentana propè Sanctam Agnetem, ubi pluribus in locis Crucifixio Dominica quatuor clavis præstita repræsentatur. In Archivo item Basilicæ Sancti Petri asservantur Codices manuscripti duo perantiqui, in quibus Imago Christi Domini quatuor clavis Cruce affixa cernitur picta.

Ecclesia S. Clem.

S. Nicol. in Carc. Cœmet. Julii 1.

S. Constan. via Nomentana.

Archivium S. Petri.

In Ægypti etiàm Civitate, quæ *Alexandria* vocitatur, inventa olim fuit Imago Crucifixi argentea, quatuor clavis affixa ligneæ Cruci, ad cujus tergum Ruthena leguntur verba, ligno incisa, in quibus fit mentio de tertiâ decimâ mensis Februarii die, ac de Reverendo Patre Martiniano. Hæc autèm Imago donata jàm fuit S. R.E. Cardinali Comensi, & Romæ asservatur.

Alexandria Ægypti.

Card. Comensis.

Eamdem insupèr quatuor clavorum Crucifixionem Dominicam non solùm in aliis quamplurimis Romæ locis, verùm etiàm in multis Italiæ partibus me inveniſſe memini, dùm intèr visitandam Sodalitatem Augustinianam, Italiam ferè totam peragravi unàcum Generali ejusdem Sodalitatis Magistro Spiritu Vicentino, cujus eram à secretis. Jacobus item Gretserus è Societate Jesu, vir Doctissimus, & variâ eruditione clarissimus, qui permulta, & scitu quidèm digna, tribusquè tomis comprehensa de Sanctissimâ Cruce conscripsit, multas antiquas Christi Crucifixi imagines reperiri testatur, in quibus singuli pedes singulis clavis figuntur, qualis etiàm fertur [inquit] antiquissima Imago illa, quæ in Chiemensi Monasterio Bavariæ ostenditur. Istucipsum indicare videtur Lipsius, Vir eruditissimus, & ubivis ferè gentium notissimus. Nam in lib. 2. de Cruce veterem crucifigendi morem quantùm ad numerum clavorum arbitrarium fuisse ostendit, uti etiàm nos loco suo diximus; *Si tamèn* [inquit Lipsius dicto in libro] *de Christo quæritur* (quantùm scilicèt ad numerum clavorum) *nescio* [ait] *& in dissensu Patrum non est meum arbitrari.* Hæc Lipsius. At in Notis ad secundum librum de Cruce cap. 9. palinodiam canit, dum sententiam de Crucifixione Dominicâ, quatuor clavis repræsentatâ, sequi videtur hisce verbis: *Atquè ego, etsi negavi me decidere, pronior tamèn sum in hanc partem. In exemplis* [inquit] *Græciæ hodiè intelligo passim Christum Cruci affixum, disparatis pedibus sic pingi. Vidimus id ipsi Venetiis in Gentis ejus Templo, tùm & alibi in antiquioribus picturis. Audio & Treviris clavum, qui asservatur, disertè in memoriis antiquis scribi, Clavum pedis dextri: Addo autèm, Constantinum Imperatorem quosdam ex his clavis* [*id quoquè multitudinem suadet*] *inserviſſe capiti Statuæ, quam suo nomine Constantinopoli posuit.* Hæc Lipsius ex Zonara, qui in tertiâ Annalium parte, de simulachro ipsius Constantini Magni æneo mirâ magnitudine, atquè arte antiquæ manus penè viventis instàr expresso ità etiàm inquit: *Divinus Imperator suum illi nomen indidit; clavis quibusdam Capiti insertis, qui corpus Domini salutiferæ Cruci affixerant.* Hucusque Zonaras.

Tom. 1. l. 1. cap. 20.

Monast. Chiemense.

Lipſ. in Notis ad 2. lib. de Cruce c. 9.

Græcia;

Venetiæ;

Treviri.

Ioan. Zonar. p. 3. Annal. pag. 114.

Ex tot igitùr tantorum Virorum, tam, scilicèt, veterum, quàm recentiorum Scriptorum monimentis, aut sententiis; necnon ex tantâ multitudine Picturarum antiquarum, quæ in diversis Europæ locis inveniuntur, Sculpturis itèm, quæ ad rem nostram pertinent, adjectis, Crucifixionem Dominicam quatuor clavorum fuisse, facilè credi valet, vel vix negari potest, rebus omnibus, quas ad hanc rem comprobandam in medium attulimus, diligentèr pensitatis, præsertim verò venerandâ antiquitate haùd neglectâ, quæ talem pingendi, & sculpendi morem non sine validâ ratione admisisse censenda est, quippè quæ tempori Passionis Dominicæ satis propinqua erat, vel ab eo tempore minùs remota, & ad veritatem historiæ antiquæ suscipiendam magis idonea. Non desunt autèm qui ad majorem Judæorum sævitiam indicandam tres tantùm clavos in Dominicâ Crucifixione adhibitos fuisse contendant; & huic opinioni Alphonsus Tostatus annuere videtur in Paradoxo 3. cap. 10. ob hanc præsertim rationem: *Quia, cum hic* [inquiunt] *sufficiat numerus, talis etiàm clavorum numerus majorem affert cruciatum: nàm tribus tantùm adhibitis in Crucifixione clavis, utrumquè pedem, alterum scilicèt alteri superpositum uno tantùm clavo configi oportuit, quem clavum longiorem, & crassiorem fuisse, necnon magis, atquè magis terebrasse pedes, majoremque dolorem attuliſſe dicas necesse est.* Ego verò cum Gretsero utrumque pedem uno tantùm clavo perforandi modum, non solùm ineptum, sed etiàm ossium fracturæ valdè idoneum esse affirmo; cùm tamèn nullum Christi corporis os confractum fuisse apertè constet. Adde, quòd hujus generis clavum cæteris clavis longiorem, & crassiorem à quopiam inventum, aut visum fuisse nusquàm narratur intèr tot Scriptores, qui hac de re conscripserunt. Quamvis autèm hac in re, ut ait Gretserus, nihil certi statui queat; ego tamèn de Crucifixione Dominicà quatuor clavis præstitâ, sententiam omninò sequor, rationibus, & Scriptorum antiquo-

Crucifixio Dominica quatuor clavorum tam Picturis, & Sculpturis, quam Scriptoribus antiquis, & recentioribus comprobatur.

Tost. tom. 2.

Ioirg.

Gretser. ubi sup.

quorum, & quidèm insignium auctoritatibus, necnon Ficturis, & Sculpturis antiquis persuasus.

Gregor. Tur. n.6. Quid tandèm factum sit de quatuor illis clavis, Gregorius Turonensis in primo de gloriâ Martyrum libro ità inquit: *Duo sunt quos suprà diximus aptatos in fræno* [equi scilicèt Constantini] *tertius projectus in fretum* (ad mare videlicèt tranquillum reddendum) *quartum asserunt esse defixum in capite Statuæ Constantini*. Hæc ex Gregorio Turonensi, cui de clavo, quem fræno sui equi Constantinus Imperator immisit; & de altero, quo suam Constantinus itèm galeam munivit, Nicephorus lib. 8. cap. 29. & Sigonius libro 3. num. 327. de Imperio occidentali, & alii astipulantur. Non desunt verò qui scribant, ex illis quatuor unum Treviris asservari, utì jàm diximus; alterum Mediolani; Tertius autèm ex illis Romæ in Basilicâ Sanctæ Crucis in Hierusalem asservatur, cum Titulo Sanctissimæ Crucis, & Portione Ligni ejusdem, ut ego ipse vidi non semèl.

Niceph.

Sigon.

Basilica S. Crucis in Hierusalem.

Clavorum multitudo undè nascatur. Quàmvis autèm in Crucifixione Dominicâ clavos quatuor, non plures, nec pauciores adhibitos fuisse censeamus, sicùt omnia, quæ pro hac re in medium hucùsque attulimus, id ità esse facilè nobis persuadent; fieri tamèn potest, ut plures eorumdem clavorum particulæ diversis in locis reperiantur, Christiani enim, præsertìm verò antiquiores, Instrumentorum Passionis Dominicæ amantissimi; ubi vel minimam particulam ex clavo Dominico nacti essent, ut ait Gretserus, integro clavo thesaurum illum sanctissimum includebant, quo accidt, ut ob aliquam partem clavi Dominici totus clavus censeretur sacer. Fieri etiàm potuit, ut multi ad imitationem clavorum Dominicorum, inquit Gretserus, alios sibi fieri curarint, ejusdem formæ ac magnitudinis, ut, cùm sibi non liceret ipsum prototypum obtinere, saltèm effigiem ex illo expressam, & effictam possiderent, & colerent. Sed non propterea multiplicati sunt clavi Dominici, sed potiùs ipsorum similitudines, & imagines censentur multiplicatæ.

Gretser. tom. 1. l. 1. c. 20.

Adde etiàm, quòd alicubì fortasse accidit, ut clavus aliquis intèr sacras reliquias asservatus, quo quispiam Christi Domini Martyr confixus est, unus ex ipsis Passionis Dominicæ clavis fuerit existimatus. Id quod Gretserus cum Cardinale Baronio rectè observavit. Vel fieri potuit, ut clavi, quibus affixa fuit Tabella, sive Titulus, clavi Crucis dicantur, & habeantur: Cyprianus enim in sermone de Sina, & Sion, Tabulam tituli clavis Cruci affixam fuisse affirmat. Utcumquè autèm sit, clavos Crucifixionis Dominicæ quatuor, non plures, nec pauciores fuisse censendum videtur, si hucùsque in medium allata diligentèr perpendantur. Hæc sunt, quæ de rebus quatuor initio propositis mihi dicenda videbantur. Quoniàm verò scopum, quem mihi proposueram, satis attigisse videor, Commentario de Particulâ ex pretioso, & vivifico ligno Salvatoris Jesu Christi desumptâ, & in Apostolico Sacrario asservatâ, ad laudem, & gloriam ejusdem Christi Domini Salvatoris, ac Redemptoris nostri, qui pro nostrâ Redemptione in tali pependit Ligno, finem impono, Amen.

Card. Bar. Ann. Christi 326. tom. 3.

Cypr. serm. de Sina, & Sion.

A N

CHRISTUS DOMINUS POST CÆNAM CUM DISCIPULIS FACTAM

Vinum tantùm, vel vinum aquâ mixtum potaverit in Calice.

LITURGIÆ Sanctorum Jacobi ſcilicèt, Marci, & Baſilii Chriſtum Dominum vinum aquâ mixtum pòſt Cœnam cum Diſcipulis factam obtuliſſe expreſsè teſtantur, ut videre eſt in ſexto Bibliothecę Sanctorum Patrum Tomo, ubi dictæ Liturgiæ ob oculos ponuntur.

Sanctus Jacobus, frater Domini, & primus Hieroſolymorum Epiſcopus, qui ipſi Cœnæ intèrfuit, hac de re in ſuâ Liturgiâ, hoc eſt in Sancto Sacrificio Miſſæ ad locum illum de Calice conſecrando, aut ſanctificando, ait in hanc verborum formam: *Similitèr poſtquàm cœnavit, accipiens calicem, & permiſcens ex vino, & aquâ &c.*

Sanctus Marcus Evangeliſta, & Sancti Petri Diſcipulus ait hunc in modum: *Similitèr, & calicem, poſtquàm cœnavit, accipiens, factâque vini, & aquæ commixtione, &c.*

Sanctus Baſilius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus in hæc ait verba: *Similitèr autèm, & Calicem vini nati Vite, poſtquàm cœnaverunt accepit, miſcuitque aquis, &c.*

Liturgiæ itaquè ipſæ Chriſtum Dominum pòſt Cœnam cum Diſcipulis factam in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio inſtituendo, non vinum tantùm, ſed vinum aquâ mixtum Diſcipulis obtuliſſe expreſsè teſtantur.

Quòd autèm Chriſtus Dominus pòſt Cœnam, vinum aquâ mixtum obtulerit, Sanctus itèm Ciprianus Carthaginenſis Epiſcopus affirmat, atquè ad dictas Liturgias alludere videtur in eâ Epiſtolâ, quam ad Cæcilium Epiſcopum de Sacramento Dominici Calicis contrà Aquarios ſcribit Hæreticos, qui ſobrietatem adeò dilexerunt, ut ejus conſervandæ causâ etiàm pro Calicis conſecratione vinum vitandum putarint, ſolamquè aquam in Dominici Calicis conſecratione (S. P. Auguſtino teſte) offerendam cenſuerint. Quarè idem Sanctus in totâ illâ Epiſtolâ ſatis longâ, vel potiùs in toto illo libello dictum reprehendit errorem, dum multis, & validiſſimis quidem argumentis in conſecrando Calice juxtà Salvatoris inſtitutum, aut mandatum, non aquam ſolam, nec vinum ſolum, ſed utrumquè mixtum offerendum eſſe contendit, Sanctorumque Jacobi ſcilicèt, ac Marci Liturgiarum lectione, ut cenſeo, edoctus, dictâ in Epiſtolâ longè poſt initium ait: *Admonitos autèm nos ſcias, ut in Calice offerendo Dominica traditio ſervetur; neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit: ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur:* Deindè pòſt multa inquit: *Qua in parte invenimus Calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit, & vinum fuiſſe, quod Sanguinem ſuum dixit.* Hùcuſquè S. Cyprianus de Calice mixto, quem Chriſtus Dominus pòſt Cœnam cùm Diſcipulis factam obtulit, ut Sacramentum Calicis inſtitueret: Illud enim relativum (*quem*) non Calicem abſolute ſumptum, ſed rem totam antè latam, Calicem mixtum refert, dum Sanctus ipſe Calicem, quem Dominus obtulit, mixtum fuiſſe narrat. Quæ ſanè lectio adeò clara, & apta eſt, ut declaratione non indigeat. Nàm ſi relativum referret Calicem tantùm abſolutè ſumptum, ipſum Calicem, quem Chriſtus obtulit, à quonam, niſi à Chriſto mixtum fuiſſe dicendum eſt. Immò S. Cyprianus poſtquàm dixit: *Invenimus Calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit*, paulò inferiùs Calicem Domini Dominicâ traditione miſcendum eſſe ait hiſce verbis: *Quomodò autèm de Creaturâ vitis novum vinum cum Chriſto in Regno Patris bibemus, ſi in Sacrificio Dei Patris, & Chriſti vinum non offerimus, nec Calicem Domini Dominicâ traditione miſcemus?* Ecce quomodò S. Cyprianus ex Dominicâ traditione in Sacramento Calicis vinum aquâ miſcendum eſſe affirmat. Et infrà iſtùcipſum à Chriſto factum

ex

ex divino mandato, aut Magiſterio à nobis obſervandum eſſe ait in hanc verborum formam: *Invenimus, non obſervari à nobis, quod mandatum eſt, niſi eadem, quæ Dominus fecit, nos quoquè faciamus, & Calicem Domini pari ratione miſcentes à divino myſterio non recedamus.* Et infrà: *Si quis de anteceſſoribus noſtris, vel ignorantèr, vel ſimplicitèr non hoc obſervavit, & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo, & Magiſterio ſuo docuit, poteſt ſimplicitati ejus de Indulgentiâ Domini venia concedi, nobis verò non poterit ignoſci, qui à Domino admoniti, & inſtructi ſumus, ut Calicem Dominicum vino mixtum, ſecundùm quod Dominus obtulit, offeramus.* Hæc, & id genus alia in eàdem inculcat Epiſtolâ, quam deniquè hiſce concludit verbis: *Religioni igitùr noſtræ congruit, & timori, & ipſi loco, atquè officio Sacerdotii noſtri (frater chariſſime) in Dominico Calice miſcendo, & offerendo cuſtodire traditionis Dominicæ veritatem. Et quod priùs apùd quoſdam videtur erratum, Domino monente, corrigere, ut cum in claritate ſuâ, & majeſtate cœleſti venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit, obſervare quod docuit, facere quod fecit. Opto te [frater chariſſime] ſempèr benè vivere.* Hæc Sanctus Cyprianus de vino aquâ miſcendo in Calice conſecrando, juxtà Salvatoris Inſtitutum, aut præceptum, poſt cœnam cum Diſcipulis factam ab eo reipsâ comprobatum.

Iſtùc etiàm ipſum tàmquàm divinum mandatum, & ab ipſomet Chriſto pòſt Cœnam cum Diſcipulis celebratam, facto comprobatum aliquot Concilia teſtatum reliquerunt, præsèrtìm verò Concilium Carthaginenſe tertium à ſextâ Synodo generali, & Conſtantinopolitanâ, tertiâ in Trullo celebratâ, confirmatum, cujus caput 24. hiſce legitur verbis: *Ut in Sacramentis, & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aquâ mixtum.* Idem in Concilio Aphricano 3. cap. 4. ad verbum legitur. In Concilio itèm Aurelianenſi 4. idem ferè legitur, nonnullis adjectis verbis hunc in modum: *Ut nullus in oblatione ſacri Calicis, niſi quod ex fructu vineæ ſperatur, aquâ mixtum offerre præſumat: quià ſacrilegium judicatur aliud offerri, quàm quod in mandatis ſacratiſſimis Salvator inſtituit.*

Sexta deniquè Synodus, ac tertia Conſtantinopolitana in Trullo celebrata eadem in Can. 32. narrat, & approbat; quæ ad vinum aquâ mixtum, ex Divino Chriſti Domini mandato in Sacramento Calicis offerendum pertinent. In quo etiàm Capite de Sancti Jacobi, & Sancti Baſilii Liturgiis, dequè Concilio Carthaginenſi, cui S. P. Auguſtinus interfuit, mentionem ad hanc rem comprobandam, facit, ipſumque ritum ordinem divinitùs traditum nominat. Nàm ſexta Synodus dicto in Canone duas ſubvertit hæreſes, hoc eſt Hydroparaſtatarum, ſeù Aquariorum unam; Armenorum alteram: hi enim ſolum vinum, illi verò ſolam aquam in Sacramento Calicis offerebant. Quòniam verò S. Joannes Chryſoſtomus in homiliâ 83., ut Aquariorum hæreſim radicitùs evelleret, Armenis, qui vino tantùm utebantur, favere videtur, ſexta Synodus tanti Patris mentem orthodoxè declarat, dum Sanctum Doctorem in Eccleſiâ ſuâ Conſtantinopolitanâ vinum aquâ miſcendum tradidiſſe ait.

Hæc obitèr de Sancti Mente, ut ad rem initio propoſitam revertamur, dicentes, Chriſtum Dominum conſecraſſe in vino aquâ mixto, ſicùt Sacræ teſtantur Liturgiæ, necnon Concilia, & graviſſimi Auctores, ac Patres antiquiſſimi affirmant, Liturgiarum, & Conciliorum auctoritati innixi. Nàm, non ſolùm B. Cyprianus, ſed Clemens etiàm Romanus, Apoſtolorum comes lib. S. Conſtitut. cap. 17. Irenæus lib. 4. hæreſ. cap. 57. Damaſcenus lib. 4. cap. 14. Hieronymus in cap. 14. Marci, & alibì, Auguſtinus lib. 4. de doctr. Chriſti cap. 21., & alii, necnon Scholaſtici ferè omnes huic conſentiunt veritati.

Nullus itaquè dubitandi relinquitur locus, àn ſcilicèt Chriſtus Dominus poſt Cœnam cum Diſcipulis factam, vinum aquâ mixtum in conſecrando Calice obtulerit; affirmativam nàmquè concluſionem veram eſſe conſtat, Solequè clariorem, tam Sacris Liturgiis, quàm Conciliorum, Sanctorumque Patrum monumentis, hoc eſt, luculentiſſimis teſtimoniis latè patere perſpeximus. Quàmvis autèm major Scholaſticorum Doctorum pars, hoc eſt, ferè omnes, aquam in Calice conſecrando, nec de neceſſitate Sacramenti, nec de præcepto Juris Divini eſſe velint, non deſunt tamèn, qui eam in Sacramento Calicis de neceſſitate Sacramenti, ac præcepto Divini Juris in Calice conſecrando miſcendam eſſe opinentur. Quòd vini, & aquæ mixtio ad neceſſitatem Sacramenti pertineat, arguunt hunc in modum.

Illa materia, quam Chriſtus Dominus in Sacramento inſtituit, eſt de neceſſitate Sacramenti.

Sed vinum aquâ mixtum in Calice conſecrando eſt materia, quam Chriſtus inſtituit; ut latè, ac diffusè probatum eſt.

Vinum ergò aquâ mixtum in Calice conſecrando eſt de neceſſitate Sacramenti.

Adde etiàm pro hac re confirmandâ, quòd in omnibus aliis Sacramentorum materiis, quidquid ex Inſtitutione, ac præcepto Chriſti eſt, neceſſarium eſt etiàm de neceſſitate Sacramenti. Chriſtus Dominus apposuit aquam, ergò aqua neceſſariò in calice apponenda eſt.

Prætereà S. Ciprianus ait in Epiſtolâ nupèr commemoratâ: ſic in ſanctificando Calice Domini offerri aqua ſola non poteſt. quomodò nec vinum ſolum poteſt: ergò aqua eſt de neceſſitate Sacramenti.

Quòd autèm vini, & aquæ mixtio in Sacramento Calicis ad præceptum Juris Divini pertineat, afferunt in medium concilia, dictamque S. Cypriani Epiſtolam, in qua ritus miſcendi aquam vino in Sacramento Calicis appellatur *Dominica traditio, mandatum Dominicum, & Divinum Magiſterium*; In Conciliis antèm ordo divinitùs traditus, *Chriſti*

tra-

traditio, aut Institutio, Divina Christi traditio, & sacratissimum mandatum, ut nupèr vidimus. Hùc accedit, quòd si Christus, ut ajunt, hunc ritum non præcepisset, Sancta Dei Ecclesia ausa non fuisset aliquid materiæ Sacramenti miscere, quòd ad Sacramenti perfectionem non pertineret: In nullo enim Sacramento Ecclesiam id fecisse legimus.

Quàmvis autèm ritus miscendi aquam vino in Sacramento Calicis instituendo fuerit à Christo institutus, ut Sacræ Liturgiæ docent, atquè concilia piis nominibus, & quidem præclaris, quæ nuper vidimus, *insignitus* vocitetur; ego tamèn cum Sancto Thoma Doctore Angelico, & cum aliis gravissimis viris permixtionem aquæ de necessitate Sacramenti Eucharistiæ in Calice consecrando esse non sentio; quià non omnia quæ Christus in Cœna fecit, hanc habent necessitatem, immò, nec præcepti divini necessitatem sortiuntur, ut de pane azimo constat.

Hinc Græci in fermantato consecrare permittuntur, qui etiàm in Calice aquam non apponunt, & tamèn consecrant: latini verò si alitèr facerent, gravissimè contrà præceptum Ecclesiæ peccarent, & tamèn consecrarent.

Quàmvis hæc vera sint, illa tamèn præclara nomina, quibus vini, & aquæ mixtio, tam à Conciliis, quàm ab antiquissimis Patribus frequentèr insignitur, dum ea modò *traditio, aut Institutio Domini, vel ordo divinitùs traditus, aut divina Christi Institutio, modò Divinum Magisterium, vel mandatum Dominicum, sivè Sacratissimum* nuncupatur *mandatum* gravem afferunt difficultatem, aliamquè postulant solutionem, quam profectò ab aliis audire cupio.

Ad illud S. Cypriani dicentis: *Sicùt Aqua sola in Sanctificando Calice offerri non potest, ità nèc vinum solum potest*; facilè respondetur hunc in modum. Non potest idèst non debet, quià non dicitur posse fieri quod de Jure non fit. Vel non potest, nisi *ex simplicitate, vel ignorantiâ* fiat, ut S. Cyprianus annuere videtur. Si autèm fieret causâ introducendi hæresim, verè non potest. Quandò autèm S. Cyprianus ait, *Nobis ignoscì non poterit, qui nunc à Domino admoniti, & instructi sumus, ut Calicem Dominicum vino mixtum, secundùm quod Dominus obtulit; offeramus*, ità respondetur; Nobis ignoscì non poterit, idèst, non de facili, vel non sinè gravi pœnitentiâ poterit venia concedi.

Hæc de Calice mixto, quem à Christo Domino post Cœnam cum Discipulis factam ex Liturgiis, atquè Conciliis, sanctòrumque Patrum monumentis oblatum fuisse constat. Quæ sanè omnia hoc loco censui conscribenda, nè ea, quæ superioribus diebus in Romano Theologorum Collegio juxtà Beati Cypriani sententiam intèr disputandum in medium attuli, minùs fidelitèr à me recitata, vel minùs vera, sivè commentitia videantur.

Materialia in Sacramento Calicis necessaria sunt in duplici differentiâ ex Divino Christi mandato: Unum namquè necessarium est ex Divino mandato, quantùm *ad plenitudinem essentiæ, aut efficaciæ*; Alterum verò, quantùm *ad plenitudinem significationis*. Vinum est necessarium primo, & secundo modo: Aqua verò secundo modo tantùm, ex Alex. tom. 4. quæst. 10. de Sacramento Eucharistiæ memb. 4. art. 1. §. 6. in Resolutione; Hinc, si quis vinum absquè aquâ in Sacrificio Missæ offerret, quàmvis peccaret contrà divinum mandatum, tamèn consecraret, non autèm è converso.

Vinum itaquè est *de necessitate Sacramenti* non autèm Aqua, quia Christus Dominus aquam apposuit proptèr significationem expressiorem, tamquàm quid *congruum*, non tamquàm *necessarium simplicitèr, sed secundùm quid*. Alex. ibidem.

Vide etiàm Damascenum lib. 4. cap. 14. ubi fit mentio de vino, & aquâ.

Vide Celajam lib. 4. sent. pag. 46. sed solutionem quæstionis in pag. 47. col. 2.

Vide S. Tho. lib. 4. sent. dist. 11. qu. 2. art. 4. qu. 1. & 2. & in 3. par. qu. 74. art. 7.

Vide librum Antididagma inscriptum pag. 92. ubi Concilia, & Patres in hanc sententiam loquentes collecti sunt. Liber est in 8.

QUINAM FUERINT
ILLI MAGI,
QUI STELLA MONITI,
CHRISTUM Infantem adoraverunt.
Matth. 7.

AGI, ut à Nomenclaturâ exordiamur, dicti sunt *à Magiâ*, quæ Persica vox est, Persarumquè Idiomate *sapientia* vocitatur. Hinc Magi apùd eos nuncupantur, *Sapientes*, *sivè Philosophi*, *vel Philothei*, ut ait Suidas, idèst *Sapientiæ amantes*, *vel Dei amatores*: quorum Princeps, eodem Suida teste, fuit Zoroastres magiæ inventor in Perside, ut Plinio itèm placet. Justinus autèm in principio suæ Epitomes hunc Magum Regem Bactrianorum fuisse ait. Zoroastri deindè Successores Ostanes, & Astampsychi: immò, ut Suidas, & Cedrenus testantur, Persæ ab Indigenis, & Popularibus suis, *Magog*, *& Magusæi* appellabantur, *à Magiâ*, ut reor, ità dicti sunt, qui velint Magos apùd Persas fuisse illos, qui sacris præerant, & Sacerdotum munere fungebantur. Nec desunt tandèm; qui dicant. Magos apùd Persas fuisse appellatos *veneficos*, *præstigatores*, *& Incantatores*, *siuè delusores*, Dæmonum scilicèt præpollentes arte (quam Plinius inteſtabilem vocat, irritam, & inanem, & omnes leges execrantur. Hanc itaquè artem Ecclesiastici vocant *Dæmonum præstigias*, eo quòd rerum veritatem ementiantur, sensus hominum fallaciâ peristringentes, mentesque in errorem ducentes. Hùc fortassè spectat triplex illud Magorum genus apùd B. Hieronymum, qui adversùs Jovinianum loquens, & in Regulâ Monachorum de abstinentiâ antiquorum Philosophorum sermonem habens, dicit, apùd Persas tria fuisse Magorum genera, sed unum tantùm, quod abstinentiam exercebat, recenset hisce verbis: *Eubulus quoquè, qui historiam Mithræ (quem sic Solem, vel præcipuum Sacerdotem vocant, multis voluminibus explicavit; narrat apùd Persas tria genera Magorum, quorum primos, qui sunt doctissimi, & eloquentissimi, exceptâ farinâ, & holere, nihil ampliùs in cibo sumere.* Hæc Hieronymus.

Nos autèm hæc tria Magorum genera juxtà Svidæ narrationem ex iis, quæ à nobis dicta sunt distinguentes, per *Philotheos*, hoc est *Deorum amantes*, qui Sacris, & falso Deorum cultui præerant, vel *Sacerdotum munere*, ut Cedreno, & Laertio placet, fungebantur, genus primum constituemus. Persarum nàmquè Sacerdotes Deorum cultui dabant operam, ac de ipsorum generatione differebant.

Per Philosophos, sapientiæ scilicèt amatores, qui secundum Magorum genus astruere queunt, variarum artium, vel disciplinarum, & mathematicarum præsertìm cultores, sed Astrologiam in primis callentes, intelligi possunt. Quo in genere Zoroastres fuisse dicitur, sivè apùd Persas, ut Plinio, & Svidæ placet; sivè apùd Baetrianos, ut narrat Justinus ex Trogo dicens: *Zoroastres primus dicitur artes magicas invenisse, & mundi principia, syderumque motus diligentissimè spectasse.* Hinc (ut Plinius ait) *is omnium mortalium unus, eodem, quo natus est, die, risisse fertur: Cerebrumque ei adeò palpitasse, ut impositam repelleret manum, futuræ præsagio scientiæ.* Hanc itaquè scientiam, sivè, ut ajunt, *sapientiam*, Persæ *Magiam* appellabant, hoc est perfectam rerum naturalium cognitionem, quam Græci, & Latini *Philosophiam* vocitare solent. Hanc autèm magiæ speciem Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, cæterique intèr Philosophos præstantissimique, velutì sanctiorem quandam disciplinam indefatigabili studio, longinquisque peregrinationibus conquisiverunt, ut Plinius testatur, dicens: *Certè Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc (Magiam scilicèt) discendam navigavere, exiliis veriùs, quàm peregrinationibus susceptis. Hanc reversi prædicavere; hanc in arcanis habuere.* Hæc de secundo Magorum genere, ut ad tertium accedamus.

Tertium Magorum genus est pessimum, superstitiosum, & ridiculum, sed omninò execrandum: quod à primo, & secundo genere originem traxisse paulàtim creditur. Nàm, ut Clitarchus ait apud Laertium, *Magi Deorum vacabant cultui, & preces illis, ac vota, & Sacrificia, quasi soli ab iis exaudiantur, offerebant*; deque eorum substantiâ, idèst vi, ac naturâ, atquè genealogiâ differebant vitam in primis frugalitèr degentes, secretioriquè scientiæ, & astrologiæ præ-

sèrtìm, quam magiæ clauem esse ajunt, operam navantes. Deindè verò ipsorum vanitas adeò excrevit, ut ex Astrologiæ Sinu, Varrone teste locupletissimo, omnium superstitionum vanitates profluxerint. Etenìm non solùm observatione syderum futura prædicere sunt ausi, sed artibus quibusdam omninò vanis, quasdam, ut ait Plinius, veritatis umbras habentibus, & rerum, ac verborum maleficiis omnia & scire, & facere se posse profitebantur. Id quod singulo quoque seculo à multis perversæ mentis hominibus factum esse historiæ, & sacræ, & prophanæ testantur. Hujus autem detestandæ artis, sivè tertii Magiæ generis; ut Ostanes narrat apùd Plinium, multæ sunt species, quas omnes Neronem calluisse, & vanas, falsasque comperisse ætate suâ Plinius affirmat. Sunt autem, qui duodecim magiæ species esse dicant: Nam *Necromantia*, est divinatio per evocationes umbrarum, vel per inferorum colloquia. Necromanticorum enim incantationibus mortui resuscitare, divinare, & ad interrogata respondere videntur per Dæmonum illusiones. *Necyomantia* fit in solâ Cadaveris erectione, per sanguinem dictæ erectioni necessarium, ut stulti fabulantur: *Sciomantia* fit in solâ umbræ vocatione: *Chiromantia* est divinatio per linearum manuum inspectionem: *Hidromantia* fit ex aquâ, aliquam imaginem repræsentante, ut Varro narrat: *Geomantia* ex terrâ, ut per terræ hiatus, vel per puncta; & hanc *Astrologiæ* adoptant, nàm Geomantia, ut ait Ægidius Columna, *veloci manus motu quædam puncta describit, quæ posteà ad signa cœlestia, & ad motum Cœli reducit, à quo motus tàm manus, quàm cujuslibet membri dependet*: Et dicitur esse inventa in auxilium Astronomi, qui tempore nubiloso astra videre non potest, ut ex iis judicet quid sentiendum de rebus futuris ad effectus naturales pertinentibus: *Pyromantia* ex igne, dum divinatur, quid sibi velit fulgur, aut fulmen, & id genus aliud: *Aeromantia* ex aere, ut per avium volatum, & cantum, per ventorum, grandinumque insuetas procellas: *Axinomantia* ex securibus, vel dolabris: *Lecanomantia* ex pelvibus, ut ait Strabo, aquâ plenis, & per illapsum Dœmonis sonum reddentibus: *Catoptromantia* per specula imaginem itèm repræsentantia, ut ait Spartianus in Juliano: *Capnomantia* ex fumo Aræ, per cujus motum futura cognosci dicuntur: *Coscinomantia* per cribrum: quo genere mulieres fatuæ uti præsertìm solent ad investigandas res furto ablatas. Ex hoc Magiæ fonte derivati sunt apùd Romanos *Hetrusci Aruspices*; apùd Indos *Brachmanes*, *& Gymnosophistæ*; apùd Gallos *Druydæ*, *& Bardi*; apud Siculos *Galeotæ*; ubiquè autèm terrarum *Astrologi*, qui & *Chaldæi* vocantur, quàmvis alibì sint nati, Astrologiam Judiciariam omninò falsam, & damnatam exercentes. Ex hoc itèm fonte ortum est maleficium, vel veneficium, quod à quibusdam fœminis superstitiosis res omninò ridiculas facilè, ac temerè credentibus in alicujus damnum, vel commodum, per quasdam, ut ajunt, *ligaturas*, vel per aliquam *lethalem*, *aut amatoriam potionem*, perpetratur. *Augurium* deniquè per garritum avium; *Auspicium* autèm per earundem Avium aspectum; *Extispicium*, per extorum inspectionem fieri solet.

Hæc omnia, & id genus alia tertio magiæ genere comprehensa detestanda sunt, quià sunt vanitates omnium vanitatum vanissimæ, & meræ Dæmonum illusiones, quæ hominum vitam producunt ad miseriam, eorundemque animas ad perpetuum perducunt interitum: Illis enim, qui eam exercent (ut ait Cicero) egestas sempèr imperat; & dum sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam: Et quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt, æternam sibi damnationem, ac mortem parantes.

Hujus generis homines fuerunt Jannes, & Mambres Magi Pharaonis, qui cum Moyse vera miracula faciente concertantes, effectus quosdam admiratione dignos per incantationes, ac Dæmonum illusiones edebant; sed in tertio defecerunt signo divinâ virtute victi. Ex hac itèm Magiæ Scholâ prodiit Pythonissa illa, quæ ad Saulis votum, Samuelem fuscitasse in Scripturâ Sacrâ legitur; necnon Simon ille Magus, qui intèr alia admiranda à Dæmonibus per aera delatus volare videbatur: sed ad Beati Petri divinam virtutem implorantis imperium corruit, comminutisque eo statìm casu membris, periit, ac tandèm æternâ cum morte vitam miserrimè commutavit, ut legitur apùd Georgium Cedrenum, necnon apùd alios Scriptores. Apollonius deniquè Tyaneus Philosophus, ut innumeros hujus generis homines scelestissimos, & impiissimos silentio prætermittam, hanc sectam secutus est sub Claudio, Cajo, & Nerone ad Nervam usquè, sub quo decessit, ut ait Svidas. Ipse enìm in Ægyptum abiit; indè in Babylonem ad Magos, indè ad Arabes, & ex omnibus illis locis infinitas illas, & celebratas præstigias coegit: quas in Dæmonum præsertìm beneficorum invocatione boni alicujus conciliandi gratiâ, ut Cedrenus narrat, exercuit, quo scilicèt filio gravida mater, Dæmonem astantem vidit, qui diceret, se eum esse, quem illa gestaret in utero. Nec eo tantùm vivo Dæmones per ipsum mirabilia egerunt, sed ipsi etiàm ad monumentum ejus perseveraverunt, atquè ipsius nomine mira quædam ediderunt ad miseros homines decipiendos, ut Cedrenus refert. Quæ sanè omnia Dei permissu per Dæmonum illusiones fiunt; ut hujusmodi rebus admiratione dignis, vera nostra exploretur fides, quam firma sit, ac fixa, veroquè Deo adhærens, nequè ab eo se avelli sinens præstigiis istis, ac diabolicis prodigiis, quæ ministerio servorum improbitatis eduntur.

His pro triplici Magorum genere explicando enarratis rem primo loco propositam aggrediemur, quinàm, scilicèt, fuerint Magi illi, qui Stellâ moniti. Christum Infantem

fantem adoraverunt, hoc est, ex quo nàm Magorum genere, nùm scilicèt *Sacerdotes, & Philothei, vel Philosophi, & Astrologi, sivè Præstigiatores, Harioli, & Incantatores*, cùm eos, *& Magos, & Reges* fuisse veritas evangelica affirmet, more Persarum, qui neminem magicæ scientiæ expertem regio fastigio potiri patiebantur, ut Cicero lib. 5. de Finibus, & lib. 1. de Divinatione ait in hanc verborum formam: *Nèc quisquam Rex Persarum potest esse, qui non antè Magorum disciplinam, scientiamquè perceperit*. Hæc Cicero. Hæc autèm Magia, qua Persarum Regum filii, antequàm ad regium culmen ascenderent, imbuebantur, ut ad mundanæ Reipublicæ imaginem, & suam ipsi Rempublicam administrare condiscerent; non ad præstigias, vel Incantationes, sed divinorum scientiam, atquè cultum, necnon ad cœlestium, ut reor, rerum, aut motuum cognitionem pertinebat, sicùt ex Platonis potest elici verbis. Plato nàmque in Alcibiade, vel de hominis naturâ, dum de Persarum Regum educatione sermonem habet, eos juxtà varios ætatum gradus, variis priùs eruditos artibus, ac scientiis fuisse narrat: Intèr quas Zoroastri Magiam, post artes, primo loco ponit hunc in modum dicens: *Cùm autèm pueri septimum ætatis annum impleverunt, ad equestris artis magistros proficiscuntur, deniquè in venationem tendunt. Anno verò quartodecimo puerum suscipiunt hi, quos regios pædagogos appellant. Sunt ii projecti ex omnibus Persis eâ ætate electi, præcipuique quatuor, Sapientissimus, Justissimus, Temperatissimus, atque Fortissimus aliquis vir: Quorum Primus Magicam Zoroastri Oromantii filii docet: Est autèm illa, Deorum cultus: atquè idem tradit institituta regia. Secundus admonet, ut in omni vitâ sit verax, Tertius, nè ullâ cupiditate superetur; ut liber vivere consuescat, ac reverà Rex imperans iis antè omnia, quæ in ipso sunt, nec ulli serviens. Quartus deniquè impavidum illum, & intrepidum reddit, nè quandò quippiam metuens, servus fiat*. Hæc Plato: Ex cujus profectò verbis propositum nostrum colligere possumus, Persarum, scilicèt, Reges non solùm Magos, sed in primo etiàm, & secundo Magiæ genere fuisse instructos. Plato nàmque Persarum Magiam Deorum cultum appellat, non Zoroastri illam infamem, quam vulgaris recipit opinio, sed Zoroastri Oromansii filii, à quo omnis veterum sapientia manasse perhibetur: cujus itèm Magiam Plato dicto in loco divinam, & in Charmide, vel de Temperantia libro, non solùm carminibus, sed Philosophicis itèm rationibus morborum corporis, & animi curatricem appellat. Hanc Pythagoras, Empedocles, Plato, Mercurius, Trismegistus, Plotinus, & Jamblicus, quin Phabus, & ex antiquorum Philosophorum, Schola Sapientissimus quisque testo plausu exceperunt, & coluerunt, ac deniquè tamquam altiorem, Philosophiam veneati sunt, magno ingenii acumine, vel forsàn aliquo Scripturæ Sacræ libro ducti. Magi ergo illi, qui Stellà moniti ad Christum Dominum ex partibus Orientalibus venerunt, eique munera obtulerunt, ipsum, tàmquam verum, & Cœli, ac Terræ Dominum, ac Regem adorantes, non in tertio, sed in primo, & secundo Magiæ genere eruditi fuisse omninò censentur, & affirmantur.

Stella verò, quæ Magis apparuit, tamquàm Dominicæ Nativitatis nuncia, nunquàm priùs apparuit, sed eam tunc Puer creavit, & Magis præviam deputavit, quæ mox, peracto officio esse desiit, ut ait Glossa ordinaria. Utrum autèm dicta Stella orta sit in Oriente, an ipsi ibi positi natam ad Occidentem viderint est, ut eadem Glossa inquit.

AN SALOMON SIT SALVUS.

QUAMVIS nihil in Scripturâ Sacrâ de Salomonis damnatione, aut salute deffiniatur expressè; non desunt tamèn, qui eum salvum esse, vel apertè dicant, vel aliquo modo ità esse annuant. Hebræi, teste Hieronymo Sancto in Ecclesiastem, id ità esse omninò affirmant, dicentes eum egisse pœnitentiam, & librum, qui inscribitur *Ecclesiastes*, idèst Concionator, esse Salomonis pœnitentiam agentis: cujus libri principium est, *Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas*. Ejusdem finis est, *Deum time*. Idem affirmat Origènes in expositione Arcæ Noe. Idem ait B. Ambrosius in Apologiâ David, & in libro de Satyro Fratre: in quibus libris Salomonem *Sanctum* appellat. Idem scribit Isidorus in libro de Ortu, & obitu Sanctorum. B. Hieronymus idem affirmat, & ad hanc sententiam comprobandam affert in medium auctoritatem Scripturæ Sacræ in libro Proverbiorum cap. 24. juxtà Editionem septuaginta Interpretum. Quo in loco hæc leguntur verba: *Novissimè egi pœnitentiam, & respexi, ut eligerem disciplinam*. Quibus ex verbis aperta Salomonis colligitur Pœnitentia, quæ salutem ipsius præsefert. Istùcipsum confirmatur, quia ejus libri in Sacro Canone recipiuntur: Sìn secùs Ecclesia non susciperet scripta illius, qui intèr membra Ecclesiæ non adnumeratur. His autèm auctoritatibus S. Thomas Doctor Angelicus lib. 3. cap. 8. de Regimine Principum omninò assentitur, dùm Salomonem pœnitentiam egisse affirmat.

Ecclesiastis c. 1.

Proverb. 24.

Quàmvis autèm Doctores aliquot huic nostræ opinioni contrarium sentire videantur, dequè auctoritate Proverbiorum paulò superiùs recitatâ, & Salomoni mirum in modum favente, nullam penitùs mentionem faciant; Nos tamen eâdem Proverbiorum sententiâ insigni nupèr laudatâ suffulti, Hebræorum, Origenis, Ambrosii, Isidori, Hieronymi, ac Thomæ sententiam sequemur, eamquè non solùm auctoritate Proverbiorum nupèr recitatâ confirmare possumus, sed aliâ etiam auctoritate lib. 2. Reg. cap. 7. ubi hæc leguntur verba: *Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virgâ virorum, & in plagis filiorum hominum. Misericordiam autèm meam non auferam ab eo, sicùt abstuli à Saul, quem amovi à facie tuâ.* Hæc ibi ad David Regem directa: quæ autem in hoc leguntur cap. partìm de Christo, partìm de ejus membris, partìm denique de ipso Salomone à Doctoribus explicari solent, & præsertìm, quæ ad misericordiam pertinent.

Lib. 2. Reg. c. 7.

Quàmvis verò cuncti ferè Doctores per misericordiam à Solomone post peccatum perpetratum non amovendam, intelligant Regnum temporale, nos tamèn cum Burgensi per misericordiam non amovendam à Solomone, Regnum etiàm spirituale, atquè æternum intelligendum esse opinamur. Quòd sententia enarrata intelligatur de Regno temporali, satìs patet ex verbis recitatis, quorum sensus est: *Non auferam* (ait Dominus ad David) *Misericordiam à Salomone*, Regnum scilicèt temporale, sicùt abstuli à Saul, quem amovi à facie tuâ, ne, scilicèt, regnaret posteritas ejus, ut exponunt Doctores; Id quod factum esse constat. Quòd autèm Saul fuerit damnatus, in Scripturâ Sacrâ expressè non legitur, etiàmsi præsumatur talis: Sed quòd omninò ipse cum suâ posteritate à Regno temporali fuerit amotus nullo modo dubitatur: sed à Salomone, & à filiis ejus Regnum temporale, ut ex cap. 11. lib. 3. Regum constat, non fuit omninò, velut ajunt, totalitèr ablatum, sicùt fuit à Saule.

Hæc tamètsi vera sunt, Burgensis tamèn cum Regno temporali Salomonis Regnum etiàm æternum, ac cœleste, & quidèm principaliùs intelligendum esse opinatur: *sicùt enim* (ait ipse) *in benedictione seminis Abrahæ* (cum dicitur *in Semine tuo benedicentur omnes Gentes* Gen. 22.) benedictio temporalis, & spiritualis, atque etiàm æterna simùl intelligitur; ità de Regno temporali, ac cœlesti intelligendum videtur, dùm hoc loco de Salomonis Regno sermo est. Verùm, quià huic explanationi nonnulli refragantur, præsertìm verò Thoringus; nostram opinionem aliis argumentis comprobabimus, comprobatamque confirmabimus, sed nodos difficiliores contrariam opinionem statuentes primo loco dissolvemus.

Gen. 22.

Nihil in hoc Problemate opinioni nostræ magis adversatur, quàm cap. 23. lib. 4. Regum, in quo fit mentio de Templis, quæ Salomon Idolis construxerat, ac nonnisi Josiæ Regis tempore, tot, scilicèt, seculorum pòst Salomonis obitum, intervallo, ab ipso Josia fuerunt destructa, legitur enim ibi in hanc verborum formam: *Excelsa quoquè, quæ erant in Hierusalem ad dextram partem montis offensionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Israel Astaroth Idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab,*

Lib. 4. Regum cap. 23.

Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit Rex; Hæc dicto in loco. Cùm itàque Templa Idolis à Salomone constructa ad Josiæ usquè tempora permanserint, Salomonem veram non egisse pœnitentiam facilè quis credet: Si enim tanti mali eum verè pœnituisset, templa ipsa cum Idolis evertenda, ac destruenda curasset, ut ajunt, qui Salomonem damnatum esse credunt.

Lib. 3. Reg. c. 11.

Ad horum opinionem confutandam, nostramque comprobandam, ostendemus in primis Salomonem Idololatriç peccatum non verè perpetrasse, quàmvis in lib. 3. Reg. cap. 11. Salomon Astarthem Deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moab, & Meloch Deum filiorum Ammon adorasse legatur, credendum tamèn est, Salomonem non ità fuisse amentem, ut in Idolis aliquid Divinitatis esse crederet; sed blanditiis fœmineis seductus, quantùm ad ea quæ extrinsecùs apparent, Idola adorasse visus fuit. Hinc S. P. Augustinus, etsi aliis in locis de Salomonis salute dubitare videtur, in lib. tamèn 14. de Civitate Dei cap. 11. ubi loquitur de primi hominis lapsu, Salomonem excusat, ejusque peccatum minùs grave reddit dicens: *Sicut Aaron erranti Populo ad Idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus*; *Nec Salomonem credibile est, errore putasse Idolis esse serviendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum*: *ità credendum est de Adamo &c.* Hæc Augustinus. Ex cujus verbis colligitur, Salomonem seductum non fuisse, sed blanditiis fœmineis fuisse quodammodò compulsum. Quæ res peccatum minùs grave reddit, eum à veræ Idololatriæ peccato excusans, propterea quòd, ut verba Augustini dicto in loco præseferunt. Adam etiàm non ex malitiâ voluntatis peccavit seductus, sed potiùs amicabili quadam benevolentiâ, & sociali necessitudine compulsus. Hinc Salomonis peccatum magis *luxuria*, quam *Idololatria* nuncupari debet: quia ejus intentio principalis ferebatur ad luxuriam exercendam, ut Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Thomas, & alii Doctores Catholici affirmant.

Lib. 4. de Civit. Dei c. 11.

Quod ad Templorum destructionem pertinet, Salomon duobus excusatur modis. Non desunt enim, qui dicunt, Salomonem verè pœnituisse, cum intentione destruendi templa Idolorum si quantumcumque facultas ei data fuisset. Alii verò ajunt, Salomonem præcepisse, ut templa illa diruerentur, Idolaque confringerentur; sed Populus, qui ferè totus Idololatriæ operam dabat, id fieri non permisit. Salomonque per ætatem jàm decrepitam suum jussum executioni mandandum curare non potuit.

Quòd Salomon veram pœnitentiam egerit patet ex iis, quæ initio dicta sunt, præsertìm verò ex auctoritate illâ Proverbiorum cap. 4., necnon ex libro Ecclesiastes, in quo nonnisi de contemptu Mundi sermonem habet, sicùt libri initium indicat.

Prætereà pòst delitias, voluptatesque in cap. 2. damnatas, quas ipse fuerat expertus, omnes homines ad secularia bona contemnenda toto in libro cohortatur, & postremò ait: *Finem loquendi paritèr omnes audiamus*: *Deum time, & mandata ejus observa*; *hoc est omnis homo, & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in Judicium pro omni errato, sivè bonum, sivè malum illud sit*. Quæ sanè verba in Senectâ jàm ætate conscripta, nonnisi veram Pœnitantiam de templis Idolorum ædificatis peractam docent. Nàm Salomon iis verbis totam hominis perfectionem, verumquè hominis nomen in Dei timore, atque in ejus mandatorum observatione consistere ostendit, dum dicit: *Hoc est omnis homo*. Timens namque Deum, & mandata ejus observans, verum hominis meretur nomen. Illud enim Totum, Timor, scilicèt Dei, & ejus mandatorum observatio, est tota hominis perfectio, totumque illud ab omni exigitur homine, ac deniquè totum est, proptèr quod, ut recte ait Lorinus, omnis homo creatus fuit.

Ecclesiastis c. ult.

Multa in favorem Salomonis ex Beato Hieronymo congerere possem loca, in quibus Doctor Sanctus Salomonem, vel excusatum reddit, vel verè pœnitentem laudat, ac salvum deniquè nominat, sed brevitatis causâ silentio prætermittenda censeo.

Si quis verò miram Salomonis pœnitentiam, à qua salus ejus vera dependet legere cupit, confugiat ad id, quod S. Hieronymus scripsit in primum caput Ecclesiastis, necnon secundum in ejusdem libri caput, in quo Doctor Sanctus Salomonem de se concionantem, suamque libidinem, ac luxuriam confitentem, pœnitentiamque exprimentem introducit. Legatur itèm quod idem Sanctus scriptum reliquit in Commentario ad lib. 2. Machabæorum cap. 4. in quo scribitur publica Salomonis pœnitentia in plateis, & in templo, quod fecerat, peracta.

Ecclesiastis c. 1.

Lib. 2. Machabæor. c. 4.

Ut autèm de Salomonis salute disputationem tandèm aliquandò concludamus, ejusdem B. Hieronymi sententiam, tamquàm totius rei sigillum hoc loco apponendam censemus. Sanctus namquè Hieronymus de Custodiâ Virginitatis ad Eustochium Virginem scribens Epist. 22. Tom. 1. dùm ad Epistolæ calcem Sanctos adversa hisce in terris perpessos, ac deniquè in Cœlo coronatos recenset, Salomonem solùm delitiis, & voluptatibus in hoc mundo affluentem, ac perfruentem in eosdem Sanctos apertè adscribit dicens: *Quis Sanctorum sine certamine coronatus est? Abel justus occiditur*; *Abraham uxorem periclitatur amittere*; *& ne in immensum volumen extendam*; *quere, & invenies singulos adversa perpessos: Solus Salomon in deliciis fuit, & forsitàn ideò corruit. Quem enim diligit Deus, corripit: castigat autem filium, quem recepit*. Hæc Hieronymus, cujus verba, si rectè perpendantur, Salomonem pœnitentiâ verâ peractâ (sine qua nullus peccator salvus esse potest) & salvum, & cum aliis Sanctis coronatum in Cœlo apertè docent, & affirmant.

Epist. 22. To. 1

S. Hieronym. ubi suprà pro pè fin.

Hæc sunt, quæ pro salute Salomonis

comprobandâ mihi dicenda videbantur: nunc verò hac in re problematicâ unusquisque in suo sensu abundet.

DE SAPIENTIA DATA SALOMONI.

Et dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus antè te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit
Lib.3. Reg. cap.3.

NIcolaus Lyranus per hæc verba intelligit, Salomonem fuisse sapientiorem omnibus Regibus, qui eum præcesserunt, & qui post eum futuri erant, non autèm omnibus hominibus indifferentèr. Adamum etenim, Prophetas, & Apostolos Salomone Sapientiores fuisse opinatus est.

Alphonsus Tostatus, vult Salomonem omnibus hominibus indistinctè sapientiorem fuisse: ibi enim Salomon non intelligitur sapientior omnibus Regibus, sed omnibus hominibus indifferentèr.

Quamvis Adam fuerit creatus in omni perfectione Naturæ, & imposuerit nomina Animalibus, ut legitur cap.2. Genes. non est tamen necesse, ut demus ei maximum gradum in perfectione cognitionis naturalis: quia nomina non imponuntur semper juxtà veram substantiæ conditionem, sed ad placitum, cum ex Aristotele lib. 1. Periher. *Nomen sit vox significativa ad placitum*. Quamvis itèm Adam imposuerit nomina secundùm veram sebstantiæ conditionem, non tamèn necesse est, ut cognoverit omnium rerum naturalium proprietates, etiamsi noverit proprietates animalium naturales. Salomon autèm, ut ex 3. Reg.4. constat, non solùm novit animalium proprietates, sed arborum, & rerum aliarum.

Salomon itèm erat Sapientior Moyse; quamvis enim Moyses loqueretur cum Deo, sicùt homo ad amicum suum loqui solet Exod.33. res tamèn naturales, & negocia politica Moyses non callebat: quæ sanè omnia à Salomone optimè cognoscebantur. Quòd autèm Moyses ea ignoraverit, ex cap. 18. Exodi apertè dignoscitur, necnon ex cap.27. Num.

Quamvis itèm Apostoli, quantùm ad cognitionem Dei, earumque rerum omnium, quæ ad mores, & ad fidem, & ad conversionem Gentium pertinebant, erant Sapientissimi, quantùm tamèn ad cognitionem rerum naturalium, & scientiarum Mathematicarum, cæterarumque disciplinarum, & negociorum politicorum Salomon erat iis sapientior; Apostolis verò hæc non ità conveniebant, nec his indigebant. Si quandò de illis loquuti fuerint, non per modum habitus immanentis, & scientifici, sed per modum revelationis: Nàm qui habet habitum scientificum, potest secundùm illum promptè respondere ad omnia, quæ inquiruntur de conditione objecti illius habitus. Apostoli autem non ità respondebant, sed à Deo eis subministrabatur quid respondendum erat, juxtà illud Matthæi 10. *Nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini*. Hic autèm respondendi, ac loquendi modus est Propheticus non per habitum aliquem scientificum, ut erat in Salomone, sed à Spiritu Sancto dictante, ut expresse legitur Matthæi 10. Marci 13. Lucæ 12., & ità loquebantur Prophetæ, & Apostoli à Deo moti ad loquendum. Hunc in modum erant valdè intelligentes: Sed revelatione propheticâ cessante, erant simplices, sicùt alii homines, immò iis rudiores interdùm. Idcircò Apostoli, & Prophetæ, non propriè sapientes, dicendi sunt: Sapiens enim propriè sumptus cognitionem scientificam habet earum rerum, quæ naturali ingenio acquiri possunt per demonstrationes, vel per alias necessarias probationes.

Quamvis deniquè Beatam Mariam semper Virginem, Genitricem Dei, propter venerationem Filii, quantùm ad omnes cognitiones scientificas Salomone sapientiorem fuisse dicere possimus, ea tamen quantùm ad hujus generis cognitiones Salomonem sapientiorem fuisse opinamur; non enim necesse erat, ut B. Maria semper Virgo in cognitionibus rerum naturalium, ac scientificis ità eminens foret; ipsam tamen Virginem, Dei Matrem, & Reginam Cœli, quantùm ad cognitionem Deitatis, & secretorum Theologicorum, sapientiorem Salomone fuisse affirmamus.

Reliquum est igitùr, ut omninò concludamus, Salomonem omnibus hominibus indifferentèr, tam Regibus, quàm non Regibus, quantùm ad cognitiones scientificas, quæcumque illæ sint, sapientiorem fuisse, sicut in lib.3. cap.4. Regum apertiùs legitur, ubi hæc leguntur verba. *Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum: & erat sapientior cunctis hominibus*.

Quarè admirari non desisto, quomodò vir ille Regem quemquam Salomone sapientiorem esse apertè dicere audeat. Hæc raptìm, & currente quasi calamo.

PRO

PRO OCTAVA

MULTI INSCRIBUNTUR PSALMI

Sanctus Ambrosius lib. 5. in cap. 6. Lucæ tom. 3.

PSALMIS aliquot titulus est *pro Octavâ*, per quam Hebræi, ut ait Genebrardus, volunt esse genus Odæ, vel Instrumenti Musici. Hinc Psalmus sextus inscribitur: In finem in Carminibus Psalmus David pro octavâ: Et juxtà hunc sensum ab Hebræis explicatum, Jacobus de Valentia inquit: Psalmus David in Organis supèr Octavam, quià hujusmodi Psalmus, ait ipse cantabatur cum toto conatu gradatìm elevando vocem usquè supèr Octavam vocem. Alii per Octavam musicum Instrumentum octo chordarum intelligendum esse putant. Quorum sententia an vera sit, expendendum esset ait Jansenius ex primo Paralipomenon. 15. ubi dicuntur quidam in Citharis pro Octavâ cecinisse Epinicion.

Arnobius per Octavam *Diem Dominicum* accipit.

Alii verò per Octavam *extremam Judicii diem* intelligendam esse volunt, præsertìm verò Latini. Vel per Octavam intelligunt *diem Octavam*, novissimi scilicèt Judicii diem, qui succedet septem diebus, quibus jam omne tempus peragitur, ut ait Jansenius: atquè ideò in titulo positum dicunt *pro Octava*: Quoniàm hic Psalmus sextus (*Domine ne in furore tuo arguas me*) intèr Psalmos Pœnitentiales primus congrua forma est homini pœnitenti, iram Dei precanti, ut effugiat Dei furorem in die novissimo, per quem diem erit Octava dies, in qua perpetuò Cœleste Regnum Beati possidebunt. De hac Octavâ in Levitico legitur in hæc verba: *Dies Octavus erit celeberrimus, atquè Sanctissimus*. Nunc enim in sextâ sumus ætate: Erimus deindè in septimâ, quandò erit extremus Judicii Dies, in quo incipiet Octava, nempè perpetua Beatitudo Animæ, & Corporis pro Electis. Levit. 23.

Hinc Sanctorum Octavæ celebrantur: quia sicùt Sanctorum obitus nativitatem ipsorum significant, quatenùs ipsi ex hac mortali vitâ decedentes, immortalemque vitam acquirentes, Cœlo nasci dicuntur, quandò scilicèt eorum animæ à corporibus separantur; ità eorundem Octavas celebramus, resurrectionem ipsorum recolentes, perindèac si resurrectioni eorundem, hoc est, tam in corpore, quàm in animâ glorificationi gratulemur.

Quarè S. Bonaventura inquit: *Nos celebramus Octavas Sanctorum, hoc est, glorificationem eorum in corpore, & animâ, quià resurrectionem expectamus: Sed in solemnitatibus Christi Octavas non celebramus, quia ejus resurrectionem non expectamus; jam enim resurrexit. Christi nàmque Natalis Dies Octavam non habet, sed die Octavo diem Circumcisionis festum habet. Nec Pascha: nam Octavo die canitur*, quasi modo geniti &c. *Nec ità Pentecoste: Nam Octavo die agitur de Sanctâ Trinitate: Si autèm in quibusdam Ecclesiis celebratur Octava in Paschate, hoc fit, quia ejus Octavam, ut in nobis, non in se resurgat, expectamus*. Hæc ex S. Bonaventura in Psalmos. Pag. 89. 914.

Glossa item ordinaria per Octavam, resurrectionis diem intelligendum esse affirmat: ob idque S. Ambrosius Beatum Matthæum Evangelistam octo Beatitudinis mysticum numerum, mysteriis, videlicèt, plenum reseraſſe ait, ac propterèa multos Psalmos pro Octavâ, ideſt pro Resurrectione, ac cœlesti Beatitudine insinuandâ inscriptos fuisse addit. Sicut enim (inquit) *spei nostræ octava perfectio est, ità Octava summa virtutum est*. Hoc est: Sicùt Octava beatitudo, sivè promissio à Beato Matthæo conscripta (quæ est eadem cum primâ) est *spei nostræ perfectio*, ità Octava virtus, quæ est *tolerantia*, sivè *potentia* circà persecutiones proptèr justitiam, est virtutum summa: Octo namquè virtutes in octo Beatitudinibus explicandis ab Evangelista Matthæo recitantur: Octava verò ad caput redit, ut ait Glossa, quia perfectum hominem declarat: Quarè octava virtus à S. Ambrosio summa virtutum, & Octava Beatitudo spei nostræ perfectio nuncupatur. Cùm itaquè Octavus numerus mysterio non careat, multi Psalmi pro Octavâ inscripti reperiuntur, ut ait S. Ambrosius, dum octo virtutes, & octo Beatitudines in Evangelio scriptas recensèt. Matth. c. 5.

Proptereà in Sanctorum Innocentum Octavâ, per quam Beatitudo Cœlestis perpetuò duratura insinuatur, aut repræsentatur, *Gloria in Excelsis Deo*, & *Alleluja* ad Missam celebrandam dicuntur, etiàmsi in eorundem festo non dicantur, nisi venerit in Dominicâ, Symbolum verò Apostolorum, nec in festo, nec in Octavâ ipsorum dicitur; quia tempore Sanctorum Innocentum dictum Symbolum editum nondùm erat; sin secùs diceretur, sicut in Octavâ Sancti Stephani Protomartyris dici solet, non solùm ratione Octavæ Sancti Joannis, sed ratione itèm Octavæ ipsius Protomartyris. Hac eâdem ratione in Octavâ Sanctorum Innocentum ad Matutinum dicitur *Te Deum laudamus*, & in Festo non dicitur, nisi venerit in Dominicâ.

Hæc mihi dicenda visa sunt de Octavâ, pro qua multi scribuntur Psalmi, sicut Sanctus Ambrosius in loco jam laudato, sivè citato id scriptum reliquit.

SACRO-

SACRORUM BIBLIORUM EMENDATIONES

Juxtà Concilii Tridentini Decretum in libros tantùm Geneſis , Exodi , & Levitici .

Liber Geneſis , *Hebraicè* Bereſcith
Gen. cap. 1. *num.* 2.

ET SPIRITUS DEI FEREBATUR SUPER AQUAS ,

IN Latinâ Editione vulgatâ primi Capitis Geneſeos paſſim legebatur : *Spiritus Domini* , nunc verò , & rectiùs quidèm , atquè ſignificantiùs legitur, *Spiritas Dei* : Quæ ſanè lectio in Editione ex Sacroſancti Concilii Tridentini Decreto Romæ emendatâ, & in Typographiâ Apoſtolicâ Vaticanâ impreſsâ hunc in modum , quem diximus , reſtituta eſt : quia Hebraicæ veritati , & editioni ſeptuaginta Interpretum , necnon veterum Scriptorum, Sanctorumque Patrum monumentis magis conſona videtur : Hebraica enim veritas habet רוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת *Ruah Elohim* , *Merahepheth*,hoc eſt,& *Spiritus Dei incubabat* , vel *fovebat* , ut ait S. Hieronymus , more volucris ova calore animantis.

Septuaginta verò ſic legunt : καὶ πνεῦμα θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος , ideſt , & *Spiritus Dei ferebatur ſupèr Aquam* . Chaldaica autèm translatio : *Et Spiritus Dei inſufflabat ſupèr faciem aquarum* . Græca Editio plana eſt , ſed Hebraica lectio dilucidatione aliquâ indigere videtur ob ipſius Hebraicæ linguæ fœcunditatem inſignem , ac myſteriis refertam , *Elohim* nàmque eſt plurale à ſingulari *Eloha* , quod eſt , Deus ; hinc *Elohim*, Dii; *Elim* , Dii, vel fortes , ab *El* quod eſt Deus , vel fortis . Vox autèm *Elohim* in loco, quem præ manibus habemus , eſt eadem cum eâ , quæ ponitur in primo loco , cum dicitur : In Principio creavit Deus Cœlum , & Terram . Undè Textus Hebraicus ſic habet

בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ

hoc eſt , *Bereſcith Bara Elohim Eth haſamaim veeth haarez*,ideſt,*in principio Creavit Dii Cœlum,& Terram.*In Hebraico nàmque textu antè hominis creationem, quotieſcumq; de Deo fit mentio, reperitur ſempèr vox ipſa *Elohim*, hoc eſt , *Dii* . Quamvis autèm dictis in locis omnibus nomen Dei in plurali numero inveniatur ad trium Divinarum Perſonarum pluralitatem,ſivè Trinitatem inſinuandam;verba tamèn,hoc eſt,*Creavit*,*Dixit*,idque genus alia ad divinę eſſentię unitatem,ac ſingularitatem præſeferendam in plurali ſempèr numero reperiuntur . Id quod planum ex eo loco fit , cum dicitur : *Faciamus hominem ad Imaginem* , *& ſimilitudinem noſtram* ; Et ſtatìm ſubditur : *Et creavit Deus hominem* , vel , *Creavit Dii hominem* , ut Hebraicus Textus habet : Sed ſicùt Moyſes Spiritus Sancti inſtinctu plurativo ſempèr vocabulo cum unitatis verbo in Hexaemeron uſus eſt libro , ità è converſo ſeptuaginta Interpretes per ſingularem numerum nomen *Elohim* , eodem Spiritu Sancto dictante tranſtulerunt : quam verſionem in hac præſertìm voce , quæ ab Hebraicâ veritate deſcendit, vulgata editio recentèr emendata amplexata eſt .

Hanc eandem verſionem, ſivè lectionem ſecuti ſunt Tertullianus adversùs Hermogenem , Baſilius Concione 2. Ambroſius lib. 1. Hexaem. cap.8. Hieronymus, Chryſoſtomus, Theodoretus cap.7. Cyrillus , Junilius , Auguſtinus lib. 1. in Geneſim ad literam cap. 7. & lib. 1. contrà Manichæos cap. 5. & alibì , Eucherius , Rabanus , & Beda variis in locis, qui *Spiritus Dei* , & non *Spiritus Domini* legerunt : Immò Hieronymus in Quæſtionum Hebraicarum initio hanc lectionem latinam eſſe affirmat . Id quod à Spiritu Sncto in Hebræorum, & ſeptuaginta Interpretum Editionibus factum eſſe reor : quià , quamvìs , teſte Pſalmographo , *Domini Terra ſit* , *& plenitudo ejus* , *orbis & qui habitant in eo* , *ipſe fundavit eam ſuper maria* , *& ſuper flumina præparavit eam* , *cui ſervi ſunt Angeli* , *& Homines*: & Cœlum ſtatìm creatum Angelis repletum fuerit, ut Gloſſa inquit Ordinaria , etiamſi nulla unquam de Angelorum creatione facta fuerit mentio; tamen antè expreſſam hominis creationem , ſivè explicitam mentionem factam de homine , qui eſt Dei Servus, Deus in Hexaemeron libro nonniſi poſt ſex dierum repetita opera circà ipſam hominis creationem appellatus eſt Dominus , ut magis propria foret locutio ; nàm poſito correlativorum uno , alterum ſtatìm ſtatuendum eſſe dicas oportet , naturâ ipſorum id poſtulante ; Hinc Textus hebraicus habet , *Ruah Elohim* , ideſt , *Spiritus Dei* non *Ruah Adonai* , hoc eſt *Spiritus Domini* : quod ſanè nomen nonniſi poſt ſeptimam diem , dum opera Creationis àMoyſe ſummatìm repeterentur,ſcriptum reperitur hiſce verbis: *Iſtæ ſunt generationes*,*Cœli & Terræ* , *quandò creata ſunt in die* , *quo fecit Domi-*

Concilium Tridentinum ſeſs.4.

Hebraicus Textus.

S.Hieronym. tom.3.in initio quæſt.Hebraicarum .

Lyranus in hunc locum .

Septuaginta Interpretes .

Chaldaica lectio .

Græca lectio.

Eloha,& Elohim , & Elim quid .

Hebraicus Textus .

Numerus pluralis , & ſingularis cõiuncti quid ſibi velint .

Moyſes.

Doctores qui legunt Spiritus Dei .

Baſil. conc. 2. in Hexaem.

Auguſtin. in Gen. tom. 3. lib.1. cap.7.

Hieronym. lib. Quæſt. Hebr. tom. 3.

Deus quando ..... in Geneſi appellari Dominus & cur ita .

Gen. cap. 2. num.4.

Vide S. Auguſtin. lib. 8. in Gen. cap.2.

Gen.2. n.4.

Dominus Deus Cœlum, & Terram: Et hunc ſempèr in modum, excepto colloquio intèr Serpentem, & hominem habito, legitur ab hoc loco ad quartum uſquè caput, in quo fit mentio de Sacrificio, quod Cain, & Abel obtulerunt Domino. Hic enim Dominus abſolutè nominari cœpit: quia Sacrificium, ut ait S. Thomas, eſt ſignum debitæ ſubjectionis, & honoris, in ſimilitudinem eorum, qui Dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem Dominii. Sicùt igitùr Deus in Sacrificio, ſinè additamento aliquo abſolutè nominari cœpit, & poſt creationem hominis propriè *Dominus Deus*, ut ſuo explicabimus loco, ità magis propriè *Deus*, & non Dominus antè dictam creationem nominatur ſempèr. Ideò legitur: *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram. Et Spiritus Dei ferebatur ſupèr aquas*: Atquè hunc ſempèr in modum ad ſeptimam uſquè diem excluſivè commemoratam Creator ipſe non *Dominus*, ſed *Deus* nominatur.

Gen. 3.
Gen. 4.
22. q. 85. art. 1.
Gen. 4.
Cap. 2. Gen.
Gen. 2.

Hùc accedit, quòd cùm multi Sacri Doctores, & alii hunc Spiritum Deum eſſe contendant, congruentiùs legitur, *Spiritus Dei*, quàm *Spiritus Domini*, ne aliquis putaret, Spiritum ipſum eſſe creaturam, quæ Domini ſit; Immò Spiritum omninò credat illius eſſe Dei, qui Cœlum, ac Terram creaſſe dictus eſt, ut ex ipſo primi capitis Geneſeos initio conſtat, dum Moyſes ait: *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*. Id quod ex vocabulo tandem illo *Elohim* אֱלֹהִים confirmatur, quià hæc vox in ſequentibus locis nomine Dei verti ſempèr conſuevit, non autèm Domini.

Confirmatio ex ratione.
Gen. 1.
Confirmatio.

Addè etiàm, quòd, ut huic notæ finem imponamus, aliquot impreſſi codices, & manuſcripti permulti, ut Schola Lovanienſis animadvertit, necnon Biblia Complutenſia, & Regia; Hebraica itèm, & Chaldaica Translatio, Biblia Ariæ Montani, Santis Pagnini, & Gothica Iſidori Clarii, Græcuſque tandèm Codex, utì diximus, habent *Spiritus Dei*, & non *Spiritus Domini*.

Concluſio:

Lectio igitùr, *Spiritus Dei ferebatur ſupèr Aquas*, tamquàm genuina, magiſque propria nunc recepta eſt, & in ſuum locum repoſita. Controverſiam verò diverſis opinionibus ortam, an ſcilicèt Spiritus, qui ferebatur ſupèr Aquas, fuerit Spiritus Sanctus, in medium affert Sixtus Senenſis in lib. 5. Bibliothecæ Sanctæ Annotatione VII., eamque illìc videre licet.

Sixtus Senenſis.

Gen. 1. num. 27.

Et creavit Deus Hominem ad Imaginem suam.

QUamvìs in Bibliis Latinis olìm impreſſis paſsìm legeretur: *Et creavit Deus Hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem ſuam*: In multis tamèn manuſcriptis illud, *& ſimilitudinem*, non legitur; hìnc Schola Lovanienſis unum & viginti Codices manuſcriptos antiquos abſquè dubius illis vocibus, *& ſimilitudinem*, ſe inveniſſe teſtatur. Hunc itèm in modum complura Exemplaria inveni & Ego, legique prætereà Biblia Complutenſia, & Regia, in quibus Textus Hebraicus, & Græcus, atquè Chaldaica Tranſlatio, aut Interpretatio voculas illas, *& ſimilitudinem* non habent. Hebraicus Textus ità jacet וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ hoc eſt, *Vaibra Elohim Eth Gaadam bezalmo*, ideſt, *Et creavit Deus hominem ad Imaginem ſuam*. Sic & Chaldaica litera, & Biblia Santis Pagnini. Textus verò Græcus, ſivè ſeptuaginta Interpretes hanc habent Lectionem, & verborum formam: καὶ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον· κατ' εἰκόνα Θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν, hoc eſt, *Et fecit Deus Hominem, ad Imaginem Dei fecit illum*. Hunc etiàm in modum multi legunt Doctores, abſque, videlicèt, ſimilitudinis repetitione, velutì ſunt Hilarius lib. 4. & 5. de Trinitate, Baſilius homil. 10. in Hexaemeron, Eucherius, Rupertus Tuitienſis lib. 2. cap. 6. in Geneſim, Auguſtinus lib. 3. de Geneſi ad literam cap. 19. necnon ad calcem Libri de Geneſi ad literam imperfecti. Santes Pagninus in ſuâ Bibliorum editione legit: *Et creavit Deus Hominem in Imagine ſuâ*. Ità legit Iſidorus Clarius, & Vatablus in ſuis Editionibus, Rupertus autèm loco nuper commemorato, cur, *& ſimilitudinem* ſecundâ vice Moyſes omiſerit, poſt dubitationem propoſitam id explicat dicens: *Cùm enim diceret Deus: faciamus hominem, ipſe utiquè illum ad Imaginem, & ſimilitudinem ſuam facere intenderat; Cùm autem hoc iſte* (Moyſes videlicèt) *ſcriberet, homo per peccatum, Dei ſimilitudinem amiſerat*. Et infrà: *Proindè ergò cùm ſcripſiſſet Deum dixiſſe: Faciamus hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram, hoc ſolùm modo ſcripſit: Et creavit Deus hominem ad Imaginem ſuam, ut ſubaudias recreaturus aliquandò ad ſimilitudinem ſuam, nam illum quodammodò nondùm fecerat ad ſimilitudinem, ſed tantùm ad Imaginem ſuam, qui evanuerat, & perdiderat illius ſimilitudinis gloriam*. Hæc Rupertus.

Hebraicus Textus.
Græcus Textus.
Doctores Græcum Textum ſequentes. Hilarius l. 4. & 5. antè med. Auguſtin. lib. de Gen. ad l. H. imperf. & lib. 3. cap. 19. tom. 4. Santes Pagninus. Rupert. lib. 2. c. 6. in Geneſim.

Baſilius itèm multis anteà ſeculis iſtucipſum exactiùs explicavit, dum Homilia 10. in Hexaemeron inquirit, cur Moyſes Deum dixiſſe ſcripſerit: *Faciamus Hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram, deindè idem Scriptor creationem hominis repetendo* [& ſimilitudinem] *ſubticuerit dicens: Et creavit Deus Hominem ad Imaginem ſuam*. Imago namque Homini tamquàm rationali effecto, ex ipsâ creatione concreata fuit; Similitudo autèm nonniſi ſecundùm potentiam, ac voluntatem operandi, & acquirendi eam, data eſt ipſi, ut idem Baſilius ait hiſce verbis: *Cur non expreſſa ſunt, quæ conſultavit? Alterum* [inquit] *ex creatione* (Imaginem ſcilicèt) *habemus alterum* [hoc eſt] *ſimilitudinem ex voluntate acquirimus. Simul cum primâ conſtructione adeſt nobis, quòd ad Imaginem Dei facti ſumus: Ex voluntate Nobis acquiritur, ac ratificatur, ut ſecundùm ſimilitudinem Dei ſimus*. Et infrà:

Baſilius.

Nunc

Basilius. *Nunc potentia Nos fecit assimilatores Dei, potentiam autem largitus ad hoc, ut Deo assimilemur; Dimisit Nos operatores esse similitudinis.* Et paulò inferiùs: *Quo itaquè miraculum meum fiat, & non alienum, mihi reliquit, ut secundùm similitudinem Dei fiam. Secundùm Imaginem enim habeo, ut rationalis sim, secundùm similitudinem autèm fio, in hoc quod Christianus sum*; Hæc Basilius qui ut meliùs, quę de similitudine Dei à Nobis ipsis acquirenda, dicta sunt, explicentur, exemplis aliquot illustrat in hanc verborum formam: *Si fias, inquit, malitiæ osor, immemor, malè in te factorum, oblivioſus hesternæ inimicitiæ: Si fias amans fratris, & condolens, assimilatus es Deo. Si remiseris inimico ex corde assimilatus es Deo. Si qualis est ergà te peccatorem Deus, talis fias ergà fratrem, qui in te peccavit, per misericordiam ergà proximum, Deo assimilatus es. Quare id, quod secundùm imaginem est, ex eo quod rationalis es, habes: Quod verò secundùm similitudinem est, acquiris ex eo, quod bonitatem assumis.* Hæc Basilius, qui paulo inferiùs propositum concludit hunc in modum: *Habeo igitur in creatione quod secundùm Imaginem est; Fio autem proposito, & voluntate etiam secundùm similitudinem.* Huc usque Basilius.

Cum itaque ex ipsamet creatione primus homo Imaginem Dei suscepisset, similitudinem verò, nonnisi potentiâ, & voluntate acquirendi habuisset, Moyses Propheta divino Spiritu illustratus, postquàm Deum dixisse Scripsit; *Faciamus Hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram*, Hominis creationem repetendo, dixit; *Et creavit Deus hominem ad Imaginem suam*; Dei autèm similitudinem ex potentiâ datam, voluntate verò atque operatione acquirendam, ob causam enarratam subticuit. Similitudinem nàmque Dei homo nonnisi operibus bonis, quæ à potestate, ac liberâ voluntate nostrâ pendent acquirit, ut exemplis à Basilio Sancto nuper positis constat; Imaginem verò ab ipsâ Adæ creatione. Suscepit, ac retinet, similitudinem, si velit, operando susceпturus, divinâ tamen gratiâ opitulante; nam ut Sanctus Paulus Apostolus ait; *Deus operatur in Nobis, & velle, & perficere pro bonâ voluntate.* Hinc S. Pater Augustinus inquit. *Liberum arbitrium nostrum in hominibus diabolo subditis ad peccandum valet, sed ad benè pièque vivendum, non valet, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne opus actionis Sermonis, & cogitationis adiuta.*

Philipp. 2.

Tom. 3. l. 3. contra Epist. Pelagianorũ tom. 2 ep. 106. & 107.

Quod autem homo sit ad Imaginem Dei creatus, ex eo manifestum profectò fit, quia mens hominis, ut Theologi omnes affirmant, præsertim verò Bernardus, est Sanctissimæ Trinitatis Imago quædam, in qua hæc tria sunt, memoria, scilicèt, intelligentia, & voluntas, per quas animæ vires personarum Trinitatem, & substantiæ Unitatem inter alia contemplamur. Prætereà Bernardus alio in loco ad Animam suam loquitur dicens; *Considera Anima mea nobilitatem tuam, quoniam, sicut Deus ubiquè est totus, omnia vivificans, omnia movens, & gubernans; Ita & in corpore tuo, ubique tota es, illud vivificans, movens, & gubernans. Et sicut Deus est, vivit, & sapit, ità & secundùm modum tuum es, vivis, & sapis. Et sicut in Deo tres sunt Personę, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; Sic & tu habes tres vires, scilicèt Intellectum, Memoriam, & Voluntatem. Et sicut ex Patre generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus Sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Et sicut est Pater, Deus est Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tamen tres Dii, sed unus est Deus, & tres Personæ; Ita Anima est Intellectus, Anima Voluntas, Anima Memoria, non tamen tres Animæ sed una Anima, & tres vires.* Hucùsquè Bernardus.

Philipp. 8. lib. Meditat. cap. 1.

Lib. de Interiori Domo cap. 67.

Ecce quàm bellè homo ad imaginem Dei creatus est, per quam Imaginem etiam similitudinem Dei adipisci potest, Divinâ Gratiâ adjuvante, adeptamque amittere per peccatum; Propterea Moyses, quamvis Deum dixisse scripserit. *Faciamus hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram*; infrà tamen, dum eandem hominis creationem repeteret, similitudine silentio prætermisâ Imaginem repetivit, dicens; *Et creavit Deus hominem ad Imaginem suam.* Illud igitur, *& similitudinem*, Codicibus olim impressis ab inscio quopiam secundâ vice interiectum, tamquàm adventitium, & à genuinâ lectione alienum, jure, ac sapientèr quidèm è medio sublatum est.

Genes. 2. num. 2.

COMPLEVITQUE DEUS DIE SEPTIMO OPUS SUUM, QUOD FECERAT.

QUamvis in editione Bibliorum vulgatâ recentèr emendatâ nihil hoc loco fuerit immutatum, nec in exemplaribus, tàm manuscriptis, quàm impressis, quod sciam, nec à Doctoribus aliter, quàm juxtà verborum formam hìc præscriptam legatur, attamen ob manifestissimam differentiam, qua Græcus Textus ab Hebraico distare videtur; hanc lectionem, ut iis, qui Hebraicam linguam callent, & Græcam, curiosisque, itèm hominibus satisfiat, examinandam, rationibusque comprobandam censeo; Hebraicus enim Textus lectionem initio propositam habet; Græcus verò pro septimo die sextam legit diem hisce verbis; καὶ συνετέλεσεν ὁ Θεὸς τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα αὐτοῦ, ἃ ἐποίησεν. Hoc est, *& perfecit Deus in die sextâ opera sua, quæ fecit.*

Græcus Textus.

Hebraica translatio, ex Hieronimo extat in hæc verba. *Complevitque, sivè consumavit Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* Chaldaica interpetratio hanc habet verborum formam; *& delectatus est Deus in die septimo opere suo, quod fecerat.* Hæc ex Bibliis Complutensibus, & Regiis. Eandemque itèm lectionem initio propositam habent Biblia Gothica, Biblia Vatabli, Santis Pagnini, Ariæ Montani, Benedictina, & alia, atque hunc in modum legunt Doctores omnes, eumdemque

Hebraica Translatio.

Chaldaica Interpretatio.

Biblia varia.

que textum habent Codices, ut diximus, manuſcripti, & impreſſi, editione Rovilli Typographi Lugdunenſis exceptâ, cui ſextam diem, pro ſeptimo die licentèr inſertam fuiſſe, majorem in modum admiror. Quamvis enim omnes Doctores utramque lectionem bonam eſſe dicant, primam tamen retinent juxtà Hebraicam veritatem, præter Sanctum Patrem Auguſtinum, qui in quarto libro de Geneſi ad literam, & contrà Adimantum nullam de Hebraicâ mentionem facit, ſed Græcam tantùm exponit.

Auguſtin. l. 4. in princ. to. 3. & tom. 6. contrà Adim. c. 2.

Sanctus Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis ſuper Geneſim, poſt Græcam lectionem recitatam, ait; *Pro die ſextâ in Hebreo diem ſeptimum habet; Arctabimus igitur Judæos, qui de otio Sabbati gloriantur, quod jam tunc in principio Sabbatum diſſolutum ſit, dum Deus operatur in Sabbato, complens opera ſua in eo, & benedicens ipſi diei, in illo univerſa complevit.* Ex quibus Beati Hieronymi verbis colligitur, aliquid in die ſeptimo factum fuiſſe, cum in eo univerſa fuerint completa, diei ſeptimæ inſuper additâ benedictione, atque ſanctificatione. Hinc Junilius Epiſcopus Africanus in Exaemeron, ſivè in ſex dierum libello, quem alii Bedæ adſcribunt, ejuſque operibus inſerunt, dum hanc dubitationem ſolvere ſtudet, hunc in modum, & exactè quidèm inquit: *Sed meritò quæritur quomodò noſtra editio, quæ de Hebraicæ veritatis Fonte deſcendit, compleviſſe Deum in die ſeptimo dicat opus ſuum, quod fecerat, in quo nihil novum creaſſe commemorat? niſi fortè ipſum diem ſeptimum, tunc eum feciſſe, atque in ejus factura opus ſuum compleviſſe dixeremus.* Et infrà: *Complevit ergò die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, ſummam in eo terminavit, addito ipſo ſeptimo, quem Sabbatum dici, & eſſe voluit, eò quòd eum myſticâ præ cæteris benedictione, & ſanctificatione donaret, ut ſequentia docent.* Et paulò inferiùs: *poteſt autèm, & rectè accipi, compleviſſe die ſeptimo Deum opus ſuum, quod fecerat, etiam in eo, quod ipſum diem benedixit, & Sanctificavit: Neque enim, nullum opus eſt benedictio, & ſanctificatio. Neque Salomon nihil operis feciſſe dicendus eſt, cum templum, quod fecerat, dedicavit: Immò eximium Dei opus eſt, cùm ea, quæ fecit, benedictione, & ſanctificatione æternâ glorificat.* Hæc ex Junilio, qui non ſolùm per ſummam ſex dierum, ſed per diem ſeptimum tunc factum, ac per ſolam itèm benedictionem, & ſanctificationem in ſeptimo die à Deo præſtitam opus eximium tali die factum concludit.

Hieronym. tom. 3.

Junilius in Hexaemeron Bedæ tom. 4. in princ.

Sanctus etiam Thomas Doctor Angelicus duplicem conſumationem, ſivè completionem affert in medium pro nodo diſſolvendo dicens: *Quòd Deus opus ſuum conſumaverit, ſecundùm unam translationem die ſexto, & die ſeptimo ſecundùm aliam utrumque ſtare poteſt. Nam conſumatio, quæ eſt forma totius Univerſi, quæ ex integritate partium conſiſtit, competit ſextæ diei, conſumatio autem, quæ eſt per ceſſationem à novis Creaturis condendis, diei ſeptimæ convenit; Votorat enim Deus plures Creaturas facere præter illas, quas fecerat, ſex diebus. Simile dicimus in motu continuo: quandiù enim aliquis poteſt moveri ulteriùs non dicitur motus perfectus antè quietem; quies enim demonſtrat motum conſumatum. Undè hoc ipſo quod ceſſavit Deus novas condere Creaturas in ſeptimo die dicitur opus ſuum conſumaſſe.* Hæc S. Thomas.

. Thom. pp. u. 73. art. 1. ad 2. erfectio duplex.

xemplum:

Huic ferè adſimile ſcripſit Lyranus Hebraicæ linguæ peritiſſimus, univerſæque Scripturæ Sacræ Interpres, dum nodum propoſitum diſſoluit. Ad quam rem præſtandam duplicem pertectionem, & completionem eſſe ait: *Una* (inquit) *eſt quantùm ad perfectas, & completas Creaturarum formas, ac proprietates, quas cunctæ res à Deo in ſex diebus creatæ aſſequtæ fuerunt. Altera verò adminiſtrationem, aut gubernationem reſpicit, quæ ad rerum creatarum operationem juxtà formas, ac proprietates ſibi inditas pertinet. Hinc quantùm ad primam perfectionem ſecundùm Græcam translationem Deus dicitur, ſextâ die ſuum compleviſſe opus: Quantùm verò ad ſecundùm perfectionem, aut completionem, juxtà hebraicam lectionem Deus die ſeptimo ſuum opus conſumaſſe, ac compleviſſe ſcribitur. Vel ſextâ die omnes Creaturarum ſpecies à Deo creatæ ſuam habuerunt perfectionem: Septimo autem die quantùm ad ſpecies creaturarum, ſuis finibus circumſcriptas, Deus ſuum opus compleviſſe dicitur, quippè qui à novis ſpeciebus creandis ceſſavit.* Hæc non ad verbum, ſed quantùm ad ſenſum ex Lyrano. Hùc etiam ſpectare videtur quod multis ſanè Verbis Toſtatus in ſecundum Geneſeos caput ſcriptum reliquit.

Nicol. Lyran. tom. 1. in c. 2. Geneſ.

Perfectio Duplex.

Alphonſ. Toſtat. tom. 1. in Geneſ.

Quarè, cum utraque lectio vera ſit, editio Bibliorum vulgata lectionem hebraicæ veritati reſpondentem antiquiorem ſuſcepit, ſuſceptamque longo ſeculorum ordine conſervavit, & ad hanc uſque diem tamquàm genuinam conſervat.

Geneſ. cap. 2. num. 4.

ISTÆ SUNT GENERATIONES CÆLI, ET TERRÆ, QUANDO CRETA SUNT IN DIE, QUA FECIT DONINUS DEUS CÆLUM, ET TERRAM.

HEbraica Beati Hieronymi translatio habet: *Iſtæ ſunt generationes Cæli, & Terræ quando creatæ ſunt in die, quo fecit Dominus Deus Cælum, & Terram:* Eademque lectionem translatio ſequitur Caldaica. Translatio autem ſeptuaginta Interpetrum eſt hæc: *Hic liber generationis Cæli, & Terræ, quando facta ſunt, qua die fecit Deus Cælum, & Terram.* Hæc ex Bibliis complutenſibus, ac Regiis. Omnes ferè Doctores primam ſequuntur lectionem, ſed in fæmineo genere legunt, quando creatæ ſunt. Hanc item lectionem habent omnia bibliorum tàm manuſcripta, quàm impreſſa exemplaria translatione Græcâ exceptâ, quæ habet in neutro genere, *quando facta ſunt*: quam lectionem tamquàm congruentiorem editio vulgata recentèr emendata ſuſcepit quantùm ad genus neutrum, cum habeat, *quando creata ſunt*. Item etiam

Vatablus. etiam Vatablus transtulit: deindè in scholiis hanc explicat lectionem dicens: *Hi sunt natales, & ortus Cæli, & Terræ, quando illa creata sunt, eo scilicèt tempore, quo Dominus Deus creavit Cælum, & Terram unàcum omnibus arboribus priùsque essent in terrâ, & unàcum omnibus Erbis Agrorum, priùsque germinarent*: Quamvìs enìm per figuram syllepsim, ut nostri ajunt Grammatici, res dignior concipiat minus dignam, veluti masculum genus concipiat fœmininum, & neutrum, ut Rex, & Regina justissimi; Dominus, & mancipium optimi; & Fœmineum concepit neutrum, ut leges, & plebiscita coactæ; Non desunt tamen Quintiliani auctoritate persuasi, qui Masculinum, & Fœmininum singularis numeri cum plurali neutro conjugant dicentes: *Toga, calceus, & capillus reprehendenda sunt*. Cùm ergò hæc ita sint lectio in editionem vulgatam reposita multo congruentior videtur, quia in eo neutrum, & Fœmininum, hoc est, Cælum, & Terra comprehenduntur: Immò per Terram, ut Theologi exponunt, omnia elementa, & cuncta alia, quæ in eo continentur; & per Cælum omnia itèm sydera, & alia, quæ in eo sunt, intelliguntur, quando ait Moyses: *istæ sunt generationes Cæli, & Terræ*, hoc est, ista omnia, quæ in superiori capite commemorata fuerunt, sunt generationes Cœli, & Terræ, quæ omnia creata fuere iis diebus, quos nupèr commemoravimus; singularique numero pro plurali, Moyses juxtà Sermonis Hebraici morem, usus est dicens: *In die*: pro diebus, ut est illud Exodi: *Venit Musca gravissima*: hoc est Muscarum multitudo. Congruentèr igitur, & rectiùs quidèm in editione vulgatâ per neutrum genus, quàm per Fœmininum legitur hunc in modum: *Istæ sunt generationes Cæli, & Terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus Cælum, & terram*.

Quintiliani.

Exod. 8.

Hoc loco juxtà pollicitum nostrum in primâ notatione præstitum explicare necesse est, cur Creator noster post creationem à Moyse summatìm repititam Dominus Deus nominetur. Hic enim primò, duobus hisce conjunctim nominibus, appellari cæpit; antè verò hunc locum, non nisi Deus nominatus est. Id quod mysterio non caret: immò hinc primò juxtà Hebraicam veritatem, nomen Dei Sacrosanctum admirabile, atquè ineffabile scriptum reperitur illud יהוה *Jehova*, à Græcis *Tetragrammaton* dictum, hoc est, quatuor literarum; Dicitur autem nomen admirabile, atque ineffabile, & diversâ tamen punctatione, ut ajunt, scriptum, modò præsens, modò præteritum, modò futurum tempus repræsentat; *Est*, videlicet, *Erat*, & *Erit*; Ab Hæbreis autem *Jehova* in legendo numquam pronunciatur propter venerationem, sed loco ejus inter legendum *Adonei* profertur: quod nomen latinè *Dominus* interpretratur: Et sicut illud à Græcis *Tetragmaton*, ita ab Hæbreis *Scembamephoras*, ut ajunt, nuncupatur nomen scilicèt quatuor literarum, quæ quid sonant, ut ait Lippomanus, nemo hominum novit. Sunt tamèn, qui velint nomen hoc ab *esse*, deductum, & significare illum qui ita est, ut sit primum essendi principium, aut fons, tamquàm ipsius soliùs proprium sit esse, & reliqua omnia ab ipso Deo suum esse mendicent: Hinc Deus ad Moysem Pharaoni, & filiis Israel missum dixit: *Ego sum, qui sum: sic dices filiis Israel: qui est misit me ad vos*. Hoc autem loco, quem præ manibus explicandum habemus juxtà hebraicam veritatem, characteribus Hebraicis conscriptum legitur *Jehova, Helohim*, pro quo Hebræi pronunciant, *Adonai Helohim*, latine *Dominus Meus*; Hæc autem Dei nomina hoc primùm loco Moyses nos docuit, ut ipsum Creatorem, tamquàm Deum colamus, fide, spe, & charitate, eumdemque tamquàm Dominus, cujus mundata sunt observanda Majestatis suæ potentiam, & justitiam revereamur. Duobus itèm nominibus omnium rerum Creator hoc præsertìm loco nominare cæpit, quià ut nonnulli volunt, in opere Dei perfecto, perfecta Dei appellatio erat adhibenda, eodem namque loco Moyses ait: *Igitur perfecti sunt Cæli, & Terra, & omnis ornatus eorum*. Et infrà.

Jehova.

Adonai.

Istæ sunt generationes Cæli, & Terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus Cælum, & Terram. Hæc obiter de *Jehova*, & *Helohim*, necnon de *Adonai*, ac de *Domino Deo* ipsâ occasione hortante, ac suadante.

Genes. 2. *num.* 12.

Ibi invenitur Edellium, et lapis onychinus.

PRiùs legebatur, *ibique*, sine ullâ necessitate juxtà Hebraicam translationem: Nunc verò legitur sine illâ particula conjunctivâ, & encliticâ, sive inclinativa. Interpetratio Chaldaica legit *ibi est Edellium, & lapis onychinus*; Translatio septuaginta Interpetrum habet *illic est Carbunculus, & lapis Prasinus*, De Edellio, ab Hebraicâ voce deducto, diversi diversa sentiunt; alii *Carbunculum*, alii *Smaragdum*, alii *Lapillos prætiosos*, parvos, & rotundos ex aquis prodeuntes, alii *Crystallum*, alii *Vnionem*; Lapidem autem Onychinum gemmæ cujusdam speciem humani unguis candorem referentis intervenientibus venis quibusdam Sardæ, & Jaspidis colorem imitantis, alii lapidem Prasinum, idest viridem, alii unionem esse volunt.

Lippomanus in Catenâ.

Eodem cap. num. 15.

Et posuit eum in Paradiso voluptatis.

LEctio est juxtà septuaginta Interpetrum translationem. Chaldaica interpetratio habet: *Et collocavit eum in horto voluptatis*. Hæbraica translatio habet: *in Paradisum voluptatis*, & ita priùs legebatur: Sed lectio initio posita congruentèr censetur, & ità

etiam

etiam legitur in multis exemplaribus manuſcriptis.

Eodem cap. num. 18.

NON EST BONUM ESSE HOMINEM SOLUM.

HÆc lectio eſt juxtà Interpretationem Chaldaicam, & Græcam Tranſlationem: Priùs legebatur, *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, juxtà Hebraicum Textum, ſed prior lectio eſt magis clara ad ambiguitatem, propter primum adjectivum cum homine conjunctum, fugiendam.

Geneſ. 3. *num.* 1.

CUR PRÆCEPIT VOBIS DEUS, UT NON COMEDERETIS DE OMNI LIGNO PARADISI.

LEctio congruentior, quàm *ex omni ligno*, ut priùs legebatur, juxtà Hebraicam, & Chaldaicam Tranſlationem, & Editionem Vatabli; Græca Interpretatio habet ab *omni ligno*.

Eodem cap. num. 11.

CUI DIXIT: QUIS ENIM INDICAVIT, &c.

PRiùs legebatur, *cui dixit Dominus*: Sed dictio, *Dominus*, nec in Hebraicâ, nec in Chaldaicâ, nec in Græcâ Tranſlatione legitur, nec in Bibliis Santis Pagnini, Iſidorii, Clarii, & Vatabli, nec etiam in multis manuſcriptis.

Eodem. cap. num. 18.

ET COMEDES HERBAM TERRÆ.

HUnc in modum legitur in Chaldaicâ, & Græcâ Interpretratione, in Bibliis Ariæ Montani, & Santis Pagnini, & Vatabli, in Hebraicâ Tranſlatione numerus extat pluralis: legitur enim: *Et comedes herbas terræ*,

Eodem cap. num. 19.

IN SUDORE VULTUS TUI VESCERIS PANE.

ITà legitur ſine dictione *tuo*, tàm in Chaldaicâ, quàm in Hebraicâ Interpretatione, necnon in Bibliis Ariæ Montani, & Santis Pagnini: Iſidorii, Clarii, & Vatabli: in Græcâ verò Interpretatione legitur, *Veſceris pane tuo*. Nunc verò legitur ſine dictione, *tuo*, quia panis, etſi ſudore hominis acquiritur, à Deo tamen datur, *qui dat eſcam omni Carni*: Et quia *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, ſine quo panis nutrimentum non daret. Ideò *panis tuus*. Ideſt *Sudore vultus tui acquiſitus, non eſt tuus*.

Eodem cap. num. 23.

ET EMISIT EUM DOMINUS DEUS.

ITà legitur in Chaldaicâ, & Græcâ Interpretatione, & in Bibliis Ariæ Montani, & Santis Pagnini, Iſidorii Clarii, & Vatabli. Hebraica verò Beati Hieronymi Tranſlatio in Complutenſibus, ac Regiis Bibliis copulativam dictionem, *Et*, non habet.

Geneſ. 4. *num.* 5.

AD CAIN VERÒ, ET AD MUNERA EJUS NON RESPEXIT.

PRiùs legebatur: *Ad Cain autem*. Græca vocula, δὲ, utrumque ſignificat, & in Græco fonte legitur: ἐπὶ δὲ Κάϊν, hoc eſt: *Ad autem Cain*. Interpretatio Santis Pagnini juxtà lectionem Hebraicam; pro dictione *autem*, ſeù *verò*, habet voculam, &, hunc in modum: *Et ad Cain, & ad oblationem ejus non reſpexit*. Biblia Iſidorii, Vatabli, & Benedictina habent: *Ad Cain autem*. Liranus legit: *Ad Cain verò*: quæ ſanè lectio meliorem, aut concinniorem ſenſum facit, atque hunc in modum in Bibliis omnibus manuſcriptis, quæ vidi, reperitur.

Eodem cap. num. 7.

NON SI BENE EGERIS, RECIPIES: SIN AUTEM MALE, STATIM IN FORIBUS PECCATUM ADERIT?

PRiùs legebatur, *peccatum tuum aderit*? Sed quia dictio illa, *tuum*, in Hebraico Textu non extat, cùm ibi ſubintelligatur; ideò in Bibliis vulgatæ editionis recenter impreſſis fuit expuncta juxtà Hebraicam veritatem, ut videre eſt in Bibliis Complutenſibus, ac Regiis, in quibus legitur: *In foribus peccatum aderit*? Tranſlatio autem Santis Pagnini, & Ariæ Montani ad Hebraicam dictionem præſtita habet: *Ad Oſtium peccatum cubat, vel accubat*. Septuaginta verò Interpretes pro, *peccatum aderit*, vel *ſedebit*, vel *cubat*, tranſtulerunt per hanc ſolam dictionem, *peccaſti*? quam lectionem multi Patres, ac Doctores, hoc eſt, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius Magnus, & alii ſecuti ſunt. Quamvis autem Tranſlatio Chaldaica necnon aliquot Exemplaria manuſcripta, & olim impreſſa, dictionem *tuum* habeant, ob rationem tamen aſſignatam vox illa; *tuum*, è medio fuit amota.

Ambr. 2. de Abel. & Cain. Auguſt. lib. 3. de Geneſ. ad lit. Gregor. lib. 3. mor. cap. 9. & 4. mor. cap. 22.

Eodem cap. num. 9.

NUM CUSTOS FRATRIS MEI SUM EGO?

PRiùs legebatur, *numquid* particula interrogativa, quæ negativam innuit reſponſionem: Et eſt idem, quod, An; & Num. Græcè, μὴ, dicitur, tres illas particulas ſignificans. Quamvis autem in Hebraico

Textu sit una dictio, in qua est litera vim habens negandi, *ut numquid custos* : & Biblia Complutensia, Regia, & alia multa tàm manuscripta, quàm impressa legant, *numquid*, Congregatio tamen voculam illam, *num*, retinuit, alterâ expunctâ.

Eodem cap. num. 5.

POSUITQUE DOMINUS CAIN SIGNUM.

BIblia Complutensia, Regia, & alia tàm manuscripta, quàm impressa, & Doctores ferè omnes legunt ; *in Cain signum*. Pauciſſimi tamen sunt, qui non *signum in Cain*, sed *Cain in signum* legant, è quorum numero est Rupertus Abbas Tuitiensis dicens : *benè ergò posuit Dominus Cain in signum, ut non interficeret omnis, qui invenisset eum. Ubi notandum* (inquit ipse) *quòd non dictum sit : Et posuit Dominus signum in Cain, ut* (verbi gratiâ) *tremulo corde viveret, vel cornu in fronte gestaret, vel tale quid, quod non ex authoritate scripturæ, sed ex Judaicis fabulis est ; sed posuit* (inquit) *Cain in signum, idest quasi signum, videlicèt, ut sic non auderet aliquis pro ultione contingere illum, quomodò nemo debet amovere Regis, vel Imperatoris signum*. Hæc Rupertus. Quamvis autem juxtà Hebraicam, & Chaldaicam translationem in Bibliis Complutensibus, Regiis, & cæteris Bibliis, tàm manuscriptis, quàm impressis legatur : *Super Cain signum*, in iisdem tamen Bibliis Complutensibus, ac Regiis Textus Græcus habet hanc verborum formam, καὶ ἔθετο κύριος ὁ Θεὸς σημεῖον τῷ Κάϊν, hoc est, *Et posuit Dominus Deus signum Cain*, hoc est, *ipsi Caino* : Nam τῷ Κάϊν, est casus Dativus, non Accusativus. Congregatio itaque in Bibliis vulgatæ editionis emendandis, ne Judaicis fabulis locum daret, voculam, *in*, omninò expungendam censuit, Græcam admittens translationem, quæ ad lectionem, & Interpretationem Ruperti proximè accedit; quæ est, *posuit Dominus Cain in signum*, ideſt quasi signum ; Et hæc locutio est eadem ferè quantùm ad sensum cum illâ ; *Posuitque Dominus Cain signum* figurâ parenthesi, seù appositione ad missâ, quæ est immediata, sivè continuata duorum substantivorum in eodem casu conjunctio, dùm alterum ad alterius ponitur declarationem, ut est illud Virgilii in primo Æneidos libro :

Parenthesis.

Virgil. lib. 1.

Miratur molem Æneas, Magalia quondam.

Quamvis per tremorem omnium membrorum signum de Cain non occidendo à Deo datum juxtà opinionem Hebræorum nonnulli, veluti Eucherius, Lyranus, Tostatus, & alii intelligendum esse crediderint ; Cajetanus tamen ait ; *Certum non est, quale fuerit hoc signum, quamvis in verbis literæ constet, quòd fuerit signum sensibile positum divinâ operâ in ipso Cain, quia fuit signum apparens cuilibet reperienti eum, alioquin non suffeciſſet ad hoc, ut omnis reperiens eum, non occideret ipsum. Et in hoc apparet non solùm magna Dei clementia, minuendo pœnam Fratricidæ debitam, sed etiam maxima benignitas, servando eumdem, ne ab aliis interficeretur*. Huc usque Cajetanus, qui etsi sensibile in Cain fuisse signum sentiat, illud tamen sine authoritate Scripturæ Sacræ, quale fuerit, affirmare non audet.

Rupertus verò, ut sententiam suam initio recitatam confirmet, in medium affert exemplum de muliere illâ Thecuite, quæ pro filio suo, qui fratrem inter rixandum occiderat, David Regem supplex rogavit, ut fratricidæ filii necem decreto prohiberet. Hinc David ipsi mulieri respondens juramento ait : *Vivit Dominus, quia non cadet de Capillis filii tui super terram. Qui contradixerit* (inquit) *tibi, adduc eum ad me, & ultrà non addet, ut tangat te*. Hæc in 2. Reg. libro. *Illud simile est huic*, ait Rupertus. *Hoc* (inquit) *modo Rex in signum posuit illum, qui occiderat, reum habiturus eum, quicumque ex Cognatis ulciscereturt sanguinem occisi, veluti temeraſſet signum Edicti*. Hæc Rupertus. Posuit itaque Deus Cain signum, videlicet, ut eum, tamquàm tale signum à Deo positum, nemo pro ultione contingere auderet, perindè atque nemo Regis, vel Imperatoris signum amovere, aut tangere debet, vel ob gravem saltèm punitionem comminatam signum Edicti temerare non audet.

Rupertus.

2. Reg. 14.

Quamvis autem idem Dominus Deus alio in loco jubeat, ut Cognatus jure propinquitatis jugulet interfectorem occisi ; hoc tamen loco necem Cain prohibet, quia nullus ipsius Abelis occisi extabat propinquus, aut Cognatus.

Num. 35.

Rupert. lib. 4. cap. 9.

Genes. cap. 5. *num.* 3.

VIXIT AUTEM ADAM CENTUM, ET TRIGINTA ANNIS, ET GENUIT AD IMAGINEM, ET SIMILITUDINEM SUAM, VOCAVITQUE NOMEN EJUS SETH.

TRanslatio Sancti Hieronymi hunc legit in modum : *Et genuit filium ad Imaginem, & similitudinem suam* : Sed in Bibliis Complutensibus, ac Regiis textus Hebraicus, & Græcus, atquè interpretatio Chaldaica dictionem ullam, quæ filium significet, non habet, quia per vim verborum, quæ sunt, ad Imaginem, & similitudinem genuit, dictam vocem subintelligendam esse omnes vident. Græcus Textus ità jacet : καὶ ἐγέννησε κατὰ τὸν ἰδέαν αὐτῦ, καὶ κατὰ τὸν εἰκόνα αὐτῦ. Hoc est, & genuit ad figuram suam, & ad Imaginem suam, filium, scilicèt, subintellectum. Ità etiam legitur in Editione Romanâ juxtà septuaginta Interpretum translationem superioribus annis jussu Sixti V. latinè redditâ, & impressâ. Aliquot itèm exemplaria manuscripta, ut Schola Lovanienſis notavit, & quidèm antiquiora illam non habent dictionem *filium*, quæ idcircò è Bibliis vulgatæ editionis ex præscripto Sacrosancti Concilii Tridentini emendatæ impressis sublata est. Ità etiam sinè illâ dictione legit Rabanus

Schola Lovanienſis.

banus, etiamſi particula illa, *filium*, in omnibus Bibliis impreſſis legatur. Hanc ſolam, *Seth*, genituram tantis verborum luminaribus Moyſes inſignivit dicens: *Vixit autèm Adam centum, & triginta annis, & genuit ad Imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vocavitque nomen ejus Seth.* Lib. 4. in Geneſ. *Adam enim* (ait Rupertus) *genuit Seth ad ſimilitudinem, & Imaginem ſuam*, hoc eſt, homo rationalis rationalem, mortaliſque mortalem: quià, ut inquit idem Rupertus, hunc in capite generationum, abjecto Cain, tamquàm abortivo, poſitum agnoſci voluit. Cajetanus. Adde etiàm quòd, ut Cajetanus ait, in ſolo ſemine Seth ſervanda erat ſimilitudo ejus, tamquàm ipſius Imago: humanum namque genus univerſum per diluvium delendum erat, & ſola Seth progenies in Noè conſervanda: propterèa Moyſes in ſolâ Seth geniturâ commemoravit Adæ Imaginem, & ſimilitudinem, necnon ætatem expreſſit dicens: *Vixit autèm Adam centum, & triginta annis, & genuit ad Imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, ut in Hebraico textu, & in Chaldaicâ translatione legitur: Nàm ſeptuaginta Interpretes, ut S. Hieronymus quoquè animadvertit, habent ἔτη διακόσια τριάκοντα, hoc eſt *annos ducentos triginta*. Hinc numerus antè nativitates filiorum in hac totâ generationum ſerie ab eis additus, poſt nativitates ſubtrahitur, ut anni patrum integri, & æqualitèr inveniantur, & conſtent apùd omnes, Lippoman. in Catherca ſuper Gen. 5. 5. prætèr Lamech, ſicùt ait Aloyſius Lippomanus: nàm reverà centum, & triginta annis vixerat Adam, quandò genuit Seth, & poſtquàm genuit Seth, ut veritas Hebraica inquit, facti ſunt anni Adam octingenti, genuitque filios, & filias, etiamſi juxtà ſeptuaginta Interpretum Editionem ſeptingenti anni fuerint ipſius Adam, poſtquàm genuit Seth. S. Hieronym. lib. de quæſt. Hebr. in Gen. cap. 5. Quem profectò errorem Sanctus Hieronymus animadvertens inquit: *Quià in ducentis erraverat, conſequentèr hic poſuit ſeptingentos cùm in Hebræo* (hoc, ſcilicèt, in loco) *octingentos, & ſuprà centum habeatur.* Hæc ſunt, quæ ſuprà inſtitutum meum, quod ad emendationem locorum ſcripturæ divinitùs traditæ à Sacrâ Bibliorum Congregatione præſtitam pertinet peropportunâ, & quaſi inevitabili occaſione ſeſe offerente, mihi dicenda videbantur.

Eodem cap. num. 22. *&* 24.

ET AMBULAVIT HENOCH CUM DEO.

BIs in eodem cap. num. 22. & 24. Henoch cum Deo ambulaſſe commemoratur: Et eſt repetitio non inutilis, quæ tam in Hebraico textu, quàm in Græco, & in Chaldaicâ translatione, necnon in omnibus Bibliis, tam impreſſis, quàm manuſcriptis reperitur, & à Doctoribus explicatur. Ambulare autèm cum Deo in Scripturâ Sacrâ, hominem nonniſi divinam vitam agere, ſivè Deum timere, piè, ac ſincerè colore, illique per vitæ Innocentiam placere, ſanctamque intèr homines converſationem habere ſignificat. Hinc in Hebraico textu, Latinè redditо legitur; *Et ambulavit Henoch cum Deo.* Septuaginta verò Interpretes Hebraicam locutionem alio modo expreſſerunt, hiſce videlicèt verbis; Καὶ Εὐηρέστησεν Ἑνὼχ τῷ Θεῷ. Hoc eſt, *& placuit Henoch Deo.* Chaldaica translatio habet; *Et ambulavit Henoch in timore Dei.* Quæ ſanè lectiones, etſi verbis diverſæ, eundem tamèn ſenſum retinent, dictæque repetitiones in ſingulâ quaque Translatione inutiles, utì jam diximus, non ſunt; quia per eas Moyſes intelligi voluit, Henoch ſempèr placuiſſe Deo, non ſolùm uſquequò Mathuſalem genuit, ut hæc vulgatæ Editionis indicant verba: *Porrò Henoch vixit ſexaginta quinque annis, & genuit Mathuſalam, trecentis annis, & genuit filios, & filias. Et facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni, ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quià tulit eum Deus.* Quæ ſanè repetitio ipſum Henoch ab ineunte ætate in viâ Dei ambulaſſe, ac profeciſſe, atquè in eâdem ſempèr viâ proficiendo perſeveraſſe demonſtrat: propterèa ipſum Deo gratum, poſt trecentos, & ſexaginta quinque ætatis annos non mortuum, ſed vivum divinitùs ab hominum conſortio ſive è terris hiſce ſublatum, vel, ut ſeptuaginta interpretati ſunt, à Deo translatum, & ob ſanctitatem Terreſtri Paradiſo donatum, ut in Eccleſiaſtico hiſce legitur verbis: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam.* Eccl. 44. Idcircò Sanctus Paulus ad Hebræos ſcribens ait: *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur; quià tranſtulit illum Deus: antè translationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo.* S. Paulus Hebr. 11. Hæc S. Paulus. Translatus eſt igitùr Henoch, Deo placens, contrà Antichriſtum ad prædicandum cum Helia tandèm rediturus, conſiliumque pœnitendi daturus, ut ait Gloſſa Ordinaria, & Lyranus in hunc locum. Repetitio itaquè ſuperflua non eſt, ſed ſignificantèr hoc poſitâ loco, dum Henoch cum Deo ambulaſſe bis commemoratur, antè ſcilicèt, & poſt genituram Mathuſalæ, hoc eſt, ſempèr, nullo videlicèt vitæ ſuæ tempore intermiſſo. Gloſſa ordinaria, & Lyranus.

Eodem cap. num. 27.

ET FACTI SUNT OMNES DIES MATHUSALA NONGENTI SEXAGINTA NOVEM, ET ANNI, ET MORTUUS EST.

PRiùs legebatur *Mathuſalæ*, nunc verò *Mathuſala* pro genitivo caſu *Mathuſalæ*: Eſt enim nomen apùd Sanctum Hieronymum hac deſinentiâ ſempèr ſumptum juxtà declinationem, aut deſinentiam Hebraicam, & Chaldaicam, quæ in omnibus caſibus *Mathuſalach* legitur, ut videre eſt in Bibliis Complutenſibus, ac Regiis. Translatio Santis Pagnini in omnibus caſibus habet *Mathuſelach*. In Bibliis autèm juxtà ſeptuaginta Interpretes Romæ latinè redditis legitur ſempèr *Mathuſala*. In Bibliis itèm Hebraicis eſt eadem ſempèr lectio. In Bibliis autèm vul-

gatæ editionis recentèr ad præſcriptum Concilii Tridentini emendatis dicta nominis deſinentia, quæ eſt *Mathuſala* extat in recto, & in genitivo caſu, etſi *Mathuſalæ* in genitivo caſu priùs legebatur: in accuſandi autèm caſu ad amphibologiam forſitàn evitandam, legitur *Mathuſalam*.

Geneſ. 6. num. 6.

ET TACTUS DOLORE CORDIS INTRINSECUS, DELEBO, INQUIT, HOMINEM, QUEM CREAVI A FACIE TERRÆ &c.

ANtè dictionem, *Et*, cum iis, quæ ſequuntur verbis, priùs legebatur etiàm hæc: *Et præcavens in futurum*. Quæ ſanè verba, nec in textu Hebraico, nec in Chaldaico, nec in Græco extant. In Bibliis autèm tam manuſcriptis, quàm impreſſis antè novam vulgatæ editionis emendatæ impreſſionem leguntur: manuſcripta verò antiquiſſima eſſe non judicantur. Non deſunt, qui ea legant verba, ſed non exponunt, Anſelmo Laudunenſi Gloſſæ interlinearis authore, & Ricardo de S. Victore, exceptis, qui antè quingentos annos floruerunt. Rabanus autèm Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, qui antè octingentos floruit annos, dicta verba non legit. Hinc ea marginalia eſſe, deindè Textui à quopiam Sciolo inſerta, atque inibi ad hæc uſquè tempora relicta fuiſſe credendum eſt, ut Sacra Bibliorum Congregatio cenſuit: Illud namquè, *& præcavens in futurum*, eorum, quæ ſequuntur, interpretatio videtur eſſe: Deus enim delendo hominem, quem creavit, à facie terræ, præcavit, & providit in futurum, ne deteriùs contingeret aliquid, nevè pejora mala, & multiplicitèr quidèm fierent. Adde etiàm, quòd in aliquot manuſcriptis Vaticanis immediatè poſt illa verba: (*Et tactus dolore cordis intrinſecùs*) legitur illud (*& præcavens in futurum*) deindè ſequuntur illa: *Delebo* (inquit) *hominem, quem creavi à facie Terræ.* Hùc tandèm accedit, quòd interpretationem illam (*& præcavens in futurum*) antiquiores Doctores nec in fontibus, nec in Bibliis manuſcriptis inventam legunt: His itaquè de cauſis verba hæc: (*& præcavens in futurum*) tamquàm marginalia, & adventitia, e Bibliis vulgatæ editionis ad præſcriptum Sacroſancti Concilii Tridentini emendatis jure ſublata ſunt.

Anſelmus Laudunenſis. Ricardus de S. Victore. Rabanus.

Eodem cap. num. 17.

UNIVERSA, QUÆ IN TERRA SUNT, CONSUMENTUR.

PRiùs legebatur, *& Vniverſa*: nunc verò particula, *Et*, è medio ſublata eſt: quia quamvìs in Bibliis Græcis Complutenſibus, ac Regiis, & in multis aliis impreſſis; in Hebraico Textu, & in Translatione Chaldaicâ, atquè in manuſcriptis non extat. Adde etiàm, quòd eo in loco non videtur ità congrua, vel ſaltèm non neceſſaria.

Eodem cap. num. 21.

ET ERUNT TAM TIBI, QUAM ILLIS IN CIBUM.

PRiùs legebatur *in eſcam*, nunc verò *in cibum*, ne bis eodem ferè in loco eſca ponatur: nàm paulò antè de eſcis mentio facta fuerat: Utrumque tamèn nomen eandem habet ſignificationem.

Geneſ. 7. num. 2.

EX OMNIBUS ANIMANTIBUS MUNDIS, TOLLE SEPTENA, ET SEPTENA, MASCULUM, ET FOEMINAM.

PRiùs legebatur, *tolles* in futuro indicandi modo, nunc autèm *tolle*, in modo imperandi juxtà Græcam editionem, ac formam initio hujuſce Capitis poſitam, Domino Deo ad Noè dicente: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam*.

Eodem cap. num. 13.

IN ARTICULO DIEI ILLIUS INGRESSUS EST NOE, ET SEM, ET CHAM, ET JAPHETH FILII EJUS: UXOR ILLIUS, ET TRES UXORES FILIORUM EJUS.

INgreſſus Noè in Arcam, cum filiis, & Uxore, & uxoribus filiorum ejus bis hoc in capite commemoratur, ſed ſecundâ vice fuſiùs, ac diſtinctiùs: Nam in primâ vice, non fit mentio de numero, nec de nominibus filiorum, nequè de Uxorum numero. Idcircò ſecundâ vice additur particula illa, *tres*, ad trium filiorum Uxores tres explicandas: & ità legitur in Textu Hebraico, Chaldaico, & Græco, & in aliquot manuſcriptis Codicibus latinis: Et quamvìs in impreſſis multis particula illa, *tres*, non reperiatur, in Editionem tamèn vulgatam recentèr emendatam repoſita eſt ob rationem aſſignatam. In primâ verò vice dictio illa, *tres*, apponenda non eſt, quia nec Hebræa, nec Chaldaica, nec Græca Complutenſia, nec Regia, nec Biblia Latina tam manuſcripta, quàm impreſſa illam habent.

Eodem cap. num. 21.

CONSUMPTAQUE EST OMNIS CARO, QUÆ MOVEBATUR SUPER TERRAM, VOLUCRUM, ANIMANTIUM, BESTIARUM, REPTILIUM QUÆ REPTANT SUPER TERRAM.

HÆc lectio eſt juxtà Hebraicam, & Græcam Translationem: nam dictio illa, *animantium*, eo loco eſſe debet, non autèm poſt illa verba, *omniumque reptilium, quæ reptant ſupèr Terram*: ubi nonnulli Codices habent, *ſupèr Terram, animantiumque omnium.* Primam verò lectionem habent tam Biblia Complutenſia, & Regia, quàm etiàm Ordinaria, & alia, nec non manuſcripta.

Eodem

Eodem cap. num. 23.

ET DELETA SUNT DE TERRA.

COpula, *&*, legitur in Hebraicâ, Chaldaicâ, & Græcâ Translatione, necnon in cæteris Bibliis tam impreſſis, quàm manuſcriptis. Sunt enim, qui dictionem copulativam expungendam putent, falsâ opinione decepti; Nam poſtquàm dixit; *Et delevit*; illa, ſcilicet, quæ in ipſomet ſtatim textu commemorantur, concludens ait; *Et deleta ſunt*; Ea, videlicet, paulò antè commemorata; Eſt enim dicendi modus in Scriptura Sacrâ frequentiſſimus.

Geneſ. 8. *num.* 6.

CUMQUE TRANSISSENT, QUADRAGINTA DIES, APERIENS NOE FENESTRAM ARCÆ, QUAM FECERAT, DIMISIT CORVUM: QUI EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR, DONEC SICCARENTUR AQUÆ SUPER TERRAM.

DE Corvi egreſſu ex Arcâ, & in eam præſertim reditu non parum inter Doctores diſceptatur, & hac de re intèr multos, & eruditos quidèm viros, hoc eſt Sacræ Bibliorum Congregationis Conſultores ob diverſas, & inter ſe pugnantes lectiones jam diù diſputatum fuit, Translatio namquè Sancti Hieronymi juxtà Hebraicam veritatem præſtita Corvum in Arcam rediiſſe apertè oſtendit. Græca verò juxtà ſeptuaginta Interpretum translationem editio, eum non rediiſſe apertè monſtrat. Translatio Sancti Hieronymi, ut in Bibliis Complutenſibus, ac Regiis videre licet, de Corvi egreſſu, ac reditu ità jacet; *qui egrediebatur, & revertebatur*. Idem affirmativè legitur in Chaldaicâ Interpretatione hunc in modum; *Et egrediebatur, & revertebatur*. Translatio autem Græca Corvi reditum in Arcam hiſce pernegat verbis; *Et exiens non eſt reverſus*. Hanc lectionem ſecuti ſunt non ſolùm Doctores Græci, veluti Joannes Chryſoſtomus, & alii, ſed etiam Latini non pauci, præſertìm verò Sanctus Cyprianus ad Novatianum hæreticum, Sanctus Ambroſius, S. Pater Auguſtinus, S. Rupertus Abbas Tuitienſis, & S. Hieronymus, qui etiamſi in Translatione juxtà Hebraicam veritatem affirmativè legat. *Et revertebatur*; in quæſtionibus tamen Hebraicis, & in Dialogo contrà Pelagianos, & in Epiſtolâ ad Oceanum negativam retinet lectionem. Hunc in modum legunt Iſidorus, & Rabanus in Geneſim, necnon Euſebius Cæſarienſis in Chronicis, atquè omnes ferè Doctores tam Græci, quàm Latini. Quamvìs autem in primo Joſephi Antiquitatum Judaicarum libro ex Latinâ Frobenii Editione dicta lectio negativè reperiatur, illam tamen, additâ negatione, corruptam fuiſſe Scholæ Lovanienſis affirmat. Joſephum enim Hebræum, qui græcè hiſtoriam ſuam conſcripſit, nonnìſi hebraicam lectionem ſequutum fuiſſe credendum eſt, ut in libro antiquitatum græcè conſcripto, & in aliis Editionibus latinè redditis, Frobenianâ exceptâ, videre licet. Negativam itèm denique de Corvi in Arcam reditu lectionem habent omnia ferè vulgatæ Editionis Biblia tam impreſſa, quàm manuſcripta, quæ in Bibliothecâ Vaticanâ ego ipſe perlegi, Editione Gothicâ exceptâ quæ Hebraicam ſequitur lectionem.

Negativa itaque lectio juxtà ſeptuaginta Interpretum Translationem Græcam in Bibliis vulgatæ Editionis ex Decreto Sacroſancti Concilii Tridentini recentèr emendatis relicta eſt, etiamſi Hebraicæ veritati adverſari videatur: ambæ enim lectiones, negativa, ſcilicèt, & affirmativa, etſi quantùm ad vocem diſſonæ, conſonæ tamen ſunt quantùm ad ſenſum, ſi rectè perpendantur. Corvus enim à Noè ex Arca dimiſſus intrà Arcam non revertebatur, ſed ſuprà Arcæ tectum redibat, ideſt circà Arcam, poſt captam ex Cadaveribus Eſcam revertebatur, hoc eſt, ex Arcâ egreſſus, ultrò, citròque, ut in novâ Vatabli verſione legitur, volitabat, Dictæ igitur lectiones inter ſe, quantùm ad ſenſum non pugnant: Corvus namquè revertebatur ſuprà Arcæ tectum, ſed intrà Arcam non revertebatur: atque hunc in modum negativa, & affirmativa ambæ ſunt veræ; Lectio autem negativa in Bibliis recenter emendatis fuit recepta, quia Doctores ferè omnes eam amplexantur, græcum Textum ſequentes.

Eodem cap. num. 8.

EXTENDITQUE MANUM.

PRIùs legebatur: *Extenditque Manum ſuam*. Quamvìs autem in Græco Textu legatur pronomen cum ſuo ſubſtantivo conjunctum, in Hebraicâ tamen, & Chaldaicâ Translatione non extat, neque etiam in multis codicibus manuſcriptis, ut Schola Lovanienſis, & Bibliotheca Vaticana Romæ teſtantur: Et ideò Congregatio pronomen illud, *ſuam*, non apponendum cenſuit.

Eodem cap. num. 13.

IGITUR SEXCENTESIMO PRIMO ANNO *&c.*

GRæcus Textus in Bibliis Complutenſibus, ac Regiis habet: *In uno & ſexcenteſimo anno in Vitâ Noè*: Multi autem Codices Latini tàm impreſſi, quàm manuſcripti legunt: *Igitur ſexcenteſimo primo anno vitæ Noè*. Sed quia in Textu Hebraico, & Chaldaico, atque etiam in multis Codicibus manuſcriptis, & impreſſis hoc loco de Vitâ Noè expreſſa non fit mentio, etiamſi de ipſius ætate ibidèm ſermo intelligatur, ſicut ex capite ſuperiori colligitur; hinc duæ illæ voces, hoc eſt, *Vitæ Noè*, è medio ſublatæ fuerunt, quippè quæ facilè illìc intelliguntur.

S. Chriſoſt. hom. 26. in Geneſ.
S. Cyprian. S. Ambr. lib. de Noè, & Arca cap. 7.
Auguſt. tract. 6. in Jo. & lib. 12. contrà Fauſtum cap. 20. & quæſt. 8. in Geneſ. cap. 13.
Rupert. lib. 4. in Gen. c. 22.
Hieronym. in Dial. circà me. tom. 3. & 20.
Raban. lib. 2. cap. 8. in Gen.
Joſephus Hebræus.

Eodem cap. num. 18.

EGRESSUS EST NOE, ET FILII EJUS,

IN aliquibus Codicibus Latinis impressis legitur, *& Filii ejus simul*. Sed dictio *simul* nec in Hebraico Textu, nec in Chaldaico, neque in Græco, neque in Exemplaribus manuscriptis extat antiquis: Ideò dictionem illam *simul* Congregatio non apponendam censuit.

Eodem cap. num. 21.

ODORATUSQUE EST ODOREM SUAVITATIS, ET AIT.

NOnnulli Codices impressi, & manuscripti Latini habent; *Et ait ad eum*. Ita quoquè legitur in Hebraicâ Translatione, non autem in Græcâ, nec itèm in Chaldaicâ interpretatione, in qua legitur: *Et dixit Dominus in Verbo suo, vel potiùs in corde suo, legendum videtur*. In novâ enim Vatabli Editione legitur: *Et dixit Dominus ad Cor suum*. Quem locum in Scholiis ità ipse interpretatur: *In Corde suo*, ideſt, *decrevit Dominus apud se hunc in modum*. Et hæc interpretatio Textui nunc emendato consonare videtur.

Gen. cap. 9. *num.* 5.

SANGUINEM ANIMARUM VESTRARUM REQUIRAM DE MANU CUNCTARUM BESTIARUM: ET DE MANU HOMINIS, DE MANU VIRI, ET FRATRIS EJUS REQUIRAM ANIMAM HOMINIS.

PRIùs legebatur, *de manu viri, & de manu fratris ejus*, absque ullâ repetitione [*de manu*] legitur: quia repetitio illa hoc loco posita nec in Hebraico Textu, nec in Chaldaico, neque in Græco, neque etiam in multis manuscriptis Codicibus latinis reperitur: Immò in Græco Textu inter dictionem *viri*, *& fratris* nulla interjacet conjunctio, ut rectè Cajetanus obsérvavit, & S. Augustinus, & Rupertus legunt. Pro hac re meliùs explicandâ in memoriam revocandum est, quot modis homicidium injustum à Deo sub commemoratæ vindictæ pœnâ vetitum, perpetrari queat: & quoniàm hujus generis homicidium tripliciter fieri potest, triplicem Deus prohibuit modum, quasi dixerit: Primum vobis prohibeo, ne quis bestiam incitet in hominem, ut illum devoret; alioquin requiram sanguinem illum de manu cuncti animalis. Secundò ne quis se ipsum interficiat, alioquin sanguinem vestrum de animabus vestris requiram. Tertiò ne quis inducat aliquem, qui nomine ejus hunc, vel illum occidat; aut ne quis per se ipsum aliquem interficiat, alioquin de manu cujuslibet hominis requiram animam hominis. Huic sanè sensui, & interpretationi favet mirum in modum Hebraica litera, quæ in Bibliis Complutensibus ac Regiis latinè reddita hunc in modum legitur: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis. De manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis*. Hoc autem loco frater proximum sonat, quia frater in linguâ Hebraeâ, ut Lippomanus ait, tàm is appellatur, qui ex iisdem parentibus sit ortus; quàm omnes alii: & vir in eâdem linguâ unumquemque significat. Ideò quod hoc loco Interpres vertit, de manu viri, & fratris ejus, idem est, ac si dixisset, de manu cujuscumque proximi. Huic explicationi adstipulatur S. Pater Augustinus dicens; *Et quid est* [secundùm aliam literam] *de manu fratris hominis exquiram animam hominis? An omnem hominem, fratrem hominis intelligi voluit, secundùm cognationem ex uno ductam?* Idem sentit Beatus Ambrosius inquiens: *An non frater est, quem rationabilis naturæ quidam uterus effudit, & ejusdem matris nobis generatio copulavit? Eadem enim natura omnium mater est hominum, & ideò fratres sumus omnes, unâ atque eâdem Matre generati, cognationisque eodem jure devincti? Ideòque Dominus fratrem appellavit & eum, à quo sanguis fratris exquiritur, significans magis ab his periculum pertimescendum, qui fraterno sibi Jure sociantur*, Hæc S. Ambrosius.

De manu itaquè viri, & fratris ejus requiram animam hominis, ait Dominus Deus; hoc est, de manu cujuscumque fratris requiram animam hominis, ac si apertè dicat. A quocumque homine, sivè à quocumque proximo, & quocumque modo injustum homicidium fuerit perpetratum, Ego Dominus vindicabo illud. Jure igitur repetitio illa [*de manu*] de qua sumus initio loquuti è medio sublata est ob causas assignatas.

Eodem cap. num. 10.

ET PECUDIBUS TERRÆ CUNCTIS, QUÆ EGRESSA SUNT DE ARCA.

PRIùs legebatur: *Et pecudibus Terræ, cunctisque, quæ egressa sunt de Arcâ &c.* Ità legitur in Hebraicâ Hieronymi translatione, ut videre est in Bibliis Complutensibus, ac Regiis. Nunc itèm in modum legitur in Bibliis Isydori Clarii, & in veteri Vatabli versione, atquè in Bibliis Lovanienſibus, & aliis Latinis tam impressis, quàm manuscriptis. Congregatio autem conjunctionem, *que*, auferendam, & divisionem loco ipsius apponendam censuit, divisione antè dictionem, *cunctis*, amotâ. Quæ sanè lectio clarior est, atquè concinnior, Cacophoniâ, ideſt mala consonantia, ob duas illas voculas *que*, *quæ* immediatè concurrentes ablatâ, Græcæ septuaginta Interpretum Translationi respondet; omnes tamèn lectiones eundem sensum habent.

Rupert. lib. 4. c. 31. August. ut infrà.

Frater hoc in loco proximũ significat. Lippomanus.

S. Augustin. de quæst. in Gen.

S. Ambrosius.

Cacophonia, ideſt mala consonantia est evitanda.

Eodem

Eodem cap. num.16.

ERITQUE ARCUS IN NUBIBUS.

PRiùs legebatur, *Eritque arcus meus in nubibus*. Quamvìs Editio ſeptuaginta Interpretum, & multa manuſcripta, & impreſſa exemplaria habeant hanc lectionem; Hebraica tamen Sancti Hieronymi translatio, Chaldaica Interpretatio dictionem, *meus*, non habent; hinc eam Congregatio auferendam cenſuit, quià particula illa, *meus*, paulò antè bis repetita reperitur.

Eodem cap. num.18.

HOC ERIT SIGNUM FOEDERIS.

QUamvìs ex Hebraìco Sancti Hieronymi translatio, & Chaldaica Interpretatio legant: *Hoc eſt ſignum*; & Græca ſeptuaginta Interpretum Editio ſine ullo verbo legat, *Hoc ſignum*; multa tamen exemplaria manuſcripta habent: *Hoc erit ſignum*. Cùm itaque futuri temporis lectio in manuſcriptis codicibus reperiatur, & illi lectioni, *Eritque arcus meus in nubibus*, reſpondeat; hanc lectionem congregatio cenſuit retinendam.

Gen. cap.10.

HOc in capite duodecim loci fuerunt immutati; nam num.4. *Cetthim*, cum priùs legeretur *Cethim*. Num. 7. *Filii autem Chus* legebatur, nunc legitur dictione [*autem*] ablatâ. Num. eodem *Saba*, *& Hevila*: nam priùs legebatur, *Saba Hevila* ſine conjunctione. Num. 9. priùs legebatur, *ab hoc*, nunc verò *ob hoc* juxtà Hebraicam Editionem, & Græcam. Num. 14. *& Nephtuim*, *& Gergeſæum*, *& Hevæum*, ità priùs legebatur, nunc verò ſinè tribus voculis copulativis. Num. 18. *Poſt hæc*: priùs enim legebatur, *Per hos*; nunc autem, *Poſt hæc*, juxtà Græcam Translationem, & juxtà Chaldaicam Interpretationem *Poſteà*. Num. 19. priùs legebatur *uſque ad Gazam*, nunc verò, *uſque Gazam*, propoſitione ſubintellectâ. Num. 20. priùs legebatur, *uſque Laſa*, nunc autem *uſque Leſa* juxtà Hebraicam Sancti Hieronymi translationem. Nom. 23. *Vs*, abſque aſpiratione. Num. 27. *Aduram*; prius enim legebatur, *Hus* & *Adoram*, juxtà Hebraicam Translationem, & Græcam. Num. 31. *Iſti Filii Sem*, ſine verbo ſubſtantivo juxtà Hebraicam Translationem, & Græcam Interpretationem; nam priùs legebatur, *Iſti ſunt Filii Sem*.

Gen. cap. 11.

HOc in capite tria fuerunt emendata. Nam in num. 4. priùs legebatur, *turrem*, nunc autem, *turrim*. Num. 5. *unum eſt labium*, nunc legitur ſine verbo *eſt*. Num. 29. *Melchu Filia Aram*; Nunc verò *Aran*. Hæc tria emendata ſunt juxtà Textum præſertìm Græcum tàm in Bibliis Complutenſibus, ac Regiis, quàm ſeptuagintà Interpretum; Sed in hoc Textu ſeptuaginta Interpretum legitur *Arran* duplici *r*.

Gen. cap. 12.

HOc in capite quatuor fuerunt emendata. Nam num. 1. *Veni in terram, quam monſtrabo tibi*: priùs enim legebatur, *monſtravero*, juxtà editionem Bibliorum Complutenſium, Regiam, Lovanienſem, & Ordinariam impreſſam. Sed in Textu Hebraico, Græco, & M.S. legitur, *monſtrabo*, & quidèm rectiùs; nam ſi illa lectio legitima eſſet, dicendum erat; *Venies*, & non *Veni*; num. 6. *Et uſque ad Convallem* ſublata eſt conjunctio illa, *Et*, quæ nec in Hebraico, nec in Græco Textu, nec in manuſcriptis Codicibus legitur. Quamvìs autem dicta particula copulativa, *Et*; in Editione Complutenſi, & Regiâ, necnon in multis Impreſſionibus legatur, eam tamen Congregatio cenſuit amovendam. Num. 12. *Uxor illius eſt*; Nunc legitur, *Uxor ipſius eſt*. Num. 18. *Quarè non indicaſti mihi*; Nunc non legitur particula, *mihi*, quamvis ea ubique legatur.

Gen. cap. 13. num. 7.

UNDE FACTA EST RIXA.

ITà legitur in Textu Hebraìco. In Græco autem, & in Chaldaicâ Translatione legitur: *Et facta eſt rixa*. Nunc legitur, *Undè & facta eſt rixa*, particulâ copulativâ adjunctâ. Num. 14. *Leva oculos tuos in directum*. Particula illa *in directum*, nec in Textu Hebraico, nec in Textu, nec in Translatione Chaldaicâ leguntur, ideò ſublatæ fuerunt. Num. 16. *Semen quoque tuum numerare poterit.* Verbum illud, *numerare*, Biblia Complutenſia Regia, & Hebraica legunt paſſivè *numerari*, ſed Græca, Ordinaria, & Lovanienſia activè, *numerare*, legunt. Sed quia utrumque verbum in idem recidit, activa lectio recepta fuit, clauſulæ præcedenti magis reſpondens. Num. 17. *Surge ergò, & perambula terram &c.* Particula illa, *ergò*, ablata fuit, quia in Textu Hebraico, & Græco, & in Chaldaicâ Translatione non legitur.

Gen. cap. 14. num. 5.

ASTAROTH, ET CARNAIM.

QUamvis ità paſsìm legeretur in impreſſis Codicibus, nunc tamen legitur ſine particulâ copulativâ, *Aſtaroth Carnaim*, quia Biblia Hebraica, Græca, Complutenſia, & Regia, necnon Chaldaica Translatio ità legunt. Num. 6. *Chorræos* legi debet non *Corræos*. Num. 7. *Et venerunt uſque ad fontem*, nunc legitur ſine particulâ, *uſque*, ipſa enim non extat in Textu Hebraico, nec in Græco, nec etiam in Chaldaicâ Translatione. Ibidèm legebatur, *Amorrhæorum*, *qui habi-*

habitabant, &c. nunc juxtà Chaldaicam Translationem legitur, *Amorrhæum qui habitabat, &c.* Num. 19. *Itaque Rex Sodomorum, & Rex Gomorræ terga verterunt.* Ità legebatur; Nunc verò: *Itaque Rex Sodomorum, & Gomorræ terga verterunt*: Nam subintelligitur Rex per verbum sequens, plurali numero indicato. Num. 11. *Sodomorum, & Gomorræ*. Ità legitur in Textu Hebraico, & Græco. Num. 14. *Persequutus eos usque Dan.* Nunc legitur sine particula, *eos*; Ita enim legitur in Græco Textu, & in Chaldaicâ translatione. Num. 15. *usque Hoba, & Phoenicem*. Hæ duæ ultimæ particulæ, *& Phœnicem* sublatæ sunt: quia in Hebraico Textu, & in Græco non extant, nec etiam in Chaldaicâ translatione.

Gen. cap. 16. num. 1.

NON GENUERAT SIBI LIBEROS.

QUamvìs particula *sibi*, vel *ei*, in Hebraico Textu, & Græco; necnon in Chaldaicâ translatione, atquè in Editione Complutensi & Regiâ legatur, in Ordinariâ tamen non extat. Ideò Nicolaus Lyranus hunc locum exponendo ait: *Ly, sibi*, quod interponitur *non est de Textu.* Ideò nunc sublata cernitur. Ibidèm num. 7. *Juxtà fontem Aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto.* In Textu Græco legitur [*super Fonte Aquæ*] cætera ibi non extant. In Editione Complutensi, & Regiâ legitur: *Juxtà Fontem Aquæ in solitudine, quæ est in viâ Sur in Deserto.* In Chaldaicâ Translatione legitur: *Juxtà Fontem, quæ est in viâ Agara.* Dictis in locis legitur relativum generis fœminini, vel ad Aquam, vel solitudinem relatum. Vel fortassè ad fontem, qui quamvìs existat generis masculini, non desunt tamen, qui olim etiam fœmininum fuisse affirment. Hujus autem rei nullum proferunt testimonium. Utcùmquè verò sit, Congregatio Sacrorum Bibliorum primam recipit lectionem per relativum generis masculini relatum ad fontem, ut legitur in Hebraicâ translatione.

Nicolaus Lyranus.

Gen. cap. 17. num. 1.

EGO DEUS OMNIPOTENS.

QUamvìs in Editione Lovaniensi, & in aliis quibusdam Codicibus legatur, *Ego Dominus*, legi tamen debet, *Ego Deus*: Ità enim legitur in Textu Hebraico, & Græco, & in Chaldaicâ Translatione, atque Interpretatione. Num. 22. *Ascendit Deus ab Abraham.* Ità legitur in Textu Hebraico, & Græco; necnon in Editione Complutensi, & Regiâ, etiamsi, & mendosè quidèm, in quibusdam Codicibus aliarum impressionum legatur, *Ascendit Deus ad Abraham.* Num. 25. *Et Ismael Filius tredecim annos impleverat &c.* Translatio septuaginta Interpretum legit hoc in loco [*Filius ejus*] & ità legitur in Textu Græco, & in Chaldaicâ Translatione, atquè interpretatione ex Editione Complutensi, ac Regiâ. In Hebraicâ verò Interpretatione, necnon in Editione Lovaniensi legitur *suus*, ac minùs rectè. Nunc verò in Editione Romanâ pronomen, *suus*, è medio sublatum est, legitur enim absque ullo pronomine hunc in modum: *Et Ismael Filius tredecim annos impleverat, &c.*

Gen. cap. 18. num. 2.

DE OSTIO TABERNACULI SUI, ET ADORAVIT IN TERRA.

NUnc legitur: *De ostio Tabernaculi, & adoravit in terram.* Quamvìs prior lectio in Regiis extet Bibliis, necnon in Græcâ septuaginta Interpretum translatione, præsertìm verò quantùm ad illud, *sui*, pronomen, & ità legatur à Rabano; in Hebraico tamen Textu, & in Chaldaicâ Translatione, atquè in aliquot manuscriptis Codicibus secunda lectio invenitur; & ità nunc in Romanâ legitur Editione.

Num. 4. & 5. *Et lavate pedes vestros, & confortate cor vestrum.* Hæc lectio recepta est in Romanâ Editione, tamquàm Hebraico Textui, & Chaldaicæ Translationi consonans, necnon aliquot Codicibus manuscriptis; priùs enim legebatur. *Et laventur pedes vestri, & confortetur cor vestrum.* A Sancto Patre Augustino libro primo in Genesim quæstione 34. duo illa verba quantùm ad sensum sequuntur active hunc in modum: *Sumatur [illegible], & lavent pedes vestros, & refrigerate sub arbore; & sumam panem, & manducabitis.* Hæc ibi Augustinus, cujus verba censui prioris lectionis, & præsertìm septuaginta Interpretum Translationi, quæ ità legitur: *Sumatur jam aqua, & lavent pedes vestros: & refrigerate sub arbore, & sumam panem & manducabitis.*

S. Augustin. lib. 1. in Gen. quæst. 34.

Num. 20. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ.* Ità legitur in Hebraico Textu, & Græco juxtà septuaginta Interpretum Translationem, necnon in Chaldaicâ Translatione, atquè in Editione ordinariâ; non autem *Gomorrhæorum*, ut priùs legebatur in diversis Bibliorum impressionibus, præsertìm verò in editione Lovaniensi.

Num. 25. *Nequaquàm facies judicium hoc.* Quamvìs particula illa, *hoc*, in Hebraico Textu, & Græco, in Chaldaicâ itèm interpretatione, atque in aliquot manuscriptis Codicibus non extet, in Editione tamen Complutensi, & in Regiâ itèm juxtà S. Hieronymi Translationem, necnon in ordinariâ, & Lovaniensi, & in omnibus impressis Codicibus legitur; propterèa in Editione Romanâ fuit recepta, & confirmata.

Num. 28. *Quid si minùs quinquagintà Justis quinque fuerint? Delebis propter quadraginta quinque universam Urbem?* Priùs legebatur, *delebis, quia quadraginta quinque Universam Urbem?* Nunc autem pro particulâ, *quia*, reposita est particula, *propter*; Nam in omnibus Editionibus, & in omni Textu, tam Hebraico, quàm Græco, & Chaldaico, & in

& in omnibus Translationibus legitur particula, *propter*, quamvis autem in Hebraicâ Translatione Sancti Hieronymi, & in Chaldaicâ Interpretatione legatur, *propter quinque*, & non *propter quadraginta quinque*, ut in Editione Complutenſi, ac Regiâ videre licet; in Græco tamen Textu juxtà ſeptuaginta Interpretum Translationem cum interpretatione Latinâ, ut ibidem videre eſt, legitur: *Delebis propter quadraginta quinque univerſam Urbem?* Et ità etiàm legitur in Editione ordinariâ, & Lovanienſi, & in omnibus ferè Codicibus impreſſis, & manuſcriptis. Hæc tandem lectio recepta fuit, & confirmata in Editione Romanâ. Eſt autem utriuſque Lectionis idem ſenſus, hoc eſt, *ſi numero quinquageſimo deſint quinque, vel ſi fuerint quadraginta quinque* [*quod idem eſt*] *delebis omnem Urbem?* Idem utriuſque Lectionis ſenſus per Hebraicam Sancti Hieronymi translationem explicatur in hanc verborum formam: *Quid ſi minùs quinquaginta Juſtis quinque fuerint, delebis propter quinque univerſam Urbem?* Id quod melius, vel clarius explicatur per Chaldaicam Interpretationem in hæc verba: *Fortè deficient de quinquaginta Juſtis quinque: numquid diſperdes propter quinque omnem Civitatem?* Hæc in Editione Complutenſi, ac Regiâ. Nam quinque ſublatis ex quinquaginta, remanent quadraginta quinque. Propterea in Editione vulgatâ, aut Romanâ legitur: *Quid ſi minùs quinquaginta Juſtis quinque fuerint? Delebis propter quadraginta quinque univerſam Urbem?* Et ait: *Non delebo ſi invenero ibi quadraginta quinque.*

Gen. cap. 19. num. 1.

VENERUNTQUE DUO ANGELI SODOMAN VESPERE, ET SEDENTE LOT IN FORIBUS CIVITATIS.

PArticula, *Et*, in Hebraico Textu juxtà Sancti Hieronymi Translationem non legitur; nec itèm in Græco Textu, juxtà ſeptuaginta Interpretum Translationem. In eo enim legitur: *Lot autèm ſedebat*. In Latinis etiàm Editionibus particula illa copulativa non extat, Romanâ exceptâ, in qua legitur, *& ſedente Lot*.

Num. 19. *Surgite, egredimini de loco iſto*. Ità nunc legitur in Editione Romanâ ſine particulâ copulativâ, *Et*, quæ recentèr in Editione Romanâ è medio ſublata eſt. Ità etiàm legitur in Chaldaicâ Interpretatione, & in aliquot manuſcriptis Codicibus, atquè ità legitur à Rabano in divinis Scripturis, ut ait Tritthemius, eruditiſſimo, & in ſecularibus literis nobilitèr docto. Quamvis autem S. Hieronymi, & ſeptuaginta Interpretum Translationes copulâ illâ non careant, ut in Bibliis Regiis, & Complutenſibus videre licet, Chaldaicam tamen lectionem meliorem eſſe cenſuit Congregatio.

Num. 29. *Cùm enim ſubverteret Deus Civitates Regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Lot de ſubverſione Urbium, in quibus habitaverat*. Hæc lectio in Romanâ nunc extat Editione. Particula illa, *enim*, legitur in Editione Bibliorum Complutenſi, Regiâ, necnon in ordinariâ, & Lovanienſi, & in omnibus ferè Codicibus impreſſis. In aliquibus tamen Bibliis impreſſis legebatur (*Cùm autèm*) cujus loco repoſitum eſt [*Cùm enim*] In Editione Bibliorum Complutenſi, ac Regiâ, necnon in Lovanienſi, & in aliis Bibliorum impreſſionibus legitur: *Recordatus eſt Abrahæ, & liberavit Lot*. In Codicibus tamen manuſcriptis illud, *Eſt*, atquè illud, *Et*, non leguntur. Hinc prior lectio tamquàm congruentior recepta fuit in Editione Romanâ.

Num. 35. *Et ne tunc quidèm ſenſit*. Ità nunc legitur in Editione Romanâ recentèr emendatâ. In Translatione Sancti Hieronymi legitur: *Et ne tunc quidèm ſenſit, &c.* Translationes aliæ diverſæ ſunt ſub diverſis etiàm verborum conſtructionibus.

Gen. cap. 20. num. 7.

NUNC REDDE VIRO SUO UXOREM, QUIA PROPHETA EST: ET ORABIT PRO TE, ET VIVES.

HÆc lectio in Editione Romanâ recentèr fuit recepta: nam priùs legebatur, *Et orabit pro te, quia Propheta eſt, &c.* Ità etiàm legitur in Editione Complutenſi, & Regiâ, & in Lovanienſi juxtà Sancti Hieronymi Translationem. Prior tamen Lectio in Editione Complutenſi, ac Regiâ juxtà Græcam ſeptuaginta Interpretum, & Chaldaicam Translationem, ſivè Interpretationem congruentior judicata fuit; Et ità legitur in antiquis Codicibus, qui Hebraico Textui reſpondent, ut etiàm Franciſcus Lucas Brugenſis teſtatur.

Gen. cap. 21. num. 7.

QUIS AUDITORUM CREDERET ABRAHAM, QUOD SARA LACTARET FILIUM, QUEM PEPERIT EI JAM SENI?

PRiùs legebatur: *Quis auditurus &c.* juxtà Sancti Hieronymi Translationem. Utraque lectio cenſetur bona, ſed prior magis probatur, quia ità legit Gloſſa Interlinearis in Editione vulgatâ, & ità in multis legitur Codicibus manuſcriptis. Mendosè autem ex errore Typographiæ in aliquot Exemplaribus Editionis recentioris reperitur, *Auditurum* pro *Auditorum*. Hæc autem lectio *Auditurum* ſenſum bonum ullum non habet: nam ſenſus prioris lectionis ità intelligitur: *Quis auditorum crederet ipſi Abrahæ dicenti, quod Sara lactaret Filium, quem peperit ei jam Seni?* In Translatione Sancti Hieronymi Hebraicâ legitur: *Quis auditurus &c.* Interpretatio autem Chaldaica ità legit: *Fidelis eſt, qui dixit Abrahæ, & implevit, quod lactaret Filios Sara &c.* Septuagintà verò Interpretum Translatio Græca inquit. *Quis annunciabit Abra-*

Abraham, quod lactat puerum Sara? Quæ sanè lectiones, etsi sensum retinent admirationis, quæ in priori aperta est, & clara; ad nostram tamèn de illarum vocum varietate e medio tollendam difficultatem non faciunt.

Num. 9. *Ludentem cum Isaac filio suo.* Ita legitur in Editione Bibliorum Lovanienſi, necnon in Editione ordinariâ, ideſt, in omnibus Codicibus impreſſis Editionis ordinariæ. Ità etiàm legitur ab Origene Homil. 21. in Geneſim, à S. Joanne Chryſoſtomo homil. 46. in Geneſim, S. Ambroſio lib. 1. de Abraham cap. 7. & S. P. Auguſtino lib. Quæſtionum in Geneſim cap. 53. Ità deniquè legitur in Translatione ſeptuaginta Interpretum cum interpretatione Latinâ, & in Translatione Sancti Hieronymi, qui tamèn in Traditionibus Hebraicis ait, illa verba (*cum Isaac filio suo*) in Hebraico Textu non extare, ac dupliciter locum hunc [filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio] ſivè quod Idola ludo fecerit, ſivè quòd adverſus Iſaac joco ſibi, & ludo primogenita vendicaret. Nam quæ ſequuntur indicant hæc ita eſſe. Adde intereà, quòd quamvis etiam in aliquot manuſcriptis Codicibus, & præſertim in Codice manuſcripto S. Pauli, atquè in Chaldaicâ Interpretatione illa verba (*cum Isaac filio suo*) non legantur, ea tamèn legenda cenſentur: quia ſi ſeptuaginta Interpretes in Hebraico Textu dicta verba tunc temporis non inveniſſent, ea ibì non appoſuiſſent. Propterea in Editione vulgatâ juſſu Concilii Tridentini recognitâ dicta verba legenda relicta fuerunt, & ità etiàm legitur in Codice manuſcripto Montis Amati.

Num. 15. *Abjecit puerum ſubtèr unam Arborum, quæ ibì erant*, Priùs legebatur: *Subtèr unam arborem, quæ ibì erat.* Quæ ſanè lectio in omnibus extat Latinis impreſſionibus, tam, ſcilicèt, Lovanienſi Editione, quàm etiàm in cæteris Editionis vulgatæ Bibliis. Quamvis autèm in Hebraico Textu legatur: *Abjecit puerum ſubtèr unam arborem*: In Translatione tamèn Sancti Hieronymi legitur: *Subtèr unam arborem, quæ ibì erat.* In Chaldaicâ Interpretatione legitur tantùm: *Projecit puerum ſubtèr unam arborem.* In Translatione autèm ſeptuaginta Interpretum cum Interpretatione Latinâ legitur, *ſubtèr unam abjetem.* Sed in multis Codicibus Bibliorum manuſcriptis legitur in hanc verborum formam: *Abjecit puerum ſubtèr unam arborum, quæ ibì erant.* Et hæc lectio in Editione vulgatâ poſtremò recognitâ in ſuum locum repoſita fuit; quippè quæ illi ſolitudini arboribus non carenti, atquè inibì commemoratæ magis congruere judicata fuit.

Gen. 22. num. 5.

EGO, ET PUER.

QUamvis in Textu Græco, in Translatione, ſcilicèt, ſeptuaginta Interpretum, necnon in Chaldaicâ Interpretatione legatur: *Ego autèm, & puer*, in Hebraico tamèn Textu, & in Sancti Hieronymi Translatione, ut in Editione Complutenſi, ac Regiâ videre eſt, particula illa adverſativa (*autèm*) non legitur, nec etiàm in ordinariâ. Propterea lectio, ſivè particula adverſativa recepta fuit, tamquàm Hebraicæ lectioni conſentanea.

Num. 12. *Nunc cognovi, quòd times Deum, & non pepercisti filio tuo propter me.* Priùs, ut in Editione Bibliorum Ordinariâ, & in Lovanienſi videre licet, legebatur, *nunc cognovi, quòd times Dominum.* Quæ ſanè lectio Textui juxtà Beati Hieronymi Translationem, necnon Textui juxtà ſeptuagintà Interpretum Translationem, & Chaldaicæ Interpretationi non reſpondet; In his enim locis non legitur [*Dominum*] ſed Deum, ut videre eſt in Editione Bibliorum Complutenſi, ac Regiâ. Nam in Hebraico Textu legitur

אלהים *Heloim*, & in Græco Θεὸν, ideſt *Deum.*

Ita etiàm legit Rabanus in Geneſim, S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 8. & S. Cyprianus lib. 2. cap. 5. adverſus Judæos, & lib. 3. cap. 20.; Nam hi legunt, *Deum tuum*; In Translatione Beati Hieronymi legitur: *Nunc cognovi, quòd times Deum &c.* Ita etiàm in ordinariâ Editione legebatur. Nunc verò legitur, *times*; & ità legitur in Translatione ſeptuaginta Interpretum, necnon à S. Hilario lib. 9. de Trinitate, & à S. Cypriano in eiſdem citatis locis. In Chaldaicâ Translatione legitur; *Scio, quòd timens Deum tu es.* Hæc igitùr Lectio recepta fuit, & in ſuum locum repoſita; *Nunc cognovi, quòd times Deum, & non pepercisti filio tuo propter me.* S. Cyprian. tom. 2.

Num. 20. *His ità geſtis, nunciatum eſt Abrahæ, &c.* Quamvis in Editione Complutenſi, ac Regiâ legatur; & in Editione item ordinariâ legeretur; *His itaquè geſtis*, prior tamèn lectio tamquàm Hebraico Textui, & Græco Textui magis conſonâ, recepta fuit, quę in aliquot etiam Codicibus manuſcriptis, & impreſſis reperitur.

Gen. cap. 23. num. 6.

NULLUS TE PROHIBERE POTERIT.

ITà legitur in Editione Bibliorum Complutenſi, & Regiâ, Lovanienſi, & Ordinariâ, conjunctione *que* ſublatâ. Et ità Congregatio id legendum cenſuit, formâ illâ loquendi non immutatâ, quæ eſt; *Nullusque te prohibere poterit, quin in monumento ejus ſepelias mortuum tuum.* Huic lectioni non parùm adſimilis eſt lectio ſeptuaginta Interpretum, in hæc verba; *Nullus enim noſtrum prohibebit Sepulchrum ſuum à te, ut ſepelias mortuum tuum illìc.* In qua lectione duæ negationes magis negant. Juxtà Editionem Romanam latinè redditam.

Num. 13. *Et locutus eſt ad Ephron circumſtante Plebe.* Priùs legebatur, *circumſtante Plebe ejus*; Nunc autèm vox illa, *ejus*, amota eſt tamquàm ſuperflua, ut ex iis, quæ ſuperiùs leguntur conſtat. Quamvis autèm in

He-

Hebraicâ verſione, necnon in Regiâ, & in Complutenſi Editione vox illa *ejus* legatur; in Hebraico tamen Textu non extat, Græcus Textus ità legitur; ἐναντίον τοῦ λαοῦ τῆς γῆς, hoc eſt, *coràm Populo Terræ*. Quæ ſanè lectio in eodem Textu Græco ſuperiori lectioni reſpondet, cum illìc bis legatur, *coràm Populo Terræ*.

Ibidèm; *Et ſic ſepeliam mortuum meum in eo*. Priùs legebatur, *& ſic ſepeliam mortuum meum in agro*; quæ vox tamquàm ſuperfluè repetita, & in Hebraico Textu non inventa, fuit ablata; Nam in clauſulâ ſuperiori fit mentio de agro expreſſa. Propterèa in Tranſlatione Græcâ ſeptuaginta cum interpretatione Latinâ ità legitur; καὶ θάψω τὸν νεκρόν μου ἐκεῖ, hoc eſt, *& ſepeliam mortuum meum illìc*. Cui ſanè adverbio in loco reſpondet pronomen cum præpoſitione illud, *in eo*.

Num. 15. *Terra, quam poſtulas, quadringentis Siclis argenti valet*. Terræ pretium, de quo nunc habetur ſermo, in Hebraicâ Sancti Hieronymi Tranſlatione legitur; *quadrigentarum Didrachmarum argenti*, ut in Complutenſi, ac Regiâ Editione Bibliorum quadrilinguium videre licet. Quamvìs autem in verbo *Æſtimo*, pretium in caſu Genitivo, & Ablativo, & in verbo *Valeo*, in Accuſativo, & Ablativo, & in verbo *Vendo*, & *Loco* in caſu Ablativo collocari ſoleat; Congregatio tamen verbo *Valet*, pretium in Ablativo reponendum cenſuit; quoniàm pretium in ſexto caſu cuicumque verbo frequentiùs dari ſolet.

Gen. cap. 24. num. 11.

VESPERE, TEMPORE, QUO SOLENT MULIERES EGREDI AD HAURIENDAM AQUAM.

PRiùs legebatur, *eo tempore*; ſed Congregatio ſinè illo pronomine legendum cenſuit; quia in Hebraico Textu illud non extat, nec in Tranſlatione ſeptuaginta, ubi legitur, *ad Veſperum, quandò egrediuntur Aquatrices*. In Tranſlatione tamen Sancti Hieronymi extat ad majorem temporis expreſſionem: In Chaldaicâ verò Interpretatione legitur, *in tempore veſpertino*.

Num. 12. *Dixit*: *Domine Deus Domini mei Abraham*. Nonnulli Codices ad marginem præſertìm habebant: *Oravit Dominum dicens*: *Domine Deus, &c.* Sed quia tres illæ dictiones non extant in Hebraico Textu, nec in Tranſlatione Interpretum Græcâ, nec in Latinâ Interpretatione; Propterèa Congregatio voces illas cenſuit non admittendas, quatenùs Marginales ad Orationem Servi Abraham præmonſtrandam, ut in Sancti Hieronymi Tranſlatione videre licet.

Num. 14. *Cum Domino meo*. In Editione Bibliorum Complutenſi, ac Regiâ legitur, *cum Domino meo Abraham*; ſed in Hebraico Textu non extat vox, *Abraham*, illa, tamquàm repetitio ſuperflua, quippè quæ in num. 12. & 13. cum eodem pronomine reperitur. Ideò dictum nomen, *Abraham*, quod nec in Hebraico Textu, nec in Editione vulgatâ, nec etiam in Chaldaicâ extat Interpretatione, Congregatio cenſuit non apponendam.

Num. 21. Priùs in Editione vulgatâ legebatur, *Utràm proſperum iter ſuum feciſſet Deus, an non*: Nunc autem legitur, Dominus; Quamvìs enim in Hebraico Textu legatur אֱלֹוהִ֔ים, ideſt, *Deus*, necnon in Editione Lovanienſi; In Græco tamen Textu legitur, κύριος, ideſt, *Dominus*. Ita legitur in Tranſlatione ſeptuaginta Interpretum cum Interpretatione Latinâ, atquè in Tranſlatione S. Hieronymi. Ità denique legitur in Editione Bibliorum Regiâ, & Complutenſi, necnon in Codicibus manuſcriptis. Propterèa Sacra Bibliorum Congregatio vocem, *Dominus*, reponendam eſſe cenſuit.

Num. 24. Priùs legebatur; *Filia ſum Bathuelis, Filii Nachor, quem peperit ei Melcha*. Eadem ferè lectio extabat in numero 47. ejuſdem capitis juxtà Impreſſiones ordinarias. Nunc autem in 24. num. ità legitur: *Filia ſum Bathuelis Filii Melchæ, quem peperit ipſi Nachor*. In 47. num. legitur: *Filia Bathuelis ſum, Filii Nachor, quem peperit ei Melcha*. Has itaque lectiones approbando accepit Sacra Bibliorum Congregatio. Hiſce item lectionibus reſpondet Græcus Textus juxtà ſeptuaginta Interpretum Tranſlationem cum Interpretatione Latinâ, necnon Codices manuſcripti. Quamvìs autem lectio prior à ſecundâ differre videatur: utriuſque ſenſus eſt idem. Dicitur enim *Melcha peperiſſe ipſi Nachor*, ideſt, *ex ipſo Nachor Marito ſuo peperit*. Huic Interpretationi reſpondet Chaldaica lectio in hæc verba; *Filia Bathuelis ego ſum, Filii Melchæ, quem peperit de Nachor*.

Num. 25. Priùs legebatur, *Et locus ſpacioſus eſt ad manendum*; Nunc autem legitur ſinè verbo ſubſtantivo, quod in Hebraico, & Græco Textu juxtà ſeptuaginta Interpretum Tranſlationem cum Interpretatione Latinâ non extat, nec etiam in Tranſlatione, ac Interpretatione Chaldaicâ, tamquàm ſuperfluum, quatenùs in ſuperiori clauſulâ invenitur; legitur enim hunc in modum: *Palearum quoquè, & fœni plurimùm eſt apud nos, & locus ſpacioſus ad manendum*.

Num. 31. *Præparavit Domum, & locum Camelis*. Quamvìs Editio Bibliorum Regia, & Complutenſis legant, *Camelis tuis*; in Hebraico tamen Textu, & Græco, necnon in Editione ordinariâ, & in manuſcriptis Codicibus ly *tuis* non legitur, propterèa Congregatio Bibliorum hanc dictionem, *tuis*, non admiſit.

Num. 32. *Dedìtque paleas, & fœnum, & aquam ad lavandos pedes ejus, & virorum, qui venerànt cum eo*. Huic lectioni, quam Sacra Congregatio admiſit, Hebraicus Textus, & Græca ſeptuaginta Interpretum Tranſlatio cum Interpretatione Latinâ, necnon Caldaica Interpretatio cum Latinâ itèm Interpretatione reſpondet. Et ita S. Pater Auguſti-

S. Auguſt. tom. 3. l. 12. locut. c. 8.

guſtinus in libro locutionum Geneſeos c. 83. legit, præſertim verò quantùm ad pronomen, *ejus*, cujus loco legit, *ipſius*. Nam in pleriſque Bibliorum Codicibus, hoc eſt, ordinariis, atque in Regiâ, & Complutenſi Bibliorum Editione, Pronomen ſingulare, *ejus*, non legitur, cujus loco nomen plurale, *Canelorum* invenitur.

Num. 41. *Innocens eris à maledictione meâ cùm veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi*. Quamvìs in Tranſlatione Sancti Hieronymi legatur, *ad proximos meos*, in Græcâ tamen Tranſlatione ſeptuaginta Interpretum cum Interpretatione Latinâ legitur, *ad meam Tribum*; cui lectioni reſpondet Chaldaica Interpretatio, in qua legitur, *ad cognationem meam*; Tribus autem, & Cognatio propinquos præſeferunt, propterea verbum plurale, *dederint*, non ſingulare, huic peryodo dari debet, quaſi dicatur: *Si propinqui mei, ad quos veneris, non dederint tibi uxorem pro filio meo Iſaac, innocens eris à maledictione meâ, ſolutus à juramento meo*. Rectiùs itaque legitur, *ad propinquos*, quàm *ad proximos*; & ex conſequenti verbum plurale, non ſingulare legi debet.

Num. 43. *Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydriâ tuâ*. Quamvìs Tranſlatio Sancti Hieronymi Latina, necnon Chaldaica Interpretatio habeant, *de hydriâ*, Congregatio tamen, *ex hydriâ*, congruentiùs legendum eſſe cenſuit, præpoſitione, *ex*, diligentèr penſitatâ.

Num. 52. *Procidens adoravit in Terram Dominum*. Tàm in Editione Complutenſi, ac Regiâ, necnon in ordinariâ, & Lovanienſi, atque in manuſcriptis Codicibus juxtà Sancti Hieronymi Tranſlationem legitur, *in Terram*, & ità Sacra Bibliorum Congregatio legendum cenſuit.

Num. 54. *Dimittite me, ut vadam ad Dominum meum*. Verbum plurale, *dimittite* [non ſingulare *dimitte*] legendum eſt juxtà Sancti Hieronymi Latinam Tranſlationem, necnon juxtà Græcam ſeptuaginta Interpretum Tranſlationem cum Interpretatione Latinâ, ut in Editione Bibliorum Regiâ, & in Chaldaicâ Interpretatione videre licet; Et ità legendum cenſuit Sacra Bibliorum Congregatio, quia tàm in clauſulâ ſuperiori, quàm inferiori verbum plurale invenitur, cum ſervus Abraham ad plures loqueretur, dum ipſe dimiſſionem poſtulabat. Si autem in aliquâ Editione verbum ſingulare, *dimitte*, inveniatur, errorem Typographicum, vel Chirographicum eſſe dicas oportet.

Num. 65. *At illa tollens citò pallium operuit ſe*. Quamvìs in Latinâ Sancti Hieronymi Tranſlatione legatur, *pallium ſuum*, in Textu tamen Hebraico pronomen illud, *ſuum*, non extat, nec itèm in Græcâ ſeptuaginta Interpretum Tranſlatione cum Interpretatione Latinâ, nec in Chaldaicâ legitur Interpretatione, nec deniquè in Codicibus manuſcriptis, etiamſi legatur in Editione, quam *ordinariam* vocant.

Num. 66. *Servus autem cuncta quæ geſſerat, narravit Iſaac*. Quamvìs in Tranſlatione Sancti Hieronymi legatur: *Narravit Domino ſuo Iſaac*, duæ illæ dictiones *Domino ſuo*, interpoſitæ non leguntur in Hebraico Textu, nec in Chaldaicâ Tranſlatione, nec etiam in Græcâ ſeptuaginta Interpretum Tranſlatione cum Latinis earundem Interpretationibus, nec deniquè in manuſcriptis Codicibus. Ideò Lyranus hunc locum interpretando ait: *Quod interponitur in aliquibus libris non eſt de textu*. Duæ tamen illæ dictiones ad majorem expreſſionem, aut intelligentiam interpoſitæ videbantur in Editionibus Ordinariis, nunc verò à Sacrâ Bibliorum Congregatione ſunt è medio ſublatæ. Ad hanc rem indicandam Dictiones illæ duæ in Editione Bibliorum Lovanienſi quadam virgulâ, quam *veru*, ſivè Græcè *obellum* appellant, hunc in modum ſignatæ inveniuntur *Domino ſuo*, hac enim virgulâ uſi ſunt Sacrarum literarum Interpretes, quotiès denotare volebant aliquid in Tranſlatione additum fuiſſe, quod in propototypis non haberetur.

Geneſ. cap. 25. num. 2.

QUÆ PEPERIT EI ZAMRAN.

ITà ſcribendum, & pronunciandum eſt juxtà Hebraicum Textum, & Chaldaicam Tranſlationem, non *Zamran*, hoc eſt, cum literâ, *n*, in poſtremo loco, non cum litera, *m*.

Num. 3. *Latuſim, & Loomim*. Ità hæc nomina ſcribenda cenſentur, non autem *Latuſim, & Laomim*, ut in aliis Editionibus inveniuntur ſcripta.

Num. 4. Legitur, *Opher*, ſed in aliis Editionibus legitur, vel *Apher*, vel *Epher*, ut videre itèm eſt in Bibliis Regiis, & Complutenſibus, necnon in Editione Lovanienſi, & alibì.

Num. 10. *Quem emerat à Filiis Heth*. De relativo hujuſce clauſulæ diverſi diverſa ſenſerunt. Idcircò in Bibliis Regiis, & Complutenſibus, & in Editione Lovanienſi legitur Relativum, quod Speluncam hoc in loco nominatam refert, alibì verò Relativum maſculinum, quod agrum refert. In Græcâ ſeptuaginta Interpretum Tranſlatione ità legitur, *Agro, & Speluncâ, quam poſſederat Abraham à Filiis Seth*. Ubi legitur Relativum fœmininum, quod refert Speluncam, quæ in legendo propinquior eſt, quàm Ager. In Editione autem vulgatâ Ager propinquior eſt Relativo, quàm Speluncâ; propterea Relativum eſt maſculinum, quod Agrum refert.

Num. 15. *Hadar, & Thema, & Jethur*. Ità legitur in Hebraico Textu, & ità Sacra Bibliorum Congregatio faciendum cenſuit; quamvìs in Tranſlatione Beati Hieronymi legatur, *Hadad, & Thema, & Jatur*, & alitèr in Græcâ ſeptuaginta Interpretum Tranſlatione cum Interpretatione Latinâ legatur; Caldaicâ tamen Interpretatio habet *Jethur*;

ità

ita etiàm Editio Lovanienſis; legitur autèm in quibuſdam Editionibus ordinariis, *Getur* pro *Jethur*, ſed non rectè.

Num 25. *Qui prior egreſſus eſt*. Quamvìs juxtà Translationem Sancti Hieronymi, cui hac in re præſertìm Chaldaica reſpondet Interpretatio, non *prior*, ſed *primus* legatur, ut in Bibliis Regiis, & Complutenſibus, nec non in Editione Lovanienſi, & in cæteris Editionibus ordinariis videre licet. Comparativum tamèn *prior*, pro ſuperlativo *primus*, legendum eſſe Sacra Bibliorum Congregatio cenſuit, & rectè quidèm; hoc enim in loco cùm ſermo ſit de duobus tantùm, hoc eſt de Jacob, & Eſau, quandò, ſcilicèt, ambo, ideſt, gemini uno partu editi, ex utero matris egreſſi fuerunt, rectiùs comparativum *prior*, quàm ſuperlativum, *primus* legendum cenſetur; propriè namquè prior de duobus dici ſolet, de pluribus autèm primus.

Geneſ. cap. 26. num. 14.

HABUIT QUOQUE POSSESSIONES OVIUM &c.

IN aliis Bibliorum Editionibus legitur; *Habuitque*, ſed minùs rectè; cùm illud verbum, *habuit*, ſit periodi principium, quod talem conjunctionem recipere non ſolet; præſertìm verò, *&*, conjunctione ſequenti; hanc etenìm illa ſubſequi ſempèr conſuevit.

Num. 34. *Eſau verò quadragenarius duxit uxores &c.* Quamvìs in Translatione Sancti Hieronymi legatur; *duxit uxores duas*. In Hebraico tamen Textu ly *duas* non extat, nec itèm in Translatione ſeptuaginta Interpretum, nequè in Chaldaicâ Interpretatione; nam in hiſce tribus locis legitur caſus accuſativus ſingularis, *Uxorem*. Aliæ autèm Editiones Ordinariæ habent pluralem numerum talem; *Uxores duas*: Quæ ſanè lectio, etſi Textus hiſtoricæ veritati reſpondet, quia Eſau duas duxit Uxores; Sacra tamèn Bibliorum Congregatio medium amplexata eſt. In Codicibus autèm manuſcriptis hæ tres lectiones, hoc eſt, *uxorem*, *uxores*, *& uxores duas reperiuntur*.

Genſ. cap. 27. num. 12.

TIMEO NE PUTET ME SIBI VOLUISSE ILLUDERE, ET INDUCAM SUPER ME MALEDICTIONEM PRO BENEDICTIONE.

IN Translatione Sancti Hieronymi legitur: *Inducat*. Sed Sacra Bibliorum Congregatio amplexata eſt Græcam ſeptuaginta Interpretum Translationem, cum Interpretatione Latinâ, in qua legitur: *Inducam*: Ità etiàm legitur in Hebraico Textu, & in Chaldaicâ Interpretatione, & in Miſſale Romano. Quæ ſanè Lectio magis propria eſſe cenſetur: quia hoc in loco verbum illud *Inducam*, ſenſum illiciendi, ſeù abducendi, vel attrahendi habet; Jacob enim dum Perſonam Eſau ſimulare tentaret, decipiendo Patrem, maledictionem inducere, ſivè attrahere ſubimetipſi videbatur: Ex tali namquè agendi modo nonniſi maledictionem pro benedictione ſe ſibi metipſi polliceri, vel quaſi operari poſſe cogitabat.

Num. 21. *Accede hùc, ut tangam, te fili mi*. Quamvìs in Editionibus Bibliorum ordinariis legatur: *Accede ad me*; in Translatione ſeptuaginta Interpretum cum Interpretatione Latinâ: *Appropinqua mihi*; in Hebraico tamèn Textu, & in Translatione Sancti Hieronymi legitur: *Accede hùc*, quam lectionem Sacra Bibliorum Congregatio admiſit.

Num. 27. *Ecce odor filii mei, ſicùt odor agri pleni*. Dictio illa, *pleni*, non legitur in Hebraico Textu, nec in Translatione S. Hieronymi, nec itèm in Chaldaicâ Interpretatione; legitur tamèn in Grecâ ſeptuaginta Interpretum Translatione, cum Interpretatione Latinâ. Quæ ſanè lectio admiſſa fuit à Sacrâ Bibliorum Congregatione; atquè ità legitur in aliquot manuſcriptis Codicibus, necnon à Sancto Ambroſio in libro de Virginibus, & in libro de Iſaac cap. 5. necnon in lib. 3. Hexaemeron. cap. 17. Sancto Cypriano lib. 1. contrà Judæos cap. 21. S. Gregorio homilia 6. in Ezechielem; Hilario in Pſalmum 121. S. Athanaſio in quæſtionibus ad Antiochum qu. 100. S. Joanne Chriſoſtomo Homil. 53. in Geneſim, & Origine Tract. 29. in Matthæum.

Num. 28. *Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*. In Translatione Sancti Hieronymi legitur, *frumenti, vini, & olei*. Sed in Græcâ Translatione ſeptuaginta Interpretum non extat ly *olei*; nec etiàm in Chaldaicâ Interpretatione, nec deniquè in Hebraico Textu. Adde etiàm, quòd eodem modo juxtà Hebraicam lectionem infra num. 37. tam in Editionibus Ordinariis, quàm in Translatione Sancti Hieronymi legitur, nullâ penitùs factâ mentione de *oleo*, ſed tantùm de *frumento*, *& vino*. Et ità legitur à S. Joanne Chryſoſtomo Homil. 53. in Geneſim.

Num. 40. *Vives in gladio, & fratri tuo ſervies*. Quamvìs aliquot manuſcripti Codices habeant, *vives gladio*, impreſſi tamèn omnes habent, *vives in gladio*, quæ ſanè lectio reſpondet Hebraico Textui, & Græco, necnon cunctis Translationibus cum Interpretationibus, in quibus legitur propoſitio *in*; ſed in Translatione ſeptuaginta Interpretum, atquè itèm in Chaldaicâ cum earundem interpretationibus legitur: *In gladio tuo vives*. Sanctus autèm Ambroſius lib. 2. de Jacob cap. 3. legit: *Supèr gladium vives*, ideſt, *per gladium vives*. Sed quamvìs omnes iſtæ lectiones eundem ſenſum habeant; prima tamèn lectio, quatenùs Hebraico, & Græco Textui reſpondens in Editione vulgatâ fuit admiſſa.

Geneſ. cap. 28. num. 5.

PROFECTUS VENIT.

QUamvìs in Editione Bibliorum Complutenſi, Regiâ, & Lovanienſi legatur: *Profectus pervenit*; Codices tamèn manuſcripti, & impreſſiones ordinariæ habent; *Profectus venit*. Simplex igitùr verbum, *venit*, cum verbo compoſito, *pervenit*, permutandum non cenſetur.

Num. 20. *Si fuerit Deus mecum*. Priùs in Editionibus Ordinariis legebatur, *Dominus*, nunc autèm in Editione vulgatâ repoſitum eſt nomen, *Deus*, juxtà Hebraicum Textum, in quo legitur; אֱלֹהִים, *Elohim*, hoc eſt, *Deus*; & ità legit Rabanus in lib. 3. in Geneſim, cap. 14. & Joannes Chryſoſtomus in Homilia 54. in Geneſim. In Græco autèm Textu legitur: κύριος ὁ Θεὸς, ideſt, *Dominus Deus*. In Chaldaicæ verò Paraphraſis Interpretatione; *Si fuerit verbum Dei in adiutorium meum*. Nomen itaquè *Deus* in Editione vulgatâ juxtà Hebraicam lectionem legendum cenſetur, ut etiàm in Editione Bibliorum Complutenſi, ac Regiâ videre licet.

Geneſ. cap. 29. num. 13.

CUCURRIT OBVIAM EI.

ITà legitur in aliquot manuſcriptis Codicibus, & ità legendum cenſetur. Nam Codices antè vulgatam Editionem emendatam, impreſſi juxtà Sancti Hieronymi Translationem habent; *Occurrit obviàm ei*. Quod non eſt dicendum; quia occurrere eſt, obviam ire, vel prodire. Propterèa in verbo (*occurrit*) adverbium loci *obviàm* occurſum denotans, eſt omninò ſuperfluum, cùm in ipſo verbo (*occurrit*) ly *obviàm* implicitè contineatur. Undè vox proverbialis, *obviàm*, in Græcâ Translatione ſeptuaginta Interpretum, & in Chaldaicâ Interpretatione cum Interpretationibus eàrundem Translationum ſatis rectè transfertur, & explicatur in hæc verba: *Cucurrit in occurſum ejus*. Quæ ſanè lectio illi lectioni, *cucurrit obviam ei*, omninò reſpondet.

Num. 24. *Facto manè vidit Liam*. Ità legendum eſt, non autèm *Lian*, ſicùt priùs legebatur in aliquot Editionibus ordinariis.

Num. 25. *Quarè impoſuiſti mihi?* Hoc in loco non eſt addendum nomen *Liam*, ut nonnulli Codices habent à quopiam Librario, vel Typographo adjectum; In Hebraico namquè Textu non extat, nec etiam in Translatione ſeptuaginta Interpretum, nec itèm in Translatione Sancti Hieronymi, nec denique in Translatione Chaldaicâ. Et ità legit Rabanus lib. 3: cap. 6. in Geneſim.

Geneſ. cap. 30. num. 8.

COMPARAVIT ME DEUS CUM SORORE MEA, ET INVALUI.

PRIÙS legebatur, *Dominus*, tàm in Codicibus manuſcriptis, quàm in Editionibus Bibliorum ordinariis. Nunc verò, *Deus*, juxtà Hebraicum Textum in quo habetur אֱלֹהִים *Elohim*, ideſt, *Deus*. Huic lectioni reſpondet Sancti Hieronymi Translatio. In Translatione itèm Græcâ ſeptuaginta Interpretum, & in Chaldaicâ Interpretatione legitur, *Deus*, ſed ſub aliis clauſulæ, vel periodi verbis, ut in Editione Bibliorum Complutenſi, ac Regiâ videre licet.

Num. 16. *Egreſſa eſt in occurſum ejus Lia, & ad me* (inquit) *intrabis*. In omnibus Codicibus olim impreſſis, etiàm in Editione Bibliorum Lovanienſi, necnon in multis Codicibus manuſcriptis legitur; *Egreſſa eſt in occurſum ejus Lia, & ait; Ad me, inquit, intrabis*. Et ità legitur in Translatione Sancti Hieronymi. Ex hac lectione ſublatum eſt verbum, *ait*, tamquàm ſuperfluum, ſequenti verbo, *inquit*: conjunctio verò, *&*, verbo, *ait*, ſublato, non videtur neceſſaria; repoſito autèm verbo, *ait*; verbum, *inquit*, expungendum eſt; & ità ſatis rectè legeretur; *Egreſſa eſt in occurſum ejus Lia, & ait; Ad me intrabis &c.* In Hebraico Textu verbum, *inquit*, non extat. In Translatione ſeptuaginta Interpretum Græcâ, cum Interpretatione Latinâ ità legitur. *Et egreſſa eſt Lia in occurſum ei, & ait; Ad me ingredieris hodiè*. Chaldaica Translatio ità jacet; *Et egreſſa eſt Lia in occurſum ejus, & ait; Ad me ingredere*. Rabanus lib. 3. cap. 17. in Geneſim legit in hæc verba; *Occurrit ei Lia, eumquè detinens ait; Ad me intrabis &c.* nunc autèm legitur; *Egreſſa eſt in occurſum ejus Lia, & ad me* [*inquit*] *intrabis*. Ità legendum eſſe Congregatio cenſuit.

Num. 25. *Dimitte me, ut revertar in Patriam, & ad Terram meam*. Quamvìs in Translatione Sancti Hieronymi legatur, *in Patriam meam*, & in Translatione ſeptuaginta Interpretum cùm Interpretatione Latinâ legatur, *in locum meum*. In Hebraico tamèn Textu pronomen poſſeſſivum illud, *meam*, in primo loco non invenitur, nec itèm in multis Codicibus manuſcriptis, ut etiàm in Editione Lovanienſi annotatum fuit. Propterèa Sacra Bibliorum Congregatio hunc locum ità cenſuit reſtituendum. *Dimitte me ut revertar in Patriam, & ad Terram meam*.

Num. 26. *Tu noſti ſervitutem, qua ſervivi tibi*. Quamvìs juxtà Translationem ex Hebraico Textu à Sancto Hieronymo præſtitam legatur; *Tu verò noſti &c.* juxtàquè Translationem ſeptuaginta Interpretum ex Græco Textu factam legatur; *Tu enim noſti &c.* Translatio autèm Chaldaicæ Paraphraſis habeat. *Quoniàm tu noſti &c.* Sacra tamèn Bibliorum Congregatio particulam illam

illam *verò*, necnon illam, *enim*, addendas non eſſe cenſuit, tamquàm minùs neceſſarias, & præſertim particulam illam *verò*, quæ in multis Bibliis manuſcriptis non invenitur.

Num. 30. *Benedixitque tibi Dominus ad introitum meum*. Priùs in Bibliis ordinariis legebatur; *Benedixitque tibi Deus*. Sed quia tam in Bibliis Regiis, quàm Complutenſibus juxtà Translationem Sancti Hieronymi, & Interpretationem ſeptuaginta, necnon Chaldaicæ Paraphraſis Translationem legitur; *Benedixitque tibi Dominus &c.* Sacra Bibliorum Congregatio hanc lectionem recipiendam eſſe judicavit. Nàm in Hebraico Textu legitur *Adonai*, ideſt *Dominus*, & in Græco κύριος, ideſt, *Dominus*. Adde etiàm, quòd lectio primo loco poſita in aliquot etiàm Bibliis manuſcriptis reperitur.

Num. eodem. *Juſtum eſt igitùr, ut aliquandò provideam etiàm domui meæ*. Priùs legebatur, ſinè particulâ illâ, *etiàm*, quam Sacra Bibliorum Congregatio apponendam eſſe cenſuit, quippè quæ in aliquot Codicibus manuſcriptis, & in Chaldaicæ Paraphraſis Translatione reperitur, cui denique reſpondere videtur. Translatio ſeptuaginta Interpretum, in qua pro particulâ, *etiàm*, legitur conjunctio, *Et*; quæ ſanè lectio apponenda erat, vi, & ſenſu locutionis particulam ipſam poſtulante.

Num. 33. *Et omnia, quæ non fuerint varia, & maculoſa, & furva, tam in ovibus, quàm in capris furti me arguent*. Priùs legebatur, *furti me argues*. Quod ſtare non poterat, quia locutio mutila erat. Nam illud pronomen pluralis numeri, *omnia*, verbum non habebat, cui concordare poſſet, ſicùt nunc habet hunc in modum; *omnia, quæ non fuerint varia &c. furti me arguent*. Adde etiàm, quòd huic Lectioni Translatio ſeptuaginta Interpretum in ſingulari numero reſpondet, ac rectè quidèm in hæc verba; *Omne, quod non fuerit ſparſum, aut ſubalbum in capris, & fuſcum in agnis, furatum erit apùd me*. Chaldaica itèm Interpretatio eidem locutioni ſatìs bellè reſpondet in hanc verborum formam; *Omne quod non fuerit maculoſum, & reſperſum in capris, & nigrum in agnis, furto ſublatum eſt apùd me*. Hujus autèm loci mendum Librariorum negligentiâ, vel inſcitiâ irrepſiſſe reor, verbo ſcilicèt pluralis numeri, ac tertiæ perſonæ in ſecundam ſingularis numeri perſonam mutato.

Cap. 31. *Geneſeos num.* 24.

VIDITQUE IN SOMNIS DICENTEM SIBI DEUM: CAVE NE QUIDQUAM ASPERE LOQUARIS CONTRA JACOB.

PRiùs legebatur. *Viditque in ſomnis dicentem ſibi Dominum*. Lectioni primo loco poſitæ Translatio ſeptuaginta Interpretum reſpondet in hanc verborum formam; *Venit autèm Deus ad Laban Syrum per ſomnum nocte, & dixit ei cave &c.* eidem reſpondet Interpretatio Chaldaica in hæc verba; *Et venit verbum à facie Dei ad Laban Syrum in ſomnis noctis, & dixit ei; cave &c.* Biblia itèm aliquot manuſcripta hoc in loco habent, *Deum*, non, Dominum. Propterea Sacra Bibliorum Congregatio *Deum* non *Dominum* legendum eſſe cenſuit.

Num. 29. *Sed Deus Patris veſtri heri dixit ad me; cave, ne loquaris contrà Jacob quidquam durius*. Priùs legebatur, *Deus Patris tui*; nunc autèm, *Deus patris veſtri*, juxtà Interpretationem Chaldaicam, & Lectionem Codicum aliquot manuſcriptorum. In Sancti Hieronymi Translatione, & ſeptuaginta Interpretum legitur; *Deus patris tui*. In multis Bibliis manuſcriptis, necnon juxtà Translationem ſeptuaginta Interpretum, & Sancti Hieronymi legitur; *Cave, ne loquaris cum Jacob &c.* Impreſſi autèm Codices omnes habent; *Cave ne loquaris contrà Jacob &c.* Ità etiàm legunt omnes *ferè Doctores*. Sed quia ſenſus harum lectionum, *cum Jacob*, & *contrà Jacob*, eſt idem; Sacra Bibliorum Congregatio lectionem impreſſorum Codicum retinendam eſſe cenſuit.

Cap. 32. *Geneſeos num.* 1.

JACOB QUOQUE ABIIT ITINERE, QUO CÆPERAT.

ITà ad verbum legitur à Rabano in lib. 3. c. 19. in Geneſim, necnon in ſeptem Codicibus Bibliorum manuſcriptis. Priùs in Codicibus Bibliorum Ordinariis legebatur; *Jacob autèm abiit in itinere, quod cæperat*. Translatio B. Hieronymi habet; Jacob autem abiit itinere, quo cęperat. In Translatione ſeptuaginta Interpretum legitur: *Et Jacob abiit viam ſuam*. Chaldaica verò Translatio habet: *Jacob autem abiit per viam ſuam*. Quamvìs autem Lectiones diverſę videantur, eundem tamèn ſenſum habeat. Sacra verò Bibliorum Congregatio lectionem primo loco relatam apponendam eſſe cenſuit.

Num. 6. *Et ecce properat tibi in occurſum cum quadringentis viris*. Ità legit Rabanus lib. 3. cap. 20. Ità etiàm in aliquot Bibliis manuſcriptis: & ità denique Sacra Bibliorum Congregatio legendum eſſe cenſuit. Priùs legebatur, *in occurſum tuum*. Utraquè tamèn lectio eundem ſenſum habere videtur.

Num. 18. *Munera miſit Domino meo Eſau*. Ità legitur in Græcâ ſeptuaginta Interpretum Translatione, atquè in Chaldaicâ Interpretatione, necnon in diverſis Bibliis manuſcriptis. Et ità Sacra Bibliorum Congregatio legendum cenſuit: Priùs enim legebatur: *Munera miſit Domino ſuo Eſau*: Et ità legitur in Sancti Hieronymi Translatione: *Domino ſuo Eſau*; lectio autèm recentèr ſuſcepta congruentior judicatur, ſi loquens perpendatur.

Num. 30. *Vidi Deum facie ad faciem*. Ità legitur, tam in Bibliis Regiis, quàm Complutenſibus, juxtà Græcam ſeptuaginta Interpretum Translationem; necnon juxtà Beati Hieronymi Translationem ex Hebraico Textu præſtitam: Nam in Græco Textu le-

gitur : τὴν Θεὸν, ideſt, *Deum* ; & in Hebraico אֱלֹהִים *Elohim*, ideſt *Deum*. In Bibliis Ordinariis legebatur : *Vidi Deum*. In Chaldaicâ Translatione legitur : *Vidi Angelum Dei facie ad faciem*. Hæc autèm lectio quaſi alterius lectionis eſt interpretatio : Jacob enim non propriè vidit Deum, ſed Angelum in Corpore aſſumpto, ut ait Nicolaus Lyranus; quia Deus videri non poteſt, ſed Jacob vidit formam, ut Gloſſa interlinearis inquit ; in qua Deus loquutus eſt. Gloſſa verò Ordinaria, per *Dei faciem*, Dei cognitionem interpretatur. Nam Deus propriè videri non poteſt. Propterèa in capite 33. Exodi Deus Moyſi dixiſſe legitur. *Non poteris videre faciem meam*, hoc eſt, vim divinæ Eſſentiæ, ut ait Gloſſa Interlinearis ; *Non enim* [inquit Deus] *videbit me homo, & vivet*, hoc eſt, per incircumſcriptam eſſentiam, in hac mortali carne, ut Gloſſa Interlinearis interpretatur : Talis namquè viſio, quæ facultatem humanam excedit, non conceditur in præſenti vitâ, ſed in futurâ, ideſt, in Cœlo, ubi pro præmio conceditur. Paulo tamèn, & Moyſi, ut ait Sanctus Auguſtinus, conceſſum fuit videre Divinam Eſſentiam, in raptu tamèn, ac tranſitoriè, ſed non manſivè, ut refert etiàm Lyranus in primam Joannis Epiſtolam cap. 4. Quòd autem legi debeat : *Vidi Deum facie ad faciem*, confirmatur ex eo, quod ſcriptum reliquerunt Rabanus, & Iſidorus Hiſpalenſis. Rabanus enim, dum ipſum divinæ Scripturæ locum interpretatur, expreſsè inquit : *Et vocavit Jacob nomen loci illius, Facies Dei, dicens : Vidi Deum Facie ad Faciem*. Jacob enim locum illum, in quo vidit Deum, vocavit *Phanuel*, quod, *Facies Dei*, latinè interpretatur. Iſidorus verò, dum meditatur illa Geneſeos verba ipſi Jacob à Deo dicta : *Nequaquàm Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael* ; Ità inquit : *Cujus nominis impoſitio, utiquè benedictio fuit. Interpretatur enim Iſrael, videns Deum : quod erit in fine præmium Sanctorum omnium*. Ex horum Doctorum verbis clarum profectò fit, legendum eſſe : *Vidi Deum Facie ad Faciem*. Ità etiam legitur à Sancto Ambroſio lib. 2. de Jacob, & vitâ beatâ hiſce verbis : *Et vocavit nomen loci illius, Facies Dei, vidi enim Deum facie ad faciem*. Ità deniquè à Sancto Hieronymo in Quæſtionibus, vel Traditionibus Hebraicis in Geneſim legitur ad verbum : Adde tandèm, quòd in aliquot Bibliis manuſcriptis invenitur hæc eadem lectio, quæ itèm corroboratur, & confirmatur per illud nomen, quod à Jacob impoſitum fuit illi loco, in quo ipſe vidit Deum ; necnon per illud nomen, quod à Deo ipſi Jacob datum fuit. Illud enim nomen eſt *Phanuel*, ideſt, *Facies Dei* ; hoc autèm nomen *Iſrael*, ideſt, *videns Deum* : nam in utroque nomine ultima ſyllaba Hebraica eſt *El*, quæ latinè interpretatur *Deus*. Propterèa Sacra Bibliorum Congregatio hanc lectionem tamquàm genuinam in ſuum locum reponendam eſſe judicavit.

Nicol. Lyran. & Gloſs. Ordinaria in cap. 32. Geneſeos.

Gloſſa Interlinearis in cap. 33. Exodi & Nicol. Lyran.

S. Auguſtin. lib. 2. de Trin. cap. 16. to. 3. & in ep. 112. ad Paulinam tom. 2.

Lyran. in epiſt. 1. Joannis cap. 4.

S. Ambroſ. tom. 1. lib. 2. de Jacob. & vitâ beatâ.

S. Hieronymus tom. 3.

Geneſeos cap. 34. num. 15.

ET CIRCUMCIDATUR IN VOBIS OMNE MASCULINI SEXUS.

PRiùs legebatur, *omnis maſculini ſexus*. Significantiùs autèm legitur, *omne*, quàm, *omnis*, juxtà ſeptuaginta Interpretum Translationem, quæ Latinè in eodem capite legit non ſemel, *omne maſculinum*. Ità quoquè legitur non ſemèl à S. Ambroſio in eodem cap. lib. 2. de Jacob, & vitâ beatâ; necnon ab Alphonſo Toſtato, & ab aliis. In aliquot etiàm Codicibus manuſcriptis legitur ; *omne maſculinum*. Hanc itàque lectionem, *omne maſculini ſexus*, tamquàm meliorem Sacra Bibliorum Congregatio cenſuit recipiendam.

Toſtat. to. 1. in Geneſeos.

Num. 23. *Unum efficiemus Populum*. Ità legitur in aliquot Codicibus manuſcriptis, & ità Sacra Bibliorum Congregatio cenſuit legendum ; hæc enim lectio congruentior, ſi Orationis ordo perpendatur. Priùs autèm, *efficiamus*, legebatur in Bibliis Ordinariis.

Num. 30. *Quibus patratis audactèr, &c.* Hoc in Hebraico Textu non extat, ſed à Translatore additum fuit. Legebatur autèm, *quibus perpetratis audactèr*. Et ità legitur in Sancti Hieronymi Translatione. Nunc verò, *quibus patratis audactèr*, & rectiùs quidèm, quia patrare, eſt rem incœptam ad finem perducere, præſertìm verò neces, rapinas, & bella, atquè in hunc ſenſum Authores graviſſimi uſi ſunt ſempèr ipſo verbo, *patrare*. Ità dicto in loco Bibliorum legitur à Nicolao Lyrano, ab Alphonſo Toſtato, & ab aliis, necnon in aliquot Bibliis manuſcriptis. Propterèa Sacra Bibliorum Congregatio hanc lectionem, quatenùs magis propriam recipiendam eſſe judicavit.

Cap. 36. Geneſeos num. 14.

ISTI QUOQUE ERANT FILII OOLIBARNA FILIÆ ANÆ, &c.

PRiùs legebatur in aliquot Codicibus, *Filii Anæ*, ſed, *Filiæ*, legendum cenſetur ; Ita legitur in Sancti Hieronymi Translatione, & Chaldaicâ, & ità in multis Codicibus manuſcriptis, necnon impreſſis ferè omnibus legebatur ; atquè ità Sacra Bibliorum Congregatio legendum cenſuit.

Num. 21. Priùs legebatur, *Aſar*, nunc verò, *Eſer* ; & ità legitur in Hebraicâ Translatione Sancti Hieronymi ; necnon in Chaldaicâ Translatione, atquè Interpretatione, ut in Bibliis Regiis, & Complutenſibus videre licet. Eadem lectio extat in Bibliis aliquot manuſcriptis.

Num. 23. Priùs legebatur, *Alvam*, nunc verò *Alvan*, & ità legitur in Hebraicâ Translatione Sancti Hieronymi, atquè in Chaldaicâ Translatione, ut in Bibliis Regiis, & Complutenſibus videre licet. Eadem itèm lectio extat in Bibliis aliquot manuſcriptis.

Num. 24. *Cum paſceret Aſinas*, nunc legitur ;

gitur; *Cum paſceret Aſinos*; & ità legitur in Chaldaicæ Paraphraſis Translatione, & in aliquot manuſcriptis Bibliorum Codicibus.

Cap. 37. Geneſeos num. 3.

ISRAEL AUTEM DILIGEBAT JOSEPH SUPER OMNES FILIOS SUOS.

PRiùs enim legebatur ſine dictione illâ, *ſuos*. Nunc verò appoſita legitur. Et ità legitur in Hebraicâ Translatione Sancti Hieronymi, & in Chaldaicâ Translatione, necnon in aliquot Bibliis manuſcriptis. In Translatione ſeptuaginta Interpretum legitur, *filios* ejus.

Num. 17. Priùs legebatur; *Perrexit itaquè Joſeph*. Nunc autèm; *Perrexit ergò Joſeph*. Et ità legitur in aliquot Bibliis manuſcriptis.

Num. 31. *Tulerunt autèm tunicam ejus, & in ſanguine Hœdi, quem occiderant, tinxerunt*. Priùs legebatur *in ſanguinem*; nunc verò, *in Sanguine*. Eſt enim recta locutio, quamvis alibi legatur *in Sanguinem*.

Num. 36. Priùs legebatur: *Phutiphari Eunucho*, nunc verò *Putiphari Eunucho*, & ità legitur in Chaldaicæ Paraphraſis Translatione, atquè in Bibliorum Complutenſium Dictionario, in quo habentur Interpretationes Hebraicorum, Chaldæorum, Græcorumque nominum veteris, ac novi Teſtamenti; ubi Franciſcus Simenius hanc vocem, *Putiphar*, ex Linguâ Syriacâ, & Hebraicâ originem habere ait; & ità ſcribendam eſſe oſtendit, quamvis alibi legatur, *Phutiphari*, & præſertim in Sancti Hieronymi Translatione. *Putiphar* enim, ut inquit Simenius, ex Syro, & Hebræo dictus, *pinguedinem diſſipans*, vel *pinguedinis denudatio*; aut Syriacè *pinguedinis vindicta* interpretatur.

Cap. 38. Geneſeos num. 2. & 12.

SUe, non *ſua*, legi debet juxtà Hebraicam Sancti Hieronymi Translationem; & ità etiàm legitur in Chaldaicâ Translatione necnon in Bibliis manuſcriptis. In numero autem 12. juxtà Hebraicam Translationem, & Chaldaicam Interpretationem, Codicesque manuſcriptos debet apponi dictio hæc, *Filia*, hunc in modum. *Mortua eſt filia Sue Uxor Judæ*: hæc enim vox, *Filia*, in cæteris Bibliorum Editionibus non legebatur. In Sancti Hieronymi Translatione legitur: *Mortua eſt filia Sue Uxor Judæ*. Ità etiàm legitur in Chaldaicæ Paraphraſis Translatione. In Translatione autèm ſeptuaginta Interpretum legitur *Sava*, non *Sue*.

Num. 10. Priùs legebatur, *eo quod*, nunc autèm ità legitur, *quod*, ſine particula, *eo*, in hunc modum: *Et idcircò percuſſit eum Dominus, quod rem deteſtabilem faceret*. Ità legitur in aliquot Bibliis manuſcriptis, & rectè quidèm, cùm illa particula hoc in loco ſuperflua videatur ob dictionem illam *idcircò*.

Cap. 39. Geneſeos num. 1.

PUtifar non *Phutiphar*, legendum eſt, ut in ſuperiori capite, num. 36. oſtenſum fuit; Et ibidèm legi debet, *exercitus*, abſquè particulâ illâ, *ſui*, ideſt, *Putiphar Eunuchus Pharaonis Princeps exercitus*. Nam ſi legatur *Princeps exercitus ſui*, exercitus ille videbitur eſſe non Pharaonis, ſed Putifari Servi, ſivè Miniſtri Pharaonis; Eunuchus enim, ut ait S. Hieronymus in Scripturâ Sacrâ non ſolùm pro Caſtrato, ſed etiàm pro miniſtro, vel Servo ſumitur, ut ex capite 40. Geneſeos num. 1. conſtat, ubi Regis pincerna, & piſtor *Eunuchi* dicuntur. Nec particula illa *ſui*, pro particula *illius*, ideſt, *Pharaonis* rectè accipi ſolet. Putifar enim erat Princeps Exercitus Pharaonis. Idcircò in calce capitis 37. de Putipharo in hanc legitur verborum formam: *Madianitæ vendiderunt Joſeph in Ægypto Putiphari Eunucho Pharaonis Magiſtro Militum*. In Chaldaicâ Interpretatione legitur, *Magiſter Militum*. In Græco fonte legitur Ἀρχιμάγειρος, *Archimagiros*, hoc eſt, *Princeps Coquorum*, & ità legitur juxtà ſeptuaginta Interpretum explicationem *Archimagiros enim*, ideſt, *Coquorum Princeps*, ut ait Sanctus Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis ſupèr Geneſim, pro *Magiſtro Exercitus* in ſcripturâ Sacrâ poni ſolet. *Magiros*, Μάγειρος, namque vox Græca, *Coquus* latinè interpretatur, & dicitur à μαγείρειν, quod eſt *occidere*, eo quod Coqui occidant Coquendas pecudes. Propterèà *Archimagiros*, ideſt, *Princeps Coquorum*, ſumi ſolet pro Magiſtro Exercitus, vel Militum, quî Coquorum inſtàr homines occidunt in bello. Putiphar ergo, ut hujus loci correctionem concludamus, Eunuchus, ideſt, Magiſter Pharaonis, Princeps Exercitus, abſquè particulâ illâ *ſui*, legendus cenſetur. Adde etiàm, quòd in aliquot Bibliis itèm manuſcriptis extat lectio hæc ſinè particulâ illâ *ſui*.

Eunuchus pro ſervo ſumi ſolet ex S. Hieronym. in qu. Hebr. in Gen. qu. 37. tom. 3.

Vide pro hac declaratione Sancti Hieronymi Gloſſam in c. 37. Geneſ.

S. Hieronym. qu. vel cap. 37 tom. 3.

Num. 9. Priùs ità legebatur: *Quomodò ergò poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Nunc verò juxtà Hebraicam Sancti Hieronymi, necnon Chaldaicam, & Græcam ſeptuaginta Interpretum Translationes ità legi debet: *Quomodò ergò poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?*

Cap. 40. Geneſeos num. 1.

HIS ITAQUE GESTIS, ACCIDIT, UT PECCARENT DUO EUNUCHI, PINCERNA REGIS ÆGYPTI, ET PISTOR DOMINO SUO.

NUnc verò legitur. *His ità geſtis &c.* particulâ illâ *que*, e medio ſublatâ. Hæc enim locutio magis rei conſona hoc in loco eſſe cenſetur, & in Bibliis manuſcriptis multis invenitur. Nam adverbium *ità*, habet alium ſenſum à conjunctione, *itaquè* remotum, ut patet diligentèr conſideranti ſenſum utriuſque dictionis.

Num. 15. *Quia furto ſublatum ſum*: priùs enim legebatur *furtìm*: nunc autèm *furto*,

juxtà Chaldaicam, & Græcam septuaginta Interpretum Translationem. Adde etiàm, quòd in Bibliis aliquot manuscriptis legitur *furto*, non *furtìm*. Nàm Joseph non latentèr, aut occultè de Terrâ Hebræorum surreptus, aut sublatus fuit, sed palàm. Idcircò in Græcâ Editione non legitur λαθραίως, latrèos, ideſt, *latentèr*; sed κλοπῇ, clopi, ideſt *furtìm*. Adde etiàm, quòd in aliquot itèm Bibliis manuscriptis legitur *furto*, non *furtìm*.

Cap. 41. *Geneseos num.* 11.

UTERQUE VIDIMUS SOMNIUM PRÆSAGUM FUTURORUM.

ANteà enim legebatur, *præsagium*, nomen, scilicèt, substantivum pro Adiectivo.

Num. 26., & 31., & 53. nomen *Ubertatis* aspirationem habebat, nunc autèm sinè aspiratione, *h*, legitur: non enim desunt hodiè qui *ubertatem* non *hubertatem* scribendam esse censeant.

Num. 44. *Dixit quoquè Rex ad Joseph*: Priùs legebatur *Rex Ægypti*, nunc autèm nomen *Ægypti* tamquàm superfluum è medio sublatum fuit, cum Pharao Rex Ægypti toties eodem in capite legatur. Adde etiàm, quòd vox illa *Ægypti* hoc in loco juxtà septuaginta Interpretum, & Chaldaicam Interpretationem non legitur; nec itèm in Bibliis manuscriptis. In Translatione autèm septuaginta Interpretum, & Chaldaicâ Interpretatione legitur: *Dixit Pharao ad Joseph*.

Num. 50. *Nati sunt autèm Joseph filii duo, &c.* additâ conjunctione subjunctivâ, *autèm*, quæ legitur in Translatione septuaginta Interpretum, & in Translatione, atquè Interpretatione Chaldaicâ. Necnon in Bibliis manuscriptis. In Translatione autèm Sancti Hieronymi legitur hunc in modum: *Natiquè sunt Joseph filii duo*: conjunctio enim *que* hoc in loco æquivalet particulæ illi *autèm*.

Cap. 42. *Geneseos num.* 13.

AT ILLI DUODECIM (INQUIUNT) SERVI TUI FRATRES SUMUS &c.

NUnc autèm illud verbum *dixerunt*, tamquàm superfluum è medio sublatum est, cum ibidèm legatur, *inquiunt*. Propterèa in Translatione Chaldaicâ, atquè in Translatione septuaginta Interpretum juxtà Interpretationem earundem legitur verbum, *dixerunt*, sine verbo, *inquiunt*; In Bibliis autèm aliquot manuscriptis legitur verbum, *inquiunt*, sine verbo, *dixerunt*, juxtà Editionem, sivè lectionem primo loco positam, hoc est. *At illi: Duodecim, inquiunt, servi tui fratres sumus*.

Num. 38. *Si quid ei adversi acciderit in terrâ, &c.* In Translatione Sancti Hieronymi legitur; *Si quid ei adversitatis acciderit in viâ*. In Translatione septuaginta Interpretum legitur: *Et accidet illum ægrotare*. In Chaldaicâ Interpretatione: *Et si acciderit ei mors in viâ*. In aliquot autèm Bibliis manuscriptis legitur: *Si quid ei adversi acciderit in Terrâ, &c.* Hanc itaquè lectionem tamquàm magis congruam Sacra Bibliorum Congregatio censuit admittendam. Priùs enim legebatur: *Si quid ei adversitatis acciderit in Terrâ*. Nunc verò *adversi*, non *adversitatis legitur*.

Cap. 43. *Geneseos num.* 5.

SIN AUTEM NON VIS, NON IBIMUS.

ANteà legebatur, *Si autèm non vis, &c.* Quamvis particula *sin* ex *si*, & *ne* composita, abjecto *e*, significet, *si autèm*; hoc tamèn loco addita est conjunctio subjunctiva, *autèm*, quæ satis erat cum conjunctione conditionali, *si* ideſt, *si autèm*. Locutio tamèn illa, *sin autèm* in Translatione Sancti Hieronymi, septuaginta Interpretum, & in Chaldaicâ Translatione non extat. Prior lectio *si autem*, videtur melior, tamen fuit ablata, & posita, *sin autem*, quæ invenitur in manuscriptis Bibliis, & in Textu Glossæ Ordinariæ.

Num. 11. *Sumite de optimis Terræ fructibus &c.* Priùs legebatur: *Sumite de optimis Terræ frugibus*, juxtà Sancti Hieronymi Translationem; nunc autèm juxtà septuaginta Interpretum Translationem; Et hæc lectio in multis Bibliis manuscriptis extare cernitur. Nomen tamèn utrumquè, *fructus*, videlicèt, ac *fruges* idem significat. Utrumque enim Græcè καρπὸς, dicitur. Hinc secundùm Priscianum *fruges*, dicuntur generaliter quidquid ex fructu Terræ in alimoniam vertimus; nequè solùm quod ex frumentis, & leguminibus, verùmetiàm quod ex vino, vel ex sylvis cæduis, cretæ fodinis, & lapidicinis capitur.

Num. 14. *Et remittat vobiscum fratrem vestrum, quem tenet*. Priùs legebatur, *quem tenet in vinculis*: nunc verò mentio de vinculis è medio sublata cernitur: alibì verò non item. Nam in Hebraicâ Sancti Hieronymi Translatione legitur: *quem tenet in vinculis*. In Translatione Chaldaicâ, & in Græcâ septuaginta Interpretum, nulla de vinculis mentio reperitur. Nam in Chaldaicâ Translatione legitur: *Solvat fratrem vestrum*. In Translatione septuaginta Interpretum: *Remittat fratrem vestrum*, nullâ penitùs de vinculis factâ mentione.

Num. 17. *Fecit ille quod sibi fuerat imperatum*. Particulæ ille, *quod sibi*, nunc appositæ sunt juxtà S. Hieronymi Translationem, quæ etiàm in Bibliis manuscriptis leguntur.

Num. 19. *Ad dispensatorem Domus locuti sunt*. Addita est hoc in loco dictio illa *Domus*, quæ superiùs itèm in num. 16. & cap. 44. num. 1. & 4. legitur. Hæc quoquè lectio in Chaldaicâ, & septuaginta Interpretum Translatione habetur, cum Dispensator ille sit, qui

qui familiæ domus neceſſaria diſpenſat, ac diſtribuit, cujuſmodi ſunt etiàm domus Opſonatores, cujus officium eſt coemere, quæ uſus domeſticus poſtulat. Opſonator enim eſt ille, qui emit opſonium, quod eſt omne, quod cum pane veſcimur, & vulgò *companaticum* dici ſolet.

Num. 27. *Salvuſne eſt pater veſter Senex, de quo dixeratis mihi? Adhùc vivit?* Priùs legebatur, *ſanus*, ſed *ſalvus* hoc in loco congruentior cenſetur, cùm interrogatio eſſet, an adhùc viveret. Ità etiàm legitur in Bibliis manuſcriptis, & in Textu Hebraico.

Cap. 44. Geneſeos num. 4.

TUNC JOSEPH ACCERSITO DISPENSATORE DOMUS AIT: SURGE, INQUIT, ET PERSEQUERE VIROS &C.

SIc priùs legebatur, nunc verbum illud, *ait*, ſuperfluum omninò eſt, cum ſequatur, *ſurge, inquit, & perſequere eos*. Nullibi enim utrumque verbum, *ait*, & *inquit*, reperitur in hâc eâdem lectione, niſi in Sancti Hieronymi Translatione, quæ à quopiam corrupta cenſetur: quia in Hebraico Textu ejuſdem Translationis, ut videre eſt in Bibliis Regiis, & Complutenſibus, repetitio ejuſdem Verbi, *ait*, &, *inquit*, non invenitur. Propterea verbo, *ait*, ablato, nunc ità legitur: *Tunc Joſeph accerſito Diſpenſatore Domus, ſurge, inquit, & perſequere eos, &c.*

Num. 17. *Reſpondit Joſeph, &c.* Priùs legebatur, *Reſponditque Joſeph, &c.* nunc conjunctio, *que*, tamquàm ſuperflua, & in nullâ Translatione, nec in Bibliis manuſcriptis inventa, è medio ſublata eſt.

Num. 31. *Cum anima illius ex hujus animâ pendeat.* Priùs legebatur, *dependeat*. Sed quià verbum, *pendeat*, in Translatione ſeptuaginta Interpretum, & in Bibliis manuſcriptis legitur, ablata eſt ſyllaba, *de*, quamvis utrumque verbum eundem ſenſum habere videatur.

Cap. 45. Geneſeos.

NEC DIMITTATIS QUIDQUAM DE SUPELLECTILI VESTRA, QUIA OMNES OPES ÆGYPTI VESTRÆ ERUNT.

ITà legitur in Sancti Hieronymi Translatione, & in Bibliis manuſcriptis. Priùs enim legebatur, *demittatis*. Quod ſanè verbum ad rem hanc non facit. Demittere nàmquè eſt deorſum mittere, inclinare, vel deprimere. Dimittere autèm intèr alia, eſt derelinquere; Et hunc ſenſum habet hoc in loco, ideſt, *de ſupellectili veſtrâ nihil relinquatis*.

Tamètſi autèm omnes Codices Latini tam impreſſi, quàm manuſcripti habeant hanc lectionem: *Nec dimittatis quidquam de ſupellectili veſtrâ, quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt*; ſenſus tamèn non cohæret. Illud enim, *nec dimittatis quidquam*, videtur adverſari verbis ſubſequentibus, quæ ſunt, *quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt*. Huic ſenſui conſonat lectio Hebraica, Chaldaica, & Græca. Nam in hiſce linguis ſenſus eſt hunc in modum, & in hanc verborum formam: *Et oculus veſter non parcat ſupellectili veſtræ. Vel non videat, aut pigeat vos relictæ ſupellectilis, quoniàm apùd me non deerunt vobis hujuſmodi.* Hinc in Bibliis à Vatablo è Græco translatis legitur hoc. *Ne pœniteat vos, ſi ſupellectilem veſtram poſt vos relinquatis*. Idem ferè habent ſeptuaginta. Idcircò, *demittatis*, ut emendavit Sixtus V. non, *dimittatis*, ut habetur in Codicibus Latinis manuſcriptis, & impreſſis legi deberet: quia ſenſus optimus eſt, verbis ſubſequentibus conſonans: *Nec demittatis quidquam de ſupellectili veſtrâ*, ideſt, nihil deorſum, vel indè mittatis, quia in Ægypto omnibus opibus abundabitis. *Demittere* autèm eſt deorsùm mittere: quòd quidèm verbum omni ex parte quadrat, & convenit ſenſui hujuſce loci, ac ſententiæ: Terra enim Chanaan, undè Pater Joſeph cum filiis in Ægyptum profecturus erat, eminentior eſt Ægypto, ut à Geographis, & ab ipsâ Scripturâ Sacrâ colligitur, & præſertim ex eodem capite Gen. 45.; quando enim fit mentio de itinere ex Ægypto in Terram Chanaan legitur, aſcenderunt ex Ægypto, è converſò autèm deſcenderunt in Ægyptum. Hinc profecturis è Terrâ Chanaan in Ægyptum dici debuit: *Nec demittatis quidquam de ſupellectili veſtrâ*, ideſt, nihil deorsùm, in Ægyptum, ſcilicèt, mittatis, quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt. Quod ſi futurum erat, quarè non debebant dimittere quidquam? Immò potiùs dimittere, ac relinquere debebant ſupellectilem, qua in Ægypto indigere non poterant ob opes ſibi paratas. Quarè ſi pro, *demittatis*, reponatur, *dimittatis*, vel ſenſum non cohærere, vel clauſulas intèr ſe diſcrepare omninò dixerim; vel inſcitiam meam fateor, id ſuprà captum Intellectus mei eſſe affirmans.

Num. 23. *Addens & aſinos decem.* Anteà legebatur, *Addens ei aſinos decem*. In Sancti Hieronymi Translatione legitur, *Addens eis &c.* In Bibliis autèm impreſſis, loco pronominis, conjunctio, &, legitur, ideſt, *Addens, & Aſinos decem*. Quæ ſanè lectio congruentior cenſetur, Hębraicæ, Græcæquè lectioni reſpondens.

Cap. 46. Gen. num. 2.

PER VISIONEM NOCTIS.

ITà legitur in Textu Hebraico, & Græco, & in aliquot Codicibus manuſcriptis. In Translatione ſeptuaginta Interpretum, & in Chaldaicâ legitur, *in Viſione noctis*. Priùs autèm legebatur, *per Viſionem nocte*. Sacra tandem Bibliorum Congregatio lectionem primo loco poſitam reponendam cenſuit.

Num. 10. *Saul filius Chanaanitidis, &c.* Priùs legebatur, *Chananitidis*; nunc verò, *Chanaanitidis*, & quidèm rectiùs: Nam ſi

Cha-

Chananitis, idis, ab Hebraicâ voce, *Chanaana*, vel *Chanaan*, originem habeat, nonnisi *Chanaanitidis* legendum censetur, sicùt ex Francisco Simenio colligitur. Hinc enim in suo Vocabulario Hebraico ait, eundem habere significatum hæc nomina Hebraica, *Chanaanitis*, & *Chanaana*, vel *Chanaan*. Cùm itaque *Chanaana*, vel *Chanaan* Hebraicè dicatur, Chanaanitis, Chanaanitidis legendum esse necesse est, ut derivandi regula omninò servetur. Nam *Chanaanitis*, *Chanaanitidis à Chaana*, vel *Chanaan* derivatur.

Num. 11, *Caath*, non, *Cahath*, legi debet, aspiratione è medio nominis ablatâ. Nam *Caath*, non, *Cahath* legitur in omnibus Bibliorum Translationibus, necnon in Hebraico Vocabulario Franciſci Simenii.

Num. 13. *Semron*, non *Simeron* legendum est juxtà Sancti Hieronymi Translationem; Et ità legitur in Bibliis manuscriptis. In Chaldaicâ verò Translatione, necnon in Vocabulario Hebraico Franciſci Simenii legitur, *Semeron*. *Simeron* autèm nullibì legitur.

Num. 16. *Sephion*, *& Haggi*, *& Suni*, *& Esebon*. Ità legitur in Chaldaicâ Interpretatione, atquè in aliquot Bibliis manuscriptis. Priùs legebatur, *Sephon*, *& Aggi*; & ità legitur in Sancti Hieronymi Translatione, atquè in Hebraico Simenii Vocabulario. In Translatione autèm septuaginta Interpretum legitur, *Saphon*, *& Aggis*. Nomina verò legenda sunt hoc ordine *Sephion*, *& Haggi*, *& Suni*, *& Esebon*.

Num. 20. In quo legi debet *Putiphare*, non *Phutifaris*. De hac dictione vide superiùs cap. 37. num. 36. & cap. 39. num. 1.

Num. 26. *Cunctæ animæ*. Ità legendum est absquè particulâ conjunctivâ, *que*, quamvis in Sancti Hieronymi Translatione, atquè in Chaldaicâ legatur, *Cunctæque animæ*; Et in Translatione septuaginta Interpretum, *cunctæ autèm Animæ*. Tostatus legit, *cunctæ Animæ*.

Num. 28. *Et ille occurreret in Gessen*; pronomen, *ille*, superfluum censetur; ideò è medio sublatum est: quia Judas fuit missus ad Joseph, ut nunciaret ei, quòd Pater veniebat; & ipse Joseph occurreret Patri suo in Gessen, antequàm Pater perveniret ad Regiam Civitatem Ægypti, ubi stabat Joseph cum Rege. Alphonsi etiàm Tostati lectio extat sinè pronomine.

Cap. 47, *Geneseos num.* 4.

AD PEREGRINANDUM IN TERRA TUA VENIMUS.

IDest *venimus, ut peregrinemur in Terrâ tuâ.* Sextus casus congruentior, quàm casus quartus *in Terram tuam*, censetur. Ideò in Translatione Chaldaicâ, & septuaginta Interpretum legitur: *ad habitandum in Terrâ venimus*, ideſt venimus, ut habitemus, & peregrinemur in Terrâ tuâ. Ità etiàm legit Alphonsus Tostatus.

Num. 9. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi, & mali.* Legebatur olim: *Dies peregrinationis vitæ meæ, &c.* Et ità legitur in Translatione Sancti Hieronymi, & in Bibliis manuscriptis. In Chaldaicâ Interpretatione legitur: *Anni vitæ peregrinationis meæ*. In Translatione septuaginta Interpretum: *Dies annorum vitæ meæ, quos peregrinor*. Nunc verò dictio illa *vitæ*, tamquàm superflua è medio sublata est.

Num. 18. *Non celabimus Dominum nostrum*. Anteà legebatur: *Non celamus Domino nostro*. Ita etiàm legitur in Translatione Sancti Hieronymi. In Chaldaicâ verò: *Non celamus quidquàm Domino nostro*. Hæc autèm lectio videtur esse aliarum lectionum declaratio: hoc est, *non abscondimus*, vel *non abscondemus à te inopiam nostram*, quòd, scilicèt, deficiente pecuniâ, pecora simul defecerint. Sed intèr varias lectiones lectio primo loco posita congruentior censetur.

Cap. 48. *Geneseos num.* 1.

HIS ITA TRANSACTIS.

ANteà legebatur, *His itaquè transactis*, sicùt etiàm legitur in Translatione Sancti Hieronymi. In Bibliis autèm aliquot manuscriptis prima extat lectio, quæ congruentior censetur, ut diligentèr intuenti patet. Aliæ Translationes leguntur in hanc verborum formam: *Et factum est post verba hæc &c.* Vel, *factum est autèm post verba hæc*. Quæ idem significant.

Num. 3. *Et ingresso ad se ait*: Anteà legebatur: *Et ingresso ad se Joseph ait*: Ità legitur in Translatione Sancti Hieronymi: nunc verò dictio, *Joseph* è medio sublata est, quia subintelligitur Joseph in priori clausulâ nominatus. Nam ingresso Joseph ad Patrem suum Jacob, Pater ejus ait: *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza &c.*

Cap. 50. *Geneseos num.* 8.

QUÆ DERELIQUERANT IN TERRA GESSEN.

OMnes Bibliorum Translationes habent, *dereliquerunt*. In Bibliis verò manuscriptis legitur: *dereliquerant*, & ità nunc legitur in Editione vulgatâ reformata. Quæ sanè lectio congruentior censetur.

Num. 17. In Bibliis olim Editionis vulgatæ legebatur: *Nos quoquè oramus, ut Servo Dei Patri tuo dimittas iniquitatem hanc.* Anteà enim legebatur in singulari numero, *Servo Dei Patri tuo*; nunc autèm in plurali, *Servis Dei Patris tui*. Quæ sanè lectio omnibus Bibliorum Translationibus respondet. Nam in Hebraica Translatione Sancti Hieronymi hæc ad verbum leguntur: *Nos quoquè oramus, ut Servis Dei Patris tui dimittas iniquitatem hanc*. In Chaldaicâ Interpretatione hæc itèm ad verbum leguntur: *Et nunc dimitte, obsecro delicta Servorum Dei Patris tui*. In Translatio-

slatione autèm Græcâ septuaginta Interpretum juxtà latinam Interpretationem hæc item ad verbum leguntur : *Et nunc suscipe iniquitatem Servorum Dei Patris tui.* In tribus hisce Translationibus extat Servorum pluralis numeri : ab ipsius enim Josephi fratribus, qui eum vendiderunt, & occidere quoque voluerunt, facta fuit obsecratio post mortem Jacobi Patris eorum. Fecerunt autèm ipsam obsecrationem, timentes punitionem faciendam à Joseph de suâ venditione in Ægyptum factâ, & de molestiis, quas intulerunt ei nolentes pacificè loqui, & occidere ipsum volentes, quandò in Cisternâ fratrem Joseph locaverunt.

LIBER EXODUS

HEBRAICE'

VELLE SEMOTH.

Exodi cap. 1. num. 6.

QUO MORTUO (*idest Joseph*) ET UNIVERSIS FRATRIBUS EJUS, OMNIQUE COGNATIONE ILLA, FILII ISRAEL CREVERUNT.

ANteà legebatur, *Cognatione suâ*; sed congruentiùs legitur, *Cognatione illâ*, juxtà Græcam septuaginta Interpretum, & Chaldaicam Translationem, & interpretationem, in qua legitur : *Mortuus est Joseph, & omnes Fratres ejus, & omnis generatio illa*; scilicèt, Joseph. Ità etiam legitur in aliquot manuscriptis Bibliis, hoc est, *Cognatione illâ*, non *Cognatione suâ*. Nam hoc in loco congruentiùs legitur pronomen demonstrativum *illa*, quàm possessivum, *sua*, respondens parti clausulæ priori, in qua legitur *universis Fratribus ejus*. Hinc Thomas de Vio Cajetanus in hoc loco legit : *omnique Cognatione ejus*.

Num. 18. *Quibus ad se accersitis Rex ait*. Lectio hæc congruentior videtur, quàm illa, quæ ità legebatur, *Quibus accersitis ad se Rex ait*. In aliquot etiam Codicibus Bibliorum manuscriptis legitur : *Quibus ad se accersitis, &c.*

Exodi cap. 2. num. 14.

QUIS TE CONSTITUIT PRINCIPEM, &c.

HUic lectioni respondent Translatio septuaginta Interpretum, & Chaldaica, necnon Biblia manuscripta.

Num. 22. *Deus enim Patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis*. Conjunctio, *&*, sublata est è medio, legebatur enim, *& eripuit de manu Pharaonis*. Hæc enim conjunctio, sivè Copula hoc in loco superflua censetur.

Exodi cap. 2. num. 25.

ET RESPEXIT DOMINUS FILIOS ISRAEL, ET COGNOVIT EOS.

ANnteà legebatur : *Et liberavit eos*. Nunc autem juxtà Hebraicum Textum, & aliquot manuscriptos Codices legitur : *Et cognovit eos*; idest, *Dominus respexit Filios Israel oculo misericordiæ, & cognovit eos*, hoc est, ad modum cognoscentis se habuit, ostendendo dilectionem circà eos, quia ipsos à servitute Ægypti liberavit, mortuo Pharaone. In Translatione septuaginta Interpretum juxtà Græcum Textum legitur : *Et respexit Deus Filios Israel, & cognovit eos*. Hanc itaque lectionem Hebraico, & Græco Textui respondentem Congregatio admittendam censuit.

Exodi cap. 3. num. 6.

EGO SUM DEUS PATRIS TUI. DEUS ABRAHAM, DEUS ISAAC, ET DEUS JACOB.

LEgebatur olim, *& Deus Isaac*; nunc autem conjunctio, *&*, tamquàm superflua è medio sublata est, juxtà Sancti Hieronymi, & Chaldaicam Translationem. Ita etiam legitur num. 15. & 16., & cap. 4. num. 5.

Num. 14. *Dixit Deus ad Moysen*: Ità nunc legitur, & rectè quidèm, juxtà Sancti Hieronymi Translationem, cui respondet etiam Chaldaica Translatio. In Hebraico nàmque Textu legitur *Elohim*, idest *Deus*, vel, *Dii*, non *Adonai*, hoc est *Dominus*, ut legitur in Translatione septuaginta Interpretum. Pro hac lectione vide infrà in primâ primi Capitis Geneseos emendatione, in qua diffusè locuti sumus. Eadem quoque lectio extat in hoc eodem Capite num. 15.

Num. 15. *Et hoc memoriale meum in generationem, & generationem*. Utrumque generationis nomen hoc in loco positum in accusandi casu congruentiùs legendum esse judicatum fuit ad nominis Dei æternitatem indicandam. Primum namque in sexto casu, alterum verò in quarto locatum, ut anteà legebatur, non ità congruentèr, ac propriè dictam æternitatem repræsentare poterat. Eadem lectio debet esse in Psalmo 71. num. 5. In Ps. 118. num. 90., & in Psal. 134. nu. 13. ità legitur : *In generationem, & generationem*. In Hebraico Textu legitur : *Et hoc memoriale meum in generationem*. Ad indicandam æternitatem legitur in quibusdam Bibliis, *in generatione generationum*.

Num. 20. *Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum, &c.* Anteà legebatur : *Extendamque manum meam, &c.* Nunc autèm, & rectiùs quidèm legitur : *Extendam enim*, ut eorum, quæ nuper à Deo dicta erant, ratio, vel causa reddatur. Dixerat namque Deus : *Sed ego scio, quòd non dimittet vos Rex Ægypti, ut eatis, nisi per manum validam*. Propterea legendum censetur, *Extendam enim*. Ita etiam legitur in Codicibus Bibliorum manuscriptis. Per conjunctionem nam-

namque causalem illam, *enim*, redditur causa *dimissionis*, & declaratur, quænam sit manus valida, per quam Hebræi ab Ægyptiacâ servitute liberandi erant. Ideò dixit Deus, *Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum, post hæc dimittet vos*, &c. Ideſt, factis omnibus punitionibus meis, dimittet vos, non gratis, sed violenter, per manum, scilicèt, validam. Idcircò nunc ad multas punitiones indicandas legitur, *post hæc*; anteà enim legebatur, *post hoc*; Conjunctio igitur causalis tamquàm congruentior, quàm coniunctio subjunctiua, judicata fuit in hunc locum reponenda.

Exodi cap. 4. num. 4.

EXTENDIT, ET TENUIT, VERSAQUE EST IN VIRGAM,

ITà legitur in Hebraicâ Sancti Hieronymi Translatione, atquè in Chaldaicâ, cui respondere videtur Translatio septuaginta Interpretum, in qua legitur: *& facta est virga in manu suâ*. In Bibliis itèm manuscriptis legitur: *versaque est in virgam*. Anteà enim in Editione Bibliorum vulgatâ impressâ legebatur: *reversaque est in virgam*, &c. Nunc verò, *versaque est in virgam*. Moyses namquè virgam, quam manu suâ tenebat, Dei jussu in Terram projecit; eaque statim versa est in Colubrum. Deindè jussu Dei apprehendit ipsius Colubri Caudam, quæ statu versa est in virgam. Ideò in Editione vulgatâ nunc legitur: *Extendit, & tenuit, versaque est in virgam*, Ità etiam legitur in Bibliis manuscriptis, & in Chaldaicâ Translatione legitur: *versaque est in virgam* in manu ejus,

Num. 5. Hujus generis miraculum factum fuit, ut miraculo ipso à Moyse Hebræis narrato, crederent Deum sibi apparuisse: Ideò infrà legitur, *Ut credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*. Anteà in Editione vulgatâ legebatur: *patrum tuorum*; Nunc autèm *patrum suorum*; & rectiùs quidèm juxtà Hæbraicam Sancti Hieronymi, & Græcam septuaginta Interpretum, atquè Chaldaicam Interpretationem, ut ostendatur Deus esse non solùm ipsius Moysis, verùm etiam omnium Hebræorum. Quoniàm verò Moyses loqui debebat Hebræis, eisque narrare signa, quæ Deus fecerat propterèà Deus dixit; *patrum suorum*, non *tuorum*; ut ipsi Hebræi, Deum Patrum suorum tibi apparuisse credant, Deum, scilicet, Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob. De tribus autem hisce speciatìm mentio fuit facta; quia isti fuerunt, à quibus Populi Dei electio incæpit.

Num. 14. *Ecce ipse*, (scilicèt, Aaron,) *egreditur in occursum tuum, videnſque te, lætabitur corde*. Quamvis in omnibus translationibus Bibliorum, necnon in Codicibus Bibliorum impressis, & manuscriptis legatur verbum futuri temporis, *egredietur*, Sacra tamen Congregatio Bibliorum verbum præsentis temporis, tamquàm congruentius reponendum censuit, vt Adverbium ipsum *ecce*, rem improvisam, subitamque, vel præsentem demonstrans, postulare videtur: Colligitur enim ex iis, quæ à Deo jam Moysi dicta fuerant, Deum Aaron revelasse, Moysen venturum, ipsumque Aaron moviſſe, ut iret in occursum ejus. Hinc ità congruentiùs legendum videtur: *Ecce ipse egredietur in occursum tuum, videnſque te lætabitur corde*.

Num. 16. *Ipse loquetur pro te ad Populum, & erit os tuum*. Ità legitur in Bibliis manuscriptis; In Bibliis autem impressis, & in Bibliorum Translationibus, tàm Sancti Hieronymi, quàm septuaginta Interpretum, necnon in Chaldaicâ Interpretatione, atquè Translatione, legitur, *Et ipse loquetur pro te ad Populum, & erit os tuum*. Nunc autèm in Editione vulgatâ ex Concilii Tridentini decreto emendatâ, & impressâ, conjunctio, *&*, posita primo loco, tamquàm superflua fuit ablata, & legitur: *Ipse loquetur* &c.

Num. 26. *Sponsus Sanguinum tu mihi es*. Hæc dixerat Sephora Marito suo Moysi, postquàm ipsa circumcidit filium suum; quasi dixerit: *Tu es Maritus meus acquisitus per sanguinem, quia nisi circumcidissem filium meum, Angelus Dei te occidisset*. Ergò per sanguinem filii mei liberatus es, & quasi novitèr nunc te in virum acquisivi. Ex his colligimus, cur Sephora marito suo Moysi dixerit: *Sponsus Sanguinum tu mihi es*. Sephora enim, postquàm circumcidit filium suum, ne Moyses ab Angelo Dei occideretur, tetigit Moysis pedes, dicens: *Sponsus Sanguinum tu mihi es*. Hinc sequitur Textus in hæc verba. *Et dimisit eum, postquàm dixerat; Sponsus Sanguinum ob circumcisionem*. In hisce verbis repetitis, vel iterùm prolatis, hoc est, *Sponsus Sanguinum*, illa etiam verba, *Tu mihi es* secundo loco repetita legebantur; nunc autem è medio sublata sunt, & hunc in modum leguntur; *Sponsus Sanguinum ob circumcisionem*. Quæ sanè lectio Bibliis manuscriptis respondet. In Chaldaicâ Interpretatione, atquè Translatione, & septuaginta Interpretum verba illa secundo loco repetita, *Tu mihi es*, non leguntur. Nam in septuaginta Interpretum Translatione verba hæc tantùm leguntur, *Stetit Sanguis circumcisionis filii mei*. In Chaldaicâ verò interpretatione ità legitur, *Propter Sanguinem circumcisionis detur mihi Sponsus meus*. Et cum dimisisset eum, tunc dixit, nisi propter Sanguinem Circumcisionis hujus, condemnatus erat ad mortem Sponsus meus. Quòd autem illa verba, *& dimisit eum*, non ad Sephoram, vel ad aliam personam, sed ad Angelum referantur, constat ex Translatione septuaginta Interpretum, vbi de Sephora uxore Moysi hæc leguntur; *Occurrit illi Angelus Domini; quærebat interficere illum*, hoc est Moysen, *& accipiens Sephora petram, circumcidit præputium filii sui, & procidit ad pedes suos, & dixit: Stetit Sanguis Circumcisionis filii mei, & ab eo* (scilicèt Moyse) *abiit Angelus; quoniàm dixit: Stetit Sanguis circumcisionis*

ſonis filii mei. Hæc in ipsâ Translatione ſeptuaginta Interpretum. Verba autèm illa, *dimiſit eum*, & *abiit ab eo* eundem ſenſum habent: Nam poſtquàm Sephora Uxor Moyſi circumcidit filium ſuum, ac tetigit pedes Moyſi dicens: Sponſus, Sponſus ſanguinum. Angelus Domini ceſſavit torquere Moyſen, & ab eo receſſit. Propterea legitur, *& dimiſit eum*; vel *abiit ab eo*. In his verbis explicandis Alphonſus Toſtatus quæſtionem ſatis longam ſcriptam reliquit, opinionibus diverſis enarratis, ut in capite quarto Exodi videre licet.

Alphonſus Toſtatus c. 4.

Num. 28. *Narravitque Moyſes Aaron omnia verba Domini, quibus miſerat eum, &c.* Quamvis in Chaldaicâ Interpretatione, & Sancti Hieronymi Translatione legatur, *pro quibus miſerat eum &c.* In Hebraico tamèn Textu propoſitio illa, *pro*, non extat, nèc etiàm in aliquot Bibliis manuſcriptis, nèc itèm in Græcâ Translatione ſeptuaginta Interpretum cum Interpretatione Latinâ, in qua ità legitur: *Narravit Moyſes Aaron omnes Sermones, quos miſit ad eum*. Propterea in Editione Bibliorum emendatâ, propoſitio illa, *pro*, è medio ſublata fuit. Nunc itaquè legitur: *Narravitque Moyſes Aaron omnia verba Domini, quibus miſerat eum, &c.* hoc eſt, omnia, ad quæ narranda miſerat eum Dominus.

Exodi cap. 5. num. 14.

QUARE NON IMPLETIS MENSURAM LATERUM SICUT PRIUS, NEC HERI, NEC HODIE?

QUamvis in Translatione Sancti Hieronymi, & ſeptuaginta Interpretum, necnon in Chaldaicâ Translatione legatur, *impleſtis*, vel *compleſtis*, & *compleviſtis*, in Editione tamèn vulgatâ poſtremò emendatâ, & impreſsâ verbum illud præteriti temporis in præſens translatum fuit juxtà Biblia manuſcripta, in quibus legitur, *impleſtis*. Hæc enim lectio congruentior cenſetur ob particulam illam, *prius*, quæ refertur ad præteritum tempus, in quo impleverant Hebræi laterum menſuram. Quæ ſanè lectio hunc habet ſenſum: *Quarè nunc non impletis menſuram laterum, ſicut prius impleſtis, vel impleviſtis?* Hebræi namquè in Ægypto Pharaonicâ ſervitute coacti paleas commiſcebant cum luto, ut cocti deindè lateres fortiores forent; Ex talibus enim fiebant ædificia in Ægypto; quia, ut ait Lyranus, lapides ibi rari eſſe dicuntur.

Nicol. Lyran. in c. 5. Exodi.

Num. 19. *Videbantque ſe Præpoſiti filiorum, Iſrael in malo*. Anteà in Editione vulgatâ minus rectè legebatur: *in malum*; nunc autèm congruentiùs legitur: *in malo*. Hebræi namquè nonnulli, qui alios Hebræos invitabant ad opera facienda, & Præpoſiti filiorum Iſrael dicebantur, videbant Pharaonicâ crudelitate ſe undiquè vexatos; Ideò in ipſo Exodi Textu legitur: *videbantque ſe Præpoſiti filiorum Iſrael in malo*, vel *in malis*, ut in Græcâ ſeptuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione Latinâ; necnon in aliquot Bibliis manuſcriptis legitur, & rectè quidèm.

Num. 20. *Occurreruntque Moyſi, & Aaron, qui ſtabant ex adverſo, egredientibus à Pharaone, &c.* Priùs in Editione vulgatâ antè emendationem poſtremò præſtitam legebatur, *egredientes*; nunc verò, *egredientibus*; ut participium illud in caſu dativo locatum, non ad Præpoſitos illos, qui Hebræos ad opera facienda invitabant, ut ſuperiùs dictum eſt; ſed ad Moyſen, & Aaron referatur juxtà Græcam ſeptuaginta Interpretum Translationem cum Interpretatione Latinâ, quamvis alteri opinioni nonnulli adhærere videantur.

Alphonſ. Toſtat. in cap. 5. Exodi.

Exodi cap. 6. num. 1.

NUNC VIDEBIS, QUÆ FACTURUS SIM PHARAONI.

ANteà legebatur, *quæ facturus ſum*, nunc verò, & magis quidèm congruentèr legitur, *quæ facturus ſim*.

Num. 8. *Et ſcietis, quòd ego ſum Dominus Deus veſter, qui eduxerim vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & induxerim in Terram &c.* In Editione vulgatâ Bibliorum, antequàm emendata fuiſſet, legebatur, *eduxerim vos, & induxerim vos*; nunc verò particula illa, *vos*, ſecundo locò repetita, tamquàm omninò ſuperflua è medio ſublata cernitur juxtà lectionem Bibliorum manuſcriptorum, in quibus nonniſi in primo loco legitur. Ibidèm legebatur: *daboque illam poſſidendam vobis, &c.* nunc verò congruentiùs legitur: *daboquè illam vobis poſſidendam*. Quæ ſanè lectio Bibliis reſpondet manuſcriptis, in quibus legitur, *daboquè illam vobis poſſidendam*, necnon, *daboque vobis illam poſſidendam*. Nam in aliquot Codicibus legitur particula illa, *vos*, antè pronomen; in aliquot verò poſt pronomen, & nullibi legitur poſt participium illud *poſſidendam*.

Num. 21. 22. *Filii quoquè Iſaar. Core, & Hepheg, & Zechri Filii quoquè Oziel: Miſael, & Eliſaphan, & Sethri*. In 21. num. legi debet: *Zechri*; in 22. num. non *Zethri*, ſed *Sethri*, legendum eſt. Huic enim lectioni reſpondet Chaldaica Interpretatio cum Franciſci Vatabli, & Iſidori Clarii, aliorumque Translationibus. Idem legitur in Bibliis manuſcriptis; priùs enim in ſecundo loco legebatur: *Zethri*, ut ex aliquot Bibliorum Editionibus conſtat. In Translatione Sancti Hieronymi legitur, *Sechri*: Nunc autèm in Editione Bibliorum reformatâ legitur: *Sethri*.

Num. 29. *Omnia, quæ ego loquor tibi*: In Editione Bibliorum vulgatâ pronomen primæ perſonæ, *ego*, non extabat; nunc autèm juxtà Hebraicum Textum, & Græcam ſeptuaginta Interpretum Translationem, & Chaldaicam Interpretationem appoſitum fuit. Huic etiàm lectioni reſpondent aliæ Translationes, præſertim verò Translatio Iſidori Clarii, necnon vetus Franciſci Vatabli Translatio.

Exo-

Exodi cap.7. num.9.

TOLLE VIRGAM TUAM, ET PROIICE CORAM PHARAONE, AC VERTETUR IN COLUBRUM.

MInus rectè in Editione vulgatâ priùs legebatur præsens Imperativi, *vertatur*; nunc, autèm, & rectè quidèm legitur, futurum Indicativi, *vertetur*, juxtà Græcam septuaginta Interpretum Translationem, & Chaldaicam Interpretationem: Et huic lectioni respondet Isidori Clarii Translatio. Deus enim hisce in verbis Moysi, & Aaron dictis, non præcepit, ut virga vertatur in colubrum, sed quod ex projectâ virgâ futurum erat prædixit; hoc est, *Virga projecta coràm Pharaone vertetur in colubrum*.

Exodi cap.8. num.2.

DIMITTE POPULUM MEUM ISRAEL, UT SACRIFICET MIHI. SIN AUTEM NOLUERIS DIMITTERE, ECCE EGO PERCUTIAM OMNES TERMINOS TUOS RANIS.

HÆc sunt verba, quæ jussu Dei dicenda erant Pharaoni. In Editione Bibliorum vulgatâ legebatur: *si autèm*; Ità etiàm legitur in cunctis Translationibus. Nunc verò in Editione Bibliorum emendatâ juxtà Biblia manuscripta legitur, *sin autèm*. Quamvis autèm particula illa, *sin*, ex, *si*, &, *ne*, composita, abjecto, *è*, significet *si verò*; & nonnisi præcedat, *si*; & in secundâ parte collocari soleat, vbi duorum est oppositio; Cicero tamèn diversis in locis usus est particulâ illâ, *sin*, non præcedente, *si*; & ea quoquè cum particulâ, *autèm*, præcedente, *si*, usus est, dicens: *sin autèm*.

Num. 16. 17. 18. *Extende Virgam tuam, & percute pulverem terræ, & sint Sciniphes in universa Terra Ægypti*, Quamvis in Hebraicâ Sancti Hieronymi, & Græcâ septuaginta Interpretum Translatione, cum Interpretatione Latinâ, necnon in Chaldaicâ Interpretatione, & in Translationibus aliorum Authorum legatur, *Cinifes*, dictis in locis Exodi; & ab Origène legatur, *Scinipes*; Congregatio tamèn in Emendatione Bibliorum hanc vocem, *Sciniphes*, ponendam esse censuit. Huic lectióni respondent multa Biblia manuscripta. Quid autèm per *Sciniphes*, vel ut alii dicunt, *Scyniphes*, intelligendum sit, non satis constat. Hebræi namque, & Josephus pediculos esse dixerunt: Origenes autèm in Homilia quartâ, dum hujus generis animalis nomen interpretatur, ità inquit: *Hoc Animal pennis suspenditur per aera volitans, sed ità subtile est, & minutum, ut oculi visum, nisi acutè cernentis, effugiat: Corpus tamèn, cùm insederit, acerrimo terebrat stimulo, itàut, quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem*. Hæc ibì Origenes. Alphonsus etiàm Tostatus dictum Exodi locum explicans ait: *Vocantur autèm Cyniphes muscæ minutissimæ, itàut visum cernentis effugiant, quæ acutissimis stimulis carnem terebrant, atquè cruciant*. Hæc Tostatus. De hac itèm muscâ nonnulli hæc ajunt. *Cynips, Cyniphis vox Græca, musca minutissima est, longis cruribus, in capite habens rostrum, quo cutem, vel carnem, sivè pellem Hominis, & aliorum animalium perforat, sivè perterebrat, idest ab vno latere ad alterum forat: à Latinis autèm* canina musca *vocitatur*. Ex his verbis colligo Scyniphem esse vermiculum illum parvum, & alatum, qui ab Italis, *Zenzala*, vulgò vocitatur; de cujus naturâ loquitur Plinius in libro de Historiâ naturali.

Pediculi.

Origenes homil. 4. circà med.

Alphonsus Tostatus in Exodi cap. 8.

Dictionarijũ linguarũ undecim, & alterum antiquius.

Plin. lib. 11. cap. 2. naturalis hist.

Num. 26. *Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*: Hæc sine Interrogatione legenda esse censuit Congregatio in emendatione Bibliorum, juxtà Hebraicam Sancti Hieronymi, & Græcam septuaginta Interpretum cum Interpretatione Latinâ, Translationem itèm, & Chaldaicam Interpretationem; necnon juxtà veterem Francisci Vatabli Translationem, & Biblia manuscripta.

Exodi cap.9. num.3.

BOVES, ET OVES, *num.4.* NIHIL OMNINÒ PEREAT.

ITa legitur in multis manuscriptis Bibliis: Et ita Congregatio legendum esse censuit, quamvis in Translationibus legatur, *Oves, & Boves*, &, *nil omninò*.

Num. 27. *Peccavi etiàm nunc: Dominus justus: Ego & Populus meus impii*. Priùs legebatur: *Et ego, & Populus meus Impii*. Hunc prior conjunctio illa, &, è medio sublata cernitur, & rectè quidèm, quia sensus hoc in loco non debet esse conjunctivus, sed disjunctivus, vel potiùs adversativus inter justum, & Impios. Ideò ad hunc sensum magis explicandum conjunctio illa, &, primo loco posita, fuit ablata. Huic enim lectioni satis bellè respondet Græca septuaginta Interpretum Translatio cum Interpretatione Latinâ per particulam illam discretivam, sivè adversativam, *autèm*; in hanc verborum formam: *Dominus justus; Ego autèm, & Populus meus Impii*. Biblia itèm manuscripta carent illâ conjunctione dicto in loco.

Exodi cap.10. num.5.

ECCE EGO INDUCAM CRAS LOCUSTAM IN FINES TUOS: QUÆ OPERIAT SUPERFICIEM TERRÆ, &c.

PRiùs legebatur, *operiet*, nunc verò, *operiat*: & ità legitur in aliquot Bibliis manuscriptis.

Num. 12. *Ut ascendat supèr eam*. Priùs legebatur: *Ut ascendat supèr Terram*; nunc autèm, nominis loco legitur pronomen relativum, hoc est, *ut ascendat supèr eam*; & quidèm rectè, ne superflua ejusdem nominis repeti-

petitio tàm propè fiat. Ità etiam legitur in aliquot Bibliis manuscriptis, & in Commentariis aliquot Scriptorum.

Num. 15. *Nihilque omninò virens relictum est in lignis, & in herbis terræ in cuncta Ægypto.* Ita etiam legitur in aliquot Bibliis manuscriptis, & in Chaldaicâ Interpretatione: priùs enim legebatur: *nihil quoquè omninò*; sed hæc lectio, *nihilque omninò*, congruentior censetur per particulam illam, *que*, copulatiuam, sivè conjunctivam; nam particula, *quoquè*, hoc in loco ad rem non facit; & in Vatabli novâ Translatione non legitur.

Num. 18. *Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, & oravit Dominum.* Nunc autèm, legitur sinè verbo *est*, ac sinè copulâ *&*; Quæ sanè lectio in aliquot Bibliis extat manuscriptis, & congruentior judicata fuit in Sacrâ Bibliorum Congregatione.

Exodi cap. 11. num. 4.

MEDIA NOCTE EGREDIAR IN ÆGYPTUM, &c.

HÆc in multis Bibliis manuscriptis extat lectio, & melior censetur: priùs enim legebatur, *ingrediar*; nunc verò, *egrediar*, ideſt, exibo Ægyptum versùs: Et hoc verbum *exibo* extat in veteri Translatione Vatabli. In Translatione verò Isidori Clarii legitur, *egrediar*. In Hebraico Textu, *egredior*.

Num. 10. *Moyses autèm, & Aaron fecerunt omnia ostenta, quæ scripta sunt, &c.* Priùs legebatur, *omnia signa, & ostenta*; sed Congregatio Bibliorum abstulit, *signa*, & tamquàm superflua; quia ista lectio non extat in Hebraico Textu, nec in Græco, juxtà septuaginta Interpretum Translationem, nec in Chaldaicâ Interpretatione, nec etiam in aliquot Bibliis manuscriptis.

Exodi cap. 12. num. 4.

QUI JUNCTUS EST DOMUI SUÆ.

PRiùs legebatur, *conjunctus*, nunc autèm, *junctus*; Et ità legitur in aliquot Bibliis manuscriptis; & ità Congregatio Bibliorum legendum censuit.

Num. 9. *Sed tantùm assum igni.* Priùs legebatur, *sed assum tantùm igni*, nunc verò, *sed tantùm assum igni*. Et ità legitur in aliquot Bibliis manuscriptis.

Num. 15. *Quicumquè comederit fermentatum*, & ità legitur in aliquot Bibliis manuscriptis. Anteà legebatur; *Quicumquè comederit fermentum*; sed quidèm non rectè: quia non comeditur fermentum, sed panis ex farinâ cum fermento factus, qui fermentatus dicitur.

Num. 19. *Septem diebus Fermentum non invenietur in domibus vestris*, hoc in loco *fermentum*, non *fermentatum* legi debet. Anteà enim *fermentatum* pro *fermento* legebatur; nunc autèm fermentum, & rectè quidèm, sicut etiam legitur in aliquot Bibliis manuscriptis, atquè in Chaldaicâ Interpretatione, necnon in Textu Hebraico, & Græco. Utrumque verò errorem, hoc est, fermentum pro fermentato, & fermentatum pro fermento, Librariorum, ac Typographorum in curiâ factum esse reor.

Num. 35. *Fecerunt que Filii Israel, sicut præceperat Moyses.* Anteà legebatur: *Sicut præceperat Dominus Moysi.* Nunc autem, *sicut præceperat Moyses.* Huic lectioni respondent Græca septuaginta Interpretum Translatio cum Interpretatione Latinâ, necnon Textus Hebraicus, & Chaldaica Interpretatio cum aliquot Bibliis manuscriptis, in quibus legitur: *Filii Israel fecerunt, sicut præceperat eis Moyses.*

Num. 37. *Sexcenta ferè millia peditum virorum absque parvulis.* Anteà in Editione Bibliorum vulgatâ, & impressâ legebatur: *absque parvulis, & mulieribus.* Nunc autèm vox illa, *mulieribus*, cum particulâ conjunctivâ, *&*, tamquàm superflua è medio ablata est juxtà Hebraicam, Græcam, & Chaldaicam lectionem, necnon quatuordecim Bibliorum manuscriptorum. Huic etiam lectioni respondet Isidori Clarii Translatio.

Num. 39. *Neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis.* Verbum in singulari numero ità legebatur: *Neque enim poterat fermentari*, hoc est farina jam cocta ex Ægypto asportata; nunc autem verbum refertur ad subcinericios panes azymos, hoc est, ad panes sine fermento factos, & sub cinere, & ità legitur rectè: *Neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis.* Ità legitur in Hebraico Textu, & in Translatione Sancti Hieronymi, necnon in aliquot Bibliis manuscriptis.

Exodi cap. 13. num. 5.

CELEBRABIS HUNC MOREM SACRORUM MENSE ISTO.

VErbum in plurali numero anteà legebatur, nunc verò in singulari, juxtà Hebraicum, & Chaldaicum Textum, septuagintaque Interpretum Translationem cum Interpretatione Latinâ, & Sancti Hieronymi Translatione, ut in Bibliis Regiis, & Complutensibus videre licet, in quibus verbum in singulari legitur numero; hoc enim in loco Deus loquitur Moysi dicens: *Celebrabis hunc in morem*; deindè statim sequitur: *Vescieris azymis.* Huic lectioni rectè respondet Vatabli nova Translatio, atquè item Isidori Clarij, cum decem Bibliis manuscriptis.

Num. 7. *Azyma comedetis septem diebus.* Quamvis superiùs verbum in singulari legatur numero, nunc tamèn eâdem repetitâ sententiâ verbum in plurali numero legendum censuit Congregatio, sicut in omnibus locis nuper in medium allatis legitur, ut ad universitatem Hebræorum dicta sententia, apertiùs referatur.

Num. 16. *Erit igitur quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid, ob recordatio-*

nem, inter oculos tuos. Anteà legebatur, *antè oculos tuos*; nunc verò, & quidèm significantiùs, *inter oculos tuos*, quasi dicatur: *inter utrumque oculum tuum*. Hæc lectio, *inter oculos tuos*, in Chaldaicâ extat Interpretatione, ut in Bibliis Regiis, & Complutensibus videre licet. Hæc eadem lectio in Rabani Mauri Commentariis, & in septem Bibliis manuscriptis reperitur.

Rabanus in Exodum.

Num. 17. *Non eos duxit Deus per viam Terræ Philisthym, &c. Deus*, non *Dominus*, hoc in loco legi debet: Ità enim legitur in Hebraico Textu, & in Translatione Sancti Hieronymi; necnon in Chaldaicâ Translatione cum Interpretatione Latinâ, ut in Bibliis Regiis, & Complutensibus videre licet. In Bibliis itèm aliquot manuscriptis eadem extat lectio.

Exodi cap. 14. *num.* 5.

IMMUTATUM EST COR PHARAONIS, ET SERVORUM EJUS SUPER POPULO.

PRiùs legebatur, *super Populum*; nunc autem super Populo; Et ità legitur in aliquot Bibliis manuscriptis.

Num. 19. *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos.* Priùs legebatur, *Angelus Domini*; nunc verò *Angelus Dei*, juxtà Hebraicum Textum, & Sancti Hieronymi Translationem, Græcamque septuaginta Interpretum Translationem, cum Interpretatione Latinâ, ut in Bibliis Regiis, & Complutensibus videre est. Et huic lectioni aliquot Biblia manuscripta respondent.

Exodi cap. 15. *num.* 7.

ET IN MULTITUDINE GLORIÆ TUÆ DEPOSUISTI ADVERSARIOS TUOS.

ANteà legebatur, *Adversarios meos*; nunc autem, *Adversarios tuos*, juxtà Hebraicum Textum, necnon Sancti Hieronymi, & Isidori Clarii Translationem.

Num. 26. *Ego enim Dominus sanator tuus*, Anteà legebatur: *Ego enim sum Dominus, Dominus Deus sanator tuus*. Sed in Hebraico Textu, *sum*, &, *Deus*, non extant; & lectioni primo loco positæ satis rectè respondet Chaldaica Interpretatio, quæ ità legitur; *Quia ego Dominus medicus sum*; necnon Græca septuaginta Interpretum Translatio cum Interpretatione Latinâ, quæ ità legitur: *Ego enim sum Dominus sanans te.* Biblia itèm aliqua manuscripta lectioni primo loco positæ omninò respondent.

Exodi cap. 16. *num.* 3.

CUR EDUXISTI NOS IN DESERTUM ISTUD, &c.

PRiùs legebatur, *induxistis*; Nunc autem, *eduxistis*; juxtà Chaldaicam Translationem, & Interpretationem, atquè Græcam septuaginta Interpretum Translationem, cum Interpretatione Latinâ in Bibliis Regiis, & Complutensibus, necnon in novâ Translatione Vatabli.

Exodi cap. 18. *num.* 12.

OBTULIT ERGÒ JETHRO COGNATUS MOYSI HOLOCAUSTA, ET HOSTIAS DEO.

ANteà hoc in loco legebatur, *Domino*, nunc autèm, *Deo*, & rectè quidèm juxtà Hebraicum Textum, & Sancti Hieronymi Translationem cum Interpretatione Latinâ, ut in Bibliis Regiis, & Complutensibus videre licet. Huic item lectioni aliquot Biblia manuscripta respondent.

Num. 19. *Et erit Deus tecum.* Idem iisdem rationibus hoc in loco factum est. Priùs enim legebatur: *Et erit Dominus tecum* nunc verò, *& erit Deus tecum.*

Num. 21. *Provide autèm de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, &c.* Priùs in editione vulgatâ legebatur: Viros sapientes; nunc verò, *viros potentes*, & rectiùs quidèm, ut infrà explicabitur. Hanc lectionem apponendam censuit Congregatio Bibliorum juxtà Hebraicum Textum, & Sancti Hieronymi Translationem, Græcamque septuaginta Interpretum Translationem cum Interpretatione Latinâ. Huic itèm lectioni quantùm ad sensum respondet Chaldaica Interpretatio, quæ ità legitur: *Tu autem videbis ex omni Populo viros virtutis, timentes Deum.* Nam per viros virtutis, viri potentes intelliguntur. Sicut enim virtus, ut ajunt, dicitur à viro, qui etiam à vi, hoc est, viribus, & robore præstans nominatur; ità etiam fit, ut sæpè, ac peculiaritèr virtus pro præstantiâ, & pro robore animi, ac fortitudine accipiatur, ut eruditi omnes affirmant. Per viros itaquè virtutis intelligendi sunt viri potentes, animi robore, ac fortitudine præstantes. Adde etiam, quòd hanc lectionem, hoc est viros potentes, habent Biblia manuscripta viginti. Hinc factum est, ut loco virorum sapientum, viros potentes legamus, & rectiùs quidèm, ut superiùs dictum est: quia dicti viri fortes, vel potentes eligendi erant ad judicandum Populum omni tempore, ut in eodem Scripturæ Sacræ loco legitur. Quoniàm verò in benè judicando, non solùm doctrina, vel Iuris peritia, & judiciaria cognitio, bonaque voluntas præintellectæ requiruntur, sed animi etiam constantia, & fortitudo, ità scilicèt, ut sint Judices animo fortes, ac potentes, hoc est, rectè judicare, sententiamque propter magnam aliquam personam executioni mandare non formidantes: Hoc enim nonnunquàm deficere apertè ostenditur in Judicibus, qui quamvis jura recte cognoscant, rectamque benè judicandi voluntatem habeant, quatenùs formidolosi, propter magnas personas rectè judicare non audent. Idcircò Judices; viri potentes, idest fortes animo, malam, scilicèt, formidinem

non

non habentes, Deumque timentes, evaritiamque odio habentes eligendi sunt, ut in dicto Sacræ Scripturæ loco mandatur.

Exodi cap.19. num.13.

MANUS NON TANGET EUM.

VErbum plurale, *tangent*, in singulare mutatum est, juxtà Hebraicum Textum; & Chaldaicam Translationem cum Interpretatione Latinâ, necnon juxtà Græcam septuaginta Interpretum Translationem cum Interpretatione item Latinâ. Huic etiam lectioni Biblia manuscripta novem respondent, cum Rabani, Vatabli, & Isidori Clarii lectione.

Num. 18. *Eò quòd descendisset Dominus super in igne*. Priùs legebatur, *Dominus Deus*, nunc autem, *Dominus*, tantùm juxtà Hebraicum Textum, & Chaldaicam Translationem cum Interpretatione Latinâ. Ità etiàm legitur in Bibliis aliquot manuscriptis, necnon in Bibliis Vatabli, & Isidori Clarii.

Exodi cap.20. num.25.

SI ENIM LEVAVERIS CULTRUM SUPER EO POLLUETUR.

SUper *eo* non, *super eum*, legi debet: & ità Sacra Congregatio Bibliorum legendum censuit; nam pronomen illud *eo*, ad Altare lapideum refertur, non ad lapidem, nec ad lapides in plurali numero, ut in septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione Latinâ videtur, ubi *eos*, non, *eo*, legitur. Pronomen itaquè in singulari numero, & in sexto casu legendum censetur. Huic lectioni respondet Hebraica, & Chaldaica lectio, cum Sancti Hieronymi Translatione, & cum Bibliis manuscriptis. Adde etiam, quòd in Alphonso Tostato, & in Catenâ Lippomani in Exodum, semper legitur *eo* non *eos*, vel *illos*.

Exodi cap.21. num.15. 16. 17.

VErsuum ordo in hisce numeris mutatus cernitur hunc in modum: Num.15. *Qui percusserit Patrem suum, aut Matrem morte moriatur*. Num. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur*. Num.17. *Qui maledixerit Patri suo, vel Matri, morte moriatur*. Quantùm autem ad ordinem, præsertim versuum, alitèr legitur in Græcâ septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione Latinâ; & alitèr legitur in Hebraicâ, & Chaldaicâ Linguâ. Septuaginta namque Interpretes post percussionem Parentum, ponunt eorundem maledictionem cum pœnâ. Hebræi verò, & Chaldæi post percussionem Parentum legunt hunc versiculum: *Qui furatus fuerit hominem &c.* Tertiò deindè loco legunt: *Qui maledixerit Patri, aut Matri, morte moriatur.* Idem quoquè versiculorum ordo legitur in Translatione Sancti Hieronymi, & in aliquot Bibliis manuscriptis. Propterèa Sacra Bibliorum Congregatio eundem versiculorum ordinem in Bibliis servandum esse censuit.

Num.36. *Sin autem sciebat, quòd Bos cornupeta esset, &c. Sin autem* pro *si autem*. Explicationem hujus rei vide superiùs in cap.8. num. 2. ubi dicta locutio explicatur. Eadem locutio in hoc eodem cap. 21. num. 9. & 13. invenitur in Bibliis omnibus impressis, & manuscriptis antè ipsàm emendationem postremò præstitam.

Exodi cap. 22. num. 6.

SI EGRESSUS IGNIS INVENERIT SPINAS, &c.

IN Editione Bibliorum vulgatâ olìm impressâ legebatur, *Spicas*; nunc autèm in Bibliis emendatis, legitur, *Spinas*, & rectè quidèm juxtà Hebraicum Textum, & Chaldaicum, necnon juxtà Græcam septuaginta Interpretum Translationem cum Interpretatione Latina, & ità etiam legitur in Translatione Sancti Hieronymi, ut in Bibliis Regiis, & Complutensibus videre licet. Ita quoque legitur in Rabano, necnon in Bibliis Vatabli, & Isidori Clarii, ac etiam in aliquot Bibliis manuscriptis.

Exodi cap. 23. num. 18.

NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO SANGUINEM VICTIMÆ MEÆ.

ANteà in Editione Bibliorum vulgatâ legebatur, *victimæ tuæ*; nunc verò, *victimæ meæ*, quia in Hebraico Textu, & in Chaldaicâ Translatione, atque Interpretatione Latinâ, necnon in Græcâ septuaginta Interpretum Translatione, cum Interpretatione Latinâ; & in Bibliis decem manuscriptis legitur, *victimæ meæ*. Ità etiam legitur à Rabano, & ab Isidoro Clario. Quamvis autem nonnulli Interpretes legant, *Sacrificii mei*, pro, *victimæ meæ*. Idem tamen est sensus, *victimæ meæ* respondens: Est enim sermo de immolatione paschali, quæ in azymis, excluso omni fermento, & fermentato fiebat; & utraque lectio, tàm, *Sacrificii mei*, quàm, *victimæ meæ*, respondet pronomini primæ personæ, non secundæ, idest *tuæ*. Rectè igitur nunc legitur; *Non immolabis super fermento Sanguinem victimæ meæ*.

Num. 20. *Et introducat in locum, quem paravi*. Anteà legebatur, *præparavi*, nunc autem *paravi*; & ità legitur in Bibliis aliquot manuscriptis.

Exodi cap. 24. num. 5.

IMMOLAVERUNTQUE VICTIMAS PACIFICAS DOMINO VITULOS.

IN Editione Bibliorum vulgatâ ità olim legebatur: *Immolaveruntque victimas pacificas Domino vitulos duodecim*. Nunc verò

numerus duodenarius, vel duodecim è medio sublatus cernitur, & rectè quidèm: quia numerus ille, nec quivis alius numerus in Hebraico Textu dicti loci legitur; Sed *vitulos* tantùm. Ibi enim legitur Hebraica sola vox פָּרִים, ideſt, tauros, vitulos, aut Boves. Hinc septuaginta Interprètes ex Hebraico Textu ita in Græcam transtulerunt linguam. καὶ ἔθυσαν θυσίαν σωτηρίου τῷ Θεῷ μοσχαρία, hoc est, *Et sacrificaverunt victimam salutaris Deo, vitulos*. Chaldaica verò Interpretatio ità legitur: *Immolaveruntque victimas sanctificatas coràm Domino, Boves*. Translatio denique Sancti Hieronymi legitur in hanc verborum formam: *Immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos*. Ex omnibus hisce Translationibus, & Interpretationibus constat nullam vocem numeralem vitulis hoc in loco esse tribuendam. Adde etiam, quòd plures, quàm duodecim vitulis, ut Aloysius Lippomanus ait, esse potuerunt, ut Sacrificium Salomonis, & aliorum fuit, in quibus, ut ipse ait, *innumerabiles penè Hostiæ adhibebantur*. Huic item lectioni, à Sacrâ Bibliorum Congregatione emendatæ, adhæret etiam Rabanus, Isidorus Clarius, & Vatablus; clarumque esse censetur, hunc errorem fuisse Librariorum, qui in Bibliis describendis vocem illam duodenariam addidisse judicantur, decepti ob duodecim titulos, & duodecim tribus, de quibus in quarto numero hujusce capitis 24. fit mentio. Hac in re deceptus fuit Alphonsus Tostatus, qui hunc locum explicando ait: *Vituli duodecim fuerunt dati in Holocaustum. Singuli Vituli à singulis Tribubus.* Hujus generis deceptionem Librariorum fuisse crediderim. Quamvis autem in majori Bibliorum manuscriptorum parte inveniatur vox illa *duodenaria vitulorum*, Editio tamen Bibliorum Antuerpiensis quatuor manuscripta esse ostendit, in quibus dicta vox *duodenaria* non extat.

Aloys. Lippom. in Catena.

Rabanus.

Librariorum error.

Alphons. Tostat. in cap. 24. Exodi.

Exodi cap. 25. num. 24. & 25.

Facies illi Labium aureum per circuitum, et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis.

IN Editione Bibliorum vulgatâ, quæ etiam ordinaria, & usuaria, vel usualis vocitari potest, quatenùs frequenti usui nostro servit, antè præstitam Bibliorum emendationem legebatur. *Facies illi labrum aureum per circuitum, & ipsi labro coronam &c.* Nunc autem, *labium aureum, & ipsi labio, &c.* Ità legitur in Translatione Sancti Hieronymi. In Hebraico Textu, & in Translationibus, & Interpretationibus ex eo in linguam Chaldaicam, Græcam, & Latinam deductis *labrum* non legitur, sed *Corona*. In Hebraico Textu, ut Aloysius Lippomanus ait in Catenâ suâ in Exodum Hebraicè legitur זֵר, Zer, ideſt, corona, vel limbus, vel circulus. Labium autèm hoc in loco pro limbo sumitur. Hinc Thomas Cajetanus, dum hanc vocem, *labium*, interpretatur, inquit. *Quod Interpres appellavit labium, planiùs appellatur limbus*. Limbus verò, ut Servius in Virgilium, & alii Authores interpretantur, erat secundum ritum antiquum fascia quædam extremitatem vestium circumquàquè ambiens. Sed hoc in loco labium aureum, ut Lyranus ait, erat quædam lamina aurea latitudinis duodecim digitorum, quæ erat affixa spissitudini tabulæ mensæ per circuitum, de qua mensæ Tabulâ hoc in loco habetur Sermo. Labrum itaquè, ut eò, undè quodam modo pro voce ipsâ explicandâ digressi sumus, revertamur. Nonnisi in Editione Bibliorum ordinaria extabat; nunc autem *Labium* legitur. Et ità etiam legitur in Editione Bibliorum Antuerpiensi, necnon in Vatabli novâ Translatione; in veteri autèm *Limbus* legitur. In Translatione Isidori Clarii legitur, *Corona*, pro *Limbo*, sivè *labio*. *Labium* denique legitur in quinque Bibliis manuscriptis nunc in Bibliothecâ Angelicâ Romæ asservatis.

Thomas Cajetanus in Exodum.

Servius 14. Æneidos.

Lyranus in cap. 25. Exodi.

Num. 33. *Spherulaque simul, & lilium*. *Sphæra*, & *lilium* in singulari numero legi debent, non in plurali; idemque bis in hoc eodem versu legendum esse censuit Sacra Bibliorum Congregatio. Ita legitur in Hebraico Textu, & in Chaldaicâ Translatione, atquè Interpretatione Latinâ, necnon in Græcâ septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione item Latinâ. In veteri quoquè Vatabli Translatione, & in quinque Bibliis manuscriptis est eadem lectio.

Num. 38. *Fiant de auro purissimo*. Præpositio illa, *de*, legitur in Hebraico Textu, in Translatione Sancti Hieronymi, & in Græcâ septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione Latinâ, & in quinque Bibliis manuscriptis. In Chaldaicâ verò Interpretatione ex Chaldaica Translatione deducta legitur, *ex auro mundissimo*. Quæ sanè lectio priori respondet.

Exodi cap. 26. num. 5.

Ut Ansa contra Ansam veniat, et altera alteri possit aptari.

PRIùs legebatur *adaptari*, nunc verò *aptari*, & ità legitur in Bibliis manuscriptis, & rectiùs quidèm: nam verbum, *apto*, est in frequenti usu apud Scriptores omnes insignes; Verbum autem *adapto*, à nemine usurpatum inveni, ut in diversis Dictionariis videre licet.

Exodi cap. 27. num. 21.

Perpetuus erit cultus per Successores a Filiis Israel.

PRIùs legebatur, *coram Filiis Israel*; nunc autem, *à Filiis Israel*; Et ità legitur in Hebraico Textu, necnon in Chaldaicâ Translatio-

slatione cum Interpretatione Latinâ, & in Græcâ septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione itèm Latinâ, & in aliquot Bibliis manuscriptis, & ita Sacra Bibliorum Congregatio legendum esse censuit.

Exodi cap. 28. num. 13. & 14.

FACIES ET UNCINOS EX AURO, ET DUAS CATENULAS EX AURO PURISSIMO, &c.

PRIÙS legebatur, *auri purissimi*; nunc verò, *ex auro purissimo*. Ità etiam legitur in Hebraico Textu, & in Græcâ septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione Latinâ. Necnon in veteri Translatione Vatabli, atquè in aliquot Bibliis manuscriptis.

Num. 38. *Ut placatus sit eis Dominus.* Priùs legebatur pronomen *ei*, nunc autèm *eis*; Ità legitur in Hebraico Textu, & in Græcâ septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione Latinâ, necnon in Chaldaicâ Interpretatione deductâ ex Chaldaicâ Translatione; necnon in Vatabli, & Isidori Clarii Translationibus, & in aliquot Bibliis manuscriptis.

Exodi cap. 30. num. 18.

FACIES ET LABRUM ÆNEUM CUM BASI SUA AD LAVANDUM.

PRIÙS legebatur, *labium*; sed nunc pro *labio, labrum* repositum est, quod est Vasis genus, manibus, ac pedibus abluendis præcipuè destinatum. Propterèa Chaldaica Interpretatio habet, *Luterem*, & Græca septuaginta Interpretum habet *Pelvim*; utrumque autèm nomen significat vas illud pro manibus, ac pedibus lavandis. In Hebraicâ itèm Translatione ità legitur. *Facies, & labrum Æneum, & basim ejus æneam ad lavandum.* Nam Hebraica dictio hæc est: כִּיּוֹר quæ & concham, sivè labrum, vel solium significat, ideſt vas manibus, pedibusque lavandis destinatum. Græca verò dictio est: λεκάνη, quæ pelvim significat.

Exodi cap. 31. num. 9.

Labrum, non *labium* legendum est juxtà notationem, vel animadversionem superiùs conscriptam in num. 8. cap. 30. Exodi: ea enim omnia hoc in loco sunt dicenda.

Exodi cap. 32. num. 16.

ET FACTAS (IDEST TABULAS) OPERE DEI.

PRIUS legebatur Domini. Nunc *Dei*, & rectiùs quidèm: quia ità legitur in Hebraico Textu, & in Græcâ septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione Latinâ, Hebraica namque dictio est אֱלֹהִים ideſt Dei, Græca verò est Θεοῦ, ideſt Dei. In Chaldaicâ Interpretatione Latinâ deductâ à Chaldaicâ Translatione ità legitur: *Tabulæ autem erant opere Dei factæ.* Hæc leguntur in Bibliis impressis Compluti, necnon in quatuor Bibliis manuscriptis.

Num. 28. *Ceciderunt que in die illâ quasi triginta tria millia hominum.* Nunc autem, *quasi viginti tria millia.* Quamvìs autèm in Hebraico Textu, & in Chaldaicâ Interpretatione, atquè itèm in Græcâ septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione Latinâ legatur: *quasi tria millia virorum*; Et in Editione Bibliorum vulgatâ olìm legeretur, *quasi triginta tria millia hominum*; Nunc tamen Sacra Bibliorum Congregatio in hac tantâ diversitate numerandi, *quasi viginti tria millia* legendum censuit. Ità deniquè legitur in quatuordecim Bibliis manuscriptis. Hanc lectionem sequitur Rabanus, & Alphonsus Tostatus, qui post disputationem in hunc locum satis amplam, diversis opinionibus confutatis, dictam lectionem rectam esse concludit, Hebraicumque Textum hoc in loco esse corruptum ostendit hisce verbis: *Quamvìs enim*, inquit, *libri Hebræorum, ut communitèr magis correcti sint, quàm libri modernorum Christianorum; tamèn aliqui errores defectuum, & mutationes sunt in eis ab antiquo. Et patet hoc per ipsosmet Hebræos Talmudistas, qui testimonium perhibent, quòd Biblia sint depravata in quindecim locis per errorem Scriptorum. Sicut ergò in aliis locis corruptionem ipsi concedunt, ità erit in quibusdam, quos ipsi nesciunt, aut non fatentur. Et cum deberet esse in literâ suâ, quasi viginti tria millia, deficit dictio Hebraica signans viginti, & dicitur, quasi tria millia. Quandò verò primi nostri Translatores ab Hebræorum Bibliis assumpserunt, non erat depravatus ille locus, & dicebatur: Ceciderunt in die illâ quasi viginti tria millia.* Hæc ad verbum Tostatus. Rabanus. Alphonsus Tostat. in Exod.

Non desunt autèm, qui hanc lectionem rectam esse velint ex verbis Pauli Apostoli in primâ Epistolâ ad Corinthios capite decimo ità dicentis de Idololatris in hoc Exodi capite narratis: *Sedit Populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia.* Hæc Sanctus Paulus, dicto in loco, cujus verba de Idololatris facta quamvìs ad caput 32. Exodi referantur; verba tamen de fornicariis cum Mulieribus Medianitis ad caput 25. numerorum referuntur, ut Lyranus eo in loco ostendit dicens: *Et ceciderunt una die viginti tria millia. Nec hoc* (inquit Lyranus) *est contrà illud quod dicitur numerorum 25. quòd ceciderunt viginti quatuor millia; quià minor numerus includitur in majori: & ideò quod verum est de majori, etiam verum est de minori.* Hæc Lyranus. Utcumque autèm sit, hæc lectio, *quasi viginti tria millia*, ex aliis rationibus in medium allatis recta, & legitima censetur. Exod. 32. Num. 25.

Exodi cap. 33. num. 3.

NON ENIM ASCENDAM TECUM, QUIA POPULUS DURÆ CERVICIS ES.

PRIÙS legebatur, *quia Populus duræ cervicis est*: nunc autèm persona tertia ipsius verbi mutata est in secundam, & rectè quidèm juxtà Hebraicum Textum, & Chaldaicam Translationem cum Interpretatione Latinâ; necnon juxtà Græcam septuaginta Interpretum Translationem, cum Interpretatione itèm Latinâ, ut in Bibliis Regiis, & Compluti etiam impressis. Ità etiam legitur in Isidori Clarii versione, atque in Vatabli versione veteri, ac novâ. Hanc eandem lectionem Rabanus, Aloysius Lippomanus, Alphonsus Tostatus, & alii sequuntur; & ità deniquè legitur in septem Bibliis manuscriptis.

Exodi cap. 34. num. 11.

OBSERVA CUNCTA, QUÆ HODIE MANDO TIBI.

Mando, non, *mandavi*, legendum esse censuit Sacra Bibliorum Congregatio. Nam etsi in Bibliis vulgatæ Editionis, quam Ordinariam vocant, legebatur tempus præteritum; nunc tamen, & rectè quidèm legitur tempus præsens juxtà Hebraicum Textum, & Chaldaicam Translationem cum Interpretatione Latinâ. Hæc igitur lectio recta, & vera censetur: *Observa cuncta, quæ hodiè mando tibi*. Nam post hæc verba in residuâ hujus capitis parte sequuntur ea, quæ à Deo mandantur observanda; Propterèa non per tempus præteritum *mandavi*, sed per tempus præsens, *mando*, legendum esse constat.

Exodi cap. 35. num. 16.

LABRUM, ET BASIM EJUS.

PRIÙS legebatur: *Labrum, & bases ejus*. Nunc autem, *basim*, in singulari numero juxtà Hebraicum Textum, & Chaldaicam Translationem cum Interpretatione Latinâ; Necnon juxtà Græcam septuaginta Interpretum Translationem cum Interpretatione itèm Latinâ, & Sancti Hieronymi Translationem. Ita etiam legitur in Isidori Clarii versione, & in Vatabli novâ versione. Hanc lectionem Alphonsus Tostatus, Aloysius Lippomanus, & alii sequuntur. Et ità deniquè legitur in novem Bibliis manuscriptis.

Num. 23. *Pelles Arietum rubricatas, & janthinas*. Priùs legebatur *hyacinthinas*, juxtà omnes Bibliorum Translationes, ut videre est in Bibliis Regiis, & in Bibliis impressis Compluti. Hyacinthus enim est genus violæ vernæ, aut vernalis, quæ habet obscuræ purpuræ colorem, & in Italiâ vulgò vocitatur, *Cipolla Canina*. Hinc dicitur color Hyacinthinus; nunc verò legitur, *Janthinas*. Janthinum verò est illud, quod floris violæ refert colorem, & *Violaceum* latinè vocitatur: Græci namque τὰ violas, ἄνθον flores vocant. Pelles igitur janthinæ violaceum repræsentabant colorem. Quamvìs itaquè juxtà Bibliorum Translationes nuper nominatas non legatur, *Janthinas*; In Vatabli tamen versionis margine legitur, *Janthinas*; & ita etiam legitur in ipsâmet Isidori Clarii versione, necnon ab Aloysio Lippomano; atquè etiam in margine Editionis Bibliorum impressę Antuerpiæ, juxtà Biblia manuscripta, quæ ibi nominantur.

Exodi cap. 37. num. 11. & 12.

ET FECIT ILLI LABIUM AUREUM PER GYRUM, IPSIQUE LABIO CORONAM INTERRASILEM QUATUOR DIGITORUM &c.

QUamvis in cap. 30. num. 18. *Labrum æneum*, non *labium* legi debeat, ut dicto in loco explicatum fuit; hìc tamen non *labrum*, sed *labium* legendum est: ibì enim est sermo de Vase pro manibus, ac pedibus abluendis; hoc autem in loco est Sermo de virgulis quibusdam aureis in extremitate Mensæ, sivè tabulæ effingendis, quæ labia vocitantur, & erant quatuor virgæ, sicut erant quatuor latera ipsius Tabulæ, seù Mensæ; Illæ autem virgæ vocantur labia, quia, sicut labia, ut ait Alphonsus Tostatus supereminent cæteris faciei partibus; ità illæ virgulæ supereminent planitiei Mensæ, vel Tabulæ per gyrum. *Labium* itaquè, non, *labrum*, legendum esse censuit Sacra Bibliorum Congregatio. Ita legitur in Sancti Hieronymi Translatione, & in Vatabli Versione, atquè in Bibliis manuscriptis, & impressis, necnon in Commentariis Auctorum.

Num. 29. *Thymiama* non *Thymiamata*, legendum censetur juxtà Græcam septuaginta Interpretum Translationem cum Interpretatione Latinâ, & juxtà Chaldaicam Interpretationem à Chaldaicâ Translatione deductam; & ità etiam legitur in decem Bibliis manuscriptis. In Hebraico deniquè Textu, sicut ex aliquot versionibus Latinis constat, *Thymiama* sub diversis nominibus, in singulari tamen numero reperitur. *Thymiama* enim vox Græca est; Latinè autem dicitur *Incensum*, *Vaporatio*, *Suffitus*, vel *Suffimentum*, & in Italiâ vulgò vocitari solet *Profumo*. In Vatabli Translatione legitur *Thimiama*, Incensum, & Suffimentum Aromaticum. In aliâ Versione reperitur Incensum Aromaticum. Ex quibus locis omnibus *Thymiama* in singulari numero legendum esse colligimus.

Exodi cap. 38. num. 7.

IPSUM AUTEM ALTARE NON ERAT SOLIDUM, SED CAVUM EX TABULIS, ET INTUS VACUUM.

PRIÙS legebatur: *Cavum ex Tabulatis*, nunc autem, *Cavum ex Tabulis*. In Græca septuaginta Interpretum Translatione cum

cum Interpretatione Latinâ legitur : *Concavum Tabulatum* ; In Chaldaicâ Interpretatione ex Chaldaicâ Translatione deductâ, *Concavum ex Tabulis* ; & in aliâ Versione, *Cavum intrà Tabulas*. Quæ omnes lectiones respondent illi lectioni, *Cavum ex Tabulis*.

Num. 14. *Quindecim cubitos Columnarum trium cum basibus suis, unum tenebat latus, &c.* Priùs legebatur hoc in loco verbum in numero plurali, nunc verò in singulari, & rectè quidèm : Dicta enim lectio hac verborum constructione intelligenda censetur : *Unum latus tenebat quindecim cubitos trium Columnarum, cum basibus suis*. Hoc autem in loco latus non accipitur pro latere Atrii, sed pro quadam parte lateris Orientalis, ut ait Alphonsus Tostatus, qui dictorum verborum sensum satìs diffusè declarat. Verbum itaque dictæ lectionis in singulari numero legendum est, non in plurali, hoc est, *tenebat*, non, *tenebant*. Hæc lectio extat in Sancti Hieronymi Translatione, necnon in Vatabli, & Isidori Clarii versionibus, necnon in aliquot Bibliis impressis, & manuscriptis, atquè in Aloysii Lippomani Catenâ in Exodum.

Exodi cap. 39. num. 28.

GINGULUM VERÒ DE BYSSO RETORTA, HIACYNTHO, PURPURA, AC VERMICULO BIS TINCTO ARTE PLUMARIA &c.

PRiùs legebatur *distinctum*, & referebatur ad Cingulum ; nunc autem legitur *bis tincto*, ut referatur ad vocem illam vermiculo. Vermiculus autem, ut ait Alphonsus Tostatus est parvus vermis, & significat Fila, quæ sunt valdè rubea; & eundem habet significatum, quem in numero 2. & 8. habet dictio illa *Coccus*, ubi ità legitur ; *Coccoque bis tincto* ; Dicitur autem, *Vermiculo bis tincto*, idest valdè rubeo ; & ità intensi coloris erat, ut videretur bis tinctum sericum illud, licèt semèl solùm tinctum esset. Vel fortè quòd, ad faciendum colorem valdè intensum, coccus bis tinctus esset. Byssus verò est genus lini tenuissimi, atquè candidissimi. Per hiacynthum color hiacynthinus, qui colorem purpureum, sed subobscurum repræsentat. In Sancti Hieronymi Translatione Bibliorum legitur, *Coccoque bis tincto*. In Græcâ septuaginta Interpretum Translatione cum Interpretatione Latinâ legitur : *Coccino filato*. In Vatabli versione, *Coccino bis tincto*. Hæ tamen Translationes, aut Versiones eundem sensum habent, quem habet lectio primo loco posita, hoc est, *Vermiculo bis tincto arte plumariâ*. Lectio namque illa *distinctum* in Bibliis manuscriptis ex Librariorum incuriâ, vel inscitiâ corruptis reperitur, deindè impressioni traditâ & à Superioribus nonnullis animadversâ, & emendatâ. Hinc Sacra Bibliorum Congregatio emendatam lectionem in suum locum reponendam censuit hisce verbis : *Cingulum verò de byssò retortâ, hyacintho, purpurâ, ac vermiculo bis tincto arte plumariâ.*

Alphons. Tostatus in Exodū 2.11.

Per artem plumariam intelligitur opus acu factum, ut colligitur ex Hebraicâ Translatione, in qua hæc leguntur verba : *Baltheum quoquè de byssò retortâ, hyacintho, purpurâ, & cocco arte acupictoris*. Tostatus ità inquit : arte plumariâ, scilicèt, opere acus, ut sint flosculi aliqui in superficie, aut Imagines, & non in parte inferiori. Hæc Tostatus.

Num. 33. *Et aliud operimentum de Janthinis pellibus, &c.* Pro hac lectione vide notationem in caput 35. Exodi num. 23. ubi *pelles Janthinas*, non *Hyacinthinas* legendum esse, constat.

Exodi cap. 40. num. 5.

TENTORIUM IN INTROITU TABERNACULI PONES.

PRiùs legebatur : *Tentorium in introitu Tabernaculi testimonii pones*. Nunc verò Sacra Bibliorum Congregatio dictionem illam *testimonii* è medio sustulit, quia vox illa, *testimonii*, in Hebraico, Chaldaico, & Græco Textu, atquè in Bibliis manuscriptis non extat.

LIBER LEVITICUS,

HEBRAICE VAICRA.

Levitici cap. 1. num. 1.

VOCAVIT AUTEM MOYSEM, ET LOCUTUS EST EI DOMINUS, &c.

TRanslatio Sancti Hieronymi, & septuaginta Interpretum, necnon Chaldaica, & omnes ferè Latini codices tàm manuscripti, quàm impressi respondent lectioni, quæ posita est in primo loco quantùm ad illud præsertìm nomen, *Dominus*, quod positum in fine cernitur : Et ita Sacra Bibliorum Congregatio legendum censuit : quia ita etiam legitur in Hebraico Textu latinè redditò, & in Annotationibus Rabinorum elucidato.

Num. 4. *Ponetque manum super caput Hostiæ &c.* Priùs legebatur : *Ponetque manus, &c.* Quamvìs autèm in Sancti Hieronymi Translatione legatur, *ponet manus* ; Sacra tamen Congregatio lectionem primo loco positam legendam censuit juxtà septuaginta Interpretum Translationem, & Paraphrasis Chaldaicæ Translationem, quia ità etiam legitur in Hebraico Textu latinè redditò, necnon in aliquot manuscriptis Codicibus.

Num. 5. *Et offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus*. Ità legitur in Hebraico Textu, & in omnibus Translationibus Bibliorum, tàm Regiis, quàm Complutensibus Bibliis, & manuscriptis Codicibus. Priùs autem in Bibliis Ordinariis legebatur, *Sacerdotis*, in casu genitivo singulari. Nunc autem *Sacerdotes* ; nam ad Sacerdotes pertinebat,

nebat, & pertinet, holocaustum, seù Sacrificium offerre Deo. Idem infrà in cap. 2. num. 2. & in cap. 3. num. 2. dicendum est.

Num. 10. *De Ovibus, sivè de Capris holocaustum, masculum absque maculâ offeret, &c.* Priùs juxtà Editionem Bibliorum ordinariam, & Lovanienſem legebatur, *Agnum anniculum, & absque maculâ offeret, &c.* Quoniàm verò in Hebraico, & Græco Textu, juxtà Sancti Hieronymi, & septuaginta Interpretum Translationem, necnon juxtà Chaldaicæ Paraphrasis Translationem legitur, *masculum*; & est eadem vox, quæ superiùs in tertio legitur numero, *masculum*, scilicèt, *immaculatum*, Sacra Bibliorum Congregatio, *masculum*, legendum censuit. Adde etiam quòd ipse contextus indicat, non rectè legi posse *Agnum anniculum*; Agnus enim non dicitur de Ovibus, & de Capris, quia ipse Agnus nòn est communis fœtus illis, sed solis Ovibus; Capris autem hædus est proprius. Dicitur etiam masculum, quia holocaustum ex solis erat masculis: Pacifica verò utrumque sexum admittebat.

Num. 11. *Respicit ad Aquilonem.* Ita Sacra Bibliorum Congregatio cum illâ præpositione, *ad*, legendum censuit juxtà omnes Bibliorum Translationes, & Biblia manuscripta.

Num. 12. *Et ponent supèr ligna &c.* Ità Sacra Bibliorum Congregatio legendum censuit: Priùs enim legebatur, *& imponent supèr ligna*: nam verbum *ponent* satis esse videtur cum illâ præpositione, *super*; Immò præpositio, *supèr*, cum verbo *imponent*, superflua videtur esse; quia verbum, *impono*, est, *suprà pono*.

Num. 14. *De Turturibus, aut pullis Columbæ.* Priùs legebatur, *de Turturibus, & pullis Columbæ.* Sed Sacra Bibliorum Congregatio particulam disiunctivam *aut*, cum particulâ conjunctivâ, *&*, mutandam censuit, juxtà septuaginta Interpretum, & Chaldaicæ Paraphrasis Translationem, ut in Complutensi, & Regiâ Bibliorum legitur Editione.

Levitici cap. 2. num. 2.

IDem quod superiùs in cap. 1. num. 5. dictum est.

Num. 11. *Nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in Sacrificio Domino.* Prohibitio hæc fermenti, ac mellis cum particulâ conjunctivâ, *&*, sivè, *ac*, extat in Hebraico Textu; necnon in septuaginta Interpretum Translatione, atquè in Paraphrasis Chaldaicæ Translatione juxtà Regiam, & Complutensem Bibliorum Editionem, in qua etiam legitur, *Domino*, in tertio casu, non in secundo, ut priùs legebatur in Editione ordinariâ. Adde etiam, quòd prohibitio fermenti, ac mellis in Sacrificio debet esse conjunctiva, non disiunctiva, quia fermentum, & mel ab omni oblatione in Sacrificio excluduntur, quatenùs illis duobus in suis Sacrificiis Idololatræ utebantur: fermentum namque corruptionem signat juxtà illud Apostoli dictum: *modicum fermentum totam massam corrumpit*. Dulcedo autem mellis significat lasciviam carnis, quæ non debet esse in Sacrificiis Divinis, & nomine mellis intelligitur omnis fructus dulcis. Hæc ex Lyrano in hunc Levitici locum. Hanc itaquè lectionem hoc in loco apponendam esse censuit Sacra Bibliorum Congregatio. Lyranus.

Num. 13. *In omni oblatione offeres Sal.* Hac in lectione pronomen, *tuâ*, censuit apponendum Sacra Bibliorum Congregatio: quia ità extat in Hebraico, & Græco Textu, necnon in septuaginta Interpretum Translatione, atque in Chaldaicæ Paraphrasis Translatione, & in aliquot Bibliis manuscriptis.

Num. 14. *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino, &c.* Sed Sacra Bibliorum Congregatio pro substantivo nomine, *primitiarum*, adjectivum, *primarum*, apponendum censuit, & rectiùs quidem propter substantivum nomen *frugum*; nam ubicumquè legitur, *primitiarum*, non reperitur nomen frugum, sed tantùm, *primitiarum tuarum*, ut videre licet in septuaginta Interpretum Translatione, atquè in Chaldaicæ Paraphrasis Translatione; exceptâ Sancti Hieronymi Translatione, & aliquâ Ordinariâ Bibliorum Editione, in quibus legitur, *primitiarum frugum tuarum*. Ibidèm, *torrebis eas igni*, in Editione correctâ ablatum est pronomen, *eas*, quia hoc in loco facillimè subintelliguntur primæ fruges.

Num. 15. *Fundens suprà oleum.* Priùs legebatur, *super ea oleum.* Nunc autem pronomen, *ea*, tamquam superfluum ablatum est: continet enim voculas illas, *super ea*.

Levitici cap. 3. num. 2.

FUNDENTQUE FILII ARON SACERDOTES SANGUINEM PER ALTARIS CIRCUITUM.

HOc in loco priùs legebatur, *Sacerdotis*. Nunc autem legitur *Sacerdotes* ob easdem rationes, quas in cap. primo, num. 5. & cap. 2. in medium attulimus.

Levitici cap. 4. num. 2.

ANIMA, QUÆ PECCAVERIT PER IGNORANTIAM, &c.

NUnc autem pro Adverbio, *cùm*, ideſt, *quandò*, legitur relativum *quæ*; quia ità legitur in Sancti Hieronymi Translatione, & in Paraphrasis Chaldaicæ Translatione. In septuaginta Interpretum Translatione legitur conditionalis conjunctio, *si peccaverit*. Sacra tamen Bibliorum Congregatio lectionem primo loco positam, tamquàm magis congruam apponendam esse judicavit.

Num. 6. *Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contrà Velum Sanctuarii.* Priùs in ordinariâ Bibliorum Editione legebatur in casu accusativo, *in sanguinem, & eum*; nunc autem, & rectiùs quidèm

quidèm in casu Ablativo, *sanguine*, *& eo*, legitur. Quæ sanè lectio Hebraico Textui, necnon Sancti Hieronymi, & septuaginta Interpretum, atquè item Chaldaicæ Paraphrasi Translationi respondet.

Num. 8. *Et adipem Vituli auferet pro peccato*. Priùs in Ordinariâ Bibliorum Editione legebatur, *offerat*; Nunc verò & rectè quidem, *auferet*. Huic enim lectioni Hebraicus Textus respondet, & ità legitur in septuaginta Interpretum, atquè in Chaldaicæ Paraphrasis Translatione; necnon in aliquot manuscriptis Bibliis. Quòd autem legi debeat, *auferet*, non, *offert*, ex ipsius Adipis mysticâ significatione probatur: Nam per Adipem, ut in Glossâ Ordinariâ legitur, *delectationes, & desideria significantur Carnis, quæ tamen omnia non sunt in Christum recipienda, sicut gulæ, & coitus desiderium. Hæc autem Patri obtulit, ad cujus transtulit gloriam, & nobis in exemplum protulit, ut ad Deum desideria nostra referamus*. Hæc ad verbum Glossa Ordinaria. Adeps itaquè auferendus erat in Sacrificio Vituli, qui pro peccato offerebatur Deo: *offerre* namque hoc in loco est *Sacrificare*. Infrà etiam in numero 10. legi debet, *aufertur*, non *offertur*, ut priùs legebatur. Et ità Sacra Bibliorum Congregatio in utroque loco legendum censuit.

Glossa ordinaria.

Num. 29. *Ponetque manum super caput Hostiæ, &c.* Priùs legebatur, *ponetque manus*. Nunc verò, *manum* in singulari numero juxtà Hebraicum Textum, & Græcum, ut in septuaginta Interpretum Translatione, itèm videre licet juxtà Regiam, & Complutensem Bibliorum Editionem, & juxtà utramque Editionem. In Chaldaicæ itèm Paraphrasis Translatione legitur, *manum*, in singulari numero. Eadem lectio extat in aliquot Bibliis manuscriptis.

Num. 35. *Cremabit super Altare in incensum Domini*. Priùs legebatur: *Cremabit super Altare incensum Domini*. Nunc verò à Sacra Bibliorum Congregatione addita legitur præpositio, *in*, & rectè quidèm: quoniam verbum illud, *cremabit*, non referri debet ad incensum, sed, ut legitur in Hebraico Textu, ad Adipem Juvenci, Hirci, Capræ, & Ovis, quæ sanè animalia mactanda leguntur in hoc eodem capite, atqué offerenda Deo in Sacrificio, & Adipem ipsorum Animalium incendendum, sivè cremandum esse in Altari à Sacerdote in odorem suavitatis Domino. Hæc itaquè lectio Hebraico Textui Latinè reddito respondet, in quo ad calcem hujusce capitis post ovem mactatam, quarto loco positam, & oblatam Deo in Sacrificio, ità legitur: *Et omnem adipem ejus auferet, sicut auferri solet adeps ab ove in sacrificio pacificorum, & incendet Sacerdos ea in Altari, ut fiat Sacrificium ignitum Domino, expiabitque illum Sacerdos à peccato suo, quod commisit, & remittetur ei*. Hæc in Hebraico Textu Latinè reddito, in quo pensitanda sunt verba illa, *& incendet Sacerdos ea in Altari, ut fiat Sacrificium ignitum Domino*. Nam illud in plurali pronomen, *ea*, non potest referri ad incensum, sed ad Juvenci, Hirci, Capræ, & Ovis Adipes cremandos. In Editione autem vulgatâ fit mentio de *Vituli, Hirci, Capræ, Ovis, & Arietis* Adipibus in Sacrificio cremandis. Ideò legi debet: *Cremabit super Altare in incensum Domini*, hoc est, Adipes dictorum Animalium in odorem suavitatis Domino.

Levitici cap. 5. num. 8.

ITAUT COLLO HÆREAT.

PRiùs legebatur, *adhæreat*. Num. 19. *quia per errorem deliquit in Dominum*. Priùs legebatur, *deliquit in Domino*. Nunc verò, *in Dominum*, & quidèm rectiùs: Nam peccare in Dominum est peccare contrà Dominum, idest, contrà præceptum Domini. Ità etiam legitur in aliquot manuscriptis. Propterèa Sacra Bibliorum Congregatio hanc lectionem retinendam censuit.

Levitici cap. 6. num. 10.

IGNIS EX EODEM ALTARI ERIT.

PRiùs legebatur, *ignis in eodem Altari erit*. Nunc verò legitur, *ignis ex eodem Altari erit*. ità etiam legitur in Sancti Hieronymi Translatione juxtà Regiam, & Complutensem Bibliorum Editionem, necnon in aliquot Editionibus ordinariis, & in aliquot Bibliis manuscriptis. Hanc itaquè lectionem Sacra Bibliorum Congregatio apponendam judicavit.

Num. 16. Priùs legebatur. *Et comedet in loco Sanctuarii Tabernaculi*. Nunc autèm ità: *Et comedet in loco Sancto Atrii Tabernaculi*. Huic lectioni satis respondet Hebraicus Textus Latinè redditus in hæc verba. *In loco Sancto, in Atrio Tabernaculi Testimonii comedent illud*. In Sancti Hieronymi Translatione; *Et comedet in loco Sancto in Atrio Tabernaculi*. In Translatione autèm septuaginta Interpretum hunc in modum: *In loco Sancto, in Atrio Tabernaculi Testimonii comedent eam*. In Chaldaicæ Paraphrasis Translatione: *In loco Sancto, in Atrio Tabernaculi fœderis comedent illud*. lectionem itaquè illam, cui Hebraicus Textus Latinè redditus cum tribus illis Translationibus respondere magis videtur, apponendam esse censuit Sacra Bibliorum Congregatio, præsertìm verò, quia eadem omninò lectio extat in aliquot Bibliis manuscriptis.

Levitici cap. 7. num. 1.

HÆC QUOQUE LEX HOSTIÆ PRO DELICTO SANCTA SANCTORUM EST.

PRiùs; *Hæc quoque est lex, &c.* Nunc autèm verbum substantivum hoc in loco, tamquàm superfluum, sublatum fuit.

Num. 14. *Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino*. Priùs legebatur, *offertur*: sed non rectè: quià verbum hoc in loco non refer-

refertur ad illud, quod fieri solet, sed ad illud, quod ex Dei præcepto faciendum erat. Quæ sanè lectio septuaginta Interpretum Translationi respondere videtur, in qua legitur verbum activum, *offert*, *& adducet ab eo unum ab omnibus donis illius*. Chaldaicæ item Paraphrasis Translatio habet verbum activum futuri temporis hunc in modum: *offeretque ex eâ unum ex omni oblatione separatum coràm Domino*. Verbum denique futuri temporis passivum legitur in aliquot Bibliis manuscriptis in hanc verborum formam primo loco positam: *Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino*. Hanc itaquè lectionem retinendam esse judicatum fuit in Sacrâ Bibliorum Congregatione.

Num. 19. *Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni*. Priùs in quadam Bibliorum Editione legebatur, *aliquod*, nunc vero *aliquid*, juxtà vulgatam, & ordinariam Bibliorum Editionem.

Num. 35. *Hæc est unctio Aaron, & filiorum ejus in cæremoniis Domini die, qua obtulit eos Moyses, &c.* Priùs legebatur, *in die quo*; nunc autem, *die, qua*. In aliquot manuscriptis Bibliis legitur, *die, quo*; ità etiam in Sancti Hieronymi Translatione. Sed lectio in primo loco posita congruentior judicata fuit in Sacrâ Bibliorum Congregatione.

Levitici cap. 8. num. 4.

FECIT MOYSES, UT DOMINUS IMPERAVERAT.

PRiùs legebatur, *fecitque Moyses, &c.* Sed particula illa conjunctiva, seù copulativa, *que*, tamquàm hoc in loco superflua, è medio sublatà est, ut putet intuenti, ac perpendenti congruam loquendi formam, quæ in Bibliis aliquot manuscriptis, & in Editione ordinariâ extat sinè illâ particulâ copulativâ.

Num. 22. *Obtulit, & Arietem secundum in consecratione Sacerdotum*. Priùs legebatur quartùs casus, *in consecrationem*; nunc verò sextus casus, *in consecratione*. Ità etiam legitur in aliquot Bibliis manuscriptis, & quidèm congruentèr.

Num. 28. *In odorem suavitatis, Sacrificii Domino*. Ità casus dativus, *Domino* pro genitivo, *Domini*, legitur in Sancti Hieronymi Translatione, necnon in aliquot Bibliis manuscriptis, & rectiùs quidèm: priùs enim in genitivo casu legebatur, *Domini*, juxtà ordinariam Bibliorum Editionem.

Num. 34. *Sicut, & in præsentiarum factum est, ut ritus Sacrificii compleretur*. Particula illa copulativa, *&*, legitur in Editione Bibliorum ordinariâ Glossis illustratâ, & in nonnullis Bibliis manuscriptis. Propterea copulam illam, *&*, apponendam hoc in loco censuit Sacra Bibliorum Congregatio.

Levitici cap. 9. num. 3.

TOLLITE HIRCUM PRO PECCATO, ET VITULUM, ATQUE AGNUM ANNICULOS, &c.

NOn desunt qui legant; *Agnos Anniculos*, sed mendosè: nam in singulari numero *Agnum*, & in plurali *Anniculos*, legi debet juxtà Hebraicum Textum. Sunt etiam, qui legant *Agnum Anniculum*, ut in Editione Bibliorum ordinariâ videre licet: *sed Anniculos* legendum censuit Sacra Bibliorum Congregatio, ut ly, *Anniculos*, ad utrumque, hoc est, ad Vitulum, & Agnum referatur. Ità etiam legitur in Græco Textu, atquè in aliis Bibliis manuscriptis.

Num. 7. *Cumque mactaveris hostiam Populi, ora pro eo*. Quamvìs in omni Bibliorum Translatione, & in veteri vulgatâ Editione legatur, *ora pro eis*; Ex postremâ tamen Bibliorum correctione legendum cernitur, *ora pro eo*, ut ipsa oratio ad Populum in singulari numero referatur: Et ità in aliquot Bibliis manuscriptis legitur, & rectè quidèm.

Levitici cap. 10, 11. & 13. num. 22.

ET EXTENDENS MANUS AD POPULUM, BENEDIXIT EI.

PRiùs legebatur. *Et extendens manum*, nunc verò, *& extendens manus, &c.* Quæ sanè lectio juxtà Græcum Textum, Translationi septuaginta Interpretum, & Chaldaicæ Paraphrasis Translationi respondet.

Levitici cap. 10. num. 1.

ARREPTISQUE NADAB, ET ABIU FILII AARON THURIBULIS, POSUERUNT, IGNEM, &c.

PRiùs legebatur, *imposuerunt*; nunc verò, *posuerunt*. Et ità in aliquot manuscriptis Bibliis legitur.

Num. 8. *Dixit quoquè Dominus ad Aaron, &c.* Priùs legebatur: *Dixitque Dominus &c.* nunc autem: *Dixit quoquè Dominus*; Et ità in nonnullis manuscriptis Bibliis legitur.

Num. 9. *Quando intratis in Tabernaculum Testimonii &c.* Priùs legebatur, *intrabitis* nunc autèm *intratis*; ut verbum temporis præsentis respondeat verbo præsentis temporis, *ne bibitis*.

Num. 18. *Et comedere debueritis eam in Sanctuario*. Priùs legebatur, *& comedere debueratis*; nunc verò, *debueritis*, ut hoc verbum respondeat subjunctivo illo verbo, quod paulò superiùs legitur, cum de sanguine illius non sit illatum intrà Sancta, & comedere debueritis ea in Sanctuario.

Levi-

Levitici cap. 11. *num.* 26.

ET QUI TETIGERIT ILLUD CONTAMINABITUR.

PRiùs legebatur : *Et quidquid tetigerit illud contaminabitur*. Nunc autem legendum eſt : *Et qui tetigerit illud contaminabitur*. Quæ ſanè lectio reſpondet Græcæ Translationi ſepruaginta Interpretum, & Chaldaicæ Paraphraſis Translationi. Nam in Græcâ Translatione ſeptuaginta Interpretum legitur : *omnis, qui tetigerit, &c.* Adde etiam, quòd in multis Bibliis manuſcriptis legitur, *quicumque tetigerit, &c.* Ità legitur In Hebraico Textu Latinè reddito, & in Græco etiam Textu.

Levitici cap. 13. *num.* 12.

SIN AUTEM EFFLORUERIT DISCURRENS LEPRA IN CUTE, ET OPERUERIT OMNEM CUTEM A CAPITE USQUE AD PEDES, &c.

PRiùs legebatur : *operuerit omnem carnem* ; Nunc autem legitur : *omnem cutem*. Ità legitur in Translatione ſeptuaginta Interpretum, necnon in Hebraico Textu Latine reddito. Hæc itèm lectio clauſulæ ſuperiori, *diſcurrens Lepra in cute*, ſatis rectè reſpondet.

Num. 23. Ulcus abſque aſpiratione, *h*, legendum eſſe conſtat, quamvis nonnulli Græcam originem ſequentes, malint ſcribere, *hulcus*, cum aſpiratione. Ulcus enim Græcè dicitur ἕλκος, Latinè hulcus. Ulcero itèm, quod eſt, ulceroſum facio, Græcè dicitur ἑλκόω, & Latinè hulcero. Complures tamen ſine aſpiratione, *ulcus*, conſcribendum eſſe volunt. Et ita hoc in loco factum eſſe conſtat, juxtà Bibliorum Editionem Regiam, & Complutenſem.

Num. 31. *Recludet eum ſeptem diebus* ; Priùs legebatur, *Recludet eos &c.* nunc verò *recludet eum &c.* juxtà Sancti Hieronymi, & ſeptuaginta Interpretum, necnon Chaldaicæ Paraphaſis Translationes. In Hebraico autem Textu Latinè reddito legitur. *Recludet Sacerdos plagam corroſionis ſeptem diebus*. Quæ ſanè lectio per plagam aliquo modo reſpondere videtur pronomini ſingularis numeri, *eum* ; In Bibliis verò manuſcriptis aliquot legitur pronomen ſingularis numeri, *eum*, & ità legendum eſſe conſtat.

Num. 36. *Non quæret ampliùs, utrùm capillus in flavum colorem ſit immutatus*. Priùs legebatur, *commutatus* ; nunc autem *immutatus*. Utraque lectio eundem ſenſum habet.

Levitici cap. 14. *num.* 4.

RECIPIET EI, QUI PURIFICATUR, UT OFFERAT DUOS PASSERES VIVOS PRO SE, QUIBUS VESCI LICITUM EST.

PRiùs legebatur : *quos veſci licitum eſt* ; nunc autem, *quibus veſci licitum eſt* ; Et rectiùs quidèm. Quamvis enim verbum *veſcor*, cum accuſativo conſtructum inveniatur in Plinii libro, in inſigniorum tamen Authorum libris, nonniſi cum ablativo conſtructum reperitur.

Num. 27. *Contrà Dominum*. Priùs legebatur, *coràm Domino*, nunc autèm *contrà Dominum* juxtà Sancti Hieronymi Translationem, & Codices Bibliorum manuſcriptos.

Num. 43. *Et pulvis eraſus*. Priùs legebatur, *pulvis elatus*, nunc autem *eraſus*, & rectè quidèm juxtà Hebraicum, & Græcum Textum.

Num. 49. *In purificationem ejus*. Priùs legebatur in ſexto caſu, *purificatione* ; nunc verò, & congruentiùs quidèm, in quarto caſu, *purificationem*, & ita etiam legitur in aliquot manuſcriptis Bibliorum Codicibus.

Levitici cap. 15. 16. 17. *num.* 9.

SAGMA, SUPER QUO SEDERIT, IMMUNDUM ERIT.

ET ità legitur in Hebraico Texu, & in aliquot manuſcriptis Bibliis : nam priùs legebatur, *ſuper quo ſederit*. *Sagma* verò hoc in loco ſumitur pro Jumenti, vel Aſini *ſellâ*, ſivè *ſtrato*.

Num. 23. Ità etiam hoc in loco legendum cenſetur, hoc eſt, *omne vas, ſuper quo illa ſederit, &c.* Hæc itèm lectio Hebraico Textui, reſpondet.

Num. 27. *Quicumque tetigerit ea, lavabit veſtimenta ſua*. Hæc lectio Hebraico Textui, & Sancti Hieronymi Translationi, & Chaldaicæ itèm Paraphraſis Translationi reſpondet, ut in Complutenſi, ac Regiâ Bibliorum Editione videre licet. Priùs enim legebatur : *Quicumque tetigerit eam*. Nunc verò legitur : *Quicumque tetigerit ea*, hoc eſt, omne ſtratum, & vas, & ad hæc omnia refertur tactus ille, non ad eam, ſcilicèt, mulierem, quæ patitur ſanguinis fluxum, ſed ad omne ſtratum, in quo dormierit, & ad omne vas, in quo ſederit mulier ipſa, referri debet.

Num. 31. *Ut caveant immunditiam*. Hęc lectio Hebraico Textui reſpondet, in hoc enim textu, *immunditia*, in ſingulari legitur numero : olìm verò in lectione ordinariâ, in plurali numero legebatur, *ut caveant immunditias*,

Levitici cap. 16. *num.* 10.

UT FUNDAT PRECES SUPER EO.

IN lectione ordinariâ olìm legebatur, *ſupèr eum* ; nunc verò, *ſupèr eo* ; Et ità legitur in Bibliis manuſcriptis.

Levitici cap. 17. *num.* 10.

QUI PEREGRINANTUR INTER EOS.

HÆc lectio Hebraico Textuì, & Chaldaicæ Paraphraſis Translationi reſpondet ; In his enim duobus locis legitur, *intèr*

intèr eos; olim autem in lectione ordinariâ legebatur, *intèr vos*, nunc autèm, *inter eos*; & ità videtur legendum esse in octavo numero ejusdem capitis, juxtà Hebraicum Textum.

Num. 16. *Quòd si non laverit vestimenta sua, & corpus, portabit iniquitatem suam.* Lotio vestimentorum, & Corporis, non disiunctivè, ut olim in Editione Bibliorum ordinariâ legebatur, sed coniunctivè legenda est, ut Sacra Bibliorum Congregatio censuit, juxtà Hebraicum Textum, necnon juxtà Græcam septuaginta Interpretum Translationem.

Levitici cap. 20. *num.* 20.

HOMO, SI DORMIERIT CUM MULIERE COITU SEMINIS, QUÆ SIT ANCILLA, ETIAM NUBILIS, &c.

NOn desunt, qui legant, *nobilis*, & ità etiam legitur in multis Bibliorum Codicibus manuscriptis, necnon in Sancti Hieronymi Translatione; sed in Editione Bibliorum juxtà Glossam ordinariam, interlinearem, & Glossam Nicolai Lyrani legitur, *nubilis*, & rectiùs quidem. Hæc sanè lectio respondet Hebraico Textui in Latinam Linguam translato, in quo legitur, *viro addicta*; & juxtà septuaginta Interpretum Translationem, *homini custodita*, vel *homini servata*. Et his duabus Translationibus, hoc est, Hebraicæ, & Græcæ septuaginta Interpretum respondet illa dictio, *nubilis*, quæ ad nuptum pertinet; non autèm illi dictioni, *nobilis*, quæ claritatem generis indicat. Hinc Sacra Bibliorum Congregatio hanc dictionem, *nubilis*, quæ Textui magis respondet, retinendam esse censuit.

Levitici cap. 20. *num.* 5.

PONAM FACIEM MEAM SUPER HOMINEM ILLUM, ET SUPER COGNATIONEM EJUS.

IN Editione Bibliorum ordinariâ Præpositio illa, *supèr*, nonnisi in primo legebatur loco; nunc verò in secundo loco addita fuit; quia dicta repetitio respondet Hebraico Textui in Latinam Linguam translato, necnon Græco, & Chaldaico juxtà septuaginta Interpretum, atquè Chaldaicæ Paraphrasis Translationi. Nam in tribus hisce Translationibus bis legitur præpositio, *contrà*, quæ superiori præpositioni respondet hunc in modum: *Ponam faciem meam contrà hominem illum, & contrà cognationem ejus.* In Hebraico enim Textu translato hæc ad verbum leguntur: *Ponam ego faciem meam contrà virum illum, & contrà cognationem ejus.* Et huic lectioni respondent aliæ duæ Translationes, præsertìm verò quantùm ad hanc præpositionem, ut in Bibliis Regiis, & Complutensibus videre licet.

Num. 9. *Qui maledixerit Patri suo, aut Matri, morte moriatur: Patri, Matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum.* Repetitio maledictionis hoc in loco posita, in omnibus Bibliorum Codicibus manuscriptis, & impressis legitur, differentèr verò. Repetitio enim in aliquot Codicibus impressis ità legitur: *Qui maledixerit Patri suo, aut Matri, sanguis ejus sit super eum.* In aliquot itèm impressis: *Patri, Matrique, qui maledixerit, sanguis ejus sit supèr eum.* Duobus etiam hisce modis legitur in Bibliis manuscriptis; atquè itèm hoc modo: *Qui Patri, Matrique maledixerit, sanguis ejus sit super eum.* Nunc verò juxtà correctionem à Sacrâ Bibliorum Congregatione præstitam ità legitur: *Qui Patri, Matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum.* Hæc autèm repetitio facta est, ad maledictionis culpam exagerandam, & Hebraico Textui in Latinam Linguam translata respondet, in quibus legitur: *Patri enim suo, & Matri suæ maledixit, sanguis ejus sit in eo.* Hæc item repetitio satis rectè respondet septuaginta Interpretum Translationi; & Chaldaicæ Paraphrasis quoquè Translationi, ut in Regiis, & Complutensibus Editionibus videre licet.

Levitici cap. 21. *num.* 2.

SUPER PATRE, ET MATRE, ET FILIA, FRATRE, QUOQUE, ET SORORE VIRGINE, &c.

IN Editione Bibliorum ordinariâ priùs hęc nomina in quarto casu legebantur, nunc autèm in sexto casu, qui respondet consanguineis, & propinquis in sexto etiàm casu ibidèm, hoc est, in eodem numero enarratis. Hæc itèm lectio quantùm ad sextum casum respondet Hebraico Textui in Latinam Linguam translato, in quo ità legitur: *Supèr Patre, & Matre suâ, supèr Filio, & Filiâ, atquè Fratre suo.* In sexto deniquè casu hæc nomina leguntur in Translatione septuaginta Interpretum, & in Chaldaicæ Paraphrasis Translatione, atquè in aliquot Codicibus manuscriptis, & ità Sacrâ Bibliorum Congregatio dicta nomina hoc in loco legenda esse censuit.

Num. 7. & 8. *Scortum, & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam, quæ repudiata est à marito, quia consecrati sunt Deo suo, & panes propositionis offerunt. Sint ergo Sancti, quia & ego Sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.* Verba quæ in septimo, & octavo numero extant, priùs legebantur in singulari numero, nunc verò in plurali. Quæ sanè lectio recta censetur, verbis in quinto, & sexto numero respondens: ibi enim est sermo de Sacerdotibus filiis Aaron, hunc in modum: *non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus: Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideò Sancti erunt.* Hæc ibi. Deindè statìm sequitur Textus: *Scortum, & vile prostibulum non ducent Uxorem*, & cætera, quæ in septimo, & octavo numero sequuntur, verbis in plurali numero conscriptis, ut dictum fuit. Hanc itaquè lectionem retinendam esse censuit Sacrâ Bibliorum Congregatio. In fine octavi numeri priùs legebatur: *Sanctifico vos*; nunc autem, *Sanctifico eos*; & ità etiàm

etiàm legitur in septuaginta Interpretum Translatione.

Num. 18. *Si parvo, vel grandi, vel torto naso*. Priùs legebatur; *si, vel parvo, &c.* nunc autem, *si parvo, &c.* conjunctione disiunctivâ, *vel*, è medio ablatâ, tamquàm superflua.

Num. 23. *Nec accedat ad Altare, quia maculum habet*. Priùs legebatur, *qui maculum habet*, nunc autem, *quia maculam habet*. Et ità legitur in septuaginta Interpretum Translatione, necnon in Translatione Chaldaicę Paraphrasis, & in aliquot Codicibus Bibliorum manuscriptis.

Levitici cap. 22. num. 24.

OMNE ANIMAL, VEL CONTRITIS, VEL SECTIS, ABLATISQUE TESTICULIS EST: NON OFFERETIS DOMINO.

PRiùs in aliquot Editionibus Bibliorum ordinariis legebatur, *tonsis*; in aliquâ verò, *tusis*; sed illa est perperàm scripta: hæc autèm rectè: *tonsus* enim est participium à verbo *tondeo*, quod est auferre lanam, vel crinem: *tusus* verò est participium à verbo *tundo*, quod est *comminuere, terere, cædere, pulsare, verberare*. Participium itaquè *tonsus* à verbo tondeo derivatum, quod est auferre lanam, vel crinem, hoc in loco non convenit ullo modo: Participium autem *tusus*, à verbo *tundo, dis*, deductum rectè convenire cernitur. Quoniam verbum hoc *tundo, dis*, duplex præteritum, & duplex supinum habet, ut Diomedes insignis Grammaticus ait; hoc est, *tutudi, tusum*, ac *tunsi, tunsum*; propterea Virgilius in libro quarto Georgicorum posuit, *tunsum*, cum literâ *n*; Et Plinius in libro 31. sinè literâ, *n*, tusum dixit. Sanctus verò Hieronymus hoc in loco Levitici usus est ipso participio, cum literâ *n*, in suâ Bibliorum Translatione dicens: *Omne Animal, quod vel contritis, vel tunsis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino*. Idem hujus loci participium cum literâ *n*, in aliquot Bibliis manuscriptis reperitur. Sacra denique Bibliorum Congregatio participium primo loco positum, sine literâ, *n*, retinendum censuit; quæ sanè lectio Hebraico Textui in Latinam linguam translato respondere cernitur, in quo Textu hæc ad verbum leguntur: *Et quod est compressum, aut contusum, aut enervatum, aut exectum, non offeretis Domino, neque facietis in Terrâ vestrâ*.

Virgil. lib. 4. Georg.

Plin. lib. 31.

Levitici cap. 23. num. 14.

USQUE AD DIEM, QUA OFFERETIS EX EA DEO VESTRO.

PRiùs legebatur, *offeratis*; Nunc verò, *offeretis*, juxtà Sancti Hieronymi Translationem. Quæ sanè lectio extat etiam in aliquot Bibliis manuscriptis.

Levitici cap. 24. num. 3.

A VESPERE USQUE AD MANE.

PRiùs legebatur, *usquè in mane*; nunc autèm, *usquè ad mane*; juxtà septuaginta Interpretum Translationem. Et hæc lectio extat in aliquot Bibliis manuscriptis.

Num. 10. *Cum viro Israelita*. Priùs legebatur, *cum viro Israelitæ*; nunc verò, cum viro *Israelita*, & rectiùs quidèm juxtà Sancti Hieronymi Translationem: Et ità legitur in aliquot Bibliis manuscriptis.

Num. 11. *Cumque blasphemasset nomen, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen*. Priùs in Bibliis ordinariis legebatur: *Cumque blasphemasset nomen Domini*; nunc autèm vox ipsa, *Domini*, è medio sublata cernitur, quia in Hebraico Textu propter blasphemiam ibi enarratam reticetur illud nomen Dei ineffabile, *Jehovah*. Propterea sine additione aliquâ dicitur nomen, ut per antonomasiam intelligatur nomen Domini *Tetragrammaton*, hoc est, quatuor literarum, ut ait etiam Thomas Cajetanus. In Hebraico textu in Latinam Linguam translato, hæc ad verbum leguntur. *Et blasphemavit filius mulieris Israelitidis nomen*, (Domini) *& maledixit*; Nomen illud *Jehovah* Hebraicè scriptum constat quatuor tantùm hisce literis יהוה, & ideò Græcè dicitur *Tetragrammaton*, idest quatuor literarum; sed quia Hebræi literas vocales non habent, utuntur virgulis, & punctis vice vocalium literarum, ut in libro nostro, qui *Bibliothecâ Vaticanâ* inscribitur, diffusè olim explicavimus. Hebraicè ità scribi solet יְהוָה, *Jehovah*, & dicitur ineffabile, Divinam Essentiam significans; In ipso autem nomine juxtà diversas virgulas, & diversa puncta, tria tempora, præsens, videlicèt, præteritum, & futurum repræsentantur. Hebræi verò in legendo nunquàm pronunciant, *Jehovah*, sed loco ejus legunt, *Adonai*, ideſt *Dominus*. Hebraico etiam Textui respondet septuaginta Interpretum Translatio, cum Chaldaicæ Paraphrasis Translatione, in quibus Translationibus vox ipsa, *Domini*, non legitur.

Num. 16. *Lapidibus opprimet eum universa multitudo*. In Bibliis ordinariis legebatur, *omnis multitudo Populi*; nunc autèm vox illa, *Populi*, è medio sublata cernitur, quia in Hebraico Textu, & Græco, atquè in aliquot Bibliis manuscriptis non extat, ut in Bibliis quoquè Regiis, & Complutensibus videre licet.

CHRONHISTORIA
DE
APOSTOLICO
SACRARIO
NOMENCLATURAM,

Institutionem, & Instructionem, Munia item & seriem Sacristarum in AUGUSTINIANA FAMILIA *tercentum, & ampliùs ab hinc annis conservatam, & nunquàm interruptam comprehendens.*

PRÆFATIO.

Cic. lib. 1. de Legibus.

SICUT nulla unquàm fuit tàm barbara & effera Gens (quemadmodùm eloquentiæ Latinæ Parens, & rectè quidèm, sentit) quæ aliquam de Deo notitiam, vel solâ naturâ docente, non imbiberit; ità nec ullam fuisse crediderim Nationem, quæ certas, & proprias quasdam non habuerit cæremonias, quibus illum, quem sibi finxisset Deum, veneraretur & coleret. Id quod cum ex Græcorum, & Latinorum historiis clarissimè patet; tùm ex iis, quæ in sacrâ Scripturâ, ac præcipuè in veteri Testamento leguntur, apertè confirmatur. Veteris namquè Testamenti Patres illos sua sacrificia, suosque ritus ex divinæ legis præscripto habuisse, ac religiosissimè observasse non ignoramus. Quæ res cùm ità sit, Sole clariùs nobis apparet, quàm fidei, quàm pietati, quàm deniquè Christianæ Religioni maximè conveniat, ut pòst Messiæ, veri Dei Filii ad nos miseros Homines redimendos in hunc Mundum adventum, ea, quæ illi est Sponsa, nobis autèm Mater Ecclesia, certas, statas, & proprias habeat cæremonias, rituſque solemnes, tantò antiquis sacratiores, significantiores, & excellentiores; quantò legis servitutem (ut alia brevitatis causâ silentio prætermittam) gratiæ libertas antecellit.

Ecclesia Sponsa, & Mater.

Gratia libertatis præstantia.

Quæ sanè observationes circà Sacros Ritus si in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis esse debent, multò magis, & multò quidèm plures coràm Romano Pontifice, qui cælestis Pontificis, & Æterni Regis, supremique, ac veri omnium Monarchæ vices gerit in Terris; quique in eâ residet Cathedrâ, quæ omnium Ecclesiarum Regula, & Mater est, atquè Magistra. Meritò itaquè Summi Pontifices non mediocrem sempèr adhibuerunt diligentiam, ut viros apùd se, cæremoniarum Ecclesiasticarum, & Sacrorum Rituum peritiâ ornatos, haberent, qui illarum Præceptores, ac Magistri dici jure, atquè esse possent. Non minori etiàm studio curarunt, ut Sacra-

Cæremoniarū Magistri.

rium

rium Apoſtolicum tantâ veſtium, indumentorum, vaſorum ſacrorum, ac multiplicium, pretioſiſſimorumque omnis generis ornamentorum Eccleſiaſticorum copiâ abundaret, tantis myſteriis, necnon miniſtris, ac miniſteriis digna. Quæ deniquè omnia, ut eâ, qua decet, veneratione tractatentur, diligentiſſimâque cuſtodiâ ad Sacros Ritus Eccleſiaſticis cæremoniis inſignitos celebrandos aſſervarentur, probos, ac fidos viros illis præficere accuratè ſtuduerunt, ut ea ſibi commiſſa fidelitèr cuſtodirent, ac juxtà divinorum officiorum varietatem opportunè depromerent, accommodatèque præpararent, reſque tandèm neceſſarias loco, ac tempore juxtà indigentiam ſubminiſtrarent. Hi autèm viri ob hujus generis Præfecturam, quovis Prælato dignam, *Sacriſtæ*, nomine ſunt nuncupati. Anteà igitùr quàm de hujuſce Præfecturæ dignitate, ac ſerie Sacriſtarum in Ordine Eremitano Sancti Auguſtini tercentum & ampliùs ab hinc annis conſervatâ, & numquàm interruptâ; necnon de viris omnibus, qui hac Præfecturâ in Palatio Apoſtolico aliquot jàm ſæculis ad hanc uſquè diem functi ſunt, ſermonem habeamus, Sacrarii & Sacriſtæ nomenclaturam, ac functiones aggrediemur, ut ſingula diſtinctè, atque ordinatè diſpoſita explicentur. Propoſitio.

SCRIPTORUM NOMINA,

Quæ in CHRONHISTORIA citantur.

A

Aelius Lampridius in Alexandro Severo.
Alexandri VI. Pontif. Max. Bulla.
S. Ambroſius Doctor Eccleſiæ.
Aſſiſtentium Sanctiſſimi D. N. Liber.
S. Auguſtinus Doctor Eccleſiæ.

B

Beda Venerabilis.
Blaſius Cæſenas, Cærem. Mag. in Diario.
Bullæ Pontificiæ.
Burchardus Argentinas, Cærem. Mag. in Diario.

C

Cæremoniale Romanum manuſcriptum.
Cæremoniale Romanum impreſſum.
Cæremonialia manuſcripta per antiquæ.
Cæremoniarum Magiſtri in Diariis.
Cardinalis Oſtienſis.
Cicero Latinæ linguæ parens.
Concilium Toletanum.

D

Decreti, & Decretalium Libri.
Diaria recentiora, & antiqua.

F

Ferdinandus de Caſtiglio Hiſtoricus.
Franciſcus Penia Rotæ Auditor.
Franciſcus Purpuratus juriſconſultus.

G

Gregorius Magnus, Doctor Eccleſiæ.

H

Hegeſippus de Hieroſolymitanæ Urbis excidio Scriptor graviſſimus.
Hieronymus Hiſpanus, cognomento Romanus; Hiſtoricus, & Chroniſta.
Hieronymus Seripandus Cardinalis in Chronicis Ordinis S. Auguſtini.

I

Jacobus Spiegelius juriſconſultus in Lexico.
Jacobus Bergomas in Supplemento Chronicorum.
Jordanus de Saxonia in Vitas Fratrum.
Jo: Antonius Flamminius Hiſtoricus.
Joſephus Pamphilus in Chronicis.
Joſephus Scriptor antiquitatum Judaicarum diſertiſſimus.
Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus.
Julii II. P. M. Bulla.

L

Laurentius Surius in Vitis Sanctorum.
Leander Albertus in Deſcriptione Italiæ.

M

Mauritius Tertius in Chronicis.

N

Nicolaus Lyranus.

O

Onuphrius Panvinius in Chronicis Eccleſiaſticis.
Origenes Adamantius, Doctor & Scriptor inſignis.

P

Papirius Maſſonus in Gregorio XI.
Papias, Grammaticus tempore ſuo clariſſimus.
Paris Craſſus, Cærem. Mag. in Diario.
Plinii Naturalis Hiſtoria.
Policraticus Joannis Saresberienſis.

Pomponius Mela insigni opere de situ Orbis clarissimus.
Provinciale omnium Ecclesiarum Cathedralium.
Ptolemæus Geographus clarissimus.

R

Registra Ordinis S. Augustini antiqua.

S

Spiegelius Legista in Lexico.

Svetonius Tranquillus in Augusto.

T

Timotheus Bottonus Historicus.
Toletanum Concilium.

V

Ulpianus Jurisconsultus.

POMPEII UGONII
ODE

Ad Illustrem Admodum, & Reverendissimum Patrem

D. ANGELUM ROCCAM

EPISCOPUM TAGASTENSEM,
ET APOSTOLICI SACRARII
PRÆFECTUM.

O Lumen ingens Ordinis Angele,
Quem mente sacrâ lux Lybiæ Pater,
Fundavit Augustinus, undè
Progenies numerosa fluxit.
Latè per oras, artibus ingens
Virtute fulgens nec minus aureâ,
Ecclesiæ, navi tremente,
Præsidium, columenque fidum.
Te te ille, se nunc altiùs evehit,
Felici alumno Cætus amabilis;
Te gloriatur, quem secundo
Per Patrias properare laudes.
Gressu tuetur; non tibi desides
Labuntur horæ, non hebet otio
Erecta mens, sed perspicaces
In studiis teris usquè curas.
Ad hæc superbis æmula Regibus
Colenda nimirùm, est locuples tibi
Collecta librorum supplex
Pontificum in lare Vaticano.
Te sede in illâ nam pietas tua
Pridèm locavit, magnanimo auspice
Clemente, sacræ qui beatas
Divitias tueare gazæ.
Rectè merenti, quod decus Ordini
Sanxere justo munere Principes,
Servatque ad hoc ævi, trecentum
Perpetuâ serie per annos.
Celata sed quid gloria proficit,
Oblivioſa tecta silentio,
Cùm clara tot Patrum jacerent
Nomina? tot memoranda facta?

En te

En te reſurgunt jàm modò vindice
Sub lucis auras, te duce ſecula
Æterna vivent, quos iniquis
Obruerat tenebris vetuſtas.
Quos & laboris non tenuis tibi
Fuiſſe dicat, qui leget, abditis
Hinc indè chartis eruiſſe
Ingenio, vigilique curâ.
Evoluat iſthæc Poſteritas lubens
Afri Parentis; nec tibi gratias
Referre ſervanti gravetur
Prīſca ſuæ monumenta Gentis.
Tùm nupèr alto qui ſolio Petri
Conſedit, & cui ritè dicas opus,
Te fronte reſpectet ſerenâ
Egregius pietate Princeps;
Virtute partis auctus honoribus
Exemplar ut ſis, præmia navitèr
Sequi laborantes, & omnes
Ad ſimiles animentur artes.

Ejuſdem ad Eundem

EPIGRAMMA.

CLavigerum ſacris, qui præſedere tuendis,
Hiſtoriæ ſeries hæc tua ROCCA docet.
Nominaque, & ſervat clarorum facta virorum,
Ordo tuus per quos tollit ad aſtra caput.
Te ſinè Pontificum quid gratia proderat illis?
Quid gradibus variis ſæpius auctus honor?
Obſcura penitùs demerſi nocte jacerent,
Nec ſibi, nec Generi gloria magna ſuo.
Eruis è tenebris, ſcriptis tu ROCCA diſertis,
Utque facis volitent cuncta per ora virum.
Principibus periere ſuis; te vindice vivunt,
Et famam longæ Poſteritatis habent.

Ejuſdem ad Eundem

EPIGRAMMA.

POntificum Ædituis, quæ munera, quique labores,
Temporibus variis quique tributus honor,
Tùm tercentenis quibus hoc onus obtigit annis
Poſt tria Succeſſor ſecula ROCCA doces.
Scriptorum intactas calamo res hauſeris undè,
Undè ignota ſacræ tot monumenta domus.
Mirentur non viſa animis, quibus æmula Regum
Ingenii cultrix Bibliotheca tui.
Hæc, quæ perpetuis ſignares nomina chartis,
Hiſtoriæ hæc varias ſuppeditavit opes,
Inquam, cùm tantos ſumptus effuderis, & cùm
Non tibi ſub ſegni pulverulenta vacet,
Jurè tuam, meritòque legent, qui talia doctam
Laudabunt paritèr, munificamque manum.

CHRONHISTORIA DE APOSTOLICO SACRARIO.

De Sacrarii & Sacriſtæ nominibus,

SACRARIUM apùd Ethnicos tàm pro loco, in quo Sacra reponebantur; quàm pro Larario, Sacrario, ſcilicèt, domeſtico, in quo Lares, & Dii peculiares, vel domeſtici in ædibus privatis colebantur; necnon pro Sacello publicè conſecrato accipitur. De loco juxtà primam ſignificationem Cicero, ut reor, Aquilæ argenteæ Catilinam domi ſuæ Sacrarium ſtatuiſſe dicit. De Larario, hoc eſt, de Sacrario domeſtico loquitur Lampridius in Severo, dum ſcribit, Alexandrum Severum in Larario rem divinam matutinis horis factitaſſe ad effigies Deorum, in quibus habebat Apollonium, Orpheum, Abrahamum, & Chriſtum. In ſecundo Larario ſimulacrum habebat Virgilii, & Ciceronis. Svetonius autèm in Auguſto non tam pro ſacrorum repoſitorio, vel privato Larario, quàm pro Sacello publicè conſecrato ſumpſit, dicens: *Auguſtus ad capita natus bubula, ubi nunc Sacrarium habetur, aliquanto poſt, quàm exceſſit, conſtitutum.* Pro eodem forsàn ſignificatu à Cicerone *Sacrarium Bonæ Deæ* nominatur.

Cic. prima, & ſecunda in Catilinam.

Lampr. in Alex. Severo.

Svet. in Oct. Aug.

Cic. pro T. Ann. Mil.

Sacrarii ergò nomen, ſivè pro Larario in ædibus privatis apùd Ethnicos olìm ſtrui conſueto, ſivè pro loco Sacrato, ſeu Sacello; ſivè pro eo Templi loco, in quo ſacra reponebantur, tam apùd Scriptores profanos, quàm Eccleſiaſticos in frequenti fuit uſu. Ut autèm multos utriuſque claſſis Auctores brevitatis causà poſthabeam, primo prætermiſſo ſignificatu, illud in medium afferam, quod Hegeſippus natione Judæus (ut ait Tritthemius) ad Chriſti deindè fidem converſus, & Apoſtolorum temporibus vicinus; Vel quivis ætatis poſterioris alius, de Sacrario, hoc eſt, de ſacratiſſimo Templi loco, in hiſtoriis de Bello Judaico, deque Hieroſolymitanæ Urbis excidio ſcriptum reliquit. Is enim in quinto hiſtoriarum libro, dum miſerandam Civitatis, ac Templi ruinam ab Eleazaro deploratam narraret, hunc in modum locutus eſt: *Ubi eſt maxima Civitas Hieruſalem, ubi decora Sion, ubi Templum mirabile, ubi ſecundum illud Tabernaculum, Sanctitatis Sacrarium, quo ſemèl in anno ſolus Princeps Sacerdotum ſolebat intrare non ſinè ſanguine, quem pro ſe offerret, & pro Populi delicto? Profanatum eſt à Gentibus; habitant in reliquiis Urbis qui eam deſtruxerunt.* Hæc Hegeſippus, cujus totam ſententiam recitandam cenſui tamquàm grandi, operoſo, & penè affectato genere inſignitam. Tertiam itèm ſignificationem explicavit Ulpianus, dum quid intèr ſacrum locum & Sacrarium interſit, oſtendit, dicens: *Sacer locus eſt, locus conſecratus: Sacrarium, in quo ſacra reponuntur.* Hæc Ulpianus. Sacrarium itaquè à ſacris nomen ſibi ſortitum eſt rebus, cujuſmodi ſunt variæ Sacerdotum, ac Miniſtrorum veſtes, Reliquiæ Sanctorum, & vaſa ſacra, idque genus alia, quæ in eo aſſervantur. A Sacrario denique ipſo, tot tantiſque rebus ſacris referto, cui Sacriſta præeſt, Sacriſtæ nomen tractum eſſe, dicamus oportet.

Hegeſippus lib. 5. cap. 5.

Lib. 5. cap. 55.

Ulpianus l. Sacrar. De Rerum diviſione. Spiegellius.

Antiquitùs autèm Sacriſtam cum Oſtienſi lib. 1. Summæ cap. de officio Sacriſtæ, cenſeo fuiſſe illum, quem Eccleſiaſtici viri *Cimiliarcham*, à cimilio derivatum, paſsìm vocitabant: nàm cimilium, vel cimelium, κειμήλιον, vox Græca, ſignificat (ut Græcam linguam callentibus placet) quod in magno pretio habetur & aſſervatur, velutì ſunt vaſa pretioſa, & ſacræ reliquiæ; vel, ut alii volunt, magis propriè, & uſitatè ità vocatur quod in noſtra ſuppellectile cæteris eſt pretioſius; & tale, quod magnâ curâ reponi ſoleat. De hac voce fit mentio in Policratico, ſivè de Nugis curialium, ac veſtigiis Philoſophorum lib. 4. cap. 4. Locus autèm, in quo res pretioſæ & in deliciis habitæ reconduntur, *Cimiliarchium*, vel *Cimeliarchium*, Κειμηλιάρχιον, vocabatur, ut videre eſt apùd Gregorium Magnum in lib. 2. Regiſtri ind. 11. epiſt. 49. hæc ſcribentem: *Res autem, quæ apùd eum inventæ ſunt, in Cimiliarchio Eccleſiæ tuæ ſervare modis omnibus ſtudebis.* In lib. etiàm 7. indict. 2. epiſt. 129. de Cimiliarchio ità inquit: *De ſex verò centenariis, qui in Cimiliarchio Ravennati Eccleſiæ fuerant commendati, ſicùt veſtra teſtatur epiſtola, ab Excellentiſſimo Exarcho in quotidianâ militum præfecturâ ſunt mutuati, &c.* Qui autèm Cimiliarchio præerat, *Cimiliarcha*, vel *Cimeliarcha* vocitabatur: quod enim Græcè Κειμηλιάρχος dicitur, latinè *ſupellectilis pretioſæ Cuſtos, vel Præfectus* interpretatur. De hoc munere loquitur Panvinius in Chronico Eccleſiaſtico, dum de magnæ Eccleſiæ

Cimiliarcha, & Cimiliarchium quid.

Policraticus.

S. Greg. lib. 2.

Lib. 7.

Panvinius Anno Dom. 1173. & 1211.

clesiæ Cimiliarchis ad Archiepiscopatum Mediolanensem assumptis verba facit. Sunt item qui Cimiliarchii *Præfectum, Thesaurarium*, vel *Thesauri custodem* nominandum esse velint, ut Papias in suo Dictionario explicat. Hujus generis nomen, Cimiliarcha, ipsiusque officium erat olim cura insignitum in Ecclesiâ Cathedrali Mediolanensi annuo reditu, & quidèm satis grandi; nunc reditu viget & curâ, sed diminutâ. Sacrista igitùr & *Cimiliarcha*, ac *Thesauri custos*, vel *Thesaurarius* olim dicebatur. Hinc est, quòd Concilii Toletani Patres, ut refertur in Decretalibus Tit. de officio Sacristæ, ad Sacristæ curam totius Thesauri Ecclesiastici custodiam pertinere volunt, eumque ut legitur dist. 25. Isidorus *Thesaurarium* vocat, ad eumque Chrismatis conficiendi, Baptisteriique ordinandi, aliarumque rerum curam pertinere ait. Alii verò à sacrâ Æde, *Ædituum*, vel *Æditimum*; & concinniori voce, *A Sacris*, *vel Sacrarii Præfectum* appellant; qui tamèn ab ipsius Libri cæremoniarum Auctore in libro 3. cap. 19. sect. 2. *Apostolici Palatii Sacrista* nuncupatur.

Lib. 1. Decretal. Tit. 26. c. 1. Perlectis Isidorus in Epist. ad Ludisredū.

LiberCœrem.

De Sacristæ Romani Pontificis officio cum dignitate conjuncto.

OMnes, qui alterius potestati subsunt, aliqua sub eodem fungentes præfecturâ, *Officiales* vocitantur, & sunt. Officium autèm, ut S. Ambrosius ait, *ab efficiendo* dictum, est quod quisque efficere debet, observatâ locorum, temporum, ac personarum ratione. Officialium verò alii sunt cum dignitate, sivè cum prælatione sibi annexâ; alii non itèm. Officiales primæ classis (ut inferiores, qui in omni Familiâ benè institutâ esse solent, ac debent, silentio prætermittamus) sunt illi, qui ob insigne munus, quod apùd Romanum Pontificem exercent, etiàm si Episcopali aut majori dignitate decorati non sint, insigni tamèn Prælaturæ habitu induti, ab aliis non Prælatis distinguuntur, è quorum numero sunt, S. R. E. Vicecamerarius, vel Urbis Prætor seù Gubernator, Auditor Cameræ, Datarius, Thesaurarius Generalis, Protonotarii Apostolici, Subdiaconi Apostolici, Auditores Rotæ sivè Cappellani Papæ, cum Magistro Sacri Palatii, Clerici Cameræ, Acolyti, Abbreviatores, Secretarii, & Referendarii, quorum aliqui ubi primùm ad sua officia assumpti sunt, pallio saltèm ad Prælaturam pertinente, paulò infrà humeros ad brachia extrahenda perforato, quod *mantellettum* Italicè appellant (Magistro Sacri Palatii excepto) induuntur, & *Prælati* nuncupantur. Alii verò insigniores ex iis, quos recensuimus, Prælati, tunicâ etiàm lineâ candidissimâ, & subtilissimâ, ab humeris ad poplites usquè fluente, infràque mantellettum gestari solità (quam *Rocchettum* vulgò vocant) insigniuntur. Sunt igitùr qui mantelletto saltèm, quod Prælaturæ insigne est, per Urbem incedunt decorati, & *Prælati* vocitantur. Hunc in modum Papæ Sacrista non Episcopus sese habet, qui ad officium Sacristatus assumptus, suprà mantellettum rotundo scapularum tegumento cum capitio modico, quod cucullæ seù potiùs cuculli loco, *mozzettam* vulgò appellant, vel Sanctissimi D. N. vel S. R. E. Cardinalis manu ad officium ipsum cohonestandum insigniri solet, sicùt in me factum fuisse sum expertus. E manu enim Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Petri S. R. E. Cardinalis Aldobrandini dictum habitum unàcum Diplomate Pontificio ad Sacristatus officium pertinente susscepi, cum primùm ex merâ Clementis VIII. Pont. Max. benignitate ad hanc Præfecturam, immensâ Dei clementiâ annuente, fui evectus. Cæteri autèm ferè omnes, qui hac functi sunt Præfecturâ, tùm ad Sacristatus officium magis cohonestandum, tùm etiàm proptèr obsequium ipsum, quod à Sacristâ in re sacratissimâ faciendâ, necnon aliis in rebus circà personam Romani Pontificis præstari solet (ut infrà ex Chronicis, atquè ex historiis explicabimus) vel Episcopali vel Archiepiscopali, vel tandèm Patriarchali dignitate fuerunt insigniti, Prædecessore meo cum aliis perpaucis excepto, qui ob rectum conscientiæ scrupulum talem dignitatem non semèl recusavit.

Mozzetta quid.

Card. Aldobr.

Clemens VIII

Sacristæ majori dignitate insigniti.

Quamvis autèm id ità sit, reperio tamèn ego intèr Apostolici Sacrarii Præfectos unum, qui pòst Sacristatum susceptum, Abbas Sancti Sebastiani, sicùt suo plenissimè explicabitur loco, creatus fuit, cujus dignitas in coronatione Summi Pontificis Episcopos omnes præcedit: qua profectò eminentiâ cæteri Urbis Abbates potiri solent. Hùc accedit quòd Sacrarii Pontificii Præfecti non solùm Confessarii Papæ, sed Pœnitentiarii, & Bibliothecarii Apostolici esse solebant, & ad Sixti IV. usquè tempora officio Bibliothecarii functi sunt, sicùt id in Catalogo Sacristarum ostendemus. Hiscè itaquè de rebus omnibus Apostolici Sacrarii Præfecturam, tùm ob solam Sacristatus curam sibi commissam, tùm etiàm ob suas ipsius varias, & quidèm honestissimas functiones, quas infrà recensebimus, dignitatem quandàm sibi annexam habere ratio ipsa persuadet: nàm Bibliothecarii Romani Pontificis nonnisi in aliquâ dignitate constituti creari olim solebant, ut nostrâ sit tempestate: nàm sempèr alicui ex S. R. E. Cardinalibus Bibliotheca Vaticana committi solet. Adde etiàm quòd Sacrarii Pontificii Præfectus munia Parochi exercet, sicut ex ipso Viatico Sacrosancto, quod in Cappellâ Pontificiâ perpetuò custodiendum curat; necnon ex aliis functionibus ad Sacristam pertinentibus, apertè constat, ut infrà videre licet. Quod sanè officium tùm ob ipsas res, quæ ab eo administrantur; tùm quia circà personam Papæ præstantur, quandam suo quodam jure præfefert dignitatem: Sicùt enim Rotæ Auditores, juris utriusque Doctores peritissimi, & *Cappellani Papæ* vocitati, cæteros Cappellanos, quicunque illi sint, dignitate Prælaturæ antecellunt; ità & Sacristatus Apostolicus cæterorum Sacristarum,

Lib. 1. Off. c. 2.

Officialium divisio.

Officiales primæ classis.

Mantellettū quid.

Officiales insigniores, & Prælati.

Rocchettum quid.

Lib. 1. cœrem. sect. 2. cap. 3.

Officia olim Apostolici Sacristæ.

Papæ Sacrista Parochus.

Rotæ Auditores.

rum, & Parochorum officia longè præstat, dictis de causis intèr Prælatos lato sub vocabulo comprehensos adnumeratus. Sunt itèm in Cappellâ Acolyti, & Subdiaconi Apostolici, qui etsi Prælati non sunt, officiis absolutè sumptis; in Cappellâ tamèn Pontificiâ, quatenùs Papæ Ministri, Prælaturæ nomen retinent, ac vestitum, cappâ, & rocchetto utentes. Ità pari, vel potiùs præstantiori ratione Papæ Sacrista est: quia quamvìs cæteri Ecclesiarum Sacristæ Prælati non sint, Sacrista tamèn Papæ, quatenùs Apostolici Sacrarii Præfectus, & Parochi munia exercens, Sacramentaque subminístrare consuetus, aliquo Prælaturæ nomine potitur, & habitu.

Confirmatio per exemplũ Protonotariatus.

Quòd autèm Sacristatus officium, & alia munia, quæ publicè in præclarum Apostolicæ Sedis obsequium exercentur, dignitatem sibi quandam, aut Prælaturam sortiantur, unum ex multis aliis exemplum de Protonotariatu in medium afferam. Nàm Protonotarii, quatenùs Apostolicæ Sedis Notarii, *Protonotarii Apostolici*, hoc est, Apostolicæ Sedis Notarii, omnium scilicèt Notariorum primi, ad supremum officii statum insinuandum vocitantur, & sunt, habitu, & nomine Prælaturæ, ac privilegiis insigniti. Istùcipsum de Sacristatus Apostolici habitu, ac dignitate juxtà officii naturam censendum, & affirmandum videtur.

Sacristatus dignitas ex p. 1. Decreti.

Adde etiàm, quòd ab Isidoro Hispalensi Sacristatus intèr dignitates recensetur, ut videre est in primâ Decreti parte distinct. 25. cap. 1. *Perlectis*, ubi Glossa dum Isidori verba interpretatur, hunc ait in modum: *Quatuor dignitates debent esse sub Episcopo in Ecclesia majori*, hoc est, *Archidiaconus*, *Archipresbyter*, *Primicerius* [*Præfectus videlicèt Scholæ Cantorum*] *& Thesaurarius*. Hæc ibi ex Isidoro Hispalensi, qui suâ in epistolâ satìs longâ ad Ludifredum scriptâ dictas dignitates, earumdemque munia nominatìm enarrat. Per Thesaurarium verò nonnisi Sacristam communi omnium consensu intelligendum esse Legistæ omnes affirmant, tùm ex dicto capite, *Perlectis*; tùm etiàm ex cap. De officio Sacristæ lib. 1. Decretalium tit. 26. cap. 1. in quo Sacrista, *Thesaurarius*, vel *Thesauri Ecclesiastici Custos* nuncupatur. Cùm itaquè Sacristatus officium in Ecclesiâ Cathedrali, sivè Episcopali intèr dignitates connumeretur, multò magis idèm officium dignitatem esse omninò dicamus oportet, dùm sub Romano Pontifice, qui est totius Ecclesiæ caput, exercetur; atquè ab ipsomet Sacristâ non solùm Chrisma juxtà curam ab Isidoro Hispalensi dictâ in epistolâ ei præscriptam, sed Oleum itèm sanctum, & Oleum infirmorum in Apostolico Sacrario conservantur, & pro rerum indigentiâ subminístrantur.

Onuphr. Panuin.

Lib. 1. Decretal.

Hac de causâ Sanctissimi D. N. Sacrista ubique locorum utitur mantelletto, à Romanis Pontificibus in signum Prælaturæ dari consueto, quod Subdiaconis, & Acolytis concessum esse non videmus. Hi enim per Urbem incedentes mantelletto non utuntur, quamvìs ipsi Subdiaconi suprà Auditores Rotæ, suprà Clericos Cameræ, suprà Acolytos, suprà Abbreviatores, & suprà Secretarios; Acolyti verò intèr Ministros Ecclesiasticos Altari deservientes postremi, suprà Abbreviatores, & Secretarios locum in Cappella tenere soleant. De Referendariis, qui etiàm sunt Prælati, mentionem haùd facio, quippè qui Cappellis non intersunt, quia in eis locum non habent.

Facultas benedicendi.

De Apostolici Sacristatus Prælaturâ efficit itèm argumentum non obscurum facultas illa benedicendi tam ornamenta Altaris, quàm indumenta sacra, sivè, ut ajunt, paramenta tàm Levitica, quàm Sacerdotalia, necnon Corporalia, & cætera omnia ad usum sacrum pertinentia, in quibus Chrisma non adhibetur, à Summo Pontifice per Diploma ipsi Sacristæ dari consueta: quæ sanè benedicendi facultas nonnisi Prælato concedenda censetur. Hac itèm Prælaturæ, ac sacræ Theologiæ ratione Apostolici Sacrarii Præfectus ex sui Sacristatus officio ubi primùm ad Sacrarii Pontificii Præfecturam assumptus est, Theologorum Collegio pro Theologis Doctoribus Romæ creandis instituto cooptatur; & sacrorum Rituum Congregationi, quæ intèr aliquot S. R. E. Cardinales habetur, interesse solet. Hæc de Sacristæ Romani Pontificis officio cum dignitate conjuncto.

Collegium Theologorũ.

Congregatio sacrorum Rituum.

De Sacristæ Romani Pontificis functionibus.

SAcristæ Pontificii functiones frequentes, & multæ sunt, eòque digniores, quòd omnes ferè circà personam Papæ, rem præsertim Sacram facientis, præstantur: ministerium namque suum Apostolici Sacrarii Præfectus tam in Cappella, quàm dicunt *secretam*; quàm etiàm in omnibus, & singulis sivè Missis, sivè Vesperis, seù Matutinis in Cappellâ publicâ, vel ubi Papa voluerit per S. R. E. Cardinales, vel per Prælatos alios celebrandis exhibere solet: Summumque Pontificem, privatìm rem divinam facere volentem, vestes Sacras induere, & exuere semper consuevit, ut in Codice Sacrarii Pontificii legitur; eique in Missâ assistit, respondet, & ministrat lumen candelæ, & omnia dicenda ostendit. Ex duabus intereà Hostiis unam (antequàm fiat oblatio) è manu Papæ acceptam prægustat, & comedit. Quod etiàm de vino, & aquâ facit in cratèram, seu Pateram argenteam, & auratam per Cappellanum intimum ex ampullis effusis bibens. Idem quoquè, Papa solemnitèr celebrante, fit, S. R. E. Cardinale Diacono coram Papa dicta omnia eidem Sacristæ præbente: sed in hac solemni Missâ ex tribus Hostiis non consecratis duæ à Sacrista è manu ejusdem Cardinalis antè oblationem acceptæ prægustantur, & comeduntur, ut fusiùs in Commentario nostro de Ritu Missæ hujus dictum fuit. Auctor libri Cæremoniarum post multa, quæ ad Sacrarii Pontificii Præfecti officium pertinent, ait hunc in modum: *Sacrista debet semper interesse, quandò Pontifex celebrat, sivè*

Sacristæ cura in Missis Papæ, tam solemni, quàm privata, & in omnibus Cappellis.

Missa Papæ privata.

Missa Papæ, Solemnis lib. cæremon. 2. cap. 14.

Lib. 3. sect. 2. cap. 18.

sivè publicè, sivè privatim, & ministrare opportuna. Hæc ibi. Nec unquàm Summus Pontifex ob quascunque causas, quæ plures esse possunt, indumento aliquo Sacro vestitur, nisi Sacristâ saltèm ministrante.

Stola Papæ imponenda.

Si quandò stola Summo Pontifici imponenda sit (ut in multis functionibus fieri solet, & frequentissimè quidèm) eam, nullo præsente Cardinale, collo ejus imponere consuevit Sacrista, qui nihilominus sempèr adesse debet, ut vel porrigat Cardinali, vel Papę ipsemet imponat, si Cardinalis non adsit. Istùcipsum fieri sempèr consuevit de

Aspersorium.

aspersorio in vase aquæ benedictæ tincto, Papâ Sacellum privatum, vel Ecclesiam aliquam ingrediente, ut in Codice Sacrarii Pontificii legitur.

Sacristæ cura Missam Papa privatim audiente.

Missam etiàm Papâ privatìm audiente, Sacristâ, si Cardinalis non adsit, libro Missali accepto, Evangelium jàm lectum exosculandum Papæ offert; ità quoquè suo tempore pacis Instrumentum, quam *Pacem* vocant, ei osculandum porrigit. Cæremoniæ in omnibus functionibus observandæ, dicto in codice explicantur.

Missarum distributio lib. 3. cæremon. sect. 2. cap. 18.

Distributio deniquè Missarum omnium, quæ à Cardinalibus solemnitèr celebrantur, ad Sacrarii Apostolici Præfectum pertinet, ipsâ tamèn distributione, quæ ab eo excogitata fuit atquè conscripta, Cardinali, qui primùm intèr Cardinales Presbyteros locum tenet, ostensa. Distributio itèm Missarum, quas Prælati Assistentes in Sacello Pontificio celebrant; necnon Cappellarum omnium denunciationes, vel intimationes per Cursores promulgari solitæ, ad eundem Sacristam pertinent.

Sacrosanctũ Viatic. perpetuò in Cappella custoditur lib. 3. cærem. sect. 2. cap. 18.

Papæ itèm Sacrista Sacrosanctum Christi Corpus in Hostia Magnâ, quanta est, quæ à Celebrante sumitur, in Cappella majori, quam *Sixtinam* vocant; vel alibì, si Papa aliò commorandi causâ se se conferat, toto anno pro ejus Viatico asservandum diligentèr curat: ipsamque Hostiam de septimo in septimum diem mutari solitam, ad Romanum Pontificem in mortis Articulo constitutum, Sacrista, tanquàm Parochus, deferre solet: nàm quotidiè dictâ in Cappellâ erudito, ac suavi Musicorum concentu cantatur Missa, immaculataque Hostia in pyxide argenteâ, sed auratâ, intrà tabernaculum decentissimum, quamvìs nunquàm tanto Habitatore dignum, custoditur; perpetuòque antè Altare pendent hinc, & inde lampades ex ære montano, aut orichalco duæ accensæ, in quibus lumen non oleo, sed cerâ nutritur: cujus rei curatio Clericorum officio annexa est. Sacrista verò tùm monendo, tùm jubendo, & efficiendo studet, ut circà tantùm Sacramentum omnia juxtà Patrum decreta, & quanto majori studio fieri potest, fidelitèr, mundè, perpolitè, atquè honorificè perficiantur.

Sacristæ cura in itinere Romanorum Pontificum lib. 1. cærem. sect. 2. cap. 1.

Si quandò Romanus Pontifex longum iter sit confecturus, toto solemnitèr deferendi Sanctissimum Christi Corpus, universique comitatus, & equitatus cura ei ex officio Sacristatus (ut baculus, jurisdictionis insigne, in itinere ab ipso gestari solitus, ostendit) demandatur. In illo autèm comitatu (prætèr milites tàm pedestres, quàm Equestres, Officialesque plurimos cum universo Cantorum Papæ Collegio; prætèr itèm Papæ Cubicularios, viros nobiles, titulisque decoratos, sacrisque initiatos, & Sacellarios) multi, vel Episcopali, vel Archiepiscopali, ac tandèm Patriarchali dignitate, insigniti adscribi solent, sicùt in profectione ab Urbe Roma, Ferrariam usque, Anno salutis nostræ MDXCVIII. factum esse constat. Quæ sanè omnia in Commentario nostro jam impresso, tâm delineationibus ære incisis, quàm verbis, & fusissimè quidèm, conscripta videre licet.

Sacristæ cura perpetua lib. 1. Cæremon. sect. 15. cap. 2.

Sacrista igitùr, tanquàm Parochus, à Sacris Romano Pontifici sempèr esse solet, sive sano, sivè ægroto, sivè etiàm Deo Spiritum reddenti pro Sacramentis Ecclesiæ ministrandis; sinè cujus ministerio, nec etiàm sepulturæ mandatur. Prætereà instàr Parochi, ac juxtà curam ab Isidori Hispalensi præscriptam, ut videre est in primâ Decreti parte; non solùm Chrisma, sed Oleum Sanctum, & Oleum infirmorum conficienda curat, & in Apostolico Sacrario conservat, eaque pro rerum indigentiâ loco, ac tempore subministrat.

Dist. 26. cap. 1

Sacristæ functiones in Cõclavi lib. 3. cærem. sect. 2. cap. 18.

Introducitur deniquè in Conclave, ubi pro novo Pontifice eligendo, quotidiè, universo S. R. E. Cardinalium Collegio præsente, rem sacram, facit, & pro electo secundùm morem vestiendo, nova secum defert, custoditque indumenta. Ecclesiæ itèm Sacramenta juxtà Cardinalium, & Conclavistarum indigentiam, in Conclavi administrat, necnon alias ad res, & quidèm gravissimas, nonnunquàm, proùt occasio se se offert, adhibetur, quippè qui primùm Conclavistarum tenet locum. Hæc brevitèr de Sacristæ functionibus, quæ in libro Apostolici Sacrarii absolutiùs tractantur, & explicantur.

Lib. 2. cærem. sect. 2. cap. 18.

De Sacristæ habitu in Cappellâ, & foris.

TAmetsi de Sacristæ habitu nonnihil diximus, dum de ejus offic.., ac dignitate verba fecimus; hoc tamèn loco de re eâdem fusiùs loquendum censeo, ut quæ dicenda supersunt, omnia tùm ob varias functiones, tùm etiàm ob alias dignitates, quibus Apostolici Sacrarii Præfecti insigniri consueverunt, explicentur.

Sacrista non Episcopus extrà Divina Officia eodem induitur habitu, quem Regulares Episcopi ferre solent, prætèr Pilei, seù Galeri chordulas, aut funiculos: horum enim viridis, illius verò nigri coloris esse debent, qualibus Protonotarii utuntur. Vestes igitùr Sacristæ extrà Divina Officia sunt nigri coloris hunc in modum: Inferior sivè interior tunica [quam vulgò *subtaneam* vocant] ab anteriori parte usquè ad talos, vel ad connexum usquè pedis; à posteriori autèm ad terram usquè demissa, cingulòque coriaceo,

Sacristæ habitus.

nigro

nigro itèm, succincta: Superior vestis, inferiori amplior, sed brevior, ad mensuram pallioli Episcoporum [quod *mantellettum* Italicè vocant] & scapularum tegumentum cum capitio rotundum [quod *mozzettam* passìm appellant] esse debent. Sacristæ omnes, non Episcopi, vestibus hisce indui consueverunt, ut in libro Sacrarii Pontificii legitur. Has itèm vestes nostrâ tempestate gestasse vidimus Fratrem Egidium Pisaurensem, vivente adhùc Sacristâ, Fratre Joanne Jacobo Barbâ Neapolitano, sed tamèn absente, cui ad Concilium Tridentinum misso, datus à Pio IV. fuerat in coadiutorem; necnon Fratrem Josephum Pamphilum Veronensem, antèquàm hic Signinæ, ille verò Nepesinæ Ecclesiæ Episcopi crearentur. Hunc eundem habitum gestavit Frater Augustinus Fivizanius Prædecessor meus. Quamvìs enìm hic aliquandiù, nescio quonam consilio ductus, mozzettam intrà mantellettum, capitio, vel caputio ejus tantum extrà mantellettum apparente, gestarit; Gregorius tamèn XIV. Anno à Mundo Redempto MDXCI. in die Sanctis Apostolis Petro, & Paulo consecratâ, eam suis manibus suprà mantellettum gestandam Sacristæ Prædecessori meo restituit, ut ipsemet Fivizanius in Codice Sacrarii Apostolici manu id suâ scriptum reliquit.

Sacrista ad Concilium Trid. missus.

Gregor. XIV.

Congregationis Decretũ.

Adde etiàm quòd tempore Sixti V. in Sacrorum Rituum Congregatione, quæ *Cæremoniarum* olìm dicebatur, decretum fuit, ut Papæ Sacrista mozzettam suprà mantellettum gestaret, uti Secretarius in libro Congregationis id adnotavit. Hinc Gregorius XIV. qui eo tempore dictæ Congregationi, dum Cardinalis foret, intererat, mozzettam suprà mantellettum gestandam suis manibus meo reddidit Prædecessori, sicùt nupèr dictum fuit: mozzetta enim est proprius Prælatorum Regularium habitus, loco caputii, seù pro scapularum tegumento, quo Fratres, & Monachi utuntur. Id quod ex eo in primis manifestum profectò fit, quòd Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ non regulares mozzettâ nonnisi in suâ ipsorum Diœcesi, vel Provinciâ uti possunt; Episcopi autèm, & alii Prælati regulares ubique locorum eâ uti solent, ac debent cucullæ, vel potiùs, ac rectiùs quidèm, cuculli aut caputii loco. Prætereà, sicùt Rocchettum, Episcoporum non Regularium propriùs est habitus; non tamèn ab iis tantum, sed ab aliis itèm Prælatis, hoc est Subdiaconis Apostolicis, Auditoribus Rotæ, Clericis Cameræ, Acolytis, ac cæteris Prælatis, quos Sacristæ omnes præcesserunt, sempèr in Cappellâ deferri solet; ità mozzetta non solùm ab Episcopis regularibus, sed ab aliis itèm Prælatis Religiosis gestatur caputii loco: immò eâ non solùm Abbates tam benedicti, quam non benedicti, atquè Commendatarii Regulares, sed illi etiàm, qui in Romana Curiâ *Fratres plumbi*, seu *Bullarum plummbatores* nuncupabantur, & ad Sixti V. usquè tempora viguerunt, uti sempèr consuevere. Hæc de proprio, usitatoque Sacristæ habitu extrà Cappellam gestari solito.

Prælatorum regularium habitus proprius.

Prælatorum non regularium proprius habitus.

Quandò autèm Sacrista Divinis Officiis, quibus adsit Papa, interesse debet, si non sit Episcopus, amictum cappæ loco, & superpelliceum sese induit: in Missis Papæ privatis minìstrans, superpelliceo solo induitur. Absente Pontifice, sessurus apùd Prælatos in Cappellâ, nihil superinduit. Si autèm Sacrista sit Episcopus, in Cappella, præsente Papâ, utitur cappâ cum pellibus nigris sedens intèr Assistentes juxtà suæ antiquitatis ordinem. Absente etiam Papâ, si Sacrista sit Episcopus, utitur itèm cappâ, si cùm cæteris Episcopis in Cappellâ sedere voluerit. Diebus deniquè illis, in quibus Cardinales, & Prælati Episcopi, & id genus alii Sacris utuntur indumentis, etiàm ipse pluviali suprà superpelliceum, & mitrâ decoratur: Si autèm non sit Episcopus, non pluviali, sed superpelliceo, & amictu uti consuevit; tunc verò pòst omnes pluviali, & casulâ indutos tenere consuevit locum, ne solus ipse amictu solo, ac superpelliceo indutus ad candelam, & ad palmam suscipiendam incedere videatur. Hæc de habitu Sacristæ in Cappellâ, & foris, ut de loco ejusdem sermonem habeamus.

Sacristæ habitus, & locus in Cappella.

Lib. 3. cærem. sect. 2. cap. 2.

De loco Sacristæ in Cappellâ, & foris.

SAcrista Episcopali, vel majori dignitate insignitus, quandò Papa Divinis Officiis interest, tenet locum in Cappellâ intèr Prælatos Assistentes juxtà gradum, & antiquitatem suæ promotionis: nàm ex Officii sui naturâ seù privilegio, absquè eo quòd vocetur more aliorum Assistentium, pro Assistente habetur; & propterèa in ordine suo celebrat, & servit Papæ in Cappella, Assistentiumque honoribus, privilegiis, & immunitatibus potiri solet. Absente autèm Papâ, sedet intèr Prælatos, tenetque locum suæ dignitati, & antiquitati congruentem, nullâ Assistentiæ habità ratione. Sacrista verò non Episcopus, absente Papâ, in Cappella sedet immediatè post ultimum Episcopum, vel post Abbatem mitratum, si adsit: præsente autèm Papâ, ad nostra usquè tempora locum mox post ultimum Prælatum, sivè Episcopum Assistentem habere consuevit, quippè qui, ut in libro Assistentium legitur, *Assistens* saltèm *de Mitra* nuncupatur, cum in Cappella Papæ Mitram subministret Auditorum Rotæ Decano, qui eam Papæ imponendam ad Cardinalem Diaconum Assistentem defert. Hinc Sacrista cum ultimo Prælato Assistente cuncta sempèr in Missis ab Assistentibus dicenda prosequutus est, ab eoque osculum pacis accipere sempèr consuevit; ipse autèm Sacrista nulli alteri dare consuevit pacem, nec sibi proximo à sinistris, qui sempèr est cubiculi Papæ Præfectus. Is enim, & qui ei ex illâ parte succedunt, sub alio ordine pacem accipiunt, eamque sibi invicem communicat. In accessu ad pedes Papæ pro candela, pro cineribus, & pro palma; Ego, qui eandem ob causam, superiori capite assignatam, nunquàm usus sum pluviali, ultimum pœnitentiarium

Sacrista Assistens Papæ.

Assistentium liber.

tiarium sequutus fui, ne me, pluviali, vel casulâ indutis, immiscerem. In officio feriæ sextæ majoris hebdomadæ adoravi Crucem, vel cum ultimo Prælato, seù Episcopo non Assistente ad illius sinistram, vel cum duobus ultimis ad sinistram itèm illorum. Prædecessores autèm mei non Episcopi adoraverunt Crucem, vel cum ultimo Episcopo ad ejus sinistram, vel cum antiquiori Protonotario ad illius dexteram, ut infrà ostendetur.

lib. 3. cap. 18. & 19. sect. 2. Hinc cæremoniarum libri Auctor libro tertio, in quo sermonem habet de officio cujuscunque in Cappellâ servientis, post Sermonem de Officio Prælatorum Assistentium, statìm subdit caput 18. quod est de Officio Sacristæ; & in 19. nullâ mentione de Sacristâ non Episcopo factâ, subjungit de Protonotariis; quod sequuntur quæ de Subdiaconis; his subnectit, quæ de Auditoribus; deincèps loquitur de Sacri Palitii Magistro; mox de Clericis Cameræ, de Acolytis, de Cubiculariis secretis, & postremò de Secretariis, & Advocatis.

Quòd autèm Sacristæ non Episcopi in Feriâ sextà Parasceves adoraverint Crucem cum ultimo Episcopo, aut cum antiquiori Protonotario; tàm ad candelam, quàm ad palmam è manu Papæ accipiendam post ultimum Paramentis indutum inierint, ex Diariis, quæ Magistri Cæremoniarum conscripserunt, videre licet.

Tempore Alexandri VI.

Anno Dom. MDI.

Joannes Burchardus Argentinas, cæremoniarum Magister, tempore Alexandri VI. Anno Dom. 1501. die 28. Novembris de Fratre Augustino Castellano Sacrista, qui nunquàm fuit Episcopus, hæc in suo scripsit Diario: *Hoc mane Frater Augustinus de Castello Professus Ordinis S. Augustini, Confessor Papæ, & Pœnitentiarius Basilicæ S. Petri, novus Sacrista Cappellæ, Papæ incepit servire in officio hujusmodi Sacristæ, & habuit locum ultimum, intèr Assistentes, hoc est, stetit pòst ultimum Prælatum Papæ Assistentem. Anno autèm Dom. 1502. de adoratione Crucis in die Parasceves hoc de Sacrista eodem, non Episcopo, scriptum reliquit: Pòst omnes Episcopos adoraverunt Frater Augustinus Sacrista Cappellæ, & Confessor Papæ à dextris; & Protonotorius, Orator Ducis Ferrariensis à sinistris, simùl; & pòst eos, Oratores Laici Venetiarum, & ejusdem Ducis Ferrariensis.* Hæc in Diariorum tertio Burchardi Tomo, qui penès Paulum Alaleonem primum cæremoniarum Magistrum, & Joannem Paulum Mucantium, nunc tertium cæremoniarum Magistrum, necnon penès alios permultos asservatur. Adde etiàm quòd si Sacrista ille fuisset Episcopus, non post ultimum Episcopum cum Protonotario, sed cum Episcopis Assistentibus Crucem adorasset: sempèr enim Sacrista Episcopus, fuit Assistens: Assistentes autèm in Cappella, præsente Papa, omnes alios Episcopos, & Archiepiscopos non Assistentes præcedunt. Ex hujusce rei testimonio planum profectò fit, Sacristam non Episcopum habuisse locum post ultimum Episcopum in adoratione Crucis; in distributione autèm candelarum, & palmarum, & in cæteris actionibus Cappellæ pòst ultimum paramentis indutum, eandem ob causam nupèr assignatam. Cùm autem antiquiora exempla ob Diariorum, ut sic dixerim, carentiam, in medium afferri non queant; ea, quæ de meo Prædecessore, Episcopali dignitate nunquàm insignito, in Diariis fuerunt adnotata, subiiciemus.

Tempore Gregorii XIII.

Anno Dom. MDLXXIV.

Frater Augustinus Fivizanius Sacrista, & Papæ Confessarius die 4. Aprilis in Dominicâ Palmarum ministerium suum in Cappella exercere cœpit, ut ait Franciscus Mucantius olim cæremoniarum Magister in primo Diariorum Tomo, nullamque de loco Sacristæ nec de palmâ mentionem fecit, vel quia Sacrista ad palmam suscipiendam non ivit, vel quia id ob incuriam prætermissum fuit.

Anno Dom. MDLXXVII.

F. Augustinus Fivizanius, Papæ Sacrista in die Parasceves Crucem adoravit cum ultimo Episcopo, ad ejus sinistram, ut ipsemet Episcopus, Marianus Perbenedictus, nunc S. R. E. Cardinalis, *de Camerino* nuncupatus, à Sixto V. sanctæ recordationis Cardinalitiâ dignitate insignitus, hac de re testatur: cujus luculentissimum Testimonium, & quidèm autographum, in Sacrario Pontificio, præsertìm verò in Bibliothecâ Angelicâ asservatur.

Anno Dom. MDLXXXI.

Idem Frater Augustinus in feriâ sextâ Parasceves adoravit Crucem cum ultimo Episcopo ad ejus sinistram. Hæc ex eodem Francisco Mucantio cæremoniarum Magistro Tom. 2. Diar. fol. 166.

Anno Dom. MDLXXXIII.

Idem Sacrista post ultimum pœnitentiarium Cineres accepit. Hæc ex eodem Mucantio Tom. 2. Diar. fol. 248. & ex Paulo Alaleone cæremoniarum Magistro in Diario.

Anno Dom. MDLXXXIII.

In die Cinerum R. D. Sacrista habuit Cineres post Pœnitentiarios casulis indutos antè Excellentissimum Ducem Soræ.

Palmam habuit antè Marchionem Vasti, & Ducem Soræ.

Anno Dom. MDLXXXIV.

In die Purificationis Sacrista Papæ habuit candelam immediatè post Pœnitentiarios casulis indutos. Hæc Paulus Alaleo cæremoniarum Magister in suo Diario.

Tempo-

Tempore Sixti V.

Anno Dom. MDXC.

Idem Sacriſta in die Purificationis B.M. ſemper Virginis, ut idem Mucantius in tertio Diariorum Tomo adnotavit, immediatè poſt Protonotarios candelam ſuſcepit ob aliquod fortaſſe impedimentum ab officio ſubminiſtratam.

Tempore Gregorii XIV.

Anno Dom. MDXCI.

Idem Sacriſta in Dominicâ Palmarum, quæ fuit ſeptima Aprilis dies, immediatè poſt Prælatos indumentis Eccleſiaſticis inſignitos palmam ſuſcepit, ut Paulus Alaleo primus cæremoniarum Magiſter, & Joannes Paulus Mucantius tertius cæremoniarum Magiſter, ſcriptum in Diariis reliquerunt.

Eodem anno in die Paraſceves, duodecimâ Aprilis die, immediatè poſt Epiſcopos, Abſente Papâ, Crucem adoravit, ut iidem cæremoniarum Magiſtri ſcriptum in Diariis reliquerunt.

Tempore Clementis VIII.

Anno Dom. MDXCII.

Idem Sacriſta in Dominicâ Palmarum immediatè poſt Pœnitentiarios caſulis indutos, antè Gubernatorem, Auditorem Cameræ, Oratores, & Protonotarios palmam ſuſcepit, ut iidem cæremoniarum Magiſtri in Diariis adnotarunt.

Eodem anno in die Paraſceves, quæ fuit 27. Martii dies, abſente Papâ, Crucem immediatè poſt Epiſcopos cum unico Protonotario adoravit.

Anno Dom. MDXCIII.

Idem Sacriſta in die Purificationis B.M. ſemper Virginis, antè Pœnitentiarios caſulis indutos candelam ſuſcepit: Bavariæ namque Ducis filius, qui poſt Epiſcopos Aſſiſtentes in Cappellâ locum tenuit, poſt ultimum Aſſiſtentem pluviali indutum, candelam accepit, rocchetto & ſuperpelliceo inſignitus, quem Sacriſta ob indumenti congruentiam, amictu & ſuperpelliceo indutus immediatè ſequutus fuit, quem ſequuti ſunt Pœnitentiarii caſulis induti, deindè Protonotarii. Hæc iidem ſacrarum cæremoniarum Magiſtri in Diariis adnotarunt.

Bavariæ Ducis filius.

Eodem anno, ut iidem ſacrarum cæremoniarum Magiſtri in Diariis adnotarunt, in die Cinerum, quæ fuit tertia Martii dies, immediatè poſt Pœnitentiarios caſulis indutos, idem Sacriſta cinerem ſuſcepit, antè ſcilicèt Oratores, Auditorem Cameræ, Theſaurarium, Protonotarios, Subdiaconos Apoſtolicos, Auditores Rotæ; & cæteros, qui ordine ſequuntur.

Anno Dom. MDXCV. MDXCVI. MDXCVII. &c.

F. Angelus Rocca, Papæ Sacriſta, primo ſui officii anno, in Dominicâ Palmarum, quæ fuit 19. Martii dies, immediatè poſt Pœnitentiarios caſulis indutos palmam ſuſcepit, antè ſcilicèt Oratores, Auditorem Cameræ, Theſaurarium, Protonotarios, Subdiaconos Apoſtolicos, & Auditores Rotæ, atquè cæteros, qui ordine ſequuntur, ſicùt iidem ſacrarum cæremoniarum Magiſtri in Diariis ſcriptum reliquerunt. Eundem itèm locum in diſtributione candelarum, & in ſacris Cineribus ſuſcipiendis tenuit; in die autèm Paraſceves vel cum ultimo Epiſcopo, vel cum duobus ultimis Crucem adoravit, quandò talem adivit locum. Quem ſanè ordinem F. Auguſtinus Fivizanius, Sacrarii Præfectus, viginti annorum ſpatio, duabus illis vicibus, quas nupèr commemoravimus, ob cauſas aſſignatas exceptis, perſequutus eſt ſempèr, ſicut hac de re Paulus Alaleo, Guido Aſcanius Prævoſtius, & Joannes Paulus Mucantius ſacrarum cæremoniarum Magiſtri, tam ſcriptis, quàm vivâ voce teſtantur.

In equitatibus itèm, dum Principum legati, ſeù Oratores Urbem primâ vice ingredientes excipiuntur; & S. R. E. Cardinales defuncti ad Eccleſiam ſepeliendi deferuntur, Papæ Sacriſta, non Epiſcopus, ſuprà omnes Prælatos non mitratos, vel cum ultimo Aſſiſtente, vel cum ultimo Epiſcopo non aſſiſtente, equitare conſuevit, ſicùt hac de re multa extant Teſtimonia ſcriptis mandata, quæ in Bibliothecâ Angelicâ, & in Sacrario Pontificio aſſervantur. Hæc de loco Sacriſtæ in Cappellâ & foris, ut electionem Sacriſtæ aggrediamur.

Quæ de loco Sacriſtæ in hoc libro narrantur, vera ſunt, & Ità eſſe atteſtor Ego Paulus Alaleo, primus Cæremoniarum Cappellæ Sanctiſſimi D. N. Magiſter manu propriâ.

Ità eſt. Ego Guido Aſcanius Prævoſtius, Sanctiſſimi D. N. Papæ Magiſter Cæremoniarum.

Ego Jo: Paulus Mucantius tertius Cappellæ Sanctiſſimi D. N. Papæ Cæremoniarum Magiſter, quæ de loco R. D. Sacriſtæ ex Diariis tam antiquis, quàm modernis hìc ſcripta ſunt, vera eſſe, proùt hìc narrantur, pro veritate atteſtor, & in fidem manu meâ propriâ ſubſcripſi.

Ità eſt. Jo: Paulus Mucantius manu prop.

Hæ de Sacriſtæ loco teſtationes, & quidèm autographæ, ad perpetuam veritatis memoriam in Sacrario Apoſtolico, & in Bibliothecâ Angelicâ aſſervantur.

Quo ex ordine Apoſtolici Sacrarii Præfectus aſſumatur, quonamquè itèm modo eligatur, & inſtituatur.

Apoſtolici Sacrarii Præfectus longâ ſæculorum ſerie, & nunquàm intermiſsâ, ex Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Patris Auguſtini, ſicùt de Sacri Palatii Magiſtro ex Ordine Fratrum Prædicatorum ſumi conſueto, fieri ſolet, ſempèr aſſumptus fuit; ità verò, ut de illius initio, ſivè de ipſo contrario memoria hominum nulla exiſtat, ſicùt infrà ex Chronicis, & Commentariis, vel Regeſtis noſtri Ordinis, necnon ex Bulla Alexandri VI. videre licet. Hinc libri cæremoniarum Cappellæ Pontificiæ Auctor re-

dar-

dargnendus jurè censetur, quippè qui veritati videtur adversari dicens: *Sacrista Apostolici Palatii, quod est officium perpetuum, semper consuevit esse Prælatus* [ideſt, ut ego interpretor, Episcopus, vel Archiepiscopus, vel Patriarcha, vel alio Prælaturæ genere insignitus, quia ipso facto Sacrista Papæ Prælatus efficitur] *nec consuetudo* (ut falsò ait) *astringit ad aliquem Ordinem Religiosorum, ut aliqui aliquandò dixerunt*. Hæc ille, quem ità dixisse non parum admiror, cum officium Sacristatus Pontificii jàmindè ab anno 1300. ad hæc usquè tempora Fratres nostri Ordinis Eremitarum S. Patris Augustini nullo unquàm tempore interrupto exercuerint, nec ulla antè annum 1300. extet memoria, quæ ipsius Auctoris opinioni favere possit, ut infrà videre est, nisi eum ex quodam rei gestæ decepttum dicamus exemplo. Nàm Joannes Paulus Bossius Mediolanensis, habitum, & Ordinem Fratrum Eremitarum Sancti Patris Augustini jàm diù professus, eodemque habitu indutus, Apostolicus Sacrista effectus, ut Abbatiam Sancti Sebastiani à Sixto IV. sibi collatam retineret, habitum Patrum Cistercienſium, eorumdemque Abbatiam susceptit, ut ex perspicuo Alexandri VI. testimonio infrà ostendetur. Huic itèm ferè adsimile accidit in Fratre Antonio Aquapendentano, qui cùm olim sub Joanne Jacobo Barba Neapolitano, Sacristà, & Aprutino Episcopo, in Sacrario Pontificio serviviſſet, senectuti propinquus, Augustinianum habitum in Præmonstratensem commutavit, cùm ei Monasterium S. Martini Laudunensis, Ordinis Præmonstratensis fuisset collatum. Quarè ad hanc, & ad alias quascunque dubitationes amovendas, atquè nè ipsi Eremitæ Augustinenses à quoquam supèr hoc officio tempus in posterum turbarentur, Alexander felicis recordationis Papa VI. quo tempore Egregius ac disertissimus divini verbi prædicator ab omnibus ferè illius ætatis Scriptoribus, præsertim verò à Pico illo Mirandulano, & ab Angelo Politiano mirandum in modum laudatus, Frater Marianus Genazanensis Ordini Fratrum Eremitarum Sancti Patris Augustini præerat; Motu proprio, & auctoritate Apostolicâ per literas plumbo munitas, quæ Romæ in Archivo Sancti Augustini asservantur, & diligenter custodiuntur; cavit ac decrevit, Apostolici Sacrarii Præfecturam deinceps etiàm perpetuis futuris temporibus alicui Ordinis nostri S. Patris Augustini professori concedi, & committi oportere. Id quod ex benignitate Sedis Apostolicæ hactenùs servatum sempèr fuit: & ipsis in literis, quarum virtute novum Sacristam creari, & institui contingit, hæc verba apponi solent: *Quod officium per Fratres Eremitas S. Augustini obtineri, & exerceri solitum est*. Hæc itèm verba, sicùt & cæterorum ad hoc officium promotionibus, ità in Diplomate meæ ad id munus per Sanctissimum D. N. Clementem VIII. assumptionis habentur. Exemplum autèm literarum Alexandri VI. ad rem nostram pertinentium, hoc loco apponere libuit, ut id, quod de Apostolici Sacrarii Præfecturâ, tam longo seculorum ordine, nunquàm interrupto, intèr Fratres Eremitanos Sancti Patris Augustini conservatâ enarratum est, à veritate alienum non esse omninò dignoscatur, & ab omnibus credatur.

Reprehensio.

F. Joannes Paulus Bossius Abbas S. Sebastiani, & Sacrista.

F. Antonius Aquapendētanus Abbas S. Martini.

Angelus Polit. lib. 4. ep. 6.

LITERÆ APOSTOLICÆ,

Quibus ALEXANDER VI. Apostolici Sacrarii officium perpetuò à Fratribus Eremitis S. Augustini exercendum esse declarat.

ALEXANDER EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

AD sacram Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Religionem, quam in Charitatis visceribus, piâ veneratione sempèr habuimus & habemus, nostræ dirigentes considerationis intuitum, & attentè prospicientes, quòd ipsius Religionis palmites, per universum Orbem diffusi, eorum claris moribus, & exemplari vitâ, ac singulari doctrinâ, in agro militantis Ecclesiæ fructus honoris, & honestatis continuè afferunt salutares; dignum, quìn potiùs debitum reputamus, ut Religionis ipsius jura, & privilegia non solùm sibi conservemus, verùm etiàm innovemus

Notatu dignum.

& augeamus; ac noſtræ declarationis miniſterio Religionem eandem di-
Notare dignum. gnis honoribus attollamus. Sanè licèt officium Sacriſtiæ Cappellæ Palatii Apoſtolici à tanto tempore citrà, de cujus initio, ſivè contrario memoria hominum non exiſtit, per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros alicui ex profeſſoribus dicti Ordinis ſempèr committi & concedi conſueverit; & dilectus filius Joannes Paulus de Boſſis, Abbas Monaſterii S. Sebaſtiani, extrà muros Urbis, Ciſtercienſis Ordinis, dictæ Cappellæ modernus Sacriſta, antequàm in Abbatem ipſius Monaſterii per felicis recordationis Sixtum Papam IV. prædeceſſorem noſtrum præficeretur, dicti Ordinis Ere-
Notare dignum. mitarum profeſſor foret; Tamèn quià dum de perſonâ ſuâ eidem Monaſterio, tunc certo modo vacanti, proviſum fuit, ipſe ad dictum Ciſtercienſem Ordinem translatus extitit; ac etiàm quia in certo libro Cæremoniarum dictæ Cappellæ, per nonnullos tempore piæ memoriæ Innocentii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri compilato ſcriptum invenitur, officium prædictum alicui Religioni non deberi, ſed cuicunque, dummodò Prælatus Eccleſiaſticus exiſtat, conferri poſſe: Et propterea dilecti filii Marianus de Genazano, Prior Generalis, cæterique Profeſſores ipſius Ordinis Eremitarum formident, dictam Religionem jure, ſeù privilegio obtinendi, ac regendi, & gubernandi dictum officium in poſterùm fruſtrari poſſe; Nos, ad quos pertinet tam Religionis ipſius, cui ſingulari devotione afficimur; quàm fidelium omnium privilegia & jura conſervare & tueri; ne Religio ipſa ſupèr dicto officio in poſterùm moleſtetur, providere cupientes; Motu proprio, non ad alicujus, nobis ſupèr hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtrâ merâ deliberatione, ac certâ ſcientiâ, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus & ordinamus, quòd deinceps
Notatu dignum. perpetuis futuris temporibus officium Sacriſtiæ prædictum alicui dicti Ordinis Eremitarum profeſſori, quamvis alitèr Prælatus Eccleſiaſticus non exiſtat, committi, concedi, & aſſignari debeat: Decernentes quamcunque commiſſionem, conceſſionem, & aſſignationem de dicto officio alitèr faciendam, & literas deſuper pro tempore confectas, etiàm quaſcunque derogatoriarum derogatorias, ac alias & fortiores, & efficaciores clauſulas in ſe continentes, etiàmſi in illis de præſentibus de verbo ad verbum, & cum illarum totali inſertione mentio haberetur, & illis expreſsè derogaretur, & quæcunque pro tempore indè ſecuta, nulla, irrita & inania, nulliuſque fore roboris vel momenti; Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis Eremitarum juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statuti, Conſtitutionis, Ordinationis, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autèm hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apùd Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MCDXCVII. Idibus Octobris, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Bulla hæc reperitur in Regiſtro Bullarum fol. 37. à tergo t. t.

Hæc de Sacrarii Pontificii Præfecturâ intèr Fratres Eremitanos Sancti Patris Auguſtini, tam longo ſeculorum ordine nunquàm intermiſſo, conſervatâ; de cujus poſſeſſionis initio, aut contrario, ut Apoſtolicę teſtantur literæ, hominum memoria extare non invenitur. Nunc reliquum eſt, ut modum eligendi, & inſtituendi Sacriſtam declaremus.

De modo eligendi Sacristam.

APostolici Sacrarii Præfectus, cùm casus novæ provisionis, vel per obitum, vel per cessionem occurrit, ab ipso Papâ eligi solet. Summus enim Pontifex vel unum, quem mavult, seligit, ex tribus, vel pluribus, quos ex universo Fratrum Eremitarum S. Patris Augustini Ordine delectos Prior Generalis ad illud officium præ cæteris idoneos judicaverit, ipsique Papæ, ut ità dicam, præsentaverit; vel non expectatâ, immò aliquandò etiàm non acceptâ præsentatione, Summus Pontifex certam sibi ex dicto Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Patris Augustini notam personam Motu proprio, ipsi Sacrario Pontificio præponit, illamque personam sibi in primis gratam declarat. Electus autèm Sacrista ad officium exercendum admitti solet per Diploma, seù per literas Pontificias annulo piscatoris munitas ac signatas, quibus locum Apostolici Sacrarii vacasse, & propterea de novo Sacrarii Præfecto provisionem factam in talem virum fuisse, significatur: atquè per easdem literas S. R. E. Camerario, & Præfecto Domus, vel Œconomo, ac Thesaurario Generali mandatur, ut ei debita & consueta stipendia; atquè emolumenta loco, ac tempore persolvenda, & ministranda curent, ac præcipiant.

Diplomate jàm accepto, Sacrista mantelletto, ac mozzettâ ab aliquo Cardinale induitur; deindè literis illis in Camerâ Apostolicâ perlectis, unus ex dictæ Cameræ Clericis, Collegarum voluntate accedente, in Sacrarium Pontificium sese confert, renovatumque Sacrarii Pontificii indicem, vel inventarium, & claves novo Sacristæ, Notario scribente, coram Testibus tradit; eâque ratione ipsum Sacristam in possessionem sui officij admissum fuisse, intelligitur. Hæc de modo eligendi Sacristam, cujus conditiones hoc loco explicare libet, ut Successores mei quantam sint curam susceperi, haùd ignorent.

De Sacristæ conditionibus.

QUa in primis fidelitate, qua itèm prudentiâ, qua eruditione, qua gravitate, qua deniquè probitate, integritate, ac pietate præditos, viros illos esse oporteat, quos Generalis Prior Summo Pontifici proponendos, ac præsentandos duxerit, indicant, ac monent sacer thesaurus custodiendus; auctoritas itèm illorum, quibus assistendum, & quibus cum sæpe tractandum est; eruditissimorum virorum ac nobilium frequentes coràm ipsis Cardinalibus, atquè etiàm, ipso præsente interdùm Pontifice, congressus; præsertim verò quandò Sacristę Congregationibus, quæ inter S. R. E. Cardinales, etiàm coràm Romano Pontifice haberi solent, interfunt, dum aliquid, proùt occasio sese offert, in Theologorum, atquè Canonistarum consultatione poni contingit, ut id non semèl jàm evenisse constat; Locus quoquè in Sacro Palatio, Sacrarium singulari nomine vocitatus; atquè, ut paucis multa complectar verbis, singulæ res illorum curæ traditæ, singulæ actiones ab ipsis obeundæ, habitus, professio, & nomen; vasa itèm, vestes, cunctaque alia, quæ innumerabilia ferè sunt, ad eos, qui Sacristæ officium inire debent, quavis ratione attinentia, singularem quandam postulant fidelitatem, diligentiam, innocentiam, prudentiam, pietatem, ac religionem. Quarum sanè virtutum apparatum eò magis mihi deesse (& meâ quidèm culpâ) erubesco ac doleo, quò ampliùs imbecillitati meæ, quàm cæteris necessarium esse intelligo. Dicto tamèn virtutum apparatu decorari cupio, eoque in dies ornari, precibus humilis, & supplex peto. Hæc de Sacristæ conditionibus: nunc reliquum est, ut de ejusdem familiaribus verba faciamus. Sed antequàm de his loquamur, de quatuor Cappellæ Ministris præcipuis, seù Cappellanis, qui quotidiè in Cappellâ servire solent, sermonem habere necesse est.

Ea, quæ in Sacrista requiruntur:

De præcipuis Cappellæ Ministris.

MIssæ, quæ quotidiè in Cappellâ decantantur, ab iis vicissim celebrari solent, qui in Missis solemnibus ministrant Cardinalibus, & aliis Prælatis in Cappella celebrantibus. Horum antiquior Evangelium, posterior Epistolam cantat. Hinc ille *Diaconus*, hic verò *Subdiaconus Cappellæ* vocitantur. His totidem additi fuerunt, *Substituti*, seù *supernumerarii* nuncupati, qui priorum in Missis solemnibus vices interdùm supplent, si quandò illi legitimè impediti sint, eisque decedentibus succedunt. Hi quoquè suam hebdomadam in Missis quotidianis celebrandis per vices complent, sicut & priores.

Eliguntur autèm ad hoc munus ii, qui Competitores alios, facto coràm Sacrista, Magistro Cappellæ, & Cantoribus, vocis & cantandi peritiæ periculo, superasse visi sunt.

Emolumenta ad hos Ministros pertinentia, in libro, qui in Sacrario Apostolico asservatur, videre licet. Horum quoquè meminisse volui, quià non sinè Sacristâ eligi solent, Altari, cui Sacrista præest, servientes.

Tam multa sunt Sacrarii Pontificii munia, ut solus ad cuncta ritè obeunda sufficere non queant, sicùt in libro cæremoniarum legitur. Propterea quinque Ministri, ipsius arbitrio eligendi, dati sunt ei, *Familiares Sacristæ* nuncupati, hoc est Cappellanus, vel socius, quem nonnulli *Substitutum* dicunt; duo, scilicèt, Clerici, duoque alii, quorum alter *Sacrarii Pontificii*, alter verò Clericorum, *coadiutores* appellari consueverunt: De singulis dicendum est, ac primùm de Sacristę Cappellano sive Substituto.

Lib. 3. cæremon. cap. sect. 2.

De Sacristæ Cappellano, aut Socio, quem Substitutum nonnulli vocant.

SAcristę conditionibus jam diligentèr examinatis, ac perspectis, Sacrarii Præfectus noverit, atquè planè intelliget, qualem

pro rebus omnibus cuſtodiendis ac tractandis Miniſtrum probitate, atquè fidelitate in primis inſignitum, optimiſque moribus ornatum penès ſe habere debeat. Hunc Miniſtrum, quem libri cæremoniarum Auctor *Cappellanum*, ac *Socium* appellat, ex eodem Ordine ſuo Sacriſta ipſe adſciſcere, ac ſuo arbitratu eligere, ac retinere, vel amovere, aliumque ſufficere poteſt, ſicùt ab omnibus Sacriſtis, præſertìm verò ex recentioribus à Joanne Jacobo Barba Neapolitano factum eſſe conſtat: is enim Cappellanum, vel Subſtitutum habuit Magiſtrum Fratrem Antonium Aquapendentanum, quem poſteà Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Cardinali *de Lotharingia* nuncupato conceſſit, ac deindè Magiſtrum Fratrem Cherubinum Caſſianum: Poſtremò autèm in eo Miniſterio uti cœpit operâ Presbyteri Nicolai Ferrarienſis; clerici ſecularis, quem cæteri Sacriſtæ, hoc eſt, Magiſter Frater Egidius Piſaurenſis, Magiſter Frater Joſephus Veronenſis, & Magiſter Frater Auguſtinus Fivizanius in eodem miniſterio retinuerunt: Nicolao autèm Ferrarienſi defuncto, Frater Auguſtinus Fivizanius, prædeceſſor meus, accerſivit Fratrem Aloyſium Bononienſem Baccalaureum, nunc verò in ſacrâ Theologiâ Magiſtrum, Ordiniſque noſtri profeſſum, qui curam Cappellani, ſivè, ut ajunt, *Subſtituti* ſuſcepit, & ad hanc uſquè diem obtinet eundem Subſtituti locum, iis mirum in modum inſignitus conditionibus, quæ in tali Miniſterio, ut nupèr diximus, eſſe debent. Hæc de Sacriſtæ Cappellano, ſeu Socio, vel Subſtituto, cujus officium eſt tractare Sacrarii Pontificii indumenta Eccleſiaſtica, ſeù paramenta, & locum, quem *lectum* vocant paramentorum, parare, cùm Cappellæ celebrantur, in quibus utitur ſuperpelliceo ſuprà ſui Ordinis habitum, & ſtat in Cappellâ propè tabulam à Clericis paratam, quam *credentiam* vocant, proviſurus, ſi quid defuerit è Sacrario petendum.

Lib. 3. cæremon. c. 1. ſect. 2.

De duobus Cappellæ Clericis.

DUo Cappellę Clerici ab ipſo itèm Apoſtolici Sacrarii Præfecto eligi ſolent: loco enim vel per mortem, vel per ceſſionem alicujus Clerici vacante (perpetuum namque officium eſt, & ad vitam dari conſuetum) Sacriſta ex ſuis aliquem Clericatus officio idoneum Papæ præſentat. Qui verò à Sacriſta præſentatus confirmatur, is à Summo Pontifice per literas in formâ Brevis aut Diplomatis, & annulo Piſcatoris munitas inſtituitur, ab ipſo Sacriſtâ ſuperpelliceo indutus. Idoneus autèm ille habendus erit, qui ſit honeſtis moribus ornatus, Subdiaconatuſque ſaltèm ordine inſignitus, vel brevi ad illum promovendus; quique decenti facie ſit, atque ſtaturâ: ita verò, ut coràm Summo Pontifice, Sacroque S. R. E. Cardinalium Collegio comparere, functioneſque ſuas aptè, ac valenter obire poſſit.

Clericorum Officia.

CLericorum officium eſt, & quidèm præcipuum, curam habere Sacroſancti Corpòris Chriſti, quod perpetuò in Cappella majori, ſeu Sixtinâ ſervari conſuevit, utì ſuperiùs, dum de Sacriſtæ functionibus verba fecimus, dictum eſt. Immaculata enìm Hoſtia ſemèl ſaltèm in hebdomadâ per alterum Clericorum, ſi alter, vel uterquè ſit Sacerdos, vel per Cappellanum hebdomadarium mutari ſolet, cùm quotidiè in eâdem Cappellâ Miſſa decantetur, ſicùt hanc rem fuſiùs explicavimus. Eorumdem Clericorum eſt, curare, ut Lampades hinc indè diù, noctùque coràm Sacroſancto Chriſti Corpore pendentes ardeant.

Altare iidem Clerici quotidiè apparant, præſertìm verò dum Cappellæ celebrantur, in quibus Altare pallio, mappis, candelabris, cereis, Cruce, argenteiſque Apoſtolorum imaginibus ab eiſdem ornatur. Abacus itèm, ſivè Tabula, quam *credentiam* vulgò appellant, mappâ ampliſſimâ, duobus etiàm candelabris, necnon duobus urceis argenteis inauratis, & quidèm magnis, cum Cardinales ſolemnitèr celebrant, ornatur. Supèr ipſum autèm Altare præparantur omnia ea, quæ ad rem Sacram faciendam pertinent. iidem faculas ſupèr candelabra figunt, & accendunt; atquè, cum opus eſt, emungunt, & extingunt. Faldiſtoria quoquè per eoſdem ſuis in locis ſtatuuntur, & exornantur. Ambo, præſente Papâ in Cappellâ, vel eo abſente, coràm Sacro Cardinalium Collegio Divinis Officiis intereſſe, ac ſervire ſolent: in aliis verò Miſſis, & Officiis quotidianis, alter in unâ, alter in aliâ hebdomadâ viciſſim ſerviunt in omnibus Cappellano celebranti; & ſuperpelliceo induti, Epiſtolam decantant. Quandò autèm Sacroſanctum Chriſti Corpus antè Romanum Pontificem, longum iter facientem, defertur, iidem Clerici laternas argenteas ſupèr haſtis affixas, cereis ardentibus intrà eas occluſis geſtare ſolent, utì fuſiùs in Commentario noſtro de Sacroſancto Chriſti Corpore Romanis Pontificibus præferendo dictum fuit: olìm verò tintinnabulum itèm, quod antè Sanctiſſimum Sacramentum portabatur, pulſabant, ut ex antiquo Cæremoniali Avenionenſi conſtat. Hinc fortaſſe *Clerici campanarum* vocitati jàm ſunt; vel quià olìm campanulam Palatii pro Officìo Cantorum quotidiano pulſare ſolebant, quandò, ſcilicèt, Cantores quotidiè in Cappella matutinas horas inchoare volunt: nunc verò Subclericus, eos adjuvans, illud facit, uti ſtatìm infrà dicetur. Hæc de Cappellæ Clericis.

Commentarius.

Clerici campanarum cur ita dicti.

De Cappellæ Subclerico, quem Clericorum coadiutorem alii vocant.

CLericorum coadiutor, quem *Subclericum* paſsìm vocitant, à Sacriſta itèm eligi ſolet, ac debet, ſicùt à Prædeceſſoribus meis factum eſſe conſtat, præſertìm verò, ut cæteros

teros silentio prætermittam, à Magistro Fratre Josepho Pamphilo Veronensi, & à Magistro Fratre Augustino Fivizanio, Sacristis: ille enim Tarquinium de Virtutibus; hic verò Carolum Antonium Vaccarium Bononiensem, qui ad hanc usquè diem servit, ad hujus generis ministerium adscivit.

Anno Dom. 1514. Paris Crassus, Cæremoniarum Magister, in Diario Leonis Decimi in Dominicâ Palmarum, Anno Domini 1514. mentionem facit de hoc Subclerico, qui Clericorum coadiutor est; De hoc item Subclerico fit mentio in Diario Clementis VII. Hic pro Clericis aperit, & claudit Cappellæ fores, & campanulam pulsat pro Divino Officio in diebus non solemnibus à Cantoribus recitando: & in Missis quotidianis unàcum Clerico hebdomadario servit Altari, & Celebranti: parat vinum, & aquam pro Missâ Celebrandâ. In Officiis verò solemnibus, ad quæ Papa, & Cardinalium Collegium convenire solent, intorticia suprâ cancellos accendit, & extinguit. Parat thuribulum, cui etiàm carbones vivos à se præparatos imponit: habetque domicilium Cappellæ Paulinæ contiguum, suprà quem locum Clerici habitare solent. Clericorum olim coadiutor *Librorum* item *Custos* dicebatur, quià libros Cantorum Cappellæ Pontificiæ custodire solebant, ut infrà videre licet. Nunc verò pro libris Cantorum custodiendis alius ab his eligi solet.

Diarium Clemen. VII.

De duobus Parafrænariis Sanctissimi Sacramenti, Papâ iter longum faciente.

ROmano Pontifice, longum iter faciente, Sacrosanctum Christi Corpus super Achineam honorificè impositum, eidem Papæ præferri solet. Tunc Achinea, sivè Asturco à duobus vicessim parafrænariis per frænum ducitur: qui propterea *Parafrænarii Sanctissimi Sacramenti* nuncupantur. Uterque à Sacristâ eligitur, & præsentatur Papæ, qui in forma Diplomatis, quod *Breve* appellant, confirmat illos, & jubet admitti. Unus ex Parafrænariis, Papæ ipsi famulantibus assumi solet à Sacrista; & cum hoc nullum habet Sacrista negotium, nisi dum Papa est in itinere cum Sanctissimo Sacramento. Alter verò ab eodem Sacristâ, & suo quidèm arbitratu, eligitur; & hic est verè perpetuus Sacristæ pro tempore existentis famulus, in iis præsertim, quæ ad Sacrarii Pontificii Ministerium pertinent: ipse namque præ cæteris Cappellanum, seù Substitutum Sacristæ adjuvare tenetur in præparandis, & portandis quæ ad Officia Divina peragenda pro temporum varietate sunt necessaria. De ipsius autèm victu, & habitu, necnon de aliis emolumentis ad eundem pertinentibus, in codice, qui in Sacrario Pontificio asservatur, habetur sermo. Hæc de Sacristæ Ministris. Nunc reliquum est, ut videamus, cur & quomodò ad Sacristatum Apostolicum, & ad alia officia Fratres ex instituto, aut Sodalitate S. Patris Augustini fuerint admissi.

Parafrænariorum electio.

De Causis, cur Sacristatus Apostolicus tamdiù à Fratribus Augustinianis exerceatur; Deque primâ hujusce officii assignatione in Chronicis inventâ.

QUoniàm multi scire cupiunt, quonam modo Fratres Augustinenses, tàm nobilem Apostolici Sacrarii Præfecturam in Vaticano Romæ adepti sint; hoc loco nonnulla in memoriam revocanda videntur, ex quibus sanè rebus facilè quis intelliget, cur in Ecclesiâ Sanctâ Dei, & in Romanâ præsertim Curiâ Religiosorum hominum Sodalitates dignitatibus, & officiis fuerint cohonestatæ. Duæ sunt profectò res, & quidèm præcipuæ, è quibus Ecclesia Sancta Dei jamindè à primis illis temporibus incrementum, ac stabilimentum cum decore suscepit, præclara, scilicèt, vitæ Sanctitas, & Catholica Doctrina. Duabus hisce rebus Religiosorum hominum Sodalitates arctiori quadam vivendi ratione Deo addictæ, mille ab hinc, & amplius annis Ecclesiam Dei Sanctam juvarunt, & mirum in modum decorarunt.

Ecclesiæ incrementum, & stabilimentum.

Quòd ad ipsam pertinet Sanctitatem, tot Religionum, sivè Ordinum Fundatores, Sanctos extitisse, totque Sanctorum, & Beatorum millia in iisdem Religionibus floruisse, & ad hanc usquè diem florere; tot deniquè ex iisdem Sanctis miraculorum splendore illustratis canonizatos, necnon Martyrio decoratos fuisse, constat. Quam profectò rem, Sole clariorem, hoc attigisse loco sat esse censeo, ut caput alterum nuperè propositum explicemus.

Sanctitas Religiosorum.

Quòd autèm religiosam vitam intrà Monasteriorum, aut Cœnobiorum septa degentes, sivè Cœnobitæ; tam *Fratres*, quàm *Monachi* nuncupati, Catholicam coluerint Doctrinam, eâque Sanctam Dei Ecclesiam tot seculorum intervallo juvarint, nemo non novit, dummodò in Scriptoribus Ecclesiasticis mediocriter sit versatus. Hi enim, vel vivâ id voce concionando, seù prædicando, ac disputando, vel Theologiam publicè profitendo, necnon in Conciliis laborando, effecerunt; vel utrumque doctissimis præstiterunt scriptis, ut ex Chronicis, & Historiis cujuscunque Ordinis, aut Instituti tam Fratrum, quàm Monachorum videre licet. Nam præter illos, & ferè quidèm innumeros, qui ad Populos in variis mundi plagis conciones maximâ eorumdem Populorum utilitate habuerunt, multi sunt, qui Concionatores, aut à consiliis, & à secretis confessionibus tam Summorum Pontificum, quàm Regum, & Imperatorum, aliorumque Principum tot ab hinc fuerunt seculis.

Doctrina Religiosorū Catholica.

Concionatores Religiosi.

Non desunt intereà, & quidèm non pauci, qui Commentarios in universam Theologiam, & in universa Biblia Sacra, vel in aliquot saltèm utriusque Testamenti Libros, necnon Summas ad conscientiæ casus pertinentes, & libros contrà hæreticos conscripserunt. Quæ sanè omnia si scriptis nominatim mandarem, liber prægrandis ad

Commentarii Religiosorum in Scripturam Sacram, & scripta eorundem contra hæreticos.

tantam excreſceret altitudinem, quantam hoc loco noſter Commentarius pati non videtur. Cæteris tamèn omnium Ordinum, aut Religioſarum Sodalitatum ex omni genere Scriptoribus, aliiſque viris, tam doctrinâ, quàm etiàm linguarum peritiâ excultis, qui Chriſtianam Religionem non parùm juvarunt, ſilentio prætermiſſis; duo tantùm ex noſtrâ Auguſtinenſi Familiâ hoc loco explicare libet, quorum alterum ad eos, qui in defenſionem auctoritatis, ac juriſdictionis Romani Pontificis libros conſcripſerunt: alterum verò ad eos, qui Nuncii, aut legationis munere apùd Principes in rebus graviſſimis functi ſunt, pertinet. Quæ quamvis in aliis, & quidèm inſignibus, tam Fratrum, quàm Monachorum Sodalitatibus abundè reperiantur, ea tamèn, quià ad hunc locum non faciunt, ſubticenda cenſeo.

Religioſi quibus modis Apoſtolicam Sedem juvarint.

De recentioribus autèm, & præclariſſimis quidèm Familiis, quæ intèr Fratres, aut Monachos, atquè inter Presbyteros ſeculares mediæ ſunt, quia regulares omninò extant, dum inſtituta Fundatoris Ordinis ad vitam communem, & religioſam quidem pertinentia obſervant; ſed habitu Presbyteris ſecularibus adſimiles, necnon aliæ ab his parùm diſſimiles, non tamèn regulares; Quæ ſanè omnes ad Populorum excitandam devotionem, necnon ad animarum præmonſtrandam ſalutem, atquè ad Sanctam Dei Eccleſiam juvandam, tam doctrinis, quàm divino cultu, & perſpicuis, ac rectæ, ſanctæque vitæ exemplis, magnos in dies efficiunt progreſſus, majoremque in modum florent; non loquor, quia non niſi antiquæ Religioſorum hominum Familiæ hoc loco recenſentur, quæ aliquot ab hinc ſeculis, tanquam de Chriſtianâ Religione, dequè Apoſtolicâ præſertim Sede optimè meritæ, officia nonnulla in Romanâ Curiâ fuerunt conſequutæ. E quarum numero præſertim ſunt, præclara Sancti Dominici Familia, Illuſtriſſimo Prædicatorum titulo inſignita, necnon Sancti Franciſci, Carmelitarum, & Servitarum Ordines, & Familia Sancti P. Auguſtini ſolitario *Eremitarum* titulo nuncupata.

Sodalitates Religioſorum hominum recentiores.

Sodalitates Religioſorum hominum antiquæ.

Familia Dominicana [ut multa, & præclara quidèm alia à Romanis Pontificibus ei demandata, brevitatis causâ, ſilentio prætermittam] Sacri etiàm Palatii Magiſterio fuit decorata; Sanctus namque Dominicus ſui Ordinis fundator, primus ab Honorio hujus nominis III. inſtitutus fuit Sacri Palatii Magiſter, ſeù Lector, ut in Palatio Apoſtolico Aulicos, dum Conſiſtoria haberentur, vel aliquid è Sacrâ Scripturâ interpretando, vel Concionando erudiret, ne ipſi ociosè in Palatio pervagarentur. Qui autèm dictum officium olim exercebat, *Sacri Palatii Lector* antiquitùs vocitabatur, & in Cappellâ Sixtinâ ſuperioribus etiam annis, tempore videlicèt Pii V. dum Conſiſtoria haberentur, publicè Lectoris munere fungebatur. Ad quod legendi munus viri doctrinâ clariores aſſumi ſemper conſueverunt, è quorum numero, ut ait Surius, fuit Sanctus Vincentius Valentinus Hiſpanus, Concionator celeberrimus, necnon Frater Joannes à Turrecremata Cardinalis, & Frater Silveſter de Prierio Summæ caſuum conſcientiæ Auctor. Nunc autèm Sacri Palatii non Lector, ſed *Magiſter* vocitatur, & *Judex ordinarius* in Urbe nuncupatur, dum publica edicta ad Officium ſpectantia promulgat. Libros jam impreſſos, & imprimendos recognoſcit, ſinè cujus recognitione, aut licentiâ nec libri typis mandari, nec impreſſi ad Urbem, nec extrà Urbem aſportari poſſunt. Orationes etiàm in Cappellâ Pontificiâ ſinè ipſius Magiſtri approbatione recitari non queunt, atquè in Romano Theologorum Collegio, è quorum numero ſunt Apoſtolici Sacrarii Præfectus, Commiſſarius Sanctiſſimæ Inquiſitionis, Procuratores Generales Ordinum, videlicèt S. Dominici, S. Auguſtini, S. Franciſci, Carmelitarum, ac Servitarum, necnon illi, qui Romæ in Scholâ, ſeù Gymnaſio, quod *Sapientiam* appellant, Theologiam publicè profitentur, Doctores Theologos, rigoroſo examine prævio, ab ipſomet Collegio per ſecreta ſuffragia admiſſos creat, creatoſque declarat, privilegium Doctoratus conſcribendum curat, Officiique ſigillo, ſuâque manu munitum reddit. Sigillum eſt Imago Sancti Thomæ, Angelici Doctoris. Infrà verò extant inſignia Romani Pontificis, & Magiſtri Sacri Palatii pro tempore exiſtentium: & circùmcircà ejuſdem Magiſtri legitur nomen. Congregationibus librorum Indicis, Sanctiſſimæque Inquiſitionis, etiàm coràm Summo Pontifice unàcum Migiſtro Generali, vel eo abſente, cum generali ejuſdem Sodalitatis Vicario intereſſe ſolet, & in Cappellâ Pontificiâ poſt primum Rotæ Auditorem immediatè locum tenet. Ex eodem itèm Ordine, aut Inſtituto, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Commiſſarius Generalis eligitur, & inſtituitur, Officium ſanè Sanctiſſimum, & laborioſum, viroque tam Doctrinâ, quàm animi integritate inſignito dignum. Commiſſarius autem omnibus itèm Congregationibus Sanctiſſimæ Inquiſitionis etiàm coram Summo Pontifice intereſſe ſolet. Honeſtiſſimæ quoquè Familiæ ex Inſtituto S. Franciſci, & Carmelitarum Beatæ Mariæ ſempèr Virginis, & Servitarum ob eandem rationem nupèr aſſignatam aliqua Romæ Officia ſunt conſequutæ, cum Pœnitentiarii, & Confeſſarii Summorum Pontificum, necnon Oratorum munera interdùm exercuerint, ut ex Chronicis, & Hiſtoriis eorundem conſtat. Adde etiàm, quòd Eugenius IV. ad Fratres Carmelitas ſcribens, eos *Cappellanos ſuos* appellat: antiquitùs enìm nonnullæ cauſæ ad beneficia Eccleſiaſtica, & ad id genus alia pertinentes, ad Romanos Pontifices deferebantur, & in Cappellâ privatâ, quam *ſecretam* vocant, ab iiſdem Pontificibus audiebantur, viris doctis, ac juriſperitiſſimis ad eas pertractandas adhibitis, qui à Cappellâ ipſâ, ubi cauſæ audiebantur, & cognoſcebantur, ut ait Franciſcus Penia, vir doctrinâ clariſſimus, &

Surius in vitâ S. Vincentii die 5. April. lib. 2. c. 2. to. 2.

Jo: Ant. Flaminius Forocornelienſis.

Ordo S. Dominici.

Ferdinandus de Caſtiglio, & Thimoth. Bottonus pri. p. lib. 1. c. 34. hiſt. S. Dom.

Lib. 3. cærem. ſect. 2. cap. 22.

Rotæ Auditores cur Papæ Cappellani dicantur.

Rotæ

In vita Sanct. Raym. lib. 1. cap. 8.

Rotæ Auditor ; *Cappellani Papæ* nominari consueverunt, è quorum numero fuit etiàm Sanctus Raymundus Dominicanus, quem

Gregor. IX. Procem. Decretalium.

Gregorius IX. in Prœmio Decretalium *Cappellanum, & Pœnitentiarium suum* appellat. Hinc hodiè quoquè Auditores Rotæ *Cappellani Papæ* dicuntur, & in Cappellâ Pontificiâ ipsi Papæ inserviunt.

Duo deniquè ex Ordine Cistercienſi, nec scribere, nec legere omninò scientes, *Conversique* nuncupati, rationabili quidèm de causâ eligebantur, qui Bullis plumbeo sigillo muniendis præerant, & ad Sixti V. usquè tempora officium, quod *plumbi* vocitatur, exercuerunt, *Fratres plumbi* nominati.

Ord. S. Augustini.

Nostra verò Augustiniana Familia non solùm Sacristatu, sed etiàm Pœnitentiarii, & Bibliothecarii Officio fuit decorata, ut ex Chronicis, & Historiis id ità esse jam demonstravimus. Dum enim in vineâ Domini soli ferè Monachi, aut Fratres laborabant; ab aliquo nostri Ordinis Fratre, perpetuò, & conjunctìm illa tria officia Joannes XXII.

Anno Dom. 1319.

exercenda decrevit Anno Dom. MCCCXIX. Aliis deindè Operariis supervenientibus, distincta fuisse constat. De Sacristatus initio, ut ex Alexandri VI. testimonio diximus, memoria hominum non extat. Bibliothecæ autèm Præfectura à Fratribus Eremitis Sancti Patris Augustini exerceri cœpit Anno Domini MCCCXIX. Pœnitentiarii verò officium iisdem Fratribus tempore Nicolai IV.

Anno Dom. 1319.

Anno Dom. 1288.

Anno Domini MCCLXXXVIII. committi cœpit, Clemente Auximano Generali Ordinis nostri Magistro, seu Priore, qui ex Nicolai Papæ mandato aliquem in Urbem Romam pro confessionibus audiendis, pœnitentiisque imponendis Fratrem, qui Pœnitentiarii officio fungeretur, accersendum curavit, & Fratrem Augustinum Thermitanum, cognomento *Novellum*, juris utriusque peritissimum, ob insignem vitæ Sanctitatem,

Lib. 2. cap. 7.

ac Doctrinam accersivit, & Papæ obtulit, ut Frater Jordanus è Saxonia scriptum reliquit in libro, quem *Vitas Fratrum*, appellant.

Chron. 1288.

Ex tot, tantisque Fratrum, aut Monachorum ergà Christianam Religionem, præsertìm verò ergà Apostolicam Sedem meritis, quæ rudi, ut ità dicam, penicillo delineavimus, facilè quis intelliget, cur unus ex Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Patris Augustini ad Sacristatum Apostolicum assumi antiquitùs cœperit, dictumque officium tamdiù in eodem Ordine fuerit conservatum. Ut autem id expressiùs explicemus, prætèr innumera eorundem Fratrum ex omni genere monumenta paulò superiùs adumbratìm indicata, ob oculos hoc loco nominatìm ponenda censentur, quæ à nostri Ordinis Fratribus in Auctoritatis Apostolicæ defensionem scripta sunt, ut infrà videre licet.

SCRIPTORES

De Ecclesiasticâ potestate in Auctoritatis, & Jurisdictionis Romani Pontificis defensionem, ex Chronicis Josephi Pamphili, & aliorum collecti.

FRater Jacobus Viterbiensis, Archiepiscopus Neapolitanus ad Clementem V. Pont. Max. Scripsit duos libros *de Regimine Christianitatis*.

Frater Egidius, Civis Romanus, ex nobilissimâ Columnensium Familiâ ortus, edidit librum *de Renunciatione Papæ* in gratiam Bonifacii VIII. ob controversiam renunciationis Pontificatus Cælestini.

Idem scripsit libros tres *de Ecclesiasticâ potestate*, & librum *de Excellentiâ Summi Pontificis*.

Frater Alexander è Sancto Elpidio, Picenus, Archiepiscopus Ravennæ, Joanne XXII. jubente, scripsit duos Libros; unum *de Ecclesiasticâ unitate*; alterum *de Jurisdictione Imperii, & Auctoritate Summi Pontificis*.

Frater Augustinus Triumphus, Anconitanus, opus insigne, ac prægrande scripsit, *de Potestate Ecclesiasticâ* ad eundem Joannem XXII. Pont. Max. Scripsit etiàm libellum *de Ecclesiasticâ potestate, de Sacerdotio, & Regno, & de Donatione Constantini*.

Frater Guillelmus Cremonensis, Episcopus Novariensis, eodem Joanne XXII. jubente, librum *de Auctoritate Apostolicâ* edidit inscriptum: *Reprobatio sex errorum*.

Frater Bartholomæus Urbinas, Augustini Triumphi Alumnus, edidit librum *de Romani Pontificis, Christi Vicarii Auctoritate* contrà errores quorundam, qui tempore Ludovici Bavariæ Ducis, contrà Ecclesiam, Christique Vicarium insurrexerunt.

Frater Augustinus Romanus, Episcopus Nazianzenus, & Cæsenensis Librum conscripsit *de Potestate Papæ*.

Frater Guillelmus Bechius, Episcopus Fesulanus, librum *de Ecclesiasticâ Potestate* conscripsit.

Frater Paulus Zabarella Patavinus, cognomento *Bonus* Archiepiscopus Parisiensis, scripsit ad Clementem VII. *de Reformatione Ecclesiæ* librum, qui in Bibliothecâ Vaticanâ asservatur. Bibl. Vat.

Frater Conradus Tregarius Helvetius, Paradoxa centum *de Ecclesiæ, Conciliorumque Auctoritate* conscripsit, cum orta fuisset disputatio Catholicorum cum Zuinglianis apùd Bernates Helvetios.

Frater Peregrinus Nasellus Patavinus librum *de Potestate Summi Pontificis, & Concilii* cum comparatione ad invicem.

Frater Onuphrius Panvinius Veronensis librum edidit *de Primatu Petri, ac dignitate Sedis Apostolicæ, & Potestate Papæ*, adversùs Auctores Centuriarum. Scripsit itèm librum *de Cathedrâ Antiochenâ* nondùm impressum.

Hi sunt ex Augustinianâ Familiâ Theologi,

logi, qui de Ecclesiasticâ Potestate in Auctoritatis, & Jurisdictionis Romani Pontificis defensionem scripserunt: nec defuerunt item alii, qui in rebus gravissimis ad Sanctam Dei Ecclesiam pertinentibus, vel Nuncii, vel Legati, sivè Oratoris munere functi sunt, ut infrà legitur.

Nuncii, seù Oratores, vel Legati, qui in rebus gravissimis adhibiti fuerunt; ex Chronicis Josephi Pamphili, & aliorum Collecti.

Anno Dom. 1378. FRater Ludovicus, aliàs Luisius, vel Aloysius Marsilius Florentinus, Reipublicæ Florentinæ apùd Italiæ Principes Orator fuit.

Frater Joannes Vobes Parisiensis, Orator Regis Franciæ in Concilio Constantiensi ad Schisma tollendum, quod suprà triginta annos duraverat, celebrato: cui ad eam rem præstandam interfuerunt item alii ejusdem Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini Fratres, hoc est, F. Nicolaus Saracenus Cassianus Umber, Episcopus Recanatensis, F. Petrus de Vena, Prior Generalis; F. Joannes de Pratis Monasterii Sancti Augustini de Maclovia, F. Guillelmus Forolivienſis, Procurator Georgii de Ordelasse Domini Forolivii, & Frater Antonius de Rampegolis Genuensis.

Frater Simon Camers, Reipublicæ Venetæ ad Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem Orator, cujus operâ inter Venetos, & Ducem Mediolanensem pax inita fuit. Hinc eidem Fratri Simoni Cœnobium in stagnis Venetorum, non procùl à Muriano situm, datum fuit, Sancto Christophoro dicatum, perpetuoque *Pacis* nomine ob confectam pacem vocitatum.

Frater Marianus Genazanensis Alexandri VI. Papæ Nuncius ad Federicum Neapolis Regem.

Anno Dom. 1517. Frater Egidius Viterbiensis, Cardinalis, à Leone X. Sedis Apostolicæ Legatus in Hispaniam missus, ut Selymo post debellatos Persas, & duos Memphiticos Reges interfectos, nobis arma minitante, Christianæ Gentes ad Sacrum bellum excitarentur.

Frater Hieronymus Seripandus Neapolitanus, Orator suæ Civitatis ad Carolum V. Imperatorem.

Idem Seripandus, Cardinalis, Sedis Apostolicæ legatus, à Pio IV. ad Sacrosanctam Synodum Tridentinam missus.

Hæc de Augustinianæ Familiæ, in Sanctam Dei Ecclesiam meritis: quibus omnibus, & ejusdem Familiæ Fratres, aliarumque Sodalitatum Alumni eam insigniter juvarunt, & ad præsens usquè tempus, opitulante Deo, juvant. Quarè dum illi ferè soli antiquitùs in vineâ Domini laborarent, ad ea officia, quæ nupèr commemoravimus, obeunda, fuerunt olim assumpti; & aliqua officia tot seculorum intervallo ad hanc usquè diem ab earundem Familiarum Alumnis, annuente Deo, & Sanctæ Sedis Apostolicæ benignitate, in Curiâ exercentur. Nunc reliquum est, ut de Apostolici Sacrarii Chronico, & Historiâ, deque Serie Sacristarum, in Augustinianâ Familiâ tercentum ab hinc annis perpetuò conservatâ, sermonem habeamus.

De Sacrarii Pontificii Præfecturâ, qua longo seculorum ordine Fratres Eremitæ S. P. Augustini functi sunt, deque eorumdem possessione à tempore immemorabili nunquàm interruptâ.

QUamvis Officium Sacristiæ Cappellæ Palatii Apostolici, ut iisdem Alexandri VI. utar verbis, à tanto tempore citrà, de cujus initio, sivè contrario memoriâ hominum non existit, per Romanos Pontifices alicui ex Professoribus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti P. Augustini semper committi, & concedi consueverit; nos tamèn omnium Sacristarum Catalogum conscribere hoc loco cupientes, ab antiquiori Sacristâ, quem in Chronicis, aut Diariis, vel in Commentariis, aut Registris Ordinis Eremitarum S. P. Augustini invenire potuimus, initium sumemus.

Sunt qui velint, Fratrem Augustinum Thermitanum cognomento *Novellum*, juris utriusquè peritissimum, & ob insignem Vitæ Sanctitatem, ac doctrinam, *Novellum Augustinum* vocitatum, Anno Domini 1288. fuisse Sacristam: qui sanè vir, ut scribit Magister Frater Jordanus è Saxoniâ, à Nicolao IV. Papâ Minoritano in Curiâ Romanâ à secretis confessionibus fuit institutus, Clemente Auximano Generali Ordinis Magistro, seù Priore, qui ex Papæ mandato aliquem in Urbem Romam pro confessionibus audiendis, pœnitentiisque imponendis Fratrem, qui Pœnitentiarii officio fungeretur, accersendum curavit, eidemque Papæ dictum obtulit Fratrem, quem ob id nonnulli, & Pœnitentiarium, & Papæ Confessarium, Sacrariique Pontificii custodem fuisse putarunt, Confessarii nomen aliquanto antiquius Sacristæ nomine extitisse affirmantes: è quorum numero est F. Mauritius Tertius Parmensis in suis Chronicis brevioribus. Vitas PP. lib. 4 cap. 7. & lib. Chron. 1588. F. Mauritius

Hac re de Apostolici Sacrarii Præfecto, qui nondùm Sacrista, sed *Papæ Confessarius* antiquitùs vocitabatur, à me conscriptâ juxtà nonnullorum opinionem, monumentis tamèn veterum Scriptorum non comprobatam; Michael Leonycus Estensis, Illustrissimi, ac Reverendissimi Cardinalis Sanctorum quatuor Caudatarius, antiquitatum Ecclesiasticarum indagator; Ea, quæ in hanc Sententiam scripsi, affirmavit, se in quodam Bibliothecæ Vaticanæ codice manuscripto inveniſſe, dum, scilicèt, Ecclesiasticas antiquioris ætatis res, præsertìm verò cæremonias cum Romano Cæremoniali conferendas indagaret. Ego itaquè hac de re monitus, Bibliothecam Vaticanam statìm adivi, librumque perlegi à Leonyco mihi indicatum, Cæremoniale, videlicèt, perantiquum, in quo omnia Apostolici Palatii officia recensentur, Cæremoniale antiquum in Biblioth. Vatic. 1409.

tur, Alexandro V. id Pisis postulante, ac jubente Anno Dom. MCDIX. quartâ Julii die, ut exactam de suorum Officialium muniis notionem haberet. Ea verò, quæ ex dicto Cæremoniali Bibliothecæ Vaticanæ manuscripto, quod asservatur in prima Camera Secreta Bibliothecæ Vaticanæ num.vet.1308. ad verbum excerpsi de Sacristâ sub nomine Confessarii Papæ, sunt quæ sub Titulo Confessoris, proùt in ipso codice jacent, infrà leguntur:

CONFESSOR

IN eodem Palatio est Officium Confessoris, quem Summus Pontifex solet eligere pro libito suæ voluntatis, qui debet in Palatio Cameram habere, & in eo continuè residere, ut si, & quandò opus esset, suam præsentiam exhibere valeat. Ad cujus officium spectat Sermones, qui fiunt coràm Papâ, injungere; Vesperas, & Missas solemnes Dominis Cardinalibus notificare; Altare parare, & ornare, & quotiès Dominus Noster, nedùm in Pontificalibus, sed etiàm secretè voluerit celebrare, se exhibere, & eidem de sibi incumbentibus servire.

Itèm ad hujus etiam officium pertinet omnia jocalia Cappellæ, ut puta, Reliquiaria, Cruces, Calices, Imagines, Candelabra aurea, argentea, & omnia vestimenta, & ornamenta quæcunque ad Dei servitium, & Cappellam Summi Pontificis deputata custodire, exceptis mitris pretiosis, & aliis quibusdam solitis custodiri per Cubicularios; & exceptis Thiarâ, & Cherubin, quæ solent reponi in Camerâ Thesaurariæ Palatii Apostolici.

Itèm ad ipsius officium pertinet ministrare vestimenta, & ornamenta Sacerdotalia, & Pontificalia, quotiès D. N. duxerit ordinandum secundùm ipsius Confessoris statum, & gradum.

Itèm ad eundem pertinet custodire, & ministrare Magistro Cappellæ vestimenta, & ornamenta, & alia necessaria ad usum quotidianum Cappellæ Domini nostri.

Itèm est attendendum, quòd propter incumbentia officio ipsius Confessoris, quæ multa sunt, solet habere unum Socium, qui vocatur Sacrista, *eò quia ornamenta, & vestimenta Sacerdotalia, aliaque necessaria pro Divino Officio celebrando de mandato, seù voluntate ipsius Confessoris habet ministrare.*

Itèm quotiès Dominus noster equitat, ipse Confessor statim post mulam, portantem Corpus Christi, habet equitare in habitu convenienti statui personæ suæ; & dum D. N. ad locum, ad quem declinat, pervenerit, in Cappellâ ad hoc ordinatâ, Cophinum, in quo portatur Corpus Christi, decenter debet reponere, & ordinem dare, quòd candela accensa antè ipsum Cophinum semper remaneat.

Hæc ibi ad verbum de Sacristâ sub Confessoris Papæ nomine: Olim enim Sacristæ ferè omnes Confessarii Summorum Pontificum fuerunt; deindè non solùm Confessarii, sed Bibliothecarii quoquè munere functi sunt; & ad Sixti IV. usquè tempora, ut infrà suis videbimus locis, Apostolicæ Bibliothecæ Præfecti fuisse in Chronicis leguntur. Sixtus enim Bibliothecæ Præfecturam ab Officio Sacrarii Pontificii sejunxit, Platinâ primo novæ Bibliothecæ Præfecto, quam *Bibliothecarium* appellant, creato. Quarè in Regiştro, seù Ordinis nostri rerum Commentario, qui tempore Generalatus felicis recordationis Fratris Hieronymi Seripandi deindè S. R. E. Cardinalis editus in lucem fuit, expressa fit mentio de tribus hisce conjunctim officiis ex antiquâ, & approbatâ consuetudine Ordini Fratrum Eremitarum Sancti Patris Augustini concessis, ut infrà ostendemus. Chron. Ord. Regiştr. Ord. Anno Domini 1519.

Nullus itaquè, ut huic rei finem imponamus, relinquitur dubitandi locus de Sacristâ Pontificio sub titulo Confessarii Papæ nominato. Ea enim omnia ex Cæremoniali perantiquo superiùs enarrata, nunc ad ipsum Papæ Sacristam, Sermonibus in Cappella fieri consuetis, exceptis, pertinet, uti jam demonstravimus, quandò scilicèt de Sacristæ functionibus loquuti sumus. Quarè nos, mutatâ sententiâ, Fratrem Augustinum Thermitanum, cognomento *Novellum*. & Confessarium Papæ, ac Sacristam fuisse cum Mauritio Tertio, omni hæsitatione posthabitâ, constantèr affirmamus, Catalogum Sacristarum, exordientes, ut infrà legitur.

SACRISTARUM CATALOGUS

De antiquiori Sacristâ ex veterum Scriptorum monumentis invento.

Magister Frater Augustinus Thermitanus MCCLXXXVII.

MAgister Frater Augustinus Thermitanus, cognomento *Novellus*, juris utriusque peritissimus, ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Patris Augustini à Nicolao IV. Papâ, minoritano, electus fuit Apostolici Sacrarii Præfectus, Pœnitentiarii, & Confessarii Papæ nomine insignitus, ut in Cæremoniali perantiquo, & in Chronicis Mauritii Tertii, & Josephi Pamphili legitur. Sacrarii autèm Præfecturam sub Nicolao IV. Cælestino V. & Bonifacio VIII. exercuit. Hic ob insignem vitæ sanctitatem, & doctrinam, *Augustini Novelli* nomine, uti diximus, fuit nobilitatus. Verùm quià ex Eremo fuit accersitus, indèque extractus, & quidèm inuitus; Eremum semper desiderabat, dum ex obedientia in Romanâ Curiâ vitam maximo sanè cruciatu degebat. Anno autèm Domini MCCXCVIII. Prior Generalis in comitiis nostri Ordinis Mediolani celebratis absens creatur, ut ait Frater Jordanus à Saxonia. Præfecturam verò nostri Ordinis nonnisi ex Romani Pontificis, Bonifacii VIII. suscepit. Augustinianam tamèn Sodalitatem universam maximâ cum charitate, & humiliate, non sine magno justitiæ zelo, gubernavit, ut ejusdem Jordani utar verbis. De ipsius obitu Joseph Pamphilus in Chronicis etiàm ex Jacobo Bergomate ità loquitur. Cerem. Chronic. Chron. Ord. Jordan. in libro, qui Vitas Fratrum inscribitur, lib. 2. cap. 7.

Frater

Frater Augustinus Novellus, vir & sanctus, & doctor, decimo, postquàm Magistratu se abdicaverat, anno, multis clarus miraculis in loco S. Leonardi propè Civitatem Senarum, quò se, relicto Magistratu, contulerat, animam Deo reddidit. De quo Jacobus Bergomensis in suis Chronicis ait: Augustinus de Therma, nostri Ordinis Generalis Prior, natione Siculus, olim utriusque juris consultissimus, Doctor, & integerrimus Theologus, hoc anno 1309. haud procul à Sena, Hetruriæ Urbe, locello sui Ordinis, D. Leonardo dicato, multis clarus miraculis, beato fine quievit. Qui postmodùm propter doctrinæ, & sanctitatis excellentiam, beatus Augustinus Novellus nominari meruit.

F. Augustinus de Therma Siciliæ, non de Terano Umbriæ, ut falsò, & inepte dicunt.

Quamvis autèm antè Fratrem Augustinum Novellum alium Sacristam non invenerim; credi tamèn potest, ut alii ex Ordine nostro Fratres hoc in munere obeundo dictum Fratrem præcesserint, cum de initio hujusce officii non extet hominum memoria, quæ contrarium ullo insinuet modo, ut Alexander Sextus in Bullâ, quam nuper legimus, expressè testatur.

Magister, seù Lector F. Jacobus Camers MCCXCVIII.

II. Chron. Ord.

MAgister, seù Lector F. Jacobus Camers non mediocritèr doctus, tempore Bonifacii VIII. ut in Chronicis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Patris Augustini legitur, Apostolici Sacrarii Præfecturam suscepit: is enim in Romanâ Curiâ, ut Josephus Pamphilus, Episcopus Signinus, in Chronicis ait; Ordinis nostri Procurator, post Augustini Novelli ab eâ discessum, Romanorum Pontificum Pœnitentiarius & Sacrarii Pontificii Præfectus Anno Domini MCCXCVIII. eligitur, eâque Præfecturâ sub Bonifacio VIII. Benedicto IX. Clemente V. & Joann. XXII. functus est. Hujusce Sacristæ seculo floruit Frater Egidius Romanus, è Columnensium Familiâ ortus, qui fuit Prior Generalis, deindè Archiepiscopus Bituricensis & S. R. E. Cardinalis, Theologus ac Philosophus insignis, & ob doctrinæ constantiam Fundatissimus, *Doctor* nuncupatus, ut multa ejus monumenta scriptis mandata docent: obiitque Anno Dom. 1316. ætatis verò suæ 69. Eodem seculo, & in eodem Generalatu floruit S. Nicolaus Tolentinas, qui anno Dom. 1294. ex hac vita decessit miraculis clarus. Horum contemporaneus fuit Magister Frater Angelus Camers Theologus illustris, cujus opera in Bibliothecis Sancti Marci Mediolani, & Sancti Spiritus Florentiæ asservantur.

Chron. Josephi Pamphili.

Magister F. Joannes Lemovicensis MCCCXIX.

III.

MAgister Frater Joannes Lemovicensis, ex Lemovico, Aquitanicæ Galliæ Civitate, Anno salutis humanæ MCCCXIX. Avenione à Joanne XXII. Anno Pontificatus III. Fratre Jacobo Camerte mortuo, ad Sacrarii Pontificii curam assumptus, Pœnitentiarii quoquè officium, ac Bibliothecæ Pontificiæ Præfecturam suscepit: is enim Joannes Papa tria hæc conjunxit officia, & ab aliquo nostri Ordinis Fratre perpetuò exercenda decrevit. Quæ sanè omnia Frater Joannes Lemovicensis primus exercuit, triumque Romanorum Pontificum, hoc est, Joannis XXII. Benedicti XII. & Clementis VI. Pœnitentiarius, vel à Secretis confessionibus, necnon Apostolici Sacrarii Præfectus, & Bibliothecarius fuit, ut in antiquo ejusdem Augustinianę Sodalitatis Commentario, quem vulgò & passim quidèm *Registrum* vocitare solent, atquè itèm in Josephi Pamphili Chronicis, & alibì videre licet. Joanne deindè Lemovicensi mortuo, Sacrarii Pontificii Officium alicui semper ex instituto Eremitarum S. Patris Augustini Fratri traditum fuit, sicùt continua dicti Ordinis Fratrum successio apertè demonstrat, quam luce clariorem esse infrà videre quis potest. Idem quoquè Sacrista Romanorum Pontificum Confessarius ferè semper fuit: Munere autèm Bibliothecarii ad Sixti IV. usquè tempora, uti diximus, & suo videbimus loco, functus est.

Registrum Ord.

Anno Dom. 1319.

Magister F. Raymundus Apamiensis de Acono MCCCXLVI.

IV.

MAgister F. Raymundus de Acono Apamiensis Theologus, Apamiæ in Provinciâ Narbonensi natus, in Fratris Joannis Lemovicensis demortui locum, Anno Dom. MCCCXLVI. Sacrista, Confessarius, seù Pœnitentiarius, necnon Bibliothecarius à Clemente VI. circà annum Pontificatus quintum sufflectus, hæc tria officia tempore ejusdem Clementis, Innocentii VI. & Urbani V. exercuit, Episcopus primùm Forolivienſis creatus, deindè ad Ecclesiam Apamiensem translatus. Postremò senectâ ætate confectus, Anno salutis nostræ MCCCLXVI. ad suam Ecclesiam Apamiensem, in Galliâ sitam Narbonensis, sese recepit, ut quieti suæ indulgeret; ibìque requievit in Domino.

Magister F. Petrus Amelius Lemovicensis MCCCLXVI.

MAgister Frater Petrus Amelius Lemovicensis in Galliâ Aquitanicâ, Lemovici natus, qui dicto Fratri Raymundo in tot laboribus opem tulit, ab Urbano V. circà quartum Pontificatus annum Sacrista, Pœnitentiarius, & Bibliothecarius fuit electus, triaque officia sub ejusdem Urbani V. Gregorii XI. & Urbani VI. temporibus exercuit, primùm Episcopus Senogallienſis, deindè Archiepiscopus Tarentinus, Patriarcha itèm Gradensis, ac tandèm Patriarcha Alexandrinus, & in Vasconiâ Aquensis Ecclesiæ Administrator creatus. Hic Sacrista Gregorii XI. qui Anno Dom. MCCCLXXVI. ac sexto sui Pontificatus anno Apostolicam Sedem Romam reportavit, itinerarium maritimum, sivè universam ex Avenione ad Urbem

Apostolica Sedes Romam ex Avenione reportata post 70. annos.

bem usquè navigationem, atquè ab Urbe Roma ad Anagniam item protectionem diligenter ac scitè quidèm conscripsit, ut apùd Papirium Massonum in libro de Romanis Pontificibus videre licet, qui totam ipsam navigationem, aut protectionem in vita Gregorii XI. scriptum reliquit, quibusdam Latinis versiculis à Sacrista conscriptam, oratione tamèn solutâ factis: qui quamvis nullâ pedum, aut syllabarum mensurâ & connexione, sivè ordinatione constet, dictiones tamen versiculorum ultimæ, prout illa ferebat ætas, sunt similitèr cadentes ac desinentes, quales esse solent, qui vernaculâ cujusque Nationis linguâ, & rhythmicâ quidem syllabarum normâ editi leguntur.

Papirius in Gregorio XI.

Magister Frater Petrus Apamiensis
MCCCLXXVIII.

MAgister Frater Petrus Apamiensis ab Urbano VI. Anno salutis nostræ MCCCLXXVIII. & Pontificatus primo, Sacrista, Pœnitentiarius, & Bibliothecarius electus fuit, ac tria officia sub eodem Urbano VI. & Bonifacio IX. exercuit, Episcopali Montis Falerii in Hetruria dignitate decoratus. De hoc Sacrista expressam suis in Chronicis facit mentionem Frater Josephus Pamphilus Sacrarii olim Pontificii Præfectus; necnon Fr. Mauritius Tertius Parmensis in suis Chronicis brevioribus per quandam Tabulam seù Chartam folio apertam, quàm *Arborem* vulgò appellant, conscriptis: majora enim Ordinis nostri Chronica, è quibus breviora excerpsit, in Germania, ubi suum obivit diem, dum in ea Provincia pro nostra Augustinensi Sodalitate juvandâ vitam degeret, graphicè conscripta reliquit, ea propedièm in lucem editurus, nisi mors conatum interpellasset. Quæ sanè Chronica, si in manus emunctæ naris viri pervenerint, tanquàm typis digna, vel ipsius Auctoris nomine, vel eo saltèm suppresso, sub alieno tandèm aliquandò in lucem forsan prodibunt. Ego enim ob ipsius operis præstantiam, hujus generis partum utcunquè in lucem exire cupio ac spero.

F. Mauritii Tertii Chronicon.

Magister Frater Petrus Assalbitus
MCCCXCV.

VII.

MAgister Frater Petrus Assalbitus Fratri Petro Apamiensi Sacristæ, Pœnitentiario, ac Bibliothecario successit post ejus obitum sexto Bonifacii IX. Pontificatus anno: triaque illa officia sub eodem Bonifacio, Innocentio VII. Gregorio XII. Alexandro V. Joanne XXIII. Martino V. & Eugenio IV. exercuit; in iisdem officiis, primùm Olorensis Episcopus, deinde Condovensis, postremò Electensis creatus. Is cum Martino V. supplicitèr egit, ut Corpus Sanctæ Matris Monicæ ex Ostia Tiberina Romam in Ecclesiam Augustinianorum Anno Dom. MCDXXX. die 9. Aprilis, quæ fuit Dominica Palmarum, transferretur, ut ex Bulla ejusdem Papæ constat: in qua Martinus V. dictum Fratrem Petrum Episcopum Electensem Apostolicæ Cameræ Sacristam, suumque Confessarium, & Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Patris Augustini professum nominat; & Sanctum Patrem Augustinum Ordinis nostri Fratrum Eremitarum Fundatorem apertis verbis appellat. Dictam Bullam Anno Domini 1430. Pontificatus 13. ejusdem Papæ v. Kalendas Maii, hoc est, die XXVII. Aprilis datam videre est in Registro Bullarum Apostolicarum, necnon in Ordinis nostri Chronicis, quæ Frater Josephus Pamphilus Episcopus Signinus imprimenda curavit. Idem Sacrista Corporis Sanctæ Matris Monicæ translationem satis elegantèr descripsit, ut ex brevissimo Fratris Mauritii Tertii colligitur Chronico, in quo ii, qui humeris suis dictum Corpus detulerunt, recensentur; hoc est, idem Sacrarii Pontificii Præfectus, Rodulphus Castellanus, qui huic Sacristæ successit; Lucas Episcopus in Corsica; Antonius Legatus ab Rege Aragonum ad Martinum V. missus, & Augustinus quidam, cujus nequè cognomen, nequè Patria nominatur. Cùm autèm F. Petrus Assalbitus, Episcopus Electensis in tribus officiis jam commemoratis vixisset annis ferè quadraginta-quinque, in sua tandèm Patriâ, quò, senio confectus, sese receperat, ex hac vita decessit. His temporibus Apostolici Sacrarii Præfectus non Sacrista, sed *Papæ Confessarius* vocitabatur; ejus autèm Socius appellabatur *Sacrista*, ut superiùs ex Cæremoniali manuscripto, ac perantiquo in Bibliotheca Vaticana asservato satis diffusè comprobatum est, dum Catalogum Sacristarum exordiremur.

S. Augustinus Fratrum Eremitarum fundator.

Ann. 45.

Magister Frater Rodulphus Castellanus
MCDXL.

MAgister Frater Rodulphus Castellanus è Civitate Castelli, Umbriæ Oppido, quod veteres *Tifernum* vocarunt, Anno Eugenii IV. Pontificatus decimo, & salutis nostræ MCDXL. in Petri Assalbiti Episcopi Electensis locum, Sacrista, Confessarius, & Bibliothecarius suffectus, paulò post Civitatis Castelli Episcopus creatur, atque sub eodem Eugenio IV. Nicolao V. Calixto III. & Pio II. Romanis Pontificibus dicta obivit officia, in quibus exercendis unum ac viginti annos vixit: mortuus est enim anno Domini MCDLX. ut vetustæ Inscriptiones ad Chorum Ecclesiæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Civitate Castelli penicillo scriptæ docent hisce verbis:

VIII.

Ad Chori Lævam.

Quantùm Frater Rodulphus hujus Urbis Civis, & Episcopus, S. Augustini Religionem dilexerit, tùm lautus hic Chorus, tùm parietes instaurati, tùm Sacristia Sacratissimis Reliquiis, & purpureis vestibus exornata documento esse possunt. Obdormivit in Domino Anno MCDLX. v. Idus

v. Idus Junias, Fabricæ ministro, Domino Antonio, Priore Sancti Bartholomæi existente.

Ad Chori dextram.

Hæc quicunque vides, Hospes, subsellia, Fratris
Rodulphi impensis facta fuisse tene.
Qui Præsul Patriæ fuit, ac Sacrista Beatùm
Pontificum. Major gloria, quæ sequitur.
Ostia cùm Monicam secreta in sede teneret,
Translata est Romam; hoc Duce, sancta Parens.

MCDLX.

Sermo Mart. V.

Quamvis Petri Assalbiti Sacristæ, & Episcopi Electensis precibus, ut Martinus V. in sermone ad Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini post dictam Translationem habito testatur, Corpus Sanctæ Matris Monicę ex Ostiâ Tiberinâ fuerit translatum; Rodulphus tamèn, ejus alumnus, & nondùm Sacrista, Corpus ipsum ex Ostiâ Tiberinâ Romam transferendum curavit, sicùt ex eodem Martini V. Sermone, quem superioribus annis Prædecessor meus in Lucem emisit, colligitur, humerisque suis cum aliis, quos nupèr commemoravimus, in eo transferendo gestavit.

Translatio S. Monicæ.

De hoc itèm Sacristâ, Rodulpho, scilicèt, Castellano Episcopo, extat Epitaphium marmore incisum Romæ in Ecclesiâ Sancti Patris Augustini, notis quibusdam nimiùm fanè abbreviatis, ac protritis, immò aliquâ ex parte corrosis, & erasis: est enim locus antè Sanctæ Matris Monicæ Sacellum, nemini non pervius; hinc pedibus hàc illàc gradientium subjectus, ubi Tabula sepulcralis humi jacet, & quidèm marmorea, in qua simulacrum ipsius Rodulphi, olim Sacristæ, habitu Episcopali effictum cernitur, & circà simulacrum legitur Epitaphium marmore incisum, quod, prout jacet, etsi mendosum, & aliquot carens vocibus, infrà legendum propono.... HUI † ET R. P. DOMINI RODULPHI EPISCOPI C. CASTELLI; ET IV. SUMMORUM PONTIFICUM S. EUGENII II. NICOLAI V. CALIXTI III. ET PII II. CONFESSORIS, ET SACRISTÆ CURIÆ SACRUM CORPUS SANCTÆ MONICÆ AB HOSTIA TIBERINA TRANSLATUM EST ANNO DOM. MCDXX.

† Nota illa pro, &, ponitur.

In hoc mutilo Epitaphio, ex notis nimiùm abbreviatis confecto, multa desiderantur; quæ si addantur, sensum reddunt perfectum, hunc in modum:

Hìc jacet Corpus hujus & R. P. Domini Rodulphi Episcopi Civitatis Castelli, & quatuor Summorum Pontificum, scilicèt, Eugenii IV. Nicolai V. Calixti III. & Pii II. Confessoris, & Sacristæ, & Bibliothecarii, qui suis humeris portavit Sacrum Corpus Sanctæ Monicæ ab Ostiâ Tiberinâ translatum Anno Dom. MCDXXX.

Annorum numerum omninò immutandum esse judicavi, quia unam literam X quæ numerum indicat denarium, cum aliis permultis corrosam & abrasam fuisse fatendum est, quia Bulla Translationis Anno XIII. Pontificatus Martini V. qui est Annus Domini MCDXXX. data fuit, ut in Registro Bullarum Apostolicarum videre est; Annus autem Domini MCDXX. est annus tertius ejusdem Pontificatus. Numerus 1430. ad annum translationis; num. autèm 1460. ad annum obitus Rodulphi Castellani refertur.

Verborum itèm structuram satìs rudem & ineptam à Lapicidâ forsàn vitiatam, & aliquot in locis corrosam & abrasam aliquâ ex parte adaptavimus, eamque conjecturâ consequuti, hoc loco apponendam censuimus, ut Epitaphii sensum perfectum redderemus. Id quod faciendum judicavimus, ut ea, quæ de Rodulpho Sacristâ ex Chronicis dicta sunt, Inscriptionibus, & Epitaphio ipso comprobemus.

Magister F. Joannes Castellanus
MCDLX.

IX.

MAgister Frater Joannes Castellanus è Civitate Castelli, Umbriæ Oppido, quod veteres *Tifernum* vocarunt, Fratris Rodulphi Sacristæ jàm defuncti ex sorore nepos, ut legitur in Chronicis, quæ Generalis Magister Seripandus in lucem edenda curavit, in ejusdem Rodulphi locum ad eadem tria officia exercenda Anno Dom. MCDLX. surrogatur, qui vel cognomento, vel ex officio *Referendarius* dictus fuit, ut ex manuscriptis eo tempore nostri Ordinis Generalium Magistrorum libris, seù Regiſtris constat; deindè Castellanus Episcopus, postremò ad Episcopatum Massensem assumptus fuit, triaque officia illa tempore Summorum Pontificum, Pii II. Pauli II. & Sixti IV. functus, Apostolici Sacrarii Præfectus, Confessarius & Bibliothecarius fuit.

Anno Dom. 1460.

De hoc Sacristâ non solùm in Chronicis, verùmetiàm in Ordinis nostri Regiſtris expressa fit mentio, præsertìm verò in Regiſtro Magistri generalis Fratris Ambrosii Coriolani, qui Anno Domini 1472. die 12. Decembris id scriptum reliquit:

§ Regiſtr. Coriolani 147 die 12. Dece

De mandato Sanctissimi Domini Sixti Papæ IV. fecimus Magistrum Fratrem Matthæum de Tolentino, & abbreviavimus sibi tempus aliquorum mensium, per quod debebat stare in Studio secundùm consuetudinem Ordinis, & beneplacitum nostrum: & hoc impetratum fuit à Reverendissimo D. Joanne Episcopo Castellano, Sanctissimi D. N. Sacristâ, Confessore, & Referendario dignissimo, ut patet per schedulam ejus ad nos missam, in qua explicat, Sanctissimum D. N. mandare prædictum Baccalaureum à nobis Magistrari. Hæc ibi.

Sunt qui velint, hunc Sacristam Senensem fuisse, ut ait Josephus Pamphilus, Episcopus olim Signinus, & Sacrista in Chronicis: Sed eum Castellanum fuisse ratio ipsa persuadet: Tùm quia Rodulphi Castellani nepos fuit, tùm etiàm ob multa beneficia ab eo in Monasterium, seù Cœnobium nostri Ordinis in Civitate Castelli situm collata: dictum namque Cœnobium dormitoriis, cubicu-

Anno Dni 1463.

biculis, officinis, aliisque fabricis exornandum suis impensis curavit. De hoc item Sacristâ in quodam Lactantii Firmiani libro in Cœnobio nostro Civitatis Castelli extat memoria in hanc verborum formam:

Lact. Firmiani liber.

Ego humilis Episcopus Castellanus, Sacrista Sanctissimi Domini Nostri Pauli Papæ II. Vobis, Patri Priori, & Fratribus Sancti Augustini ejusdem Civitatis pro remedio animæ meæ dono hunc Librum Lactantii Firmiani emptum à me ex emolumentis officiorum meorum Anno Domini 1470. *die* 12. *Augusti. Orate pro me.*

Quamvis autem nomen Joannis hac in schedula non reperiatur, Fratrem tamen Joannem Sacristam fuisse, dubitandum non est, quem tempore Pauli II. Sacristam fuisse constat. Sacristæ hujusce tempore Sixtus IV. Anno Dom. MCDLXXV. officium Bibliothecarii à Sacristatus munere sejunxit, novâque in Vaticano Bibliothecâ constructâ, Bartholomæum, vel, ut alii volunt, Baptistam Platynam Cremonensem, virum suo tempore eruditissimum, & Apostolicum Scriptorem, Bibliothecarium instituit. Platynæ successores omnes tam Cardinales, quàm non Cardinales in nostro de Bibliothecâ Vaticanâ Commentario videre licet. De hoc item Sacristâ Jacobus Cardinalis Papiensis, qui fuit Episcopus Papiæ, in Pii II. Commentariis mentionem facit, sub initium eorundem, dum de ejusdem Pii Anconam versus profectione pro Sanctâ expeditione Cruce signatis coacta; Bello jam Turcis ad communem Orbis Christiani salutem parandam indicto, sermonem habet hisce verbis: *Delegerat sibi* (hoc est Pius II.) *hujusce navigationis comites Dominicum de Dominicis Torcellanæ, & Agapytum Camertinæ, & Joannem Tifernatis Ecclesiæ Præsules, quorum Dominicus, & Agapytus de supplicationibus referre soliti fuerant; Joannes Sacrarii Apostolici curam gerebat: me quoquè* (inquit Card. Papiensis) *& Gregorium Lollium adjungi his voluit.* Hæc de Fratre Joanne Castellano.

Bibliothecarii Officium ab Officio Sacristatus sejungitur.

Bibliotheca Vaticana

Comment. Card. Papiensis.

M. F. Joannes Paulus Bossius Mediolanensis MCDLXXXIII.

X. MAgister Frater Joannes Paulus Bossius Mediolanensis Anno XII. Pontificatus Sixti IV. & salutis nostrę MCDLXXXIII. in Fratris Joannis Castellani demortui locum surrogatus, sub eodem Sixto, Innocen. VIII. & Alexandro VI. Romanis Pontificibus Apostolici Sacrarii Præfecturâ functus est. Is à pueris nostri Ordinis Eremitarum S. Patris Augustini habitum susceptit, & in eo professionem emisit, ut ex Literis Apostolicis Alexandri VI. plumbo munitis, quarum exemplum superiùs apposuimus, constat, atquè in eodem habitu ad Sacrarii Pontificii munus fuit assumptus. Postremò Abbas Sancti Sebastiani extrà muros Urbis, Ordinis Cistercienſis effectus, ad dictum Ordinem, ut idem Alexander suis in Literis ait, translatus fuit. Quarè Alexander VI. ne hoc exemplo, Eremitarum Sancti Patris Augustini Ordo jure suo antiquo, ac privilegio dictum officium obtinendi tempus in posterùm frustrari posset, per Bullam, nupèr commemoratam, Sacrarii Pontificii manus à Fratribus dicti Ordinis perpetuò exercendum esse Motu proprio declaravit. Hæc autèm declaratio, ut ex ipsâ constat Bullâ, facta fuit, dum ipse Bossius Abbas Sancti Sebastiani, & Alexandri VI. foret Sacrista.

De hoc item Sacristâ Joannes Burchardus Argentinensis, Cæremoniarum Magister, mentionem facit in 2. Diariorum Tomo, Anno salutis nostræ 1497. & alibi de obitu ipsius, quem ob habitus mutationem, & Abbatiam, Ordinis Cistercienſis *Abbatem* appellat, & in Ecclesia Sancti Sebastiani Anno Dom. 1501. sepultum fuisse ait.

Anno Domini 1497.

Anno Domini 1501.

Magister F. Augustinus Castellanus. MDI.

MAgister Frater Augustinus Castellanus è Civitate Castelli, Umbriæ oppido, quod veteres *Tifernum* vocarunt, Alexandri VI. Sacrista, & Confessarius, necnon Basilicæ Sancti Petri Pœnitentiarius fuit. Officium autèm Sacristatus Dominicâ primâ Adventus Anno Domini MDI. exercere cœpit, sicùt Burchardus Cæremoniarum Magister testatur hisce verbis: XI.

Dominicâ primâ Adventus Domini, die 28. *Novembris MDI. Petrus Episcopus Calinensis, Vicarius Urbis, celebravit Missam publicam in Cappellâ majori, Papâ præsente: Sermonem fecit Procurator Ordinis Prædicatorum. Hoc manè Frater Augustinus de Castello, Professus Ordinis S. Augustini, Confessor Papæ, & Pœnitentiarius Basilicæ Sancti Petri, novus Sacrista Cappellæ Papæ incepit servire in officio hujusmodi Sacristiæ, & habuit locum ultimum intèr Assistentes, hoc est, post ultimum Prælatum Papæ Assistentem.* Hæc Burchardus.

Anno Domini 1501.

De eodem Fratre Augustino Sacrista idem Burchardus in Crucis adoratione, die Parasceves Anno Domini 1502. præsitâ, loquitur in hanc verborum formam:

Post omnes Episcopos adoraverunt Frater Augustinus Sacrista Cappellæ, & Confessor Papæ à dextris, & Protonotarius, Orator Ducis Ferrariensis à sinistris simùl, & post eos, Oratores Laici, Venetiarum, & ejusdem Ducis Ferrariensis. Hæc Burchardus in 3. Diariorum Tomo. Ex hoc testimonio planum profectò fit, locum Sacristæ non Episcopi, antiquum esse in Cappella immediatè post ultimum Assistentem Papæ, sicùt Fratrem Augustinum Castellanum, de quo sermo habetur, talem locum habuisse apertè videmus. Quamvis enim Sacristæ omnes ex officio statim Sacristatus, Assistentes saltèm de mitra dicantur, & sint, locumque sedendi in Cappella immediatè post ultimum Assistentem habeant nondum Episcopi; hic tamèn Sacrista in adoratione Crucis locum suprà Protonotarios post ultimum Episcopum non Assistentem habuit, quia non erat Episcopus: nam si fuisset Episcopus, non post ultimum Episcopum imme-

Anno Domini 1502.

diatè in adoratione Crucis locum habuisset, sed cum Assistentibus suprà multos Episcopos non Assistentes Crucem adorasset: Episcopi enim Assistentes in Cappellâ, præsente Papâ, omnes alios Episcopos, & Archiepiscopos non Assistentes præcedunt. Hæc obiter, occasione sese offerente de Sacristæ loco, de quo alibi, & fusiùs quidèm, verba fecimus.

Admiror autèm, cur Burchardus, dum loquitur de Conclavi facto per obitum Alexandri VI. qui Anno Dom. 1503. die 18. Augusti obiit; necnon per obitum Pii III. qui eodem anno, die autèm 18. Octobris ex hac vitâ decessit [vixit enim Pius in Pontificatu viginti sex tantùm dies] mentionem faciat de Venturâ Episcopo Massanensi, sivè Massensi, Sacristâ, Thesaurario Generali, Secretario Papæ, & Clerico Cameræ, Conclavistarum primo; cùm Fratrem Augustinum Castellanum Anno Dnmini 1501. 1502. & 1503. Sacristam fuisse; & Fratrem Zachariam Savonensem Anno Dom. 1504. Sacristam extitisse scribat; nullumque alium Sacristam intèr hos duos fuisse constet. Adde etiàm, quòd de illo Venturâ Episcopo, & Sacristâ, aliis officiis insignito, nulla penitùs mentio alibi reperitur facta, Diariis, & Regestis, vel Commentariis, necnon Historiis, & Chronicis perlectis. Hinc dictum Venturam per obitum Fratris Augustini Castellani Sacristæ duo illa Comitia, seù Conclavia, Sacristæ loco, necessitate Conclavis instante, ac suâdente per modum, ut ajunt, *provisionis* à S. R. E. Cardinalium Collegio Sacristam electum, ingressum credendum est: quia Sacrista tot simùl munia nullam intèr se affinitatem habentia, Thesaurarii, scilicèt, Generalis, Clerici Cameræ, & Secretarii Papæ officia exercere non potest. Hinc in Fratris Augustini Castellani Sacristæ, [qui, si conjectare licet, vel parùm antè, vel parùm post mortem Alexandri VI. obiit] locum paucis post mensibus Frater Zacharias Savonensis à Julio II. itèm Savonensis accersitus fuit, Apostolici Sacrarii effectus, ut infrà ex eodem Burchardo videre statim licet, nullâ penitùs mentione de Ventura Episcopo Massensi, & Thesaurario generali factâ.

Ventura Episc. Massen. sis, vel Massanensis.

Hoc potissimùm loco Scriptores variant, Fratrem Augustinum Sacristam in aliud tempus reiicientes, & nescio quid confingentes, quod verisimile non videtur. Illud verissimum esse constat, seriem Sacristarum ejusdem Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini ad annum usquè Domini MCDXCVII. Alexandri VI. testimonio continuatam sempèr fuisse, & nunquàm interrupptam, eandemque ad nostra usquè tempora perpetuam perveniisse nemo est, qui ignoret. Vide quid in Chronicis F. Hieronymus Seripandus Generalis, F. Hieronymus cognomento Romanus, natione Hispanus, & Frater Josephus Pamphilus Veronensis dicant: hoc enim brevitatis causâ silentio prætermittendum censeo. Resignationem autèm Sacristatus à Ventura Episcopo Massensi in manibus Julii II. præstitam, infrà ex Bulla videre licet in Fratre Nicolao Aquapendentano.

Anno Domini 1497.

Anno Domini 1494. 1498.

Magister Frater Zacharias Savonensis.
MDIV.

XII.

MAgister Frater Zacharias Savonensis Ligur, in Fratris Augustini Castellani jam demortui locum sufficitur Mense Augusto Anno Dom. MDIV. à Julio II. qui ultimâ Octobris die Anno Dom. MDIII. Pontifex Maximus renunciatus fuit. Hic Sacrista, quidquid scribant alii, parùm in Sacrarii Pontificii vixit officio, ut ait Burchardus, qui maximè omnium id scire poterat, ac debebat, ob magnam, & ferè continuam consuetudinem, quæ Cæremoniarum Magistro cum Sacrista esse solet. Burchardus de hoc Sacrista in suo Diario mentionem facit hunc in modum: *MDIV. Dominicâ die 20. Octobris Frater Zacharias de Savona, professus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Sacrista Cappellæ Sanctissimi D. N. antè duos menses, vel circà, per Papam Deputatus, in Camera suæ Sacristiæ dictæ Cappellæ diem clausit extremum.* Hæc Burchardus.

Burchardi Diarium.

Huic Sacristæ Magister Frater Hieronymus Seripandus Generalis, Fr. Hieronymus cognomento Romanus, natione Hispanus, & Magister Fr. Josephus Pamphilus Veronensis in Chronocis aliquot vitæ annos in officio Sacristatus tribuunt: sed Burchardo dictam ob causam magis hac in re, quàm aliis credendum videtur.

1498.

1504.

Magister Frater Nicolaus Aquapendentanus
MDIV.

XIII.

MAgister Frater Nicolaus Foresius Aquulensis, vel Aquapendentanus, Theologus insignis, & Julio II. gratissimus, Apostolici Sacrarii in Zachariæ demortui locum surrogatus, deindè Archiepiscopus Dyrrhachiensis post aliquot menses ab eodem Julio creatur Anno Dom. MDV. die primâ Septembris in Consistorio Secreto, ut ait Burchardus Cæremoniarum Magister in hæc verba: *MDV. die Lunæ, primâ Septembris, in Consistorio Secreto fuit pronunciatus F. Nicolaus de Aquapendenti Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, & factus Sacrista Papæ.* Hæc Burchardus in suo Diario.

Anno Domini 1504.

Anno Domini 1505. Tom. 8.

Cùm itàquè Zacharias Savonensis mense Octobri Anno 1504. obierit, deique octavâ Novembris ejusdem anni Nicolaum Aquapendentanum Sacristam effectum fuisse constet, ut infrà videre licet, Anno sequenti 1505. Archiepiscopum Dyrrhachiensem die primâ Septembris creatum fuisse credendum est, etiàmsi Burchardus in eodem Consistorio, & Sacristam, & Archiepiscopum electum fuisse, dicere videatur: id quod omninò adversatur Bullæ Pontificiæ, quam hoc loco apponere libet.

Anno Domini 1504. Anno Domini 1505. Tom. 8.

Quoniàm verò Ventura Episcopus Massensis, Thesaurarius Generalis, Secretarius Papæ,

Papæ, & Clericus Cameræ Anno Domini 1503. Fratre Augustino Castellano, vel adversâ valetudine impedito, vel moribundo, sivè nupèr mortuo, à S. R. E. Cardinalium Collegio per modum, ut ajunt, *provisionis*, necessitate id suadente, Sacrista electus, duo Conclavia, unum, scilicèt, per obitum Alexandri VI. alterum autèm per obitum Pii III. fuit ingressus, & officio Sacristatus nondùm se abdicatum declaravit. Anno autèm Dom. 1504. Anno, scilicèt, primo Pontificatus Julii II. Sacristatus officium, quod Ventura, Episcopus Massanensis, vel potiùs Massensis à Sacro Cardinalium Collegio, Apostolicâ Sede vacante, per modum, uti diximus, provisionis, accepit, & exercuit [Fratre Nicolao Aquapendentano ab eodem Julio ad hoc munus obeundum jam accersito] sponte resignavit: id verò anteà non fecit ob adversam fortasse valetudinem Zachariæ, qui cùm duos circitèr menses in officio vixisset, toto illo duorum mensium spatio, si hac in re conjectare licet, morbo affectus in lecto jacuisse censetur.

Adde etiàm, quòd dictus Ventura post Conclave per obitum Pii III. habitum, gravissimas ob causas jussu Julii II. fuerat carceri mancipatus. Deindè libertatè donatus, Sacristatus officium resignavit, quippè qui dictam Apostolici Sacrarii Præfecturam à Romano Pontifice, ad quem ipsius Officii collatio pertinet, non acceperat, Apostolicâ vacante Sede per obitum Alexandri VI. & Pii III. qui dies tantùm 26. in Pontificatu vixit: Nam 22. Septembris die Papa creatus fuit, die autèm 17. Octobris, Anno Domini MDIII. diem suum obivit, sicùt in Diario Burchardi legitur. Burchardus in Diario.

Præterea idem Ventura post Sacristatus resignationem, solutis jam 8000. ducatis, Clericatum etiam Cameræ, Secretariatum, Scriptoriam, & alia officia resignavit, ut ipse Burchardus in suo Diario die 5. Novembris Anno Dom. MDIV. scriptum reliquit. Curam verò Sacrarii Pontificii Ventura, tamquàm Clericus Cameræ, necessitate, hoc est, temporum angustiâ, negotiorum molè onustâ, id postulante, à Sacro Cardinalium Collegio per *modum provisionis*, ut ajunt, suscepit, quia Clerici Cameræ cuicumque Sacristæ Pontificio rerum omnium Apostolici Sacrarii repertorium, sivè Indicem, à Notario Cameræ conscriptum, quem passim appellant *Inventarium*, assignare solent; & Sede item vacante, idem Inventarium recognoscunt. Hinc Zachariâ jam demortuo, anteàquàm Bulla pro Fratre Nicolao Aquapendentano, Sacristâ nupèr electo conficeretur, libera Sacristatus Resignatio in manibus Julii II. ab ipso Venturâ sponte facta fuit, quatenùs facienda erat, ut ipsa, quæ infrà legitur, docet Bulla, in qua duo notatu digna leguntur, ex quibus Apostolici Sacrarii Præfecturam nonnisi uni ex Fratribus Eremitanis Sancti Patris Augustini concedi semper consueviſſe, satis amplè colligimus, si Bullæ verba perpendantur. Burchardus in Diario.

BULLA JULII II.

Pro Fratre Nicolao Aquapendentano Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini per resignationem Venturæ Episcopi Massensis MDIV.

JULIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto Filio Nicolæ de Aquapendente Ordinis Fratum Eremitarum Sancti Augustini Professori, Sacristæ Cappellæ nostræ, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ELIGIONIS zelus, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, supèr quibus apùd nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut te specialibus favoribus, & gratiis prosequamur. Cùm itaquè Officium Sacristiæ Cappellæ nostræ per liberam resignationem Venerabilis Fratris Nostri Venturæ Episcopi Massanensis, de illo, quod tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, & per Nos admissam, vacaverit, & vacet ad præsens; Nos volentes te præmissorum meritorum tuorum intuitu, favore prosequi gratioso,

teque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus quomodolibèt innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxàt conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Officium prædictum, quod ad vitam concedi, & per unum ex Profeſſoribus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini teneri conſuevit, ſic vacans, cum omnibus illius honoribus, oneribus, ſalariis, juribus, & emolumentis conſuetis, Apoſtolicâ tibi Auctoritate, ad vitam tuam concedimus, & aſſignamus, teque ad illud, videlicèt, in ipſius Venturæ Epiſcopi locum ſubſtituimus, & etiàm ſurrogamus, decernentes te ex nunc, ad dictum Officium, ejuſque liberum exercitium, honores, onera, ſalaria, jura, & emolumenta hujuſmodi, recipiendum fore, paritèr & admittendum. Et nihilominùs tibi, ut omnibus, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, gratiis, conceſſionibus, & indultis, quibus alii dictæ Cappellæ Sacriſtæ, qui pro tempore fuerunr, utebantur, potiebantur, & gaudebant; uti, potiri, & gaudere poſſis, & debeas eiſdem, Auctoritate, & tenore de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Quocircà Venerabili Fratri Raphaeli Epiſcopo Albanenſi, Camerario noſtro, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs ipſe, per ſe, vel alium, ſeù alios te, Auctoritate noſtrâ, ad Officium prædictum, ejuſque liberum exercitium, necnon honores, onera, ſalaria, jura, & emolumenta prædicta in locum dicti Venturæ Epiſcopi recipi, & admitti faciat, ut eſt moris; Contradictores Auctoritate noſtrâ, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Cappellæ, & Ordinis prædictorum, cujus profeſſor, & (ut aſſeris) Ordinem ipſum expreſsè profeſſus exiſtis, juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, aſſignationis, ſubſtitutionis, ſurrogationis, decreti, indulti, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autèm hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apùd Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo quarto, ſexto Idus Novembris, Pontificatus Noſtri Anno primo.

Notatu dignum.

Notatu dignum.

Is Nicolaus tantâ erat lenitate, & affabilitate, ut omnium ſibi animos conciliaret, ſeque omnibus chariſſimum redderet. Nonnulla ſcripſit Opuſcula, quibus ſuam egregiam indicavit doctrinam, ſuique nominis perpetuam poſteris memoriam reliquit. Inſcriptiones Opuſculorum ſunt, quæ infrà leguntur:

De Baptiſmo lib. 1.
De peccato originali lib. 1.
De Pœnitentia lib. 1.
De Lymbo, Inferno, & Purgatorio lib. 3.
De Mercatura, & negotiatione lib. 1.
De Sortilegiis, & vanis perſuaſionibus lib. 1.
De ingratitudine evitanda lib. 1.
De Feſtis Sanctorum Serm. lib. 1.
Quadrageſimale lib. 1.
Sermonum variorum lib. 1.

Obiit Romæ ſenio confectus die 25. Octobris Anno Dom. 1511. ſuamque in Patriam delatus, in Eccleſiâ S. Auguſtini ſepulturæ mandatus fuit.

Magiſter Frater Gabriel Anconitanus.
MDXII.

MAgiſter Frater Gabriel Anconitanus, dum Fratris Egidii Viterbienſis Magiſtri Generalis Socius foret, Sacrarii Pontificii Prætectus eligitur, & Archiepiſcopus Dyrrhachienſis, deindè Caſtrenſis Epiſcopus creatur, vir ſanè doctus, & ſummè probus, atquè in Sacris Eccleſiæ Cæremoniis peritiſſimus. Apoſtolici Sacrarii Præfecturâ functus eſt Julio II. Leone X. Adriano VI. & Clemente VII. Romanæ Eccleſiæ Pontificibus. XIV.

De eodem Sacriſtâ loquitur Paris Craſſus, olim Sacrarum Cæremoniarum Magiſter,

ster, & Episcopus Pisaurensis in suo Diario, primâ Novembris die, Anno Dom. 1513. dum in Vesperis Defunctorum dictum Sacristam tamquàm Assistentem Leoni X. de libro in Cappellâ serviviſſe ait, eundemque, ut aliis in locis videre licet, Missam in defectum aliorum Assistentium non semel in eâdem Cappellâ cantasse scribit. Anno autèm Dom. 1518. Vicesacristam, quem *Sacristæ Cappellanum* Auctor Cæremonialis libri appellat, alii verò Substitutum, Episcopum Nepesinum electum fuisse, non autèm Assistentem extitisse testatur.

Tom. 8 Anno Dom. 1513.

De hoc Sacristâ fit mentio in Diario Anno Domini 1519. quo anno Canonizatus fuit à Leone X. Sanctus Franciscus de Paula: is enim Gabriel in Consistorio semipublico suam primus inter Prælatos tulit Sententiam de Beato Francisco Canonizando.

Ejusdem Sacristæ tempore Anno Domini 1528. die 4. Maii in Urbeveteri, quam vulgò appellant *Orvietum*, antiqua consuetudo per Decretum confirmata fuit, ut Sacrista duos Asturconis, vel Achineæ Parafrænarios, unum ex familiaribus Papæ, atquè suo arbitratu undecunquè alterum eligeret, quandò, scilicèt, Sacrosanctum Christi Corpus Romano Pontifici longum iter facienti præfertur. Hoc Decretum cum emolumentis, authenticè, hoc est, manu, & signo Notarii publici conscriptum, in Sacrario Pontificio asservatur, vetustiori Cæremoniarum Libro annexum. De hoc Sacristâ extat etiàm memoria in quadam scripturâ, seù publico instrumento, in quo agrum sivè possessionem, ac domum quandam Cœnobio Sancti Augustini Anconæ die 8. Julii 1529. tempore Clementis VII. donasse legitur, atquè hisce nominatur verbis.

Consuetudo antiqua.

Vide etiam Regiſtrum lib. 1. Diversorum à direptione Vrbis fol. 177.

Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus Gabriel Archiepiscopus Dyrrhachiensis, Prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Sacrista, & Prælatus Domesticus, & Miles S. Petri; &c.

Quòd autèm Miles S. Petri extiterit, ex privilegio die 20. Maii 1529. ad hanc rem præstandam conscripto, constat. Quæ sanè scripta in Archivio Augustinianorum Anconæ asservantur.

Sacrista miles S. Petri.

Blasius deniquè Cæsenas, Cæremoniarum Magister in Tomo Diariorum primo Anno Dom. 1529. & 1530. mentionem facit de Sacristâ eodem, dum Clemens hujus nominis VII. commoraretur Bononiæ pro Carolo V. coronando. Is enim Sacrista pro quatuor Venetæ Reipublicæ Oratoribus, honoris, & officii causâ excipiendis, electus fuit. Quoniàm verò tres ex quatuor Oratores Bononiam ingredientes ob adversam valetudinem, ac senectutem lecticis vehebantur, quartus inter Sacristam, Archiepiscopum Dyrrhachiensem, & Archiepiscopum Iadrensem Urbis Romæ Gubernatorem medius equitabat. Hos autèm Prælati multi, & Oratores Principum sequebantur. De hoc item Sacristâ idem Blasius in eodem Diariorum tomo Anno Dom. 1530. die 4. Februarii mentionem facit, quandò, scilicèt, in Consistorio Secreto Decretum fuit Bononiæ, ut ex tribus S. R. E. Cardinalium Ordinibus Primarii, quos *capita Ordinum* appellant; Magistris Cæremoniarum, & Sacristâ sibi adhibitis, decernerent ea omnia, quæ Coronationi Caroli V. Imperatoris necessaria videbantur. Huic Sacristæ senectâ ætate confecto Anno Dom 1529. datus est Coadiutor Magister Frater Alphonsus Aquapendentanus, qui Anno Domini 1534. in Sacristatus officio per obitum successit.

Magister Frater Alphonsus Aquapendentanus. MDXXXIV.

XV.

MAgister Frater Alphonsus Aquilensis, vel Aquapendentanus in Gabrielis demortui locum suffectus fuit Anno ultimo Clementis VII. Deindè à Paulo III. Episcopus Bovinensis, postremò Archiepiscopus Amalphiæ creatur, qui Concionator gratiosissimus fuisse legitur. De hoc Sacristâ ad Ecclesiæ S. Augustini Organum in Oppido Aquependentis inscriptio legitur in hanc verborum formam: *Alphonsus Oliva Aquensis, Archiepiscopus Amalphiæ, & Pauli III. Farnesii Pontificis Maximi Sacrista, libros, vestes, ornamenta, aliaque bona divino cultui tribuit, laudique Dei Organum benesonans dicavit* 1544. Multa deniquè bona, tàm mobilia, quàm stabilia; tam paterna, quàm materna Cœnobio Sancti Augustini Aquapendentano ex testamento reliquit, & ex libris, quos multis jam annis emendo acquisierat, Bibliothecam dicto in Cœnobio construendam mandavit. Ad usum Ecclesiæ dicti Conventus Antiphonarium pulcherrimè scriptum eidem Conventui dono jam dederat, ad cujus calcem hæc leguntur verba:

Anno Domini 1534.

Explicit Antiphonarium Dominicale sumptibus R. D. Alphonsi Olivæ Episcopi Bovinensis S. D. N. Papæ Sacristæ pro Conventu S. Augustini de Aquapendente. Romæ scribebat D. Fredericus Perusinus Scriptor Cappellæ Pontificiæ Anno Dom. MDXLIV. Die 15. Mensis Novembris. Ad laudem Dei, Amen.

M. F. Joannes Jacobus Barba Neapolitanus MDXLIV.

XVI.

MAgister F. Joannes Jacobus Barba Neapolitanus, Alphonso ad meliorem vitam vocato, Apostolici Sacrarii Præfectus surrogatur, vir apprimè doctus, & egregiè cordatus homo, qui dum in Romanâ Curiâ Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini Procurator generalis foret, Alphonso defuncto, Sacrista instituitur Anno x. Pontificatus Pauli III. à quo primum Episcopus Terami in Aprutio, deindè Interamnæ in Umbriâ Episcopus creatur. Apostolici Sacrarii Præfecturam exercuit Paulo III. Julio III. Marcello II. Paulo IV. & Pio IV. Ecclesiæ Romanæ Pontificibus, quibus omnibus gratus fuit, & Pauli IV. antè Pontificatum familiarissimus. Is in Congregationibus, quæ gravissimis de rebus coram Summis Pontificibus

haberi ſolent, occaſionibus ſeſe offerentibus, expreſſa egregiæ doctrinæ ſigna, & frequentèr quidèm dedit.

Conſuetudo antiqua.

Ejuſdem Sacriſtæ tempore decretum fuit, ut quilibet Cardinalis in ſuâ ipſius ad Cardinalatus promotionem ſummam viginti-quinque ducatorum, ut ajunt, *auri de Camerâ* ſolvere teneatur: anteà enim pecuniæ ſumma præſcripta, ſeù limitata non erat, ſed ſuo quiſque arbitratu, modò plus, modò minùs Apoſtolici Sacrarii Præfecto perſolvebat, ut in ipſo videre eſt Decreto, manu & ſigno Notarii publici conſcripto, & Libro cæremoniarum vetuſtiori annexo.

Anno Dom. MDLXII. fuit miſſus ad Concilium Tridentinum à Pio IV. P. Max. qui ei ab Urbe abſenti Coadiutorem pro Apoſtolico Sacrario conceſſit Fratrem Egidium Piſaurenſem, Procuratorem & Vicarium Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Patris Auguſtini generalem, qui ejuſdem Sacriſtæ in eâdem Sacrarii Pontificii Præfecturâ ſucceſſor fuit, ut infrà videre licèt. Hac de re mentionem facit ſuo in Diario Ludovicus de Branchis in hanc verborum formam: *Anno Dom. 1562. Die 30. Julii Magiſter Egidius de Valentibus Piſaurenſis Ordinis Sancti Auguſtini fuit deputatus Coadiutor R. D. Sacriſtæ abſquè præjudicio dicti Sacriſtæ.*

Sacroſancto itaquè œcumenico & generali Concilio Tridentino, dum eſſet Epiſcopus & Sacriſta, interfuit, & magnâ ſanè cum laude. Dum autèm è ſuo Epiſcopatu Interamnenſi Romam rediret, gravi quodam oppreſſus morbo, Ocriculi obiit. Hinc mortuus Interamnam delatus, in Eccleſiâ ſuâ honorificè ſepultus fuit.

Magiſter Frater Egidius Piſaurenſis
MDLXIV.

XVII. MAgiſter Frater Egidius de Valentibus Piſaurenſis, Joanne Jacobo defuncto, Sacrarii Pontificii Prætecturam à Pio IV. ſuſcepit, deindè à Pio V. Epiſcopus Nepeſinus, & Sutrinus creatus fuit, & Magiſter ſcholæ Cantorum Cappellæ Pontificiæ.

Joanne autèm Jacobo Barbâ Neapolitano Sacriſtâ ad Concilium Tridentinum miſſo à Pio IV. P. Max. fuit etiàm ejus Coadiutor in Apoſtolici Sacrarii Præfecturâ, eodem Pio IV. annuente, etiàmſi ſui Ordinis Procurator, & Vicarius generalis foret.

Antequàm ad Apoſtolici Sacrarii Præfecturam fuiſſet aſſumptus, in præcipuis & inſignioribus Italiæ Civitatibus concionando magnam aſſequutus eſt laudem: optimamque gubernandi rationem in variis Fratrum Eremitarum Sancti Patris Auguſtini Ordinis muneribus obeundis callere viſus eſt. Hinc Fratre Chriſtoforo Patavino, Magiſtro Generali ad Concilium Tridentinum proficiſcente, Procurator, utì diximus, & Vicarius generalis Romæ relictus fuit, ubi ob morum gravitatem cum ſuavitate, miràque dexteritate conjunctam, Romanis Pontificibus Pio IV. & Pio V. necnon univerſæ Curiæ Romanæ non ſolùm in officio ſui Ordinis exercendo, ſed in cæteris itèm muniis præſtandis ſe gratiſſimum reddidit, magnumque ſui deſiderium reliquit ex hac luce præreptus.

M. F. Joſephus Pamphilus Veronenſis
MDLXVIII.

MAgiſter Frater Joſephus Pamphilus, Egidio Piſaurenſi ex hac vitâ ſublato, in ejus locum ſufficitur Apoſtolici Sacrarii Præfectus, & Scholæ Cantorum Cappellæ Pontificiæ, qui deindè Epiſcopus Signinus creatur à Pio V. cui opera ipſius & induſtria gratiſſima fuit, dum ille antè Pontificatum Sanctiſſimæ Inquiſitionis Commiſſarius foret: fuit enim Joſephus Pamphilus in Lectionibus antiquorum Patrum ſtudioſus, Bibliothecarum perveſtigator, & in hiſtoriis non mediocriter verſatus, aliarumque diſciplinarum non ignarus, muſicæque præſertìm peritus. XVIII.

Scripſit Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Patris Auguſtini Chronicon jamindè ab ejus ortu ad annum uſquè ſalutis noſtræ MDLXXV.

De origine multarum & ſacrarum Cæremoniarum lib. 1.

De Canonibus Sanctorum Apoſtolorum, necnon de Epiſtolis primorum quorundam Romanorum Pontificum, & eruditè quidèm lib. 1.

De Sacris Ritibus apùd veteres Pontifices in conficiendis, & adminiſtrandis Baptiſmi, & Chriſmatis, & Sanctæ Euchariſtiæ Sacramentis lib. 1.

De Exorciſmis, & antiquo torquendi, & expellendi Dæmones ritu lib. 2.

Edidit quoquè Diœceſanam Synodum Signinam, quam habuit menſe Aprili 1574.

Pio V. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus inſervivit dictis in Officiis. Anno autèm Domini 1574. ad ſuam Eccleſiam Signinam ſeſe recepit, ac tandèm ſuâ in Patriâ ex hac vitâ deceſſit: in cujus locum à Gregorio XIII. Frater Auguſtinus Fivizanius, qui ejuſdem Pontificis à ſecretis jam confeſſionibus erat, ſuffectus eſt.

M. F. Auguſtinus Fivizanius Romanus
MDLXXIV.

MAgiſter Frater Auguſtinus Fivizanius, dum Gregorii XIII. à ſecretis confeſſionibus foret, ad munus Apoſtolici Sacrarii exercendum accerſitur. Is integerrimis ſanè moribus jamindè ab adoleſcentiâ ad ſenectam uſquè ætatem ſempèr fuit; immo non ſine ſanctitatis opinione vixit apùd omnes, variis Chriſtianarum virtutum luminibus ornatus, multiſque Chriſtianæ pietatis operibus inſignitus. Chriſtianæ itèm humilitatis, & modeſtiæ, atquè abſtinentiæ multa exempla cunctis in rebus præbebat; ſed in rebus arduis, præſertim verò in iis, quæ ad Dei honorem in primis, ac Religionem ſpectabant, ſtrenuitatem nec deſiderari, nec in eâ ſuperari ſe, patiebatur: immò cum ſtrenuo, virtute; cum modeſto, pudore; cum innocen- XIX.

F. Auguſtini Fivizanii Sacriſtæ laudes.

Laudanda certatio.

tiâ,

tiâ, abstinentiâ certabat. Abstinens autèm adeò sempèr fuit, ut (cæteris abstinentiæ exemplis silentio prætermissis) nonnisi subuculis supèr nudam carnem laneis usus fuerit, & ad decrepitam usquè ætatem, immò ad extremum vitæ usquè diem nonnisi supèr nudum stramentum, hoc est, supèr culmos frumentaceos, linteis involutus laneis, dormierit, ciliciumque supèr nudam carnem gestarit interdùm. His aliisque virtutum luminibus, & exemplis, quibus in Sodalitate Augustinianâ gubernandâ, & in cæteris muniis extrà etiàm claustra exercendis, effulsit, Romanis Pontificibus fuit gratissimus, & à laudatis viris laudatus: nam prætèr alias administrationes in Ordine nostro sibi commissas, universam Fratrum Eremitarum Sancti Patris Augustini Sodalitatem biennii spatio administravit, Vicarii Apostolici bis functus officio; duoque Comitia generalia, præsidentiæ functus munere, celebranda curavit, dum Sacrista foret, & Papæ Confessarius: quæ deindè Officia, Xenodochii, seu Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia Ordinis S.P.Augustini Romæ à Clemente VIII. Præceptor factus, quem *Commendatorem* appellant, retinuit. Quod sanè Officium magnum est, totumque requirit hominem, necnon magnam strenuitatem & prudentiam, magnamque probitatem, & charitatem Præceptoris gubernantis postulat. Quæ planè omnia dicto in munere obeundo insignitèr præstitit, parsimoniamque intereà & frugalitatem adeò exercuit, ut ex suâ ipsius redituum tenuitate sumptus pro Xenodochio interdùm fecerit: quæque sibi ex Officio, & jure quidèm debebantur, aliisque Præceptoribus dari consueta, recusabat. Sed utinàm omnes alii tantum Virum, juxtà exemplar sibi præmonstratum, imitarentur.

Vitæ asperitas.

Commendator S. Spiritus.

Parsimonia, & frugalitas.

In Sacrarii tandèm Pontificii Præfecturâ Gregorio XIII. Sixto V. Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clementi VIII. inservivit, Gregorii verò XIII. & Clementis VIII. à secretis Confessionibus fuit.

Quamvis autèm in maximis rerum gerendarum occupationibus totus ex Officio foret, rei tamèn literariæ curam nunquàm reliquit: effecit enim, ut Fratris Augustini Triumphi Anconitani de potestate Ecclesiasticâ Liber à mendis expurgatus, Joannis Baptistæ Triumphi sumptibus recentèr imprimeretur. Ad hanc rem præstandam Frater Angelus Rocca Camers, hujus Commentarii Auctor, qui tam exemplaris emendationi, quàm typographicæ correctioni operam dedit, dictumque Librum scholiis, & notationibus illustravit, è Venetiis Romam accersitus fuit, à secretis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Patris Augustini effectus.

F. Angelus Rocca.

Librum itèm Fratris Jordani de Saxonia, *Vitas Fratrum*, inscriptum, è tenebris erutum, & Scholiis illustratum, ac Sixto V. dicatum in lucem edidit; eumdemque è Latino sermone in Italicam linguam à Francisco Avantio Veneto, erudito sanè Viro, transferendum, atquè imprimendum curavit. Id quod incredibili labore ab eodem Avantio præstitum esse constat.

Scripsit prætereà de Ritu Sanctissimæ Crucis, Romano Pontifici præferendæ, Commentarium, quem Clementi VIII. dicatum typis mandavit.

Vitam deniquè Sancti Patris Augustini ex libris Confessionum ejusdem Sancti decerpsit: eamdemque vitam à Possidonio conscriptam, necnon S. Patris Augustini, Sanctæque Matris Monicæ Translationes ab aliis descriptas collegit, dictaque omnia libello uno comprehensa in lucem emisit.

LIBRI

Ab eodem Sacristâ conscripti, vel ejusdem industriâ in lucem editi, sunt qui infrà leguntur hisce sub Titulis:

De Ritu Sanctissimæ Crucis Romano Pontifici præferendæ Commentarius.

Vita Sancti Patris Augustini Thagastensis, cum adhùc infidelis esset, ex verbis ipsius in libris Confessionum, prætèr vitam à Possidio conscriptam.

De Translatione Corporis Beati Augustini Doctoris Ecclesiæ ex Sardinia Papiam, Petrî Oldradi, Mediolanensis Archiepiscopi, ad Carolum Magnum Epistola.

De Translatione Corporis S. Monicæ, Beati Augustini Matris, Ostiâ Romam, ex verbis Martini Papæ V. Sermo ad Fratres Augustinianos; Addito eleganti & illustri in ejusdem Sanctæ laudem Epigrammate Maphei Vegii Laudensis; necnon Epitaphio, quod in ejusdem S. Monicæ Sepulcro marmoreo extat incisum.

Beati Jordani Saxonici liber Latinus, Vitas Fratrum *inscriptus, & ab ipso Sacristâ Notis illustratus, primùmque impressus; Deindè in Italicam linguam è Latina à Francisco Avantio translatus, & in lucem editus industriâ ejusdem Sacristæ.*

Augustini Triumphi Anconitani Summa de Potestate Ecclesiasticâ, Summis, Citationibus, Scholiis, & Correctionibus à F. Angelo Rocca Camerte, & à F. Mauritio Tertio Indice illustrata, Sacristâ eodem circà Exemplaris correctionem adlaborante, ac libri editionem suadente, Joannisque tandèm Baptistæ Triumphi Anconitani sumptibus è tenebris eruta, & in lucem emissa non sine aliquâ Franciscî Peniæ, Viri docti, & Rotæ Auditoris operâ.

Anno ætatis suæ septimo, ut res præcipuè summatìm, & gradatìm recenseantur, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Patris Augustini habitum susceperat Pisis; Fivizani verò, ubi ex Molariâ Familiâ natus est, Regulæ S. Patris Augustini professionem emisit; provectâ deniquè ætate homo, & Magisterii jàm dignitate insignitus, in Familiam, &, ut ità dicam, Filiationem Cœnobii Sancti Augustini Romæ ob quandam præsentis, & futuræ virtutis ac probitatis significationem in eo splendescentem, cooptatus fuit. Anno Domini 1574. die 28. Martii in Fratris Josephi

Anno Dom. 1574.

ſephi Pamphili Sacriſtæ locum à Gregorio XIII. Apoſtolici Sacrarii Præfectus efficitur, nihil tale opinans, immò ipſum ſibi oblatum Officium recuſans, ut nupèr in quodam manuſcripto legi libello, in quem tanquàm in Ephemeridem, ſivè Commentariolum, vel Diarium, quæ ſibi memoratu digna videbantur, referre ſolebat.

Anno Dom. 1593. Anno Domini 1593. die xi. Julii à Clemente VIII. Præceptor Xenodochii, ſeu Hoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia Romæ creatur: Epiſcopalem verò dignitatem à Gregorio XIII. à Sixto V. & à Clemente VII. ſibi oblatam recuſavit ſemper, animarum curam periculoſam, talemque à Sancto Joanne Chryſoſtomo commemoratam, reformidans.

Nonnulla pro ſuâ redituum tenuitate optimę voluntatis præſtitit indicia tam in pecuniis vel ad pauperum ſubventionem, vel ad Cœnobiorum commoditates, quàm ad Eccleſiarum ornamenta erogatis. Paupertatis Voti ſui memor, paupertatem coluit ſempèr; ſuoſque deniquè ſatis pauperes reliquit.

Anno Dom. 1595. Anno deniquè ſalutis noſtræ 1595. & ætatis ſuæ 68. die 30. Januarii, dum Sacrarii Apoſtolici, Confeſſarii Papæ, & Præceptoriæ Sancti Spiritus officia exerceret, ob inſignem vitæ probitatem, non ſolùm Romano Pontifici, Clementi VIII. chariſſimus, ſed Romanæ itèm Curiæ univerſæ, ac cæteris omnibus mirum in modum gratus, in Sacrario Pontificio ex hac vitâ non ſinè Sanctitatis opinione deceſſit; cujus corpus, Clementis VIII. juſſu, in Eccleſiâ Sancti Spiritus in Saxia antè Sacellum, quod vivens conſtruendum curaverat, humatum jacet. Epitaphium, marmore inciſum, legitur in hanc verborum formam:

D. O. M.

Fr. Augustino Molario Fivizanensi
Ordinis Sancti Augustini Theologo,
Gregorii XIII. et Clementis VIII.
Confessori,
Apostolicæ Cappellæ Sacristæ,
Sui Ordinis tertium Vicario
Generali,
Et Capit. Generali bis Præsidenti,
Hujus Hospitalis Præceptori,
Viro, pio, humili, omnibus caro,
Et ob Christi pauperes
Semper egeno.
Vixit Annos lxviii. Menses iii. Dies xvii.
Obiit iii. Kal. Febr.
Anno mdxcv.
Sylvius S. R. E. Presb. Card. Sabellus
Patriarcha Constantinopolitanus,
Et
Ludovicus de Torres
Archiepiscopus Montis Regalis
Amico optimo
P. P.

In ejuſdem Patriâ Lazarus Molarius, ex Fratre Nepos, ſui muneris memor, tanti Viri memoriam perpetuò conſervandam curavit eo, quod infrà legitur, Epitaphio, marmore hiſce verbis inciſo:

D. O. M.

Fr. Augustino Molario Fivizanensi
Ord. S. Augustini Theologo,
Gregorii XIII. et Clementis VIII.
Confessario, Apostolici Sacrarii
Præfecto, sui Ordinis Apostol.
Auctoritate tertium Vicario Generali,
et Capitulo Generali iterum
Præsidenti, Hospitalis S. Spiritus
in Saxia Præceptori, quem dum immensa
probitas, eximia virtus probatissimi
mores laboresque pro Dei Ecclesia
Exantlati uberiores fructus
pararent, importuna mors rapit
Anno ætatis lxviii. Men. iii. D. xvii.
iii. Kal. Febr. Ann. Dom. mdxcv.
Lazarus Molarius nepos Fivizanen.
Civisque Rom. Urbani VII.
et Clementis VIII. Cubicularius,
ut tanti viri memoria in Patria,
et in hoc Sacro Templo
quod Immagine S. Augustini,
ad Altare depicta, ornavit,
Sacerdotalibus indumentis,
Sacrorumque Reliquiis ditavit,
perpetuo extaret,
ponendum curavit.

Magiſter Frater Angelus Rocca Camers
MDXCV.

XX. MAgiſter Frater Angelus Rocca Camers in Piceni natus Oppido non ignobili, quod *Roccam contratam* appellant; habitum Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Anno Domini 1552. ætatis ſuæ ſeptimo, Camerini, Piceni Civitate, accepit, in qua humanioribus literis operam dedit, & aliis in locis, in quibus Gymnaſiarchæ florebant inſignes, cæteris verò artibus, ac diſciplinis, rationali, ſcilicèt, morali, ac naturali Philoſophiæ, necnon Metaphyſicæ, ac ſacræ Theologiæ ſtuduit Peruſii, Romæ, ac Venetiis: Patavii autèm ſuſcepit Magiſterii, & Doctoratus inſignia in celeberrimâ Theologorum Univerſitate, una ex tribus Europę inſignioribus à Carolo V. celebrari conſuetis, hoc eſt, Salmanticæ in Hiſpaniâ, Pariſiorum in Galliâ, & Patavii in Italiâ; omnibuſque poſtulantibus, ut in ejus Privilegio legitur, fuit ipſi Univerſitati cooptatus, ſivè [ut ajunt] incorporatus, & ad emolumenta admiſſus. Id quod, & rarò quidèm, ac non ſinè magni favoris, & honoris argumento fieri ſolet. Doctoratus Privilegium ſigillo Univerſitatis Theologorum Patavii, & ſigillo Canonicæ Patavinæ munitum, in noſtrâ Bibliothecâ aſſervatur, cujus exemplum hoc loco, variâ temporum, & eventuum ratione id ſuadente ac poſtulante, apponendum videtur, ut infrà, & fidelitèr quidèm deſcriptum, legitur in hanc verborum formam: Facti ratio.

In

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi Benedicti. Amen.

Universis, & singulis præsens hoc sacræ Theologiæ Doctoratus Privilegium inspecturis, lecturis, seù audituris Ludovicus Zabarella, Archipresbyter Patavinus pro Rever. Capitulo Ecclesiæ Patavinæ, Episcopali Sede vacante, Episcopatus Patavini Vicarius Generalis Salutem in eo, qui est omnium vera salus.

A Majoribus nostris rectè quidèm, & sapientèr institutum est, ut homines principio rudes, ac rationis, artis, scientiæque expertes, si (quod illorum proprium est) æterna, immortaliaque investigare, perspicere, & cognoscere vellent, dignis præmiis, perpetuis laudibus, summisque honoribus afficerentur. Honor enim alit artes, cunctique incenduntur ad studia gloriæ. Verùm cùm cognitio bona sit, & honesta; illa tamèn longè præclarior, sublimior, illustriorque censeri debet, quæ majori ornamento, commodo, honorique mortalibus esse potest. Hoc in numero sacræ Theologiæ habendam esse scientiam, quis non judicabit? Qua à Deo immortali præstantius, salubrius, utiliusque homini tributum fuit nihil. Hæc enim Deum Opt. Max. cognoscere, justitiâ, ac cæteris virtutibus animum moderari, veram denique felicitatem, quæ ultimus est humanarum actionum finis, consequi, & adipisci homines docet. Reverendus itaquè Dominus Frater Angelus Rocchensis, professus Conventus Camerini, Ordinis Eremitarum S. Augustini, ejus præstantiâ motus, maximoperè adlaboravit, ut eam tandèm aliquandò adipisceretur. Hinc priùs operam diligentissimè navavit honestioribus, ac liberalibus disciplinis, homineque ingenuo dignis, quæ omnium scientiarum Reginæ sapientissimæ, hoc est sacræ Theologiæ non immeritò ancillantur. Verùm Directivâ linguæ facultate, Metricâ, & Persuasoriâ, Discursivâque arte, necnon humanâ, divinâque Philosophiâ non mediocriter imbutus, ad ipsam sacram, & sapientissimam Theologiam tandèm se contulit, in qua assiduè, accurateque studendo, subtiliter disputando, elegantissimè legendo, ità profecit, ut ad Cleantis, Aristophanisque lucernam vigilasse ab omnibus crederetur, & à Reverendissimo DD. Generale prædicti Ordinis ad sacræ Theologiæ Magisterii gradum promoveretur, ut literis Reverendiss. dicti Generalis patet: quarum exemplum est: *A tergo*: Venerabilibus, & nobis in Christo dilectis, Patribus, ac Fratribus Conventus nostri Veneti Ordinis Eremitarum S. Augustini: Venetiis, ad Sanctum Stephanum. Aperiantur, & legantur coràm toto Conventu. *Intùs verò*: Frater Thaddæus Perusinus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis indignus. Venerabiles, & nobis in Christo dilecti salutem. Optimè novimus &c. *Infra verò*: Fratrem Angelum Camertem sacræ Theologiæ Baccalaureum ad Magisterii gradum promovemus in aliquâ approbatâ Universitate suscipiendum, &c. Datum Romæ die 20. Aprilis MDLXXVII. nostri Officii solito sub sigillo. Frater Thaddæus Generalis indignus. Registratæ lib. IV. Cùm igitùr dictus D. Reverendus Frater Angelus per Reverendum D. sacræ Theologiæ Magistrum Michaelem Angelum Rusconem Patavinum, ejusdem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Studii Regentem, & Promotorem ejusdem Reverendi D. Fratris Angeli sit nobis præsentatus, & obligatus ad subeundum tremendum, & rigorosum examen, ut ei Doctoratus insignia canonicè traderentur; habità priùs informatione de ejus Fide Catholicâ, & facta priùs per ipsum publica professione, juxtà formam, ac tenorem Bullę bonę mem. DD. Pii Papæ IV. sub dat. Romæ, Anno Incarnationis Dominicæ MDLXIV. Idibus Novembris, Pontificatus ejus anno V. ut in ipsa Bulla apparet, & constat in processu super his ritè facto, & formato: Nos igitùr Ludovicus Zabarella, Vicarius supradictus, punctis ei (ut moris est) in sacrâ Theologia jure, & canonicè assignatis, fecimus coràm Nobis, ac Reverendo D. Decano, Horatio Quarantotto Patavino, & Reverendiss. & Excellentiss. dicti Sacri, & Celeberrimi Collegii Doctoribus, & Magistris astantibus, eundem R. D. Fratrem Angelum Camertem rigorosè examinari. Et quoniàm ipse Reverendus Frater Angelus supradictus Puncta ipsa magistralitèr recitando, Argumenta quæque, & dubia omnia, & quaslibet quæstiones, & oppositiones, quamvìs arduas, & obscuras sibi factas, ordine replicando, & clarè solvendo, tam benè, doctè, honorificè, laudabilitèr, excellentèr, ac magistralitèr se gessit; Talemque ac tantam ingenii, memoriæ, doctrinæ, cæterarumque rerum, quæ in consumatissimo, & Catholico Theologo requiri solent, vim ostendit, ut magnam sui expectationem non solùm sustinuerit, sed etiàm longissimè superaverit. Quarè ob ejus singularem doctrinam, & ingenii præstantiam, ab omnibus Excellentiss. & Reverendiss. prædicti Collegii Doctoribus, & Magistris ibidèm existentibus unanimiter, & concorditèr, ac eorum nemine penitùs, penitùs, & omninò discrepante, aut dissentiente, nec ullo quidèm hæsitante, sed maximo applausu, omnjumque consensu approbatus fuit, idoneusque, & sufficiens Theologus judicatus, sicùt ex eorum Votis secreto in scrutinio nobis in scriptis porrectis evidenter constitit, & nostris oculis vidimus: immò omnibus postulantibus, unitus fuit, sivè incorporatus huic almæ Universitati Theologorum, & ad emolumenta admissus fuit die IX. Septembris. Nos itaquè Ludovicus Zabarella Vicarius præfatus, Auctoritate, qua fungimur in hac parte, per organum R. D. Magistri Michaelis Angeli Promotoris ipsius, de consilio omnium Excellentiss. & Reverendiss. Doctorum, ac Magistrorum præsentium, & postulantium, pro Tribunali sedentes eundem

Rev.

Theologia omnium scientiarum regina.

Anno Dom. 1577.

Promotor.

Examen quale sit.

Forma publicæ professionis.

Examen præstitum quale fuerit.

Lectio, ac disputatio.

Vota unanimiter præstita.

Incorporatio præstita, à suscipiente Doctoratum nō postulata.

Rev. D. Fratrem Angelum Camertem, Juvenem quidèm Catholicum, & Doctissimum in Christi nomine approbavimus, & approbatum esse volumus, pronunciantes, & declarantes ipsum esse benè habilem, idoneum, ac dignum munere, officio, & honore Doctoratus in sacrâ Theologiâ, ipsumque continuò sacræ Theologiæ Doctorem, & Magistrum fecimus solemnitèr, & creavimus; ac per præsentes facimus, & creamus; Tribuentes ei tàm idoneo, ac digno, & ob hanc promotionem, & virtutem, meritò potestatem Cathedralem Magistralem ascendendi, & in sacrâ Theologiâ de cæterò legendi, repetendi, docendi, consulendi, disputandi, glossandi, interpretandi, quæstiones terminandi, Scholas regendi, Baccalaureos constituendi, omniaque alia, & singula faciendi hic, & ubique locorum, & Terrarum, quæ ad sacræ Theologiæ Doctores, & Magistros quomodolibèt pertinere noscuntur. Et ut de cæterò gaudere, & uti possit omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, favoribus, gratiis, ac indultis aliis quibuscunque, quocunque nomine censeantur, quibus Romanæ Curiæ, Parisiensis, Oxoniensis, Salmanticensis, atquè Bononiensis, Studiorum Doctores, Magistri, & ex quibusvis Apostolicis, & Imperialibus, seù aliis Ecclesiasticis, vel temporalibus concessionibus, aut aliis indultis gaudent, ac utuntur, uti & gaudere possunt, ac poterunt quomodolibèt in futurum juxtà formam, continentiam, vim, ac sententiam tam antiquæ, & approbatæ consuetudinis Gymnasii Patavini, vel hujus famosissimæ totius terrarum Orbis Universitatis, quam privilegiorum fel. rec. Dominorum, Urbani IV. Clementis VI. & Eugenii IV. Summorum Pontificum. Quibus ità gestis, Rev. P. Magister Michael Angelus Rusco Patavinus Studii Regens, supradictus Promotor eundem memoratum Mag. ac Rev. D. Fratrem Angelum Camertem per suam luculentissimam orationem petentem, & acceptantem consuetis ornamentis Magistralibus ibìdèm decoravit solemnitèr, & insignivit. Tribuit namque ei sacræ Theologiæ Librum, primò clausum, mox & apertum, anulum aureum digito ejus indidit, ac Biretum Doctorale capiti ejus imposuit, pacisque oscu-lum eidem exhibuit cum Magistrali benedictione. Sic itaque summâ cum laude summo honore, summoque omnium applausu dictus Magister, ac R. D. Frater Angelus Camers ad summam Doctoratus apicem sacræ Theologiæ ascendit, in quorum omnium, & singulorum suprascriptorum fidem, ac testimonium has nostras patentes Privilegii Literas manu nostrâ subscriptas, necnon Notarii, & Cancellarii nostri, & Canonicæ Patavinæ sigilli jussimus appensione muniri. Dat. & actum Patavii in Episcopali Palatio in loco solito examinum, præsentibus Rev. D. Presbytero Antonio Boato, Rectore Ecclesiæ S. Fidentii de Ronchaiet; Egregio D. Bartholomæo de Consilvis, Notario Universitatis DD. Doctorum Artistarum. Pad. R. D. Baccalaureo F. Petro Francisco de Monte Ulmi; & Rev. D. Lectore in sacrâ Theologiâ F. Augustino de Pulverisio Testibus, ad hæc specialitèr vocatis, habitis, & rogatis; necnon etiàm astante ibìdem Rectore Artistarum, & copiosissimâ aliorum Excellentiss. Doctorum, Civium, atque doctissimorum Scholarium multitudine, die IX. Septemb. hora XIV. Indictione V. MDLXXVII. Pontificatus autèm Sanctiss. in Christo P. & D. N. D. Gregorii divinâ providentiâ Papæ XIII. Anno VI.

Facultates Doctorũ Universitatis Patavinæ.

Anno Dom. 1577.

Laus Deo Opt. Max. sempèr Trino, & Uni.

Ludovicus Zabarella Archipresbyter, & Vicarius, qui suprà.

Gaspar Ottellus, &c. Cancellarius.

Vniversitates insignes.

Antiqua, & famosissima Vniversitas Theologorũ Patavina.

Insignia Doctoratus.

Testes, Doctores, Cives, & Scholares, dum insignia Doctoratus darentur, assistentes.

Post susceptam Doctoratus insignia, Venetiis, præsertim verò in Cœnobio S. Stephani Ordinis Eremitarum S. P. Augustini, atquè in Cœnobio Cruciferorum Juvenes tam Cœnobitas, quàm seculares, & quidèm nobiles, bonarum artium studiosos, legendo ac disputando excoluit: & in concionando sese exercuit. Multos diversorum Auctorum, tam veterum, quàm recentiorum, Libros emendatos, & è tenebris erutos, in lucem emisit, præsertim verò secundum Sententiarum Librum Egidii Columnæ Romani, Opus sanè à Fratre Hieronymo Seripando, Magistro Generale, deindè S. R. E. Cardinale, & à cæteris ejusdem Instituti Patribus jàmdiù mirum in modum desideratum, sed ob gravissimas difficultates omni ferè spe destitutum: illud enim ob infinitos quasi labores, quos postulabat; atquè ob grandem pecuniam, in illo insumendam, omnes deterrebat, ut ex Prætationibus operi annexis facilè nosse quisque potest. Hac de re ipse Frater Angelus Rocca hujus generis laboribus, scribendique arti assuetus, à Fratre Augustino Fivizanio Romano, Vicario Apostolico, & Sacristâ, Romam accersitus fuit, ut Summam Fratris Augustini Triumphi Anconitani de potestate Ecclesiasticâ emendaret, & in lucem emitteret, atquè Ordinis Eremitarum S.P. Augustini à secretis foret. Romam itaquè profectus, & ferè invitus, utrumque præstitit: sex autèm annorum spatio scribendi officio functus est, sivè Ordinis à secretis fuit.

Exercitia literaria.

Egidii opus in lib. 2. Sent.

Summa de potestate Papæ.

Deindè à Sixto V. Pontifice Maximo ad Typographiam Apostolicam Anno Domini 1585. pro Bibliis, & Conciliis generalibus imprimendis, Sanctorumque Patrum monimentis restituendis, Ecclesiasticisque libris promulgandis magnificentissimè in Vaticano institutam accitus, operam suam, innumeris ferè laboribus refertam, inibì decem ferè annorum spatio præstitit, Bibliorumque Congregationis postremæ, cui S. R. E. Cardina-

Typographia Vaticana.

Secretarius, & Consultor Congregationis Bibliorū.

dinales, & Consultores interfuerunt, à secretis & à consultationibus fuit; Bibliaque tandèm aliquandò emendata, typis mandanda non semel curavit, ac Typographicæ correctioni ex Romanorum Pontificum mandato, operam navavit.

Multis tandèm circa Sanctorum Patrum, Gregorii scilicèt Magni, & Seraphici Bonaventuræ monimenta in lucem edita, exantlatis laboribus, in Fratris Augustini Fivizanii Romani locum à Clemente VIII. suffectus fuit, cui nunc in Sacrario Pontificio inservit.

Episcopatus Tagastensis.

Anno autèm Domini MDCV. ad obsequium ergà Romanum Pontificem, & ergà S. R.E. Cardinales ministerium decorandum, necnon ad munia Episcopalia exercenda pro majori Apostolici Palatii commoditate, atque ad Sacristatum Apostolicum Episcopali dignitate, qua nihil est in Ecclesiâ Sanctâ Dei sublimius, perpetuò cohonestandum, Episcopus Tagastæ, quæ fuit Patria Sancti Patris Augustini, ab eodem Clemente, decennio jàm Sacristatus expleto, creatur; & in eodem officio confirmatus, Ecclesiæ Tagastensis Titulo insignitus declaratur.

Facti ratio.

Meum hoc loco nomen, mearumque Lucubrationum Inscriptiones, Catalogi Sacristarum serie id postulante, apponere libuit, ac licuit, exemplo Sancti Hieronymi, Gennadii, Honorii Presbyteri Augustudunensis; Sigeberti, Monachi Gemblacensis; Joannis Tritthemii, Abbatis Spanhemensis, & aliorum, qui in Scriptorum Catalogis conscribendis, ad eorumdem calcem nomen suum scriptum reliquerunt, Libris omnibus, quos ediderunt, enarratis. Hæc de Apostolico Sacrario, ejusque Præfectis, necnon de rebus ad eos pertinentibus.

Licenda pronuntur.

Quoniam vero qui ad Apostolici Sacrarii Præfecturam assumuntur, omnia, quæ ad sui muneris jurisditionem pertinent, scire haud probè queunt, præsertìm illa, quæ non frequenter, sed rarò eveniunt; nonnulla hac itèm in Chronhistoria ad posteritatem juvandam apponenda censentur, ne jacturam interdùm patiantur, ut nonnunquam evenisse non ignoro. Sed anteàquàm isthæc aggrediamur, aliquot res, & quidèm subobscuras, in Chronhistoria conscriptas, dilucidationeque indigentes, quantum in nobis erit, explicare conabimur.

CHRONHISTORIÆ PARALIPOMENA,

HOC EST,

Res in Chronhistoria prætermissæ, aut levitèr degustatæ.

Facti ratio explicatur.

NOnnulla in Chronhistoriâ conscribendâ se se nobis obtulerunt, quæ ob rerum, ac vocum quarumdam obscuritatem, declaratione indigebant. Sed nos ea involucris, & in tegumentis implicata reliquimus, explicationibus prætermissis, & consultò quidèm, ne scilicèt materiæ propositæ ordinem, seu telæ texendæ filum abrumperemus. Id quod factum profectò esset, si inter scribendum, tàm longè repetita fuissent aliqua, à rebus ipsis, quæ præcipuè suis in locis tractabantur; aliena interjecissemus, ut ex eo, quod de *Jocalibus*, & voce, *Cherubim*, se se offert declarandum, videre licet.

Pag. 337.

IN pagina 337., in qua sermo habetur de muniis Apostolici Sacristæ, deque iis præsertim rebus, quas ipse Sacrista custodire solebat, ac præsens in tempus custodit, mentionem fecimus de quodam manuscripto Cæremoniali perantiquo, in Bibliothecâ Vaticanâ asservato, ex quo hæc decerpsimus, & dictâ in paginâ scripta reliquimus:

Cæremoniale perantiquū.

Item ad hujus etiam (Sacristæ scilicet, qui sub Titulo Confessoris intelligitur) *officium pertinet omnia Jocalia Cappellæ, ut puta, Reliquiaria, Cruces, Calices, Imagines, Candelabra aurea, argentea, & omnia vestimenta, & ornamenta quæcunque ad Dei Servitium, & Cappellæ Summi Pontificis deputata custodire, exceptis Mitris pretiosis, & aliis quibusdam solitis custodiri per Cubicularios; & exceptis Thiarâ, & Cherubim, quæ solent poni in Camera Thesaurariæ Palatii Apostolici.*

Per jocalia, si verba perpendantur, Sacræ præsertim res, & quidem pretiosiores intelliguntur: sed cur Sacræ res, ac pretiosæ eâ voce nominentur, non satis constat: nam si jocalia à *joco*, vel à verbo *jocor, joearis*, dicta sint, hujus generis nomen pretiosis rebus, ac præsertim Sacris, convenire non videtur. Jocalia apud Jurisconsultos, necnon apud Tabelliones, vel Notarios in Tabulis, vel in publicis scripturis ad res dotales pertinentibus conficiendis, in frequenti sunt usu, dum ipsi de bonis mobilibus, ac stabilibus, quæ supra, vel præter dotem dari solent, mentionem faciunt. Bona verò stabilia præter dotem Sponsæ, vel Sponso data, paraphernalia Græcè à Παρὰ; præter, & φέρνη, dos, quasi præterdotalia nuncupantur. Bona verò mobilia, quæ etiam adventitia, & instabilia dicuntur, à Juris itèm Consultis, & No-

Jocalia apud Jurisconsultos, & Notarios commemorantur.

Paraphernalia, quæ nam sint & unde dicta.

Jocalia, quænam sint.

Notariis jocalia nuncupantur, veluti ſunt, Annulli gemmati, Dextrocheria, Muliebria ſcilicèt brachiorum ornamenta ex auro, vel argento in Annuli lati formam facta; Monilia itèm, ſivè Cathenulæ ex auro, gutturis ornamenta, atque margaritæ, lapilli ſcilicèt candidi, in conchis naſcentes (quos Romani Uniones, & vulgò *Perlas* appellant) gutturis itèm ornamenta; necnon Inaures, quæ ſunt ornamenta ab auribus pendentia; atque intèr hæc bona mobilia, ſeù jocalia, Veſtes quoque prætioſæ, quas feſtivas vocant, connumerari ſolent. Cur autem iſthæc tanti pretii bona jocalia nuncupentur, non ſatis video, niſi hanc vocem corruptam eſſe dicamus; vel hujus generis bona mobilia, quæ ſolùm ad ornatum, ſivè ad jocum, & feſtivitatem, vel ad leporem faciunt, comparatione Dotis, quæ multò major, majoriſque pretii eſt ad perpetuæ Familiæ ſuſtentationem, atque exiſtimationem pertinens, jocalia eſſe, quaſi jocularia à *joco* nuncupata, quæ feſtivitatem afferunt, ac leporem. Eadem enim res, & parva, & magna; & jocoſa, ac ſeria dici poteſt, ſi cum rebus aliis conferatur, ſicut multa in hanc rem exempla docent, quæ brevitatis cauſa ſilentio prætermittenda cenſentur.

Opinio de Jocalium Etymologia.

Eadem res quomodo ſit parva, & magna, jocoſa, & ſeria.

Hujus itaque generis rationem Eccleſiaſtici Viri, ut reor, meditando, nomen illud, *Jocalia*, à Jureconſultis pro Sponſalibus ornamentis, frequentiſſimè uſurpatum, ad Eccleſiaſtica tranſtulerunt ornamta, quibus Eccleſia Sancta Dei, tanquàm Sponſa, feſtis præſertìm diebus in Divino Officio, & in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, atque in ceteris Sacramentis adminiſtrandis uti ſolet, quibus cum ornamenta illa etiam pretioſiſſima collata, quaſi parvi pretii bona, & jocalia eſſe dicamus, oportet.

Per Reliquiaria intelliguntur loculi tantùm illi argentei, ſivè aurei, pretioſis etiam rebus ornati, in quibus Reliquiæ Sanctorum Corporum, aut ligni Sanctiſſimæ Crucis, vel id genus alia, quæ ſunt veneratione digna, cuſtodiuntur, & aſſervantur. Per Cruces quoque, ac per Calices, materiæ tantùm illæ, ex quibus ea conſtant; intelligenda ſunt: quæ ſanè omnia comparativè, parvi pretii bona, & quaſi jocalia eſſe dicuntur.

Hæc ſunt, quæ de Jocalibus Eccleſiaſticis per conjecturam mihi dicenda videbantur: nam quantùm ad illius vocis Etymologiam nihil certi uſquam invenire potui, multis tam Grammaticorum, quàm Legiſtarum Dictionariis, quæ in noſtrâ aſſervantur Bibliothecâ, conquiſitis, ac diligentèr perlectis. Grammatici namque de hac voce, *Jocalia*, à Scriptoribus Latinis non uſurpata, nullam penitùs mentionem faciunt. Legiſtæ verò ea, & frequentèr quidèm, utuntur, utì jam diximus; ſed cur dicta bona mobilia, Jocalia vocitentur, nihil prorſus dixerunt, quòd ſciam, etiàm ſi loca, in quibus de Jocalibus loquuntur, perlegerim, ceteris eorumdem Legiſtarum libris conquiſitis. Rebus hiſce jam conſcriptis, inveni tandèm Joannem Franciſcum Purpuratum, qui huic noſtræ opinioni conſil. 452. num. 5. lib. 2. favere videtur, dicens: *Jocalia dicuntur, quæ joci, & feſtivitatis gratiâ parantur.*

Etymologia jocalium incerta.

Fag. 337.

PEr Cherubinum, de quo habetur ſermo in eodem Cæremoniali nuper commemorato, Imaginem Cherubini aliquam in Annulo Pontificio, & quidèm gemmato, vel in Pectorali, ex gemma itèm, vel gemmis facto, fibularum ſcilicèt Pluvialis ornamento effictam, aut inciſam intelligendam eſſe crediderim, cùm in eodem loco citato fiat mentio de Thiara pretioſa, quæ præſens in tempus in Caſtro Sancti Angeli cum Pectorali etiam pretioſo aſſervari ſolet. Quamvis enim in Sacrario Pontificio Mitræ, Annuli, ac Pectoralia magni pretii cuſtodiantur; alia tamen pretioſiora dicto in loco aſſervantur. Quare per Cherubinum cum Thiara in Camera, ut ibi legitur, Theſaurariæ Apoſtolici Palatii aſſervatum, vel Annulum, vel Pectorale Pontificium intelligendum eſſe reor. Id quod Sanctæ, & univerſalis Eccleſiæ Dei Paſtori mirum in modum convenit: nam Imago Cherubini, qui à *Cherub*, Hebraicâ voce dictus, ut Beda, & Gregorius Magnus interpretantur, Magiſterium, ac Scientiæ plenitudinem ſignificat, Vicarium Chriſti perbellè repræſentat. *In Chriſto enim*, cujus Vicarius eſt Romanus Pontifex, *ſunt* [inquit Apoſtolus Paulus ad Coloſſenſes] *omnes Thoſauri Sapientiæ, & Scientiæ abſconditi.* Hinc ipſe Chriſtus de ſuo Magiſterio in Sancti Joannis Evangelio ad Apoſtolos dixiſſe legitur: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & bene dicitis. Sum etenim.* Et in Sancti Matthæi Evangelio ad Turbas, & ad Diſcipulos ait: *Nec vocemini Magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Ecce quàm benè Imago Cherubini, qui eſt Scientiæ plenitudinis, & Magiſterii Symbolum, in Annulo, vel in Pectorali Romani Pontificis efficta, Chriſti hiſce in terris Vicarium repræſentat. Per Cherubin ergò, ut mea fert conjectura, Annulum, vel Pectorale Pontificium intelligendum eſſe opinor. Quod ſanè Cherubini Symbolum è libro Exodi deſumptum eſt: nam Dominus Deus, ut in vigeſimoquinto Exodi capite videre licet, duos Angelos ex ordine Cherubim aureos in Tabernaculo ſupèr Arcam Fœderis, ac Teſtamenti decem præcepta Legis continentem, unum ſcilicèt ad extremam Propitiatorii, ſeù Oraculi partem: alterum verò ad alteram, à Moyſe ſtatuendos mandavit. Id quod multis, & magnis quidèm refertur myſteriis, quæ hoc loco tanquàm ad noſtrum inſtitutum minus pertinentia, ſilentio prætereunda eſſe judicantur: quod enim hucuſque dictum eſt, propoſito noſtro ſat eſſe cenſemus.

Quid per Cherubin intelligi queat.

Cherub. vox Hebraica.

Cherubin. quid ſignificet ex Beda, & ex Gregor.

Coloſs. 2.

Ioan. 13.

Matt. 22.

Exo. 25. & 37

Arca Fœderis, quid continebat.

Quonàm autèm modo duo illi Cherubini aurei fuerint effigiati ad utranque partem Arcæ, ſivè Propitiatorii, quod etiam Ora-

Arca, Propitiatorium, Oraculum quid.

cu-

culum dicebatur, quià indè per orationes divinum responsum impetratum audiri solebat, non satis constat. Josephus enim in lib. 3. Antiquitatum Judaicarum cap. 6. ait, eos habuisse similitudinem quarumdam avium, quas nemo unquam hominum, ut ipse inquit, nisi Moyses in Dei Solio figuratas, & imaginaria quidèm visione, vidit. Alii verò Doctores, præsertìm verò Nicolaus Lyranus, ex Rabi Salomonis opinione, similitudinem Puerorum, vel Juvenum, alas habentium, eos habuisse volunt. Hunc in modum effigiatos fuisse crediderim duos illos Cherubim, de quibus in Cæremoniali Romano fit mentio, dum solemnissima longo ordine supplicatio, seù rogatio, quam *Processionem* passìm vocant, ad Basilicam Lateranensem post Coronationem Romani Pontificis fieri consueta pro capiendâ possessione juxtà morem antiquum describitur. Nam post multos præeuntes, post duodecim Cursores deferentes vexilla rubra; ac post tresdecim Vexilliferos capitum Regionum Urbis, hæc ibi leguntur verba: *Deindè duo Cursores cum vexillis Cherubin aliquanto majoribus aliis*. Hæc in Cæremoniali Romano impresso, & manuscripto itèm antiquo, ex quo quamvis colligi non queat, an duo illi Cherubini fuerint in Vexillis per pictoriam artem facti, vel ex auro per statuariam artem efficti; in Cæremoniali tamèn manuscripto, quod in prima Camera Secreta Bibliothecæ Vaticanæ asservatur, ipsos Cherubim, statuas ex metallo confectas fuisse, conjectura consequi possumus ex his, quæ in Cæremoniali manuscripto Vaticano, quod Leonycus Estensis mihi indicavit, de ordine solemnitèr procedendi ad Basilicam Lateranensem pro capienda possessione in hanc leguntur verborum formam: *Sic omnibus equos ascendentibus, Prior Diaconorum cum ferula ordinat Processionem hoc modo: Primò præcedit equus Domini Papæ phaleratus: Secundò vadit Subdiaconus cum Cruce: Tertiò duodecim Brandonarii cum duodecim vexillis rubeis, & duo alii cum duobus Cherubim in cacumine lancearum, &c.* Hæc ibi. Cum itaquè dicti duo Cherubim duo Testamenta, vetus videlicèt, ac novum repræsentantes, ut Origenes homil. 2. in Cantica Canticorum, S.P. Augustinus quæst. 105. in Exodum, & S. Gregorius Magnus homil. 6. in Ezechilem affirmant; in cacumine lancearum esse dicantur, eos nonnisi statuas ex metallo, præsertìm verò ex auro, effictos fuisse, taleque Symbolum Christi Vicario congruere censendum est. Quare, sive in Annulo, sivè in Pectorali, sivè tandem in Vexillis duo Cherubim efficti fuerint; eos tamen nonnisi magni pretii fuisse dicamus, necesse est. Propterèa in illo Cæremoniali perantiquo manuscripto, quod primo loco in medium attulimus, Thiaram, & Cherubim in Camera Thesaurariæ Palatii Apostolici asservari consuevisse, vidimus. Hæc de voce, *Cherubim*.

Josephus lib. 3. cap. 6.

Nicol. Lyranus.

Lib. 1. sect. 2. cap. 3.

Cæremon. lib. 1. sect. 2. cap. 3.

Biblioth. Vatic. num. 132.

Ordo processionis.

Duo Cherubin, duo Testamenta, ex Origen. Augustino, & Greg. Magno.

Pag. 338.

DIximus cum Jacobo Bergomate ex Chronicorum supplemento Fratrem Augustinum, cognomento *Novellum*, fuisse Thermitanum, hoc est, in quodam Siciliæ natum Oppido, quod Thermam, vel Thermas Pomponius Mela lib. 2. nominat. Sed Frater Leander Albertus Thermam Civitatem esse ait. Unde populi à Therma, vel à Thermis Thermitani vocitantur, ut ex Cicerone in Verr. 4. videre est. Istùc ipsum ex eo itèm comprobatur, quòd Consiliarii fungens officio, vixit in Curia Manfredi Siciliæ Regis, cui fuit chariissimus; deindè in Sicilia habitum Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti P. Augustini suscepit, ut Frater Jordanus de Saxonia scribit in libro, qui, *Vitas Fratrum*, inscribitur. Non desunt autèm, qui falsò, & ineptè dicant, ipsum Fratrem Augustinum Novellum fuisse de Terano Umbriæ. Id quod falsum profectò est: nàm Teranum, sivè Teramum est Civitas in Aprutio ad Viciolæ, ut ait Frater Leander Albertus Bononiensis, fauces, quibus in Turdinum confluit, ipsumque Teranum Plinius, ac Ptolemæus Interamnam vocant ob nominis Etymologiam, quià intèr amnes Viciolam, Turdinum, & Flumicellum sita est Civitas. Hinc nonnulli, per Teranum Interamnam Umbriæ intelligendam non minùs falsò, quàm ineptè opinantur: nam Umbriæ Interamna vulgò non Teranum, sed Terne, sivè Ternum, vel Ternium dici potest, si vocabulum corruptum latinè pronuncietur. Est etiam Taranum Umbriæ in Sabinis Oppidulum, ut ait Frater Leander Albertus. Utcumquè autèm sit, cum Jacobo Bergomate, & Josepho Pamphilo, Fratrem Augustinum Novellum Thermitanum, Siculum fuisse non dubitamus.

Therma Civitas in Sicilia.

Jord. de Sax. lib. 2. cap. 7.

Teranum in Aprutio.

Leander Alb. Plin. & Ptolemæus.

Pag. 338.

FRater Jacobus Camers in nonnullorum Scriptorum Chronicis Lector; in aliis autèm non Lector, sed Procurator Ordinis, & in aliis Frater tantùm nominatur: sed nos dictum Fratrem utroque Titulo, necnon Magisterii gradu insignitum nominavimus: quià ad Apostolici Sacrarii Præfecturam nonnisi aliquem nostri Ordinis, Fratrem, Magisterii jam gradu decoratum, assumendum esse ratio ipsa nobis persuadet, quià Magisterii gradum in Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini non solùm tempore Fratris Jacobi Camertis, sed centum, & ampliùs annos ante illud seculum dari consuevisse in Chronicis dicti Ordinis constat.

Magisterii gradus in Ordine antiquus

Pag. 339.

QUamvis in pagina 339. dixerimus, Fratrem Petrum Assalbitum Lemovicensem Apostolici Sacrarii Præfectum impetrasse à Martino V. ut Corpus Sanctæ Matris Monicæ ex Ostiâ Tiberinâ Romam tran-

Cnnciliatio rerum dictarum.

transferri posset; Frater tamèn Rodulphus Castellanus ejus Successor, sed nondum Sacrista, suis humeris Sanctum Corpus aliis adjuvantibus gestavit, ipsamque Translationem nomine Assalbiti tractavit. Idcircò in Epigrammate illo, quod in pag. 339. legitur, fit mentio de Fratre Rodulpho Castellano Sacristâ; quià ipse Sanctum Corpus transferendum curavit Anno Dom. 1430. Epigramma verò factum fuit Anno Dom. 1460. eo scilicèt anno, quo Sacrista Castellanus ex hac vitâ decessit. In eodem Epigrammate, quod beneficium Rodulphi Castellani ergà Cœnobium, in quo professionem emisit, collatum; Translationemq; ipsam comprehendit; eundem Rodulphum, & Episcopum Castellanum, & Beatorum Pontificum Sacristam fuisse declarat, atque hac in re Auctor Epigrammatis, [ut minùs in stylo Poetarum versatis loquar] licentiâ utitur poeticâ per figuram Syncopam, Syllaba scilicèt è medio dictionis ascissa, dum ait.

Epigrammatis explicatio.

Licentia Poetica.

Qui Præsul Patriæ fuit, ac Sacrista Beatum,
Pontificum. Major gloria, quæ sequitur.

Ad calcem Epigrammatis extat Annus Dom. 1460. in quo anno, utì diximus, factum fuit Epigramma, Rodulpho defuncto. Hæc mihi dicenda videbantur, ut ambiguitas ex ipso Epigrammate, atque ex Epitaphio circà Translationem suborta, è medio tolleretur.

Corpus Beatæ Monicæ, translatum Romam ad Ecclesiam S. Augustini, asservatur in Sacello eidem Sanctæ dicato intrà Sepulchrum marmoreum supèr Altare collocatum, in quo Epitaphium quatuor hisce versibus incisum legitur;

Corpus B. Monicæ.

Hìc Augustini Sanctam venerare Parentem,
Votaque fer tumolo, quo jacet illa, Sacro;
Quæ quondam Gnato, toti nunc Monica Mundo
Succurrit precibus, præstat opemque suis.

Sepulcrum illud antiquum, quod in Ostia Tiberina Sanctum Corpus conservabat, ob ejus venerationem, in idem Sacellum translatum fuit, in edito loco situm: & ne dicti Sepulcri memoria deperiret, Inscriptio infrà idem Sepulcrum legitur in hanc verborum formam.

Sepulchrum, ubi Monicæ Corpus apud Ostia Tiberina annis MXL. jacuit, ob in eo edita in ejus Translatione miracula, ex obscuro loco in illustriorem transponendum Filii pientissimi curarunt. Anno salutis MDLXVI.

Hæc sunt, quæ de Translatione S. Matris Monicæ, occasione sese offerente, mihi digenda videbantur ad omnem ambiguitatem, de Annorum numero subortam, è medio tollendam.

Pag. 340.

DIximus jam, Fratrem Joannem Castellanum Sacristam, vel ex cognomento, vel ex officio Referendarium nuncupatum fuisse. Id quod in Registro tantùm Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini reperitur. Nàm in Chronicis, quæ Frater Hieronymus Seripandus, deindè Cardinalis, edenda curavit; & in Chronicis Josephi Pamphili, nonnisi Sacrista, Pœnitentiarius, Bibliothecarius, & Episcopus nominatur, nulla penitùs de Referendariatus Titulo mentione factâ. Ego verò dictum Titulum non onerarium, sed honorarium ipsi Sacristæ ante susceptionem Episcopatus, honoris causâ datum fuisse reor. Sicut enim Frater Gabriel, Sacrista, fuit Miles Sancti Petri, ut ex privilegio, quod in Archivo S. Augustini Anconæ asservatur, constat; ità Frater Joannes Castellanus Sacrista, nondùm Episcopus, Referendarius honoris causâ esse potuit ad Sacristatus Prælaturam amplificandam. Hunc Sacristam Tifernatem, sivè Castellanum, ut legitur in Chronicis, à Fratre Hieronymo Seripando in lucem editis, non Senensem, ut ait Josephus Pamphilus deindè Episcopum Castellanum, & postremò Episcopum Massensem, non Massanensem esse diximus, & nunc confirmamus. Massa enim est Civitas Hetruriæ, ut inquit Frater Leander Albertus, pervetusta, cujus Episcopus est Archiepiscopi Pisani suffraganeus, ut legitur in Provinciali omnium Ecclesiarum universi Orbis.

Pag. 345.

ILlud denique, quod in pagina 345. de Decreto in Creatione Cardinalium observari consueto, diximus, intelligendum est quantùm ad ipsam, ut ita dicam, registrationem Decreti, quod etiam quantùm ad limitatam pecuniæ summam observari cœpit. Nam Decretum editum fuit tempore Fratris Alphonsi de Oliva Episcopi Bovinensis, & Sacristæ; sed tempore Fratris Joannis Jacobi Barbæ Neapolitani, fuit in Registro conscriptum, & in usu forsan poni cœptum, ut infrà ex Decreto ipso videre licet.

Hæc de rebus in Chronhistoria non inconsultò prætermissis: nunc reliquum est, ut cętera, quæ ad Apostolici Sacristatus officium pertinent, juxtà promissum ob rationem superiùs assignatam, ob oculos ponamus; ne scilicèt Sacristæ tempus in posterum aliqua in re, præsertim rarò evenire consueta, jurisdictionis jacturam, codice manuscripto ignorato, vel amisso, imparati patiantur, ut interdùm eveniisse constat. Pag. 356.

Vide in hujus Libri pag. 509. *sub titulo*: SUPPLEMENTUM AD TRACTATUM CHRONHISTORIÆ DE APOSTOLICO SACRARIO, *quæ hìc apponi deberent, & per errorem prætermissa.*

TYPOGRAPHUS LECTORI.

UM à tempore, quo ista Angelus Rocca scribebat, tredecim supra centum effluxerint anni, Sacræ Historiæ amatoribus rem gratam facturos arbitramur, si Sacristarum seriem, qui ad nostra usque tempora post ipsum Angelum Rocca floruerunt, continuemus. Quæ verò narraturi sumus, ex probatis Authoribus, & ex Sacrarii Apostolici, ac Augustiniani Ordinis Regestis excerpsimus, ut dicenda à nobis, luculentâ veritate subnixa, fidem indubiam mereantur. Sed antequàm de successoribus Sacristis sermonem instituamus, aliqua de laudato Angelo Roccâ dicenda supersunt.

NGELI Rocca eruditionem, & sapientiam Opera, quæ Typis damus, patefaciunt. Eas tamen paucis comprehendit Philippus Elssius Belga in suo Encomiastico Augustiniano Typis Bruxellensibus excuso Anno 1654. *Angelus Rocca .... Concionator facundissimus. Hebraicæ linguæ, Chaldaicæ, ac Latinæ* (poterat meritò addere, & Græcæ) *peritissimus, antiquitatis perscrutator acutissimus, idemque Encyclopedia* (*si mortalium quisquam*) *præditus.*

Ut Bibliothecam, quam summo labore, industriâ, & impensâ, quadraginta ferè annorum spatio comparaverat, alicui ex sui Ordinis Monasteriis elargiretur, Clemens Papa VIII. potestatem fecit Brevi suo incipien. *Quæ Nobis* sub dat. Romæ die 16. Februarii 1595., quo Brevi Summus Pontifex ejusdem etiam probitatis, & virtutum merita, necnon grata obsequia, quæ sibi, & Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus in Typographia Vaticanâ diù, noctuque inserviendo præstiterat, & adhuc præstabat, summoperè commendat. Facultatem istam confirmavit posteà, & ampliavit Paulus Papa V. die 4. Novembris 1609. Brevi incipien. *Cum sicut accepimus*. Omnes tamèn inter Conventus Romanum S. Augustini selegit, cui eâ conditione cum Bibliothecam donavisset, ut perpetuò publici juris esset, Primus fuit, qui Romæ Literatorum commoditati consuluerit, quique sequentibus Bibliothecarum publicarum Institutoribus facem prætulerit. Donationis Instrumentum per Celsum Cusanum publicum Notarium rogatum fuit Romæ die 23. Octobris 1614. Animus tamèn Bibliothecam donandi eidem Conventui S. Augustini de Urbe antè novennium saltèm præcesserat, cùm Inscriptiones, Donatoris adhuc viventis jussu in Marmore incisæ, quæ in Bibliothecæ Atrio affixæ nunc inspiciuntur, laudatam donationem peractam exponant anno salutis MDCV.

Obiit Romæ Vir clarissimus die 8. Aprilis 1620. Ætatis suæ 75., quorum viginti quinque in Sacristæ munere sub Summis Pontificibus Clemente VIII. Leone XI. & Paulo V. glorioſissimè insumpsit. Sepultus est in Ecclesia S. Augustini antè Sacellum S. Nicolai de Tolentino, ubi ejus effigies, Mitra, & Sacris Episcopalibus Indumentis ornata, in Lapide Sepulchrali incisa, sequens Epitaphium legendum objicit.

Rmo Episcopo Tagastensi
Fr. Angelo Roccchæ
Camerti
Ord. Er. S. Augustini
Sacrarii Apostolici
Præfecto, Insignis
Bibliothecæ Angelicæ
Liberalissimo Largitori
Viro Eruditissimo
Ac de Augustiniana Religione
Optime merito
Piissimi Patres, et Fratres
S. Augustini de Urbe
Gratitudinis, ac Benevolentiæ
Argumento Posuere
Die viii. Aprilis mdcxx.

Magister Fr. Joannes Baptista de Aste Albinganensis MDCXX.

JOannes Baptista de Aste Albinganensis, doctus, & ad magna natus, ex Nobilibus Genitoribus Nicolao de Aste, & Agnete Collata prodiit in lucem anno 1566. In Conventu Salmanticensi valdè Puer Habitum Augustinianum induit, ubi posteà die 8. Septembris anno 1585. solemnem Professionem emi- XXI.

ſit. Sacram Theologiam in alma illa Univerſitate cum ad ſtuporem uſque didiciſſet, eam, in Italiam reverſus, in pluribus Civitatibus, & Romæ præcipuè, cum tantâ Nominis ſui famâ perdocuit, ut Theologorum Phœnix haberetur: dicendi quoque Artem cùm egregiè calleret, non minus inſignis Orator, quàm Theologus longè, latèque audiebat. Exſtant ipſius Commentaria ſcholaſtica in quatuor Libros Sententiarum.

His permotus Summus Pontifex Paulus V., qui Hippolito Ravennati, totius Ordinis Auguſtiniani Priori Generali, Epiſcopatum Caſtellanenſem, & Hortenſem contulerat, in hujus locum Joannem Baptiſtam de Aſte ſuffecit anno 1608., qui memoratum Ordinem tanquam Vicarius Apoſtolicus gubernaret. Pridiè promotionis ſuæ ad Vicariatum Apoſtolicum orationem habuerat coram Papa in Pontificia Cappella, univerſis, qui aderant, applaudentibus. Eodem anno 1608. in Capitulo Generali Romæ habito, omnium ſuffragiis, publicâ voce, abſque ſcrutinio, communi inſpiratione, die 24. Maji renunciatus eſt Generalis. Sapientiæ ipſe, & virtutum amans, Literarum cultum, ac regularem obſervantiam in Sacro Ordine, & promovit, & adauxit. In Provinciarum Galliarum, Hiſpaniarum, Luſitaniæ, & Italiæ viſitatione, multa reliquit prudentiæ, Zeli, Juſtitiæ, ac paterni Amoris monumenta, quibus Religioſorum animos vel terruit, vel allicuit.

Expleto Generalatus ſexennio, ad Conventum S. Auguſtini Genuenſem anno 1614. ſe tranſtulit, ubi dum ſolitudini, literis, & pietati hilari animo vacabat, iterùm Romam redire anno 1620. coactus fuit, cum ob mortem Angeli Rocca, & Sacrarii Pontificii Præfectus, & Epiſcopus ſimul Tagaſtenſis à Paulo V. electus fuerit. Epiſcopatus conſecrationem accepit per manus Cardinalis Mellini Dominicâ intra octavam Aſcenſionis. At die 20. Septembris, magno totius Aulæ Pontificiæ, Urbis, & Auguſtiniani Ordinis luctu, ex hac vita migravit quinto labente menſe ſuæ Præfecturæ, & ſuæ ætatis anno 54. Ita immatura, & invida mors uno ſub ictu majora, quæ Patria, Religio, Familia in ipſo jurè expectabant, eripuit ornamenta. Deprompſimus iſta ex Herrera, Elſſio, & Reg. Sac. Apoſt., & Ord. Sepultus eſt in Eccleſia S. Auguſtini antè Sacellum B. Mariæ Virginis de Roſa, in cujus perennem memoriam Illuſtriſſimus Gregorius de Aſte, defuncti Frater, ipſius Effigiem in Columna, è regione præfati Sacelli poſita, ad vivum depingi, & ſub eam ſequens Epitaphium incidi mandavit.

D. O. M.
F. Joannis Baptistæ de Aste
Albinganensis
Pietate, Doctrina, Prudentia Nobilis
Hic Ossa jacent.
Quem Religiosa D. Augustini Familia
Vicarium prius Apostolicum coluit,
Deinde Generalem Antistitem
Inaudito exemplo viva voce creavit
Et in Italia, Hispania, Lusitania
Galliæque Parte
Præsentem, ac Providentem vidit,
Tagastensis Ecclesia Præsulem
Venerata est
Pontificium Sacrarium
Præfectum Optimum celebravit
Gregorius de Aste
Fratrem Amantissimum
Coluit viventem, deploravit extinctum
Obiit Romæ mdcxx.
Ætatis suæ liv.

M. Fr. Joannes Vincentius Spinula Januenſis MDCXX.

XXII. DEmortui Joannis Baptiſtæ de Aſte dignitates occupavit Joannes Vincentius Spinula, qui Genuæ ex Nobiliſſimis Genitoribus, Dominis Campi, natus, præclariſſimæ Familiæ Faſcibus Cucullum prætulit Auguſtinianum; quo Juvenis valdè indutus, in pietatis operibus tàm ardenter ſe exercuit, ut brevi veteranos quoſque ſuperaverit. Bonas quoque Artes addiſcendi cupidus celebriores ſui Ordinis in Italia Academias non ſine magno profectu frequentauit. Dignus proinde, qui ab Elſſio nuncupetur *Vir doctrinâ gravis, & pietate illuſtris.* Quibus animi dotibus cum ſe formatum oſtenderet ad quælibet rectè peragenda, primùm Provincialis Lombardiæ, dein anno 1610. Prior S. Auguſtini de Urbe eligitur. In his officiis plura præbuit prudentiæ, zeli, & paterni amoris argumenta, quibus permoti Electores, qui Romam anno 1614. ad Capitulum Generale celebrandum convenerant, ipſum elegerunt in Italiæ Aſſiſtentem.

Completo ſexennio, aſſumptus eſt in ſub Sacriſtam, ſeù Socium Sacriſtæ Joannis Baptiſtæ de Aſte, cui & in Præfectura Sacrarii Apoſtolici, & in Epiſcopatu Tagaſtenſi à Paulo V. die 12. Octobris 1620. ſubrogatus eſt. Cum verò à Gregorio XV. Pauli ſucceſſore die 6. Martii anno 1623. creatus fuiſſet Epiſcopus Brugnatenſis, Præfecturam Sacrarii Pontificii, quam duobus annis cum dimidio ſub Summis Pontificibus Paulo V. & Gregorio XV. cum plauſu adminiſtraverat, unàcum Epiſcopatu Tagaſtenſi depoſuit. Eccleſiam Brugnatenſem ſibi commiſſam, ut bonus Paſtor uſque ad annum 1639. gubernavit, quo piè, utì vixerat, animam Deo reddidit. Herrera, Elſſius, Ughellus, & Reg. Sac. Apoſt., & Ord.

M. Fr. Fulgentius Galluccius à Monte Georgii MDCXXIII.

XXIII. AD Episcopatum Brugnatensem Joanni Vincentio Spinulæ assumpto successor in Sacrarii Apostolici Præfecturâ, & in Episcopatu Tagastensi datur à Gregorio XV. Fulgentius Galluccius à Monte Georgii, tunc totius Ordinis Augustiniani Magister Generalis. Bulla Præfecturæ expeditur die 8. Martii 1623. Episcopatus vero die 10. Maii ejusdem anni. In quo pretio Summus Pontifex Galluccii virtutes haberet, ex eo manifestavit, quòd voluerit, ut, quamvis Sacrista, & Episcopus, Generalis quoque officium retineret. Quæ quidèm omnia profusâ Aulæ acclamatione, magnoque Ordinis incremento adimplevit; tantâ namque mente, tantâque agendi peritiâ eminebat, ut pluribus licèt intentus, æqualem haberet, hoc est, magnum ad singula sensum. Ad istas dignitates ut ascenderet, viam sibi paraverat assiduis laboribus, quos pro suæ Religionis commodo, ac decore sustinuerat. Anno 1604. in Firmano Collegio fuit institutus Moderator Studiorum. Anno 1611. præsedit Capitulo amplissimæ Provinciæ Marchiæ. Ejusdem Provinciæ eligitur Provincialis anno 1613. Vocatus posteà ad Urbem, præficitur Conventui S. Augustini anno 1617. Et demùm in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1620., cum adhùc clavum Monasterii Romani teneret, unanimi suffragio eligitur in totius Ordinis Priorem Generalem.

Mortuo Gregorio XV. à quo Præfecturam Pontificii Sacrarii, atque Episcopatum Tagastensem acceperat, Gregorii successor Urbanus Papa VIII. die 12. Martii anno 1624. Galluccio Episcopatum Tagastensem in Episcopatum Bojanensem commutavit; qui proindè Generalatus officio, quod per quatuor annos, & Sacrarii Apostolici Præfecturâ, quam per unicum annum sub Summis Pontificibus Gregorio XV., & Urbano VIII. retinuerat, dimissis, ad amplam Diœcesim suam se contulit: Ubi forma Gregis factus, potens opere, & Sermone, per octo ferè annos plura successoribus suis providi Pastoris exempla tradidit, quæ sequerentur. Patriam interim, & suos invisendi amore solicitatus, ad Montem Georgii rediit, ubi post paucos menses sexagenario major mortuus est die 9. Novembris 1632. Sepultus est ibidem in Ecclesia Conventus suæ Adfiliationis, cui cum aliis bonis suam quoque Bibliothecam præclaris manuscriptis refertam donavit, ab ipsius Benefactoris nomine *Galluccianam* posteà nuncupatam. Herrera, Elssius, Ughellus, Reg. Sac. Ap. & Ord.

Magister Fr. Fortunatus Scacchus Fanensis MDCXXIV.

XXIV. A Conventu suæ Adfiliationis Fortunatus Scacchus dictus est *Fanensis*. Cetèrùm ex veteri, & præclarâ Scacchorum familiâ Anconæ circà annum 1572. natus est Patre Equite Jacobo Oliverii Scaccho. Adhùc impuberem providus Genitor, quò Nati honori consuleret, primùm Anconæ sub nomine Fr. Antonii Mariæ, deindè Fani post annum 1587. sub nomine Fr. Fortunati, Augustinianæ Familiæ dicavit. Sacrâ Professione emissâ, in Monasterio Ariminensi S. Joannis Evangelistæ locatus est, ut ibi ad bonas Artes informaretur. At peracri ipse ingenio, & majora semper addiscendi cupiditate agitatus, Hispanias adeundi anno 1594. vel ut alii scribunt, anno 1596. à superioribus potestatem obtinuit. Ibi celeberrimas illas Academias, Salmanticensem præcipuè, ac Complutensem, septem annorum spatio frequentans, tàm magnificè sacras literas apprehendit, ut non timuerit cum doctissimis Magistris congredi, Toleti, & Compplti disciplinis, quas didicerat, egregiè, ac felicissimè propugnatis. Quantùm in Hispanicis Academiis Fortunatus profecerit, idem ipse aperit in Epistola ad Collegium Salmanticense Romæ data VIII. Kal. Aprilis 1625. his verbis: *Nam si quid in me ingenii aliquando fuit, aut sacræ Theologiæ gustus, sive sacrarum Literarum cognitio, Hispanis Academiis, Complutensi præsertim, & Salmantinæ, cuncta me debere profiteor.* Præfixa est ista Epistola libro primo Myrotheciorum.

In Italiam reversus, magnum se Theologum ostendit, dum Veronæ, Perusii, Recineti, & Maceratæ sacram docuit Theologiam. Et quia Hebraicam Græcamque linguas optimè quoque callebat, nedùm Romæ sacras Literas, & Patavii Hebraicas tradidit, sed Venetiis pariter Sacra Biblia anno 1609. edidit in plures linguas conversa, duobus voluminibus comprehensa, quæ Cardinali Scipioni Burghesio dicavit. Fallitur proindè Janus Nicius Erythræus, qui illa asserit Paulo V. Pontifici Maximo nuncupata. Dum istis Venetiis incumberet, sui in Sedem Apostolicam obsequii magnum præbuit argumentum; nam cum Zacharias, & Hieronymus Condelmerii Nobiles Veneti, quorum familiari consuetudine fruebatur, operam suam obtulissent, ut ab inclyto Senatu in locum demortui Reipublicæ Theologi, pingui stipendio subrogaretur, renuit ipse tàm benevolis, & potentibus Patronis morem gerere, eam afferens causam, quòd nempè religioso homine indignum putaret, *ei succedere*, verba sunt memorati Jani Nicii Erythræi, *qui tantum suis scriptis dedisset Reipublicæ Christianæ damnum, ac malum.*

Cùm verò non minus eloquentiâ, quàm eruditione præstaret, insigniores Italiæ Civitates ipsum è suggestu declamantem audire voluerunt; quarum optimæ de ipso conceptæ opinioni ita fecit satis, ut ubique Nominis sui famam reliquerit immortalem. Inter cæteras, Bononia Scientiarum Mater ostendit, quo loco Scacchum nostrum haberet. Concionator deputandus erat, qui in solemni quadam supplicatione Populum ad actus Salutares excitaret. Triginta tunc Bononiæ celebrioris nominis Concionatores numerabantur,

tur. Iſtis omnibus Scacchus ab Illuſtriſſimo Senatu prælatus eſt. Neque ibi perſtitit Bononiæ in Scacchi doctrinam veneratio. Obierat doctiſſimus Comes Ulyſſes Aldobrandus, nondùm impoſitâ extremâ manu poſterioribus quatuor Libris de Animalibus exanguibus, qui Senatui Bononienſi dicandi erant. Scaccho idem Senatus commiſit, ut egregium Opus & abſolveret, & limaret. Quod quidem pro dignitate adimplevit.

Longè itaquè latèque Fortunati Scacchi nomine perſonante, Urbanus VIII. Pontifex Maximus Literarum, & Literatorum Cultor, & Patronus, Fortunatum Scacchum Maceratæ Sacras Literas publicè docentem, nihilque de ſua aſſumptione cogitantem, ad Urbem Anno 1624. accedere juſſit, ipſumque pro Fulgentio Galluccio ad Epiſcopatum Bojanenſem deſignato, Sacrario ſuo Apoſtolico die 23. Februarii præfecit. Quindecim annis præclaram iſtam Præfecturam adminiſtravit, magnâ ſuæ probitatis laude, nec minori Urbis acclamatione. Anno 1628. intèr Conſultores S. Congregationis pro correctione Martyrologii, & Breviarii Romani aſcitus, eruditas Animadverſiones in acta ejuſdem S. Congregationis exaravit. Verùm tot graviſſimæ Romanæ Curæ non ità magnam Scacchi mentem occupabant, quin toti Literario Orbi ſimul conſuleret, pluribus in lucem datis Sacræ, prophanæque Eruditionis Monumentis; tunc enim publici juris fecit admirabiles primos tres libros Myrotheciorum, & primùm de Cultu, & Veneratione Servorum Dei.

Dum autèm ad laudatorum Operum perfectionem, reliquos Libros Typis excudere cogitabat, Româ diſcedere, & Sacrarii Pontificii Præfecturâ ſe abdicare, ſivè infirmâ valetudine, qua diù afficiebatur, ſivè aliquorum Aulicorum arte, qui alium in eum honoris locum attrahere ſatagebant, Anno 1639. coactus, Fanum ſe recepit, ubi, malè affectæ ſenectutis, ac crudelis morbi oculorum, quorum lumine ex parte captus remanſit, moleſtiis per quatuor annos patientiſſimè toleratis, obiit die prima Auguſti 1643. ſeptuagenario major. Sepultus eſt in Eccleſia S. Luciæ ſui Ordinis, multis, quæ acquiſiverat, bonis Conventui Fanenſi ex Teſtamento relictis, cui etiam vivens amoris ſui ſignificationes dederat, dum quartam Clauſtri partem cum ſuperioribus habitationibus conſtrui ſuis expenſis curavit. Vir ſanè celeberrimus, de quo cum laude ſcripſerunt Janus Nicius Erythræus, Joannes Baptiſta Laurus, Michael Joannes Vim-Bodinus, Erycius Puteanus, Bernardinus Stephonius, Ignatius Braccius, Leo Allatius, Octavius Ferrarius, Herrera, Elſſius, & alii quàm multi. Compendium iſtud excerpſimus ex Jano Nicio Erythræo, Herrera, Elſſio, & Reg. Sacr. Apoſt., & Ord.

Opera verò, quæ Vir doctiſſimus conſcripſit, ſequens ſyllabus indicabit.

Opera Typis data.

Sacra Biblia, vulgatâ Editione, Transl. ex Hebreo Sanctis Pagnini, Transl. Romana ex ſeptuag. ex Chaldaicæ Paraphraſis Transl. congeſta. Venetiis apud Antonium Pinellum 1609. vol. 2. fol.

Arcanorum Sacræ Scripturæ, ſivè Sacrorum Elæochriſmaton Myrothecium primum. Romæ apud Heredem Bartholomæi Zannetti 1625. in 4.

Eorundem Myrothecium ſecundum. Romæ apud eundem 1627. in 4.

Eorumdem Myrothecium Tertium. Romæ ex Typographia Vitalis Maſcardi 1637. in 4.

Tria laudata Myrothecia denuò excuſa ſunt Amſtelædami apud Franciſcum Halmam 1701. fol.

De cultu, & Veneratione Servorum Dei, Liber primus, qui eſt de notis, & ſignis Sanctitatis Beatificandorum, & Canonizandorum. Romæ ex Typographia Vitalis Maſcardi 1639. in 4.

Prediche, e Diſcorſi ſopra gli Evangelii: Roma appreſſo Franceſco Corbelletti 1636. in 4.

Opera inedita, quæ extant in Bibliotheca Angelica S. Auguſtini de Urbe.

Acta in Sac. Congregatione Rituum pro correctione Martyrologii, & Breviarii Romani cum notis.

Sacrorum Elæochriſmaton Myrothecium Quartum, quod inſcribitur de Nuptiis.

Eorumdem Myrothecium Quintum, quod inſcribitur de Oleo, & Unguento Jeſu Chriſti Redemptoris in Sepulchro.

De Cultu, & Veneratione Servorum Dei Liber ſecundus, qui eſt de Martyrio.

De eodem Liber tertius, qui eſt de Natura, Quidditate, Inquiſitione, Auctoritate, Cultu, & de quibuſdam aliis annexis ad Beatificationem, & Sanctificationem ſpectantibus.

De eodem Liber Quartus, qui eſt de Diffinitione, & antiquitate Canonizationis, & de privilegiis, quæ Canonizationem ſubſequuntur.

De eodem Liber Quintus, qui eſt de Judicum directione, tàm Ordinariorum, quàm delegatorum, & ſubdelegatorum pro efformandis Proceſſibus in Cauſis Servorum Dei.

De eodem Liber Sextus, qui eſt de Titulis Honorariis primitivæ Eccleſiæ. Opus ſanè neceſſarium præſertim iis, qui Servorum, ac Famulorum Dei acta ad Beatificationis, & Canonizationis effectum expendunt.

Omnia iſta Manuſcripta, prætèr primum, Bibliothecæ Angelicæ donavit Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Petrùs Cardinalis Otthobonus, qui poſteà Pontifex Maximus ſub nomine Alexandri VIII. Univerſam Eccleſiam felicitèr ſapientèrque gubernavit. Ut verò tantum beneficium, quod Theſavri loco habendum eſt, Lectorum memoriam, & gratum animum perennitèr occuparet, Vir ſapientiſſimus Joſephus Sabbatinus, præfatæ Bibliothecæ tunc Præfectus, & Cuſtos, ſingulis eiſdem manuſcriptis hanc Inſcriptionem præfixit.

Eminentiſſimus D. Petrus Otthobonus Venetus S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Sabinenſis

nensis publicæ studiorum utilitati consulens, hunc manuscriptum Codicem, qui sibi Eminentissimi quondam Cardinalis Conradi hæreditate obvenerat, Bibliothecæ Angelicæ liberalitèr donavit. Porrò ne Eminentissimi Principis eximium ergà bonas Literas argumentum memoria excideret, hìc in ipsa Codicis fronte adnotandum censuit Fr. Joseph Sabbatini Bibliothecarius. Anno 1682. die 6. Februarii.

Magister Fr. Thadeus Altinus à Camerino Anno MDCXXXIX.

XXV. EX nobilibus Genitoribus Camerini Anno 1603. ortus est Thadeus Altinus, qui undecimo ætatis Anno, & Redemptionis humanæ 1614. Sacrum Augustinianum Habitum induit in Monasterio S. Augustini Firmano. Professione emissâ, Firmi, Perusiæ, & Bononiæ Philosophicis, & Theologicis Disciplinis incumbens, adeò profecit, ut easdem postea, & utilitèr docere, & strenuè propugnare visus fuerit. Horum merito Laureâ doctorali insignitur Anno 1628. Provincialis suæ præclarissimæ Provinciæ Marchiæ eligitur Romæ in Capitulo Generali celebrato Anno 1636. & ejusdem Provinciæ Rector Provincialis instituitur Anno 1638. Anno sequenti Romam vocatur ad regimen Monasterii S. Augustini. In istis Muneribus adimplendis tot illustria dedit sapientiæ, prudentiæ, & charitatis documenta, ut dignus ab Urbano VIII. Summo Pontifice habitus fuerit, cui vacantem Sacrarii Pontificii Præfecturam ob discessum Fortunati Scacchi, conferret. Quod quidem præstitit die 29. Septembris eodem Anno 1639. quo Prior Conventus Romani fuerat constitutus. Declaratur Mense sequenti Consultor S. Congregationis supèr Canonizatione Sanctorum, & cum aliis Prælatis Correctioni Pontificalis Romani præficitur.

Anno 1640. cura ei demandatur condendi Decreta supèr eorumdem Sanctorum Canonizatione unà cum Eminentissimis Cardinalibus Sacchetto, Pamphilio, Roccio, & Cæsarino, ac cum Illustrissimis Prælatis Albicio, & Cerrò Fidei Promotore. Modestissimè recusato Titurali Episcopatu Tagastensi, quo plures prædecessores Sacristæ ornati fuerunt, quemve Summus Pontifex Urbanus VIII. benignissimè obtulerat, Porphyriensem posteà acceptavit, quo ab Urbani Successore Innocentio X. insignitus fuit die 17. Decembris 1645. à quo etiam cum aliis doctissimis Viris præficitur Correctioni Cæremonialis Episcoporum. Ab hoc eodem Summo Pontifice die 10. Novembris 1652. ad Cathedram Castellanæ, & Hortanæ Civitatum transfertur. Verùm, adeò Summus Pontifex Altini morum suavitate, & rectè agendi peritiâ delectabatur, ut, quò ad vixerit, nullatenùs adduci potuerit, quamvis ab Altino suppliciter exoratus, licentiam ei concedere Româ discedendi, & se conferendi ad suum Episcopatum.

Quam verò denegaverat Innocentius, Licentiam adeundi ad collatam sibi Ecclesiam, à Summo Pontifice Alexandro VII. benignissimè obtinuit, à quo Mense Julio Anno 1655. multis honoribus, & reditibus auctus, fuit dimissus. Sexdecim proindè Annos Sacrarii Pontificii Præfecturam laudabiliter administravit sub Summis Pontificibus Urbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VII. Non minori cum laude rexit Ecclesias Hortanam, & Castellanam, quibus & amantissimum Patrem, & rectissimum Judicem se per Annos triginta semper exhibuit. Obiit Vir egregius Hortæ die 27. Augusti Anno 1685. ætatis suæ 82. In Ecclesia sui Ordinis S. Augustini sepultus est, in cujus memoriam dilectissimus ex Fratre Nepos Lucas Altinus sequens Epitaphium incidi curavit Anno 1686.

D. O. M.
ILLUSTRISSIMUS, ET REVERENDISSIMUS
DOMINUS THADEUS ALTINUS SULMONENSIS
EX MELIORATIS CAMERS, ROMANUS
NOBILIS CIVES, ET COMES
OLIM PORPHYRIENSIS EPISCOPUS
SUMMORUM URBANI VIII. INNOCENTII X.
ALEXANDRI VII. PONTIFICUM SACRISTA,
ET EX PRÆSULIBUS EORUM SOLIO
ASSISTENTIBUS UNUS, HORTANÆ,
ET CASTELLANÆ CIVITATUM ANTISTES
HIC RELICTA CINERE EVOLAVIT
AD SUPEROS VI. KALENDAS SEPTEMBRIS 1685.
ÆTATIS SUÆ ANNORUM LXXXII.
LUCAS ALTINUS HÆRES, ET EX FRATRE
NEPOS OB GRATI ANIMI SIGNUM SUMMO
SUI MÆRORE P. MDCLXXXVI.

Magister Fr. Ambrosius Landuccius Senensis MDCLV.

XXVI. QUæ Ambrosius Landuccius Nobilis Senensis, antequàm ad Sacrarii Pontificii Præfecturam assumeretur, in suo Ordine Augustiniano præclarissima gessit, quibusve magni Nominis sibi famam conciliavit, ex eodem Ambrosio audire præstat, qui, dum Vicariorum Generalium Congregationis Ilicetanæ, & insignis Monasterii Iliceti Priorum Seriem in sua Sacra Ilicetana Sylva congessit, Vitæ suæ veluti Diarium delineavit. Anno 1608. die 11. Novembris Ambrosius Landuccius, qui in sæculo Volumnius Hieronymi, Marii Landuccii nuncupabatur, Iliceti Augustinianam Religionem ætatis suæ Anno nono ingreditur, & Anno postea 1610., ac suæ ætatis undecimo, Sacro ejusdem Religionis Habitu die 14. Junii ibidem induitur, fitque Filius Cœnobii S. Martini Senarum. Completo Artium, & Sacræ Theologiæ Curriculo, totus scrutandis Sacri Ordinis, & præcipuè suæ Congregationis Ilicetanę antiquitatibus incubuit, quas etiàm doctis conscriptis Voluminibus egregiè illustravit; dignus proindè, quem Summus Pontifex Urbanus VIII. Brevi suo speciali, Die 14. Decembris anno 1632. dato, inter Sacræ Theologiæ Magistros jusserit numerari.

Anno 1629. Prior eligitur Monasterii Ilicetani, ad quod munus Anno 1634. denuò assumitur. Anno 1645. die 29. Maii deputatur in Consultorem Sancti Officii Senarum, & Anno 1650. die 3. Novembris per Literas Paten-

Patentes declaratur Theologus Sereniſſimi Principis Matthiæ Magni Ducis Hetruriæ Germani. In Capitulo Generali Romæ celebrato Anno 1645. inſtituitur Prior Conventus S. Auguſtini de Urbe. Ter in Vicarium Generalem ſuæ Congregationis Ilicetanæ electus eſt, nempè Annis 1630. 1636. & 1653. cujus Congregationis jura, ac privilegia ſtrenuè tutatus eſt, & ampliavit. Quot verò, & quàm magna beneficia ex ipſius ſolertiâ, providentiâ, induſtriâ, & liberalitate Monaſteria perceperint, quæ gubernavit, Monaſteria ipſa loquuntur, in quorum ſingulis plura ejuſdem regiminis præclara conſpiciuntur Monumenta. Inter cętera, Monaſterium S. Martini Senenſis, quantum quantum eſt, totum debet Ambroſio Landuccio. Eccleſiam magnificè ornatam, pulcherrima pro Infirmis, & Hoſpitibus Cubicula, amplam ſex millibus Codicibus ad publicam commoditatem repletam Bibliothecam, ſi ibi intueris, Ambroſii Landuccii meminiſſe neceſſe eſt, à cujus amore iſta omnia prodierunt.

His itaque meritis onuſtus, Romam cum perveniſſet Anno 1655., ſuffragium daturus in Capitulo Generali, à Summo Pontifice Alexandro VII. die 25. Julii Præfecturâ Sacrarii Pontificii, & die 30. Auguſti Epiſcopatu Porphyrienſi inſignitur. Dignitatibus ſublimis, humilem, modeſtamque vivendi normam, quam in Religione ſecutus fuerat, nunquàm dimiſit. Linguâ, & manu omnibus juvit. Morum ſuavitate omnibus placuit. Omnium laudes promeruit agendi prudentiâ, eruditione, doctrinâ. Obiit Vir præſtantiſſimus die 16. Februarii Anno 1669. poſtquam tredecim Annos, Menſes ſex, dies viginti duos Sacrarii Apoſtolici Præfecturam tenuiſſet ſub Summis Pontificibus Alexandro VII. & Clemente IX. Sepultus eſt in Eccleſia ſui Ordinis S. Auguſtini de Urbe propè Baptiſterium, ab ipſo perbellè conſtructum, ex parte dexterâ ejuſdem, versùs Portam majorem Eccleſiæ. In Columnâ è regione laudati Baptiſterii poſitâ, ipſius Effigies Marmore inciſa conſpicitur cum hac Inſcriptione.

D. O. M.
AMBROSIUS LANDUCCIUS PATR. SENEN.
ILICETANÆ FAMILIÆ D. AUGUSTINI
NOMEN DEDIT
PRÆCIPUIS SUÆ RELIGIONIS MUNERIBUS
VICARII GENERALIS OFFICIO
PLURIES EGREGIE FUNCTUS
MAJORA PROMERITUS
AD EPISCOPATUM PORPHYRIENSEM
PROMOTUS
PONTIFICIO SOLIO INTER EPISCOPOS
ASSISTENS
SUB ALEX. VII. CLEM. IX. SS. PP.
SACRARII APOSTOLICI PRÆFECTUS
PIETATIS OBSEQUIIS ADDICTUS
COENOBIA RESTAURAVIT, SACELLA EXTRUXIT
ECCLESIAS ORNAVIT
ULTIMO ELOGIO
TOTO ASSE OPERIBUS PIIS IMPENSO
OBIIT ANNO S. MDCLXIX. ÆT. LXXIII.
FAMILIA LANDUCCIA GENTILI OPT. P.

Verùm error Inciſoris emendandus eſt, qui duos adminus Annos Landucii ætati plus juſto tribuit. Nam, ſi die 14. Junii Anni 1610. quo Cucullum Auguſtinianum induit, undecim tantùm ætatis Annos numerabat, ut ipſe met teſtatur in ſerie Vicariorum Generalium Congr. Ilic. Annus 1669., quo mortuus eſt, non erat Annus 73. ſuæ ætatis, ſed annus 70. vel ad ſummum 71. inchoatus. Multos Libros conſcripſit, quorum Catalogum his ſubnectimus.

Libri Typis dati.

Sacra Ilicetana Propago in duabus Tabulis Æreis magnis inciſa. Senis 1624.

Sacra Ilicetana Sylva vulgari Sermone conſcripta. Senis 1633.

Hiſtoria B. Jacobi Piccolominei Senenſis Eremitæ Ilicetani. Senis 1635.

Origo Eccleſiæ S. Mariæ de Populo in Urbe, Italicâ linguâ impreſsâ Romæ 1646. apud Franciſcum Monetam in 4.

Sacra Ilicetana Sylva, ſive Origo, & Chronicon Breve Cœnobii, & Congregationis de Iliceto Ord. Erem. S. Auguſtini in Tuſcia. Senis 1653. apud Bonettos. Fol.

Sacra Ilicetana Sylva, ideſt, Origo, & Progreſſus Antiqui, ac Venerabilis Eremi, & Congregationis de Iliceto in Hetruria Ord. Erem. S. P. Auguſtini Italicâ Linguâ exaratâ. Romæ 1657. apud Franciſcum Cavallum. Fol.

Geſta B. Nicolai de Mariſcottis Senenſis Ilicetani, Patriâ linguâ deſcriptâ. Romæ 1656. apud Franc. Cavallum in 4.

Opera inedita, quæ Senis in Bibliotheca Martiniana cuſtodiuntur.

Attributa Mariana, ad numerum dierum, quos in humanis peregit eadem B. Virgo, duobus Voluminibus concluſa.

Sacra Corona Beatæ Mariæ Virginis Stellis duodecim contexta, per quam, Mariam ſine macula conceptam fuiſſe oſtenditur.

Officia propria ſecundùm ſtylum S. Romanæ Eccleſiæ digeſta ſub ritu majorum ſolemnitatum, ſc. B. Thomæ de Villanova, & B. Claræ à Monte Falco.

Explanatio ſuper Antiphona Ave Regina Cœlorum, *quindecim diſcurſus prædicabiles complectens, Patriâ linguâ dictata.*

Sacrarium Apoſtolicum, ſive Collectio eorum, quæ ad Præfectum Sacrarii Pontificii, & ad idem Sacrarium ſpectant, in tres Libros diviſa. Autographum exſtat Romæ in Bibliotheca Chiſiana.

Magiſter Fr. Joſephus Euſanius Aquilanus
MDCLXIX.

XXVII. AQuila, Nobilis Civitas in Veſtinis, fœcunda Virorum Illuſtrium Mater, & Altrix, Joſephum Euſanium inter Concives ſuos numerare gloriatur. Egregius iſte Vir, natus circà Annum 1615. quamvis Fortunæ, quam pro Familiæ Gentilitio erexit, multum debuerit, ſuæ tamen magis debuit virtuti, qua duce, minoribus ſapienter utens, prome-

promeruit ascendere ad majora. Augustinianæ Religionis, cui à primis Annis, Conventui Aquilano adfiliatus, nomen dedit, illustres Academias illustriores reddidit ingenii acumine, & profunditate doctrinæ, dum quindecim annorum spatio, ab anno scilicèt 1650. usque ad annum 1663. & ab anno 1666. usque ad annum 1667. Sacram docuit Theologiam Tarvisii, Anconæ, Senis, Florentiæ, Neapoli; quo tempore, ut exteris quoque prodesset, Verbum Dei disseminare non omittens, doctus Theologus, & magnus Orator ubique celebrabatur.

Anno 1664. in Vicarium Generalem Congregationis Perusinæ electus fuit, quam non imperio rexit, sed amore. Biennio expleto, scientificis certaminibus assuetus, iterùm ad Scholarum Castra anno 1666. confugit; & qui prius Neapoli in Majori Conventu S. Augustini Theologiam per quatuor annos docuerat, eandem posteà docuit ibidem in minori Conventu S. Joannis ad Carbonariam. Quisquis minus, ac Eusanius, labores Scholasticos in pretio habuisset, pudori duxisset ex majori Cathedra ad minorem in eadem Civitate descendisse. At Eusanius, qui non honores in sapientia, sed sapientiam ipsam met deperibat, eadem animi hilaritate, eademque Magisterii Majestate paucis Disciplinas tradebat, qua tradiderat multis: in id solùm vires intendens, ut Religioni decorem, Discipulis intellectum, sibi merita augeret.

Tanta Eusanii modestia, tantaque humilitas haud diù magno præmio caruerunt. Anno 1667. celebrabatur Romæ Capitulum Generale. Eusanius absens erat, Neapoli incumbens muneri suo. Quamvis tamèn absens, & nihil cogitans de sua promotione, quamvis nullo inter Electores de ipso habito tractatu; immò quamvis Electoribus nihil de Persona Eusanii cogitantibus: dum in Aulam Capitularem die 30. Mensis Maii pro electione Procuratoris Generalis convenerunt, audito ejus nomine, illicò ab eisdem in Procuratorem Generalem electus est, stupentibus omnibus, qui aderant, & magis Capituli Præside stupente, qui eo fine Eusanium inopinatè tertio loco proposuerat, ut securiùs primus ex propositis eligeretur.

Sedes Apostolica ob mortem immortalis memoriæ Alexandri VII. Pontificis Maximi tunc temporis vacabat. Post paucos dies nempè 20. Junii magno Christiani Orbis lucro electus fuit in Summum Pontificem Cardinalis Julius Rospiliosus, qui *Clementis Noni* Nomine appellari voluit. Notus erat Clementi Eusanius, cui, dum erat in minoribus constitutus, patrocinium suum commodaverat, ne causa caderet, quam Romæ tanquàm Vicarius Generalis Congregationis Perusinæ pro eadem Congregatione propugnabat. Cum itaque benignissimus Summus Pontifex Eusanium ad suos pedes provolutum vidisset, ab eoque audivisset, se electum fuisse in Procuratorem Generalem, lætatus est valdè, quippè cui jucundum erat, eorum merita, quibus favebat, communi calculo commendari. Hinc anno 1669. Ambrosio Landuccio è vivis erepto, Josephum Eusanium, cujus probitatis, prudentiæ, ac doctrinæ, sivè Procuratorem Generalem, sivè Vicarium Generalem in absentia Hieronymi Valvasorii Ordinis Generalis Provincias Galliarum perlustrantis, sivè Sacræ Scripturæ publicum Interpretem in Alma Romana Sapientia agentis, nova Summus Pontifex acceperat documenta, Præfectum sui Sacrarii Apostolici constituit die 9. Martii, simulque creavit Episcopum Helenopolitanum. Clemens deindè Decimus, qui utpotè summè probus non nisi probos diligebat, ab initio suæ assumptionis ad Summum Pontificatum, Eusanium, cujus virtutes in Aula Pontificia familiari consuetudine jam diù expertus fuerat, in Confessarium suum elegit, & labente anno 1672. ab Ecclesia Helenopolitana transtulit ad Porphyriensem.

Quamvis autèm Eusanius tot dignitatibus se circumseptum videret, & quamvis multùm apùd duos laudatos Summos Pontifices polleret, nunquàm tamen, vel superbiâ tumidus, vel Pontificio favore elatus visus fuit. Talis in Aula apparuit, qualis vixerat in Claustro. Frugalis, modestus, humilis. Cumque eandem vitæ rationem sub sequentibus Summis Pontificibus Innocentio XI. Alexandro VIII., & Innocentio XII. constantissimè duxisset, omnium in se laudes, omniumque admirationem semper, & ubique excitabat. In id solùm vota sua, in id preces, in id gratia, qua apud Summos Pontifices fruebatur, collimabant, ut suo Augustiniano Ordini prodesset. Et re verâ multùm profuit. Quæ verò præstitit beneficia, malo ex eloquentibus Ordinis Regestis exscribere, quàm rudibus verbis meis enarrare. *Quantùm de nostra Religione promeritus sit (Joseph Eusanius) præstat silentio venerari, nam levi attrectatione non decet scribi. Narrabunt melius opera. Multa, atque amplissima Privilegia ab Apostolica Sede pro Religione relata, Augustiniani Breviarii Concinnatio, Sacræ Cincturæ devotio per totum Orbem aucta, & propagata, in omnium prædicatione sunt, & vulgò de ipso usurpatum erat, eritque, unum se fecisse plus omnibus. Religioni semper studuit, sibi nunquàm. Sibi parcissimus Religionem ditavit, & Conventum Aquilanum, cujus Nutritus extitit, parum est dicere, auxit, sed de parvo amplissimum, & de paupere divitem fecit. Ædificia latè extendit à fundamentis, Bibliothecam insignem erexit, studiorum ibi scholas aperuit, & ipsum moriendo scribens hæredem, pingue reliquit Patrimonium. Sed non eo solùm liberalitas Amoris sui erga Religionem arctata est. Conventus enim in Urbe S. P. Augustini, S. Mariæ de Populo, S. Matthæi in Merulana Argentaria suppellectile donavit, fundosque satis amplos legavit. Oret Religio tantum Cœlo potiri Benefactorem, & illi similes sibi terris restitui.*

Et quia in Ecclesia S. Augustini de Urbe Cappellam B. Ritæ de Cassia magnificè exornaverat, ne tanti beneficii memoria deperiret, sequens Elogium sub ejus adhùc viventis

tis Effigie in marmore exculpatâ, quæ Columnæ è regione Cappellæ exstanti inhæret, appositum est Anno 1686.

D. O. M.
Fr. Joseph Eusanius Aquilanus
Episcopus Porphyriensis
Apostolici Sacrarii Præfectus
Ex Augustin. Eremitar. Ordine
Cujus in amore
Sanctorum ejus Ritibus
Et Privilegiorum Amplitudine
Vehementer Illustratis
Beneficentia continuò Præsens
Unus Omnium Æmulator
Et Exemplum extitit
Ut sola sibi Gloria
Superstes foret
Totum
Pietatis Operibus Impendens
Hanc B. Ritæ de Cassia
Aram extruxit
Viventi nec nisi serò Lugendo
Augustiniana Religio
Perpetuæ Venerationis M. P.
Qui legis disce
Nil Majus in Illustri Fortuna
Quam ut Benefacere possis,
Et velis.

Obiit Vir beneficentissimus die 23. Aprilis 1692. ætatis suæ anno circiter 77. postquàm viginti tres Annos, Mensem unum, & dies 14. Præfecturam Sacrarii Apostolici sub quinque Summis Pontificibus Clemente IX. Clemente X. Innocentio XI. Alexandro VIII. & Innocentio XII. sapienter administravisset. Sepultus est in Ecclesia S. Augustini de Urbe antè ab ipso ornatam Cappellam B. Ritæ de Cassia.

M. Fr. Petrus Lambertus Le Drou Huyensis MDCXCII.

XXVIII. IN Civitate Huyensi Diœcesis Leodiensis natus est anno sal. 1641. Petrus Lambertus Le Drou, qui à pueritia pietati, & sapientiæ addictus, quò magis in utraque proficeret, Familiam Augustinianam Provinciæ Flandro-Belgicæ in Conventu Huyensi amplectitur, cujus etiam fit filius. Præclaris disciplinis brevi tempore sub doctissimis Magistris imbutus, easdem statim, etsi valde Juvenis, Confratres suos Huy, Bruxellis, & Lovanii docere jussus fuit, tantâ sui Nominis famâ, tantoque Discipulorum profectu, ut inter sapientissimæ Universitatis Lovaniensis Doctores cooptari, Studiorum sui Ordinis Regentis Munus Lovanii exercere, & à Patribus insignis Abbatiæ propè Lovanium *de Parco* nuncupatæ Ord. Præmonstratensis in suorum Alumnorum Theologiæ Lectorem deputari meruerit.

Romam posteà anno 1677. Celeberrimi Christiani Lupi Deputati Universitatis Lovaniensis ad Sanctam Sedem Socius cùm perveniisset, luculenta suæ eruditionis, & doctrinæ apud viros Literarum Cultores dedit argumenta, itaut Nomen ipsius in Urbe jàm indè cœperit celebrari. At magis inclaruit, dum anno 1685. Romam rediens, suffragium daturus in Capitulo Generali tanquàm Provincialis Flandro-Belgicæ, ad quod munus anno 1683. Mechliniæ electus fuerat, *in Magistrum Circuli*, ut vocant, à Generali Ordinis Dominico Valvasorio fuit assumptus. Magister Circuli idem est ac Præfectus omnium Thesium, quæ in Capitulo Generali publicè propugnari solent. Ad illum proindè spectat, defendentes dirigere, illuminare, adjuvare, & pro eisdem respondere, si aliquando objecta solvendo non sint satis. Munus valdè honorificum, at non minus periculosum, quod propterea nonnisi viris doctissimis, & maximo ingenio pollentibus committitur. Impositi sibi hujus Muneris tàm egregiè Le Drou partes implevit, dùm, & mentis acumine, & doctrinarum claritate, & sententiarum pondere solveret extempore omnem nodum, ut cunctorum linguas in sui laudem effusas fatigaverit.

Hinc non potuit sine plausu ab Urbe excipi, dum à Sanctissimo Summo Pontifice Innocentio XI. anno 1687. Romam iterum Lovanio accedere jussus, in locum demortui viri doctissimi Michaelis Van-Ekii, publicus Sacræ Scripturæ in Romana Sapientia Interpres, & studiorum Præfectus in Collegio de Propaganda Fide renunciatus fuit. Dum istis collatis muneribus egregiam Romæ operam navabat, ab Universitate Lovaniensi anno 1689. intèr octo Doctores Regentes suę strictæ, ut vocant, Facultatis Theologicæ adscribitur, ad quos amplo Jure spectat bona ejusdem Facultatis administrare, officia conferre, stipendia distribuere, & cetera disponere, quæ ad Facultatis decorem, atque commodum conducere dignoscuntur. Ut tàm honorificâ potestate uti inciperet, Româ Lovanium versùs discessit, quò pervenit anno 1690. E vivis erepto Josepho Eusanio Sacrista anno 1692., denuò Romam vocatur à Summo Pontifice Innocentio XII. ingeniorum optimo, maximoque Æstimatore, qui ipsum Sacrarii Apostolici Præfectum, ac Episcopum declaravit Porphyriensem. Et quia suâ virtute, & laboribus pro Sede Apostolica indesinenter impensis nova semper beneficia promerebatur, Præposituram S. Stephani Moguntiæ obtinuit. Canonicus quoque in Collegiata S. Pauli Leodii, & deindè Canonicus Pœnitentiarius in insigni Cathedrali ejusdem Civitatis institutus est.

Anno 1700. quo summo totius Christiani Orbis mœrore obiit amantissimus Pater Pauperum Innocentius Papa XII. Sacrista Le Drou in Belgio morabatur recuperandę causâ sanitatis, cui aer Romanus parùm favebat. Contentio orta est, quis loco absentis Sacristæ Conclave ingredi deberet, pluribus, Ordinem Augustinianum non professis, conantibus speciosum illud munus occupare. Re maturè apud Sacrum Cardinalium Collegium discussâ, iidem Eminentissimi, ac Æquissimi Patres Ordinem Augustinianum in suo perantiquo

tiquo Jure esse manutenendum die 6. Octobris ejusdem anni 1700. benignè decreverunt, & vices Sacristæ in Conclavi commiserunt Patri Magistro Fr. Paulo Mariani Romano, qui sui ejusdem Ordinis Augustiniani privilegia apud laudatum Sacrum Collegium strenuè tutatus erat.

Anno 1701. Romam rediens Le Drou amantissimè exceptus est à novo Summo Pontifice CLEMENTE XI. sapienter Regnante, & sapientum Virorum Amatore, cui ejusdem operâ in variis Ecclesiasticis negotiis utenti, optima de ipso præconcepta opinio magis atque magis inhæsit, cum semper expertus eum fuerit Virum doctum, prudentem, fidelem, in Dignitatibus humilem, in colloquiis gravem, sincerum in Consiliis, atquè carismatibus omnibus ornatissimum.

Anno 1707. quatuor Dissertationes eruditissimas de Contritione, & Attritione Romę edidit Typis Komarek in 8., quæ anno sequenti Monachii in Bavaria procusę etiam fuerunt Typis Mathię Rield in 4. Quàto pretio habendę sint istę dissertationes, indicant duo earumdem doctissimi Approbatores Romani, quorum primus ipsas *Opus ex omni parte perfectum*, alter *cęlesti doctrinâ conditas* censuere. Eadem Discussione quadam Theologicâ aggressus est D. Augustinus Michel. At, infelici conatu; nam dissertationum Author Clarissimus Confutationę Discussioni opposuit, *quam qui legerint, spero fore, ut redintegratum, ac probè vindicatum Opus agnoscant, omnesque ab importuno Cavillatore objectas offucias, ab eruditissimo Præsule sapienter absterśas atque depulsas fateantur*. Verba sunt Sapientissimi Censoris Patavini Confutationem approbantis. Prodiit ista *Confutatio Discussionis Theologicæ* Patavii 1714. apud Josephum Corona in 8.

Celsissimus Princeps Clemens ex piissimis Ducibus Bavariæ, Coloniæ Archiepiscopus & Elector, atque Episcopus ac Princeps Leodiensis, quò Gregi sibi commisso tamquàm bonus Pastor securiùs provideret, Episcopum nostrum Porphyriensem, cujus ardentissimum zelum pro Animarum æternâ salute perspectum habebat, Vicarium suum Generalem in Episcopatu Leodiensi elegit. Supplicationibus proindè ad CLEMENTEM XI. humiliter porrectis, ut Porphyriensem concederet, post iteratas instantias Clementissimus Summus Pontifex, qui ægrè adduci poterat, Urbem tanto Viro privari, benignissimè annuit. Anno itaque 1712. mense Septembri Præfecturâ Sacrarii Apostolici Prophyriensis se abdicavit, postquàm illam annos viginti sub Summis Pontificibus Innocentio XII., & regnante CLEMENTE XI. omnium plausibus tenuisset; ac Româ discedens, Leodium se contulit, ubi adhuc collatum officium adimplens, Populorum illius amplæ Diœcesis felicitati vivit. Vir sanè dignissimus, cujus Laudes post mortem, quam serò venturam optamus, enunciabunt posteri, cum vivens, nonnisi laudanda quamvis faciat, renuat laudari.

Magister Fr. Augustinus Nicolaus de Abbatibus Oliverius Pisaurensis
MDCCXII.

XXIX.

Hujus generis fuisse reor solidos illos, qui Ecclesiasticis viris etiam S. R. E. Cardinalibus, & Summo Pontifici in aliquibus Festivitatibus, vel Festis diebus ob actiones laboriosas in Ecclesiis præstitas, & expensas, atque dignitates olim dari solebant, ut legitur in manuscripto Cæremoniarum libro, quem (Guidone de Tiferno, ideſt de Civitate Castelli, S. R. E. Cardinale postulante, qui postea Anno Dom. 1143. ad Summum Pontificatum assumptus, & Celestinus II. dictus fuit) Benedictus Canonicus S. Petri Anno Dom. 1140. Romæ conscripsit. In eo libro narratur, quot cuique dari solebant solidi juxta cujuscumque functiones, ac dignitates. Major autem summa erat viginti Solidorum, & hæc nonnisi Summo Pontifici dari solebat. Ex hoc perantiquo Ritu originem traxisse videtur mos ille, qui hodie observatur, quando Summus Pontifex Missam solemniter cantat: tunc enim Missa celebrata, S. R. E. Cardinalis Archipresbyter Basilicæ S. Petri, nomine Canonicorum, totiusque Capituli, dat ei pro Missa benè cantata, aliquot Julios argenteos antiquiores, & alias monetas, item argenteas ex antiquioribus, quæ inveniri possunt, juxtà tamen valorem circiter viginti, vel interdum triginta Juliorum ad summum. Hæc per digressionem, occasione satis bellè sese oblata, mihi dicenda visa sunt in declarationem illius monetæ, quæ *Solidus* nuncupatur in Codicis libro, in quo nominantur quinque ludi à Justiniano inventi, & concessi.

Liber Cæremoniarum antiquus asservatur in Bibliotheca Angelica Romæ.

Benedictus Canonicus S. Petri Anno Dom. 1140.

Ritus antiquus in Missa à Summo Pontifice solemniter cantata.

Quænam autem sint illa ludorum genera, non satis constat, Alciato Teste, qui hunc locum salebrosissimum, ideſt, difficillimum esse ait, ob voces quinque ludorum fortassè corruptas, & hanc ob causam ipsa ludorum genera per conjecturam Alciatus interpretatur. Glossator autem dictæ Legis, facit mentionem de quatuor tantùm ludis, in quibus nonnisi industriam, & fortitudinem corporis dominari ostendit, dicens: *Comombelon est ludus, ubi lapis in longum proiicitur; Comondiaulomolon est ludus, ubi lapis, vel palus in breve spatium proiicitur: Rhindalca est ludus, ubi equites currendo in rem certam proiiciunt: Ecperusan est ludus, ubi pondus dentibus elevatur.* Hæc Glossator [Ludo, *Kayron*, prætermisso] de ludis à Justiniano Imperatore inventis, & concessis, qui quamvis ad solam industriam, & fortitudinem corporis pertineant, in eis tamen ultrà Solidum, vel Aureum ludere non permittit, etiam si ludentes ditissimi forent.

Comombelon, Comondiaulomolon Rhindalca, Ecperusan.

Quoniam verò quinque ludorum genera à Justiniano concessa, ab ipsâ sorte, aut fortunâ sunt aliena, illa à sola corporis fortitudine, ingeniique arte, sive humanâ industriâ, ut etiam Glossator ostendit, dependere

re dicamus, oportet, cujusmodi etiam sunt ludi Latrunculorum, Pilæ, ac Trochi, idque genus alii. Alearum itaque ludum à Justiniano Imperatore Civili Lege vetitum fuisse, ac lucrum in eo factum restituendũ esse constat, ut infrà, & fusiùs quidem ostendemus.

Vide infra in Quæsito 2.

Alearum ludus Canonicâ Lege, atque Conciliis vetitus.

ISTuc ipsum Canonicâ lege, sed pœnis præscriptis factum reperitur *in prima Decreti parte dist.35. cap.1. ex Apostolorum canone 43.* desumptum hisce verbis: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, Aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur, ideſt, deponatur ab officio, vel beneficio; vel suspendatur ab usu Ordinis Sacri, ut Glossator interpretatur. Similiter* [*inquit*] *Clerici, & Laici si permanserint in Alea, Communione priventur, hoc est, excommunicentur.*

Decret. par. 1. Dist. 35. c. 1.

Nota verbũ, deponatur.

Communionis privatio est excommunicatio.

In libro item Canonum Sanctorum Apostolorum à Græca Lingua in Latinam translato à Gentiano Herveto, ac Theodori Balsamonis Patriarchæ Antiocheni Commentariis explicato, hæc in Canone quadragesimo secundo leguntur: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus aleis, ebrietatibus vacans; vel cesset, vel deponatur.*

Can. 42.

In Canone quadragesimo tertio ita legitur: *Hypodiaconus* [hoc est Subdiaconus] *vel Lector, vel Cantor similia faciens, vel cesset, vel segregetur. Itidem, & Laicus; Ideſt, eodem modo Laicus.* Idem legitur *in prima Decreti parte dist.35. cap.1.* hisce verbis: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, Aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur; Similiter etiam Laicus.*

Can. 43.

Segregetur, ideſt, excommunione privetur. Decr. part. 1. Dist. 35. c. 1.

Idem quoque de Aleis sub iisdem ferè verbis vetitum reperitur *in sexta Synodo generali, ac tertiâ Constantinopolitanâ*, in qua hæc leguntur verba: *Nullum omninò, sive Clericum, sive Laicum ab hoc deinceps tempore Aleâ ludere deceat: si quis autem hoc deinceps facere ab hoc tempore aggressus fuerit, si sit quidèm Clericus deponatur, hoc est, ab officio, vel beneficio; si Laicus segregetur*; ideſt, *excommunicetur.*

Synod. 6. Cõstantinopolitana 3. can. 50. 3. ex vet. & recentioribus impressis.

Segregetur, ideſt, excommunicetur.

In Concilio Elibertino Provinciali circà tempora Silvestri Papæ Primi, & Nicæni Concilii celebrato, *cap.79.* ita legitur: *Si quis fidelis Aleâ, ideſt, Tabulâ luserit, placuit, eum abstinere; & si emendatus cessaverit, post annum poterit communione conciliari.*

Concilium Elibertinum. Tom. 1.

In Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio *cap.16. & in lib.3. Decretalium* hæc leguntur: *Ad Aleas, vel Taxillos Clerici non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.*

Tridentina item Synodus, quæ sub Paulo Tertio Anno Christi Dom. 1542. inchoata, sub Julio Tertio continuata, ac denique sub Pio Quarto absoluta fuit, *in sessione vigesima secunda cap.1. de Reformatione*, dum de vetito Alearum ludo, necnon de rebus, quæ viris Ecclesiasticis prohibitæ sunt, sermonem habet, in hanc loquitur verborum formam: *Statuit sancta Synodus, ut quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à Sacris Conciliis de Clericorum vitâ, honestate, cultu, doctrinâque retinendâ, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, Aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon secularibus negotiis fugiendis copiosè, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur; nec appellatio exequutionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinent, suspendat. Si qua verò ex his in desuetudinem abiisse compererit, ea quàm primum in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeat, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque; ne subditorum neglectæ emendationis ipse condignas, DEO vindice, pœnas persolvat.*

Concil. Tridentinum sess. 22. c. 1. de Reform.

Summorum Pontificum, & Conciliorũ Decreta confirmantur.

Decreta desuetà in usũ revocanda sunt.

Hæc dicto in loco Tridentina Synodus, quæ confirmat illa omnia, quæ à Summis Pontificibus, & á Sacris Conciliis olim sancita fuerunt circà Clericorum reformationem, præsertìm verò circà vetitos Alearum ludos, dum illa omnia olim sancita sub iisdem, vel etiam majoribus pœnis, Ordinarii arbitrio imponendis, observanda omninò esse decernit; ita verò, ut si qua ex illis in desuetudinem abiisse Ordinarius inveniat, ea quàm primum in usum revocare diligenter studeat absque ulla interpellatione, nullà, scilicet, appellatione admissà, quæ ipsam exequutionem impedire queat, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque. Quamvìs enim hujus generis consuetudo, quæ potiùs corruptela, quàm consuetudo vocitari debet, à Superioribus recenter non prohibita, à pœna temporali excusaret, à pœna tamen gehennali non excusat, tùm propter prohibitionem antiquitùs factam, tùm etiam ob tanta mala, & scelera, quæ ex tali corruptela nascuntur.

Tridentina Synodus.

Consuetudo ludendi non excusat à pœna gehennali.

In Concilio Mediolanensi Provinciali, quod tempore Pii IV. S. Carolus Borromæus, tunc S.R.E. Presbyter Cardinalis Tit. Sanctæ Praxedis, & Legatus ad universam Italiam, necnon Archiepiscopus Mediolani Anno Domini 1565. celebravit; Principes, & Magistratus commonentur, ut Alearum, ac Taxillorum ludos prohibeãt. Hinc post multa à finibus eorundem propellenda de Alearum, ac Taxillorum ludis prohibendis, & expellendis loquitur in hæc verba: *Et quoniam usu compertum est, ex Aleæ ludo sæpè furta, rapinas, fraudes, blasphemias, aliaque id genus flagitia proficisci, prohibeant Taxillis, aut Aleâ ludi; & graviter in publicos Aleatores, & in eos, qui hujusmodi ludis intersunt, quive domum ad recipiendos ludentes expositam habent, animadvertant.* Hæc dicto in Concilio de Taxillorum, & Alearum, sive Chartarum ludis ad Principes, & Magistratus. Quæ cum ita sese habeant contrà Laicos Aleatores, multò magis intelligenda sunt contrà Clericos, & alios Viros Ecclesiasticos, qui, vel dictis ludis operam navant, vel intersunt, cum tot flagitia, & calamitates ex iis oriantur.

Concil. Mediolanense. in tom. 4. Coloniæ impresso Anno Domini 1606. pag. 907.

Alias, atque.

Animadvertant, ideſt puniant.

In Concilio denique *Aquilejensi*, quod tempore Clementis Papæ Octavi Anno Domini 1596. celebratum fuit, Taxillorum, & Alea-

Concil. Aquilejense 1. in tom. 4. Coloniæ impresso

Anno Domini 1596. pag. 1098.

Alearum ludi, præsertim verò Clericis, eorumdem lusorum calamitatibus, & flagitiis enarratis, & pensitatis, verbis hisce omninò prohibentur: *Alearum, & Taxillorum usum, quo tempus miserâ jucunditate teritur, Clericis omnibus inhibemus: multò verò gravius, si non modò luserint ipsi, sed aliis ludendi potestatem fecerint, parato loco, & domestico diverticulo. Episcoporum verò vigilantiâ, & prudentiâ, edictis, ac pœnis propositis, opportunum erit remedium adhibendum, ut pestis avertatur, qua miserorum facultates suavi morbo exhauriuntur, blasphemiæ, & rerum desperationes excitantur; cupiditatum intemperantiorum, & fraudum oblectamenta aluntur, denique ipsa DEI Clementia assiduè offenditur: qui tantò periculosior morbus est, quantò ardentiùs interdùm animos Clericorum occupat, & Ecclesiasticas opes.* Hæc dicto in Concilio. Nunc reliquum est, ut videamus, quid à Scriptoribus Sanctis, & aliis hac de re scriptum reperiatur.

Scriptores Sancti, & alii contrà Ludum Alearum.

S. Cypr. tom. 3. pag. 492. in arg. Tractat.

DE Alea, & Aleatoribus loquitur Sanctus Cyprianus Episcopus Carthaginensis, & Martyr, multisque argumentis, Aleæ ludum pulchrè impugnat, & Christiano homine minimè dignum, ex eo probat, quod Diaboli cùm Idololatriâ institutum sit, multòque magis in Presbyteris vituperandum. Et post multa inter alia mala *in Tractatu* de Aleatoribus, hæc recenset dicens: *Alea est, quam lex odit: Alea est, quam sequitur crimen ignobile, ubi manifesta tentatio, & pœna occulta. Alea est Alveus mali, & supplantatio amici, quæ nec lucrum confert, sed totum consumit. Hinc deindè pauperes fiunt, hinc opes suas perdunt, hinc jam consumptis omnibus suis mutuis pecuniis se subruunt. Hinc patrimonium sine villâ fori calumniâ amittunt.* Et infrà *Aleâ ne luseris, ubi lusus nocivus est, & crimen mortale; ubi dementia sine consideratione; ubi nulla veritas, sed mendaciorum mandra.* Hæc Sanctus Cyprianus in Tractatu de Aleatoribus.

Vide infra in Epilogo, & Conclusione. Diaboli institutum.

Alea est alveus mali.

Mortale crimen est Aleæ ludus.

Mendaciorum mandra.

Sanctus item Basilius Magnus *de Tesseris, & Aleis*, ita loquitur: *Iuramamenta sunt in Tesseris, & Aleis, contentioneque pergraves, & avaritiæ partus. Spiritus malignus assilit, furorem punctis ossibus illis ludentium, insaniasque accedens, eas dem ille pecunias nunc ad hunc, nunc ad alterum transfert. Atquè modò hunc victoria effert, illum victum mœstitia premit: modò contrà, illum elatum, hunc demissum ostendit.* Hæc Sanctus Basilius de Tesserarum, Alearumque ludis.

S. Basilius in Homilia 8. Hexaemeron.

Beatus deniquè Maximus, ut Clictoveus de vera nobilitate ait, postquàm ad mentem rediit saniorem, nihil magis, quàm sese Aleâ lusisse deplorabat. Ut autem multa uno fere verbo complectamur; omnia Jura divina, & humana ludos Alearum mirum in modum execrantur.

B. Maximus in Clictoneo.

Sanctus Raymundus de Peniafort Ordinis Prædicatorum, diffusè scripsit contrà Ludum Alearum vetitum, ut infrà in primo videbimus Quæsito, in quo multa, & scitu quidèm digna enarrantur.

Vide infra in Quæsito 1.

S. Isidorus Episcopus Hispanienſis *lib. 19. Etymologiarum cap. 64.* ita de Aleę ludo inquit: *Ab hac arte fraus, & mendacium: atque perjurium numquam abest: postremò, & odium, & damna rerum. Undè, & aliquando propter hæc scelera interdicta legibus fuit.*

S. Isidorus lib. 18. c. 64. Notandum.

Joannes item Saresberiensis, & Episcopus Carnotensis in libro, qui inscribitur *Polycraticus, vel de Nugis Curialium, & vestigiis Philosophorum*, dum *in primo libro cap. 5. de usu, & abusu Alearum* loquitur, eum multorum malorum esse causam affirmat in hanc verborum formam: *Quis enim non erubescat, si sortis suæ gratiam non virtuti debeat, sed Taxillis? Quis fritilli cautelam suæ prudentiæ non doleat anteferri? Nonnè satis improbata est cujusque artis exercitatio, qua quantò quisque doctior, tantò nequior? Aleator quidèm omnis hic est; Mendaciorum siquidèm, & perjuriorum mater est Alea, & ex aliena concupiscentia, sua prodigit, nullam habens Patrimonii reverentiam; cum illud effuderit, sensim in furta delabitur, & rapinas.* Hæc Joannes Saresberiensis.

Io. Saresber. lib. 1. c. 5.

Notandum.

Alea est mendaciorum, & perjuriorum mater.

Alias, dilabitur.

Hisce igitur de causis, hoc est, sub relatis malis circumstantiis hujus generis Ludi, sortem, aut fortunam sibi vendicantes, evitandi omninò sunt, ac detestandi, tàm à Laicis, quàm à Clericis, hoc est, aliquo Clericali ordine insignitis, præsertim verò ab iis, qui aliquod Beneficium Ecclesiasticum habent. Hi enim Ludis operam dantes, reditus in usum pium dicatos, in usum prophanum, & vetitum quidèm convertunt. Dicendum est ergò cum Catone: *Aleas fuge*, hoc est, Ludum omnem fortunæ damnosum, in quo pecunia perditur, visus caligatur, cupiditas excitatur, iracundia provocatur, homicidium perpetratur, sicut ex iis, quæ à nobis hucusque scripta sunt, & scribentur, juxtà horrendorum eventuum exempla, quæ ex ludis Alearum suborta fuerunt, ut infrà videre licet:

Catonis dictum.

Exempla horrendorum eventuum ex ludis Alearum suborta.

HInc interdùm Alearum lusores ob deperditam pecuniam post horrendas blasphemias, adducti fuerunt, ut sacras Imagines etiam blasphemando percusserint, nonnullique violentam mortem fuerint consecuti. Hujusce desperationis, & impietatis exempla diversis in locis evenisse constat.

Romæ namque Porticus erat ad eam partem, in qua nunc est Ecclesia, quæ *Sancta Maria de Pace* nuncupatur. In eâdem Porticu, muro picta extabat Sacra Beatæ Mariæ semper Virginis Imago, quæ à quodam Aleatore, pecuniâ in Aleæ ludo deperditâ, post blasphemias horrendas, ac Dæmonis invocationem, quater saxo percussa, ter, videlicèt, in facie, ac semel in pectore, sanguinem ex iisdem locis emisit, ut in eâdem cernitur Imagine, quæ asservatur dicta in Ecclesia, olim

Ecclesia Sanctæ Mariæ de Pace.

sub

ſub nomine Parochialis Eccleſiæ S. Andreæ, antè, ſcilicèt, innovationem, & amplificationem, vocitatâ, quam Sixtus Quartus mandavit ædificandam, & Beatæ Mariæ ſemper Virgini, quæ priùs *Sancta Maria virtutum*, vel *de virtutibus*, vocitabatur; ob pacem multis Principibus tunc temporis, DEI Genitricis interceſſione impetratam, ſub nomine *Pacis* dedicavit, & curæ Canonicorum Regularium Lateranenſium, Ordinis S. Patris Auguſtini commendavit, ſive commiſit, ſicut legitur in Diplomate ipſius, qui dictam Imaginem tranſtulit in eamdem Eccleſiam, in qua Innocentius Octavus Altare majus dictæ Imagini cum ornamento ejuſdem conſtruendum curavit; & ſuper ipſum Altare Tabulam marmoream, quam vulgò *Conam* vocant, antè hominum conſpectum erigendam quoque mandavit, intrà quam dicta Imago, lateritio muro picta, ejuſdem Innocentii juſſu repoſita fuit cum Inſcriptione, quæ infrà legitur hiſce verbis.

Sixtus IV. Eccleſiæ fundator.

Innocentius VIII.

PERPETUÆ VIRGINI GENITRICI
DEI MARIÆ
SALUTIS PONTIFICIÆ RESTITUTÆ
AUCTORI
INNOCENTIUS VIII. PONT. MAX.
EX DEVOTIONE POSUIT.

Nunc verò dicta Inſcriptio aſſervatur in Altare Sanctæ Crucis. Anno denique humanæ ſalutis 1614. in ejuſdem Eccleſiæ amplificatione novum, & præcipuum quidem ædificatum eſt ſacellum, vel, ut ajunt, conſtructa eſt Cappella, pulchris, & ſacris Imaginibus, lapidibuſque pretioſis ornata, in qua majus conſtructum eſt Altare, lapidibus item pretioſis ditatum, in quo tandem repoſita eſt dicta Imago lateritio muro picta. Ad ejuſdem autem Cappellæ partem lævam nova inſcriptio Lydio lapide, ſive Paragonio, in quo aureum, & argentum examinari ſolent, extant inciſa, quæ infrà legitur de tranſlatione Imaginis in hanc verborum formam.

PAULI V. PONTIFICIS OPTIMI MAX.
AUCTORITATE
GASPAR RIVALDUS ROMANUS
SACRAM DEI GENITRICIS IMAGINEM
INDE TRANSLATAM
UBI INNOCENTIUS VIII. PONT. MAX.
SALUTIS SIBI RESTITUTÆ AUCTORI
POSUERAT IN LOCO
MAGNIFICENTIUS
ORNATO COLLOCAVIT
DIE II. JULII M.DC.XIV.

Lucæ item Civitatis Hetruriæ, vel Tuſciæ propè Turrim Campanariam Eccleſiæ Sancti Patris Auguſtini, Milites olim quidam extabant ludo Alearum operam dantes, quorum unus poſt deperditam pecuniam, totum ſui corporis veſtitum in ludendo amiſit, ita verò, ut nudus remanſerit. Quarè ita vehementer concitatus, ac denique in deſperationem adductus, Deiparam Mariam ſemper Virginem blaſphemando, ejus Imaginem dicto in loco muro pictam, ſaxo percuſſit. Percuſſione ſtatim factâ, terra ſeſe aperuit, & percuſſorem vivum in profundam voraginem delapſum deglutivit. Hujuſce autem voraginis manifeſtum ad hanc uſque diem remanet ſignum, ferreâ tranſennâ, ſive craticulâ, vel triplici cruce ferreâ munitum, ipſiuſque profunditatis experimentum funiculis ætate noſtrâ non ſemel factũ eſſe conſtat: Feles enim, & Canes ad funiculos centum cubitorum alligati, & in illam voraginem dimiſſi, fundo illius voraginis imò non tacto, adulti extracti fuerunt. Cubitus minor ſex palmis, communis ſexdecim; major autem juxtà Vitruvii traditionem triginta ſex palmis conſtat. Quarè magnam voraginis profunditatem eſſe dicas oportet. Hac in re ſilentio prætereundum non videtur miraculum Sacræ Imaginis, quę cùm Filium in ſinu ad dextram geſtaret, ad jactum lapidis à dextra in ſiniſtram Filium tranſtulit, ut Imaginem Filii à jactu lapidis liberaret. Imago autem Matris inter pectus, & brachium dextrum ſaxo percuſſa, ſanguinis quantitatem eſtudit ſatis magnam, cujus pars in illo inſtanti collecta, & intrà vaſculum cryſtallinum magnâ cum veneratione aſſervatur, atque in ultimâ cujuſcumque menſis Dominicâ proceſſionaliter defertur, & Populo etiam oſtendi ſolet; Sed quia dicta Imago ſaxo percuſſa fuit, vulgò, *la Madonna del ſaſſo*, vocitatur.

Aleatoris horrenda miſeria, & deſperatio.

Impia, & inſana percuſſio Aleatoris.

Deiparæ Virginis Miraculum primum.

Cubitus triplex.

Deiparæ Virginis Miraculum ſecundum.

Deiparæ Virginis Miraculum tertium.

Madonna del ſaſſo.

In eâdem quoque Lucenſi Civitate aliud miraculum contrà blaſphemum Aleatorem præſtitum fuit: Anno enim Dom. 1588. Tertio Kalendas Aprilis, quæ eſt trigeſima Menſis Martii, in ambulacro propè portam Burghinam ſito, in quo Milites ad Civitatis cuſtodiam excubare ſolebant; Miles quidam ob pecuniam in Alearum, ſive Talorum, vel Taxillorum ludo deperditam, atque ob talem ludum, blaſphemiæ cauſa ſibi vetitum, ira vehementi correptus, Taxillos, ideſt, Dados manu accepit dextrâ, quaſi eos jacere vellet, horrendamque blaſphemiam in DEUM, ac Deiparam Virginem impuriſſimo evomuit ore, dum torvis oculis Imaginem Deiparæ Virginis, Filium ſinu geſtantem, & muro pictam in eo ambulacro intuebatur. Sed blaſphemiâ illico evomitâ, brachium ejus dextrum inter humerum, ſive ſcapulam, & cubitum miraculosè fractum fuit. Illa enim oſſis fractura vltrò facta in eo præſertim loco non niſi miraculoſa à Medicis, & Chirurgis judicata fuit. Adde etiam, quòd Aleator ille blaſphemus poſt ſanitatem contrà opinionem Medicorum, qui eum curabant, recuperatam, in Civitatem Lucenſem, cuncto Populo ipſum vidente, rediit, eamdemque Imaginem viſitavit; ſed Deiparæ Mariæ ſemper Virginis benignitate le integram brachii ſanitatem recuperaſſe prædicavit. Qua in re commota eſt univerſa Civitas, & ad ſacram Imaginem ſeſe ſtatim contulit, & quotidiè precibus, & luminibus eam venerabatur. Quoniam verò populorum devotio ergà dictam Imaginem in dies augebatur; Militi-

Porta Burghina.

Aleatoris blaſphemi converſio.

Imago Deiparæ Virginis veneratur.

litibus ipsis, unàcum blasphemo Aleatore diligenter, & Canonicè quidem examinatis, reique veritate juxtà narrationem jam factam confirmata, Imago ipsa è muro exstracta, ad Ecclesiam Sancti Petri Majoris Collegiatam, cum universo Clero tàm seculari, quàm regulari cum omnibus item Confraternitatibus, vel Confratriis, non sine apparatu solemnissimo, cuncto Populo veneranter comitante, asportata fuit, & ad Altare majus collocata.

Thomas Cantipratanus libr.2.cap.49. num.9.

Thomas Cantipratanus Ordinis Sancti Dominici, Alberti Magni quondàm Discipulus, & Episcopus Suffraganeus Cameracensis, *in secundo de Apibus mysticis libro* qui etiam *Bonum universale* inscribitur, & sui temporis Exempla comprehendit, narrat Historiam de Iudæo, & Christiano, Tesserarum lusoribus in sacra nocte Paraseves à DEO punitis. Cum enim Judæus dicta in nocte ob multam deperditam pecuniam Christum Dominum blasphemaret, manus ei cum Tesseris fuit contracta. Hinc majori succensus furore, iterum in Christum, & Matrem ejus blasphemiam turpissimam evomisset, versis terribiliter oculis, cecidit, & expiravit: Christianus autem collusor illius, nimio pauore in amentiam versus, elanguit, & miseram dirâ morte vitam finivit. Hæc ex Thoma Cantipratano, qui in quadam Campaniæ Villâ horrendam collusorum mortem eveniisse testatur.

Iudæus, & Christianus collusores à DEO puniti.

Campaniæ Villa.

In Brabantiæ Civitate, Archigymnasio celeberrima, quæ Lovanium appellatur, Christus Dominus in Sancta nocte Paraseves (ut idem Cantipratanus dicto in libro refert) sub forma hominis incogniti, civi cuidam, viro probo, & generoso miserabiliter plagis plenus, & sanguine cruentatus apparens antè quoddam Cellarium in platea situm, dixit, Auctores tantæ suæ læsionis fuisse quosdam, qui in ipso Cellario, dùm Tesseris ludunt, juramentis, & blasphemiis inter se contendunt. Hinc Civis ille Cellarium ingressus, interrogat ludentes, cur hominem ignotum ingressum ad eos tam crudeliter verberassent. Juvenes illi collusores attoniti de tali re, negant aliquem ad illos intrasse, nec ullum ab eis verbo, vel verbere lacessitum fuisse asserentes. Mox illi cùm Cive surgentes, quærunt hominem cruentatum, nec inveniunt. Singuli autem ad se conversi, Christum Dominum juramentis terribilibus, contumeliis, & improperiis rursùm cruciari animadvertunt. Hæc in dicto *de mysticis Apibus libro* Thomas Cantipratanus, qui etiam hanc historiam sub præstito juramento narratam sibi fuisse ab eodem Cive testatur.

Th. Cantipr. lib.2.ubi supnum.10.& in magno speculo exemplorum Dist. 5.Exempl. 103.

Christus Dominus in forma hominis incogniti apparens.

Collusores Christum se verberasse agnoscunt blasphemiis, & improperiis.

Quidam etiam, ut in eodem legitur libro, per ludum Tesserarum spoliatus, vel nudatus, adeò desperatus evasit, ut accepto arcu, sagittam sursùm in aerem jaceret, quasi ipsum Cæli Dominum percussurus. Et mox sagitta reversa ante faciem jacientis, recenti sanguine tincta reperta fuit. Qui mox totus in lacrymas resolutus, Ordinis Prædicatorum fratrem, qui Cantipratano hæc narravit, circà duo milliaria quæsitum invenit, & confessus, vitam suam cum mira pœnitentia, ac devotione correxit.

Tho.Cantipr.lib.2. c.49. num.11.& in magno speculo exempl. 304.dist.5.

In Historia Ecclesiastica Venerabilis Bedæ, ut etiam *in speculo Exemplorum magno* legitur, casus cujusdam recitatur Aleatoris, qui dum Aleis luderet, ac Tesseris, malè sibi cadentibus perderet, quidquid in buccam dementis veniebat, ore furibundo blashemabat, jurando per Sanctissima Christi Domini, & ipsius Matris membra. Blasphemus tandem aliquando cœlesti gladio vulneratus, corruit, abominabilemque animam tartareis ignibus expuit concremandam. Hæc dicta in Historia de blasphemo Aleatore, multisque rebus ad horrendum casum blasphemi explicandum pertinentibus, brevitatis causâ prætermissis. Cæsarius Heisterbachcensis Ordinis Cisterciensis in libro quinto de Miraculis, ætate suâ in Germania factis, multos Dæmones circa Sacerdotem, & Plebanum, sed Aleatorem moribundum apparuisse narrat. Plebanus namque nomine Adolphus, vir (Cæsario Teste) valdè secularis, & lubricus, dum Aleis ludebat, ad audiendam confessionem cujusdam moribundæ Mulieris, & ad eam communicandam instantissimè cum lacrymis à Filio illius accersitus, non nisi ludo expleto, se iturum respondit; hinc illa moribunda sine confessione, necnon sine viatico ab hac luce migravit. Plebanus autem postridiè, vel post tertium diem in peremptoriam incidit ægrotationem, in qua dum ad invocandum DEUM, ut peccata sibi dimitteret, spatio fructuosæ pœnitentiæ concesso, suadetur, ita desperatus respondit: *Vides horreum illud magnum nobis appositum? Non sunt in ejus tecto tot calami, quot sunt circà me Dæmones congregati. Hoc dicto, mox agonizans expiravit, eos videns adesse morituro, quorum consilio vixerat sanus.* Hæc ex Cæsario *in quinto de Miraculis libro, capite octavo.*

Magnum speculũ exempl. Dist.3.Exempl.43.

Cæsarius lib. 5.cap.8. & in Specul. Exẽpl. magno Dist.6.Exempl.56.

Plebani moribundi visio.

In Saxoniæ partibus, ut refert Silvanus Razzius, Monachus Camaldulensis, in libro de Miraculis Deiparæ Mariæ semper Virginis, Aleator quidam, cùm pecuniam in Alearum ludo deperderet, horrendas, & inauditas quidèm blasphemias contrà Sancta Christi Domini, & Salvatoris nostri membra, tàm extrinseca, quam intrinseca vomitabat. Istuc etiam ipsum inenarrabili sanè rabie, atque crudelitate contrà Christi Domini Matrem fecit. Qua re astantes, ne ampliùs tot impias, ac nefandas, turpesque blasphemias audirent, suas obturabant aures, pectusque percutiendo in fugam se dabant. Blasphemator autem tandèm aliquando inter blasphemandum ictu invisibili percussus, ac vulneratus, dixit: *O me miserum, quis me vulneravit, & interfecit? Et ita vulneratus cecidit in terram. Denique hàc, vel illàc, vitam cum morte commutavit. Deindè ipse spoliatus, magnum in dorso vulnus habere inventus fuit: vulnus autem adeò profundum erat, quòd acutâ securi, aut bipenni factum videbatur: ob magnum vamque hiatum, sive ob magnam, ut ita dicam, aperturam, omnia intestina, sive interiora cernebantur.* Hæc ex Silvano Razzio.

Silvanus Razzius lib.1.Miracul.32.

Blasphematoris interitus.

Anno

Jo: Ant. Summontus to. 2. Hist. Neap. pag. 267.

Anno Domini 1514. Neapoli in Xenodochio, sive Hospitali Sancti Eligii majoris, reperitur Ecclesia, in qua extat perantiqua, & devota Imago Deiparæ Mariæ Semper Virginis, muro picta, quæ *Sancta Maria Misericordiæ* vocitatur: Hæc autem Imago in facie uulnerata cernitur. Nam, ut in Tabula quadam satis antiqua propè dictam Imaginem affixa legitur, cùm impius quidam Aleator, post magnam pecuniarum quantitatem in Alearum ludo, sive in Chartis lusoriis deperditam, temerè, atque impiissimè quidèm blasphemaret, ob horrendas blasphemias ab impurissimo evomitas ore, reprehensus, in rabidam, & insanam accensus iram, in Ecclesiam illam ingressus, devotæ Imaginis faciem ense suo vulneravit, atque sex inflixit vulnera, ex quibus illicò sanguis effluxit, ut in eâdem Imagine ad hanc usque diem videre licèt. Aleator deindè ille navim ascendit, & è portu Neapolitano, patriam suam Florentiam sese transfert. Dum verò Civitatem ingrediebatur, statim deprehensus fuit, & in Carcerem conjectus, quatenùs homicida: Nam in ejus ingressu inventus fuit in via homo quidam occisus, qui ab eo interfectus judicabatur. Ille autem dicti homicidii omninò ignarus, & in fune suspensus, & examinatus, in ipso cruciatu, sive in ipsa tortura, se se commendavit Deiparæ Mariæ semper Virgini, quæ cum iisdem vulneribus ei apparuit. Hinc Aleator ille in fune suspensus, & suæ impietatis memor, hanc solam contrà sacram Imaginem Neapoli se perpetrasse aperte confessus est; & propter illam solam, & horrendam quidèm impietatem decollatus fuit. Hæc ex Jo: Antonio Summonto.

Aleator Florentinus.

Aleator decollatus.

In eâdem Civitate Neapoli Anno Domini 1522. sicut incolæ Civitatis quantùm ad tempus ex traditione affirmant, Aleatores nonnulli vasa quædam argentea furati, in Choro Ecclesiæ Sancti Laurentii Ordinis Fratrum Sancti Francisci eadem vasa inter se diviserunt, & ibidem Alearum ludo operam dederunt, quorum unus ob totam suam partem in ludendo deperditam, in rabidam iram dementer accensus, Imaginem Christi Domini (qui nudus, & muro pictus cernitur, & *Ecce Homo*, vocitatur) infrà vulnus, quod in Cruce ad latus dextrum à Longino acceperat, pugione suo vulneravit, undè sanguis illicò abundanter effluxit. Sed quia Imago illa manibus ligatis repræsentabatur, illo ictu statim dato, manum dextram ad latus infra vulnus admovit, atque ita Imago ipsa ad hanc usque diem stare cernitur, Quarè dictus Aleator impius, ac demens, carceri mancipatus fuit, & patibulo suspensus, vel affixus, in illo ex hac vita decessit.

Anno Domini 1522.

Anno Domini 1382. die 17. mensis Januarii in quodam Diœcesis Florentinæ Castro, quod Latinè *Emporium*, & uulgò *Empoli* vocitatur, duo Stipendiarii simul ad Taxillos ludebant, quorum alter, totâ pecuniâ in colludendo deperditâ, Grosso uno monetæ Pisanæ argenteo excepto, in quo Deiparæ semper Virginis Imago sculpta erat, post horrendas blasphemias in Christum Dominum, & Matrem ejus evomitas, gladio suo Imaginem Beatæ Mariæ semper Virginis in Grosso illo sculptam circà pectus percussit, ex quo statim sanguis in omnium stuporem effluxit. Monetâ itaque illâ cruentatâ ad fratrem Onuphrium Ostecutum, Episcopum Florentinum delatâ, necnon Historia tanti sceleris, tantique miraculi enarratâ, Episcopus in Dominica V. Quadragesimæ, quæ de Passione nuncupatur, Monetam illam cruentatam ad Ecclesiam Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini solemni processione detulit, & in Reliquiario semper asservandam præcepit. Deindè, ne tanti beneficii memoria deleretur, sed Christi Fidelium devotio in dies augeretur, Episcopus ipse verè pœnitentibus, & confessis, qui in Dominica de Passione, & in omnibus Festivitatibus Beatæ Mariæ semper Virginis singulo quoque Anno dictam Reliquiam venerandam visitaverint, Indulgentiam quadraginta dierum de injuncta eis pœnitentia concessit. Hæc ex eodem Fratre Onuphrio Ostecuto Florentino Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini, & Episcopo Florentino, qui omnibus hisce de rebus per literas publicè datas loquutus fuit, dum dictam Indulgentiam concessit, ac promulgavit: Literæ verò patentes omnibus hisce de rebus conscriptæ in eâdem Ecclesiâ Florentiæ asservantur.

Moneta miraculosè cruentata.

Episcop. Florentinus.

Moneta miraculosè cruentata.

Indulg. quadraginta dierum.

Mediolani circà Annum Dom. 1542. Massatius quidam Vigonzonus in die Annunciationis Beatæ Mariæ semper Virginis Festo, propè Sancti Satyri Ecclesiam, Alearum ludo, sive Chartis lusoriis operam dedit; & in illo ludo non solùm totam pecuniam, sed omnes item pannos, quibus erat indutus, amisit. Hinc rabidâ, & insanâ accensus irâ, necnon in desperationem adductus, dictamque Ecclesiam ingressus, guttur Imaginis Christi Domini, quem Deipara Maria semper Virgo muro Cœmeterii Ecclesiæ picta in sinu gestare cernitur, suo percussit gladio, quo ex vulnere magna sanguinis quantitas effluxit. Massatius itaque percussor sanguine illo cruentatus, ac tanto miraculo commotus, lacrymando mirum in modum exclamavit, ad cujus clamorem illùc permulti cucurrerunt, & magnam illam sanguinis effluentiam viderunt. Quarè hujus generis miraculum per totam illicò Civitatem, ejusque Provinciam divulgatum fuit, ita verò, ut ad eumdem locum gentes undiquè confluerent, secum non solùm pecunias, verùm etiam gemmas in auro, & argento, necnon torques, annulos, ac vestes deferendo pro Eleemosynis ob gratias à Deipara Maria semper Virgine, & à Christo Domino ejus Filio ipsis collatas. Hinc temporis progressu ex dictis eleemosynis tanta pecuniarum copia redacta denique fuit, ut ex illis Ecclesia, quæ nunc extat juxtà archetypum, seu formam à Bramante Architecto, & Pictore tunc temporis in Italia insigniori, præsertim consensu Ludovici Sfortiæ Ducis fuerit ædificata. Imago deindè illa Deiparæ semper Virginis muro picta in sinu gestantis

Med. 1542.

Imago picta sanguinem emittit.

Populorum devotio.

Bramans Architectus, & Pictor.

Ludovicus Sfortia Dux.

Filium, & in gutture vulneratum gladio, translata fuit in Ecclesiam novam, & in ejus majori Altare collocata fuit, ubi nunc extare cernitur. Massatius autem, percussor Imaginis, tantâ suâ insaniâ, & impietate adeò condoluit, ut gravi pœniteutiâ quatuor, & ampliùs annis peractâ, habitum Religionis Monasticum Sancti Ambrosii susceperit, & in eo magnâ vitæ Sanctitate vivens, multa futura prædixerit. Gladius verò, cum quo dictam Imaginem vulneravit, in sacrario illius Ecclesiæ, ad perpetuam tanti miraculi memoriam asservatur.

Gladius asservatur.

In illâ Italiæ Regione fertilissimâ, quæ *Campania* vocitatur, dùm Regio ipsa bello vexaretur tempore Pauli Tertii Miles quidam Chartis lusoriis in platea Genestani, vel Genazzani operam dabat; Hic denique ob totam deperditam pecuniam, quam habebat, horridas blasphemias in Deum, & in Dei Matrem eructabat, & ita blasphemando Ecclesiam Deiparæ Mariæ semper Virgini dicatam, & à Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini cultam ingressus, Christum Dominum, ad Altare Cruci affixum, ense suo in fronte, in utero, & in cruribus vulneravit, non sine magna sanguinis effusione.

Genestanum, vel Genazzanum.

Blasphemator autem ille, ac Sacræ Imaginis percussor, statim ab aliis Militibus fuit interfectus, ejusque corpus in frusta redactum; ense statim valdè, & miraculosè quidem recurvato, sed ita, ut non sine magnâ difficultate, nec sine magno temporis intervallo ab artifice eum in modum fieri posset ensis ille, qui ad tantæ impietatis Aleatoris, & ad tanti miraculi memoriam ad hanc usque diem prope Sacram Imaginem asservatur.

Blasphemator a Militibus interficitur.

Ensis asservatur.

Sexcenta denique in diversis Mundi partibus hujus generis inveniuntur exempla, quę infelicium Aleatorum insanabilem cupiditatem, & insaniam; flagitia magna, & desperationes, horrendas item in Deum, & in Sanctos blasphemias, post Dæmonem invocatum, post mendacia, post rapinas, & fraudes factas, necnon sacrarum Imaginum vulnerationes, vel percussiones, post pecunias, & res omnes deperditas, ipsorumque tandem aliquando Aleatorum occisiones, & aditum infernalem repræsentant. Sed brevitatis causâ de hujus generis exemplis, hæc dicta sufficiant, ut etiam à Christifidelibus Alearum ludum jure vetitum fuisse ob malas circumstantias, quæ peccatum mortale, & quidem grave faciunt, ostendamus, quidque de ipso ludo, quantùm ad peccatum à Doctoribus sanctis, & aliis fuerit decretum; necnon quid de lucro perperam, & diabolicè facto in eodem ludo, faciendum sit, explicemus.

Alearum ludus quid contineat.

Peccatum mortale in ludo factum.

Lucrum in ludo factum.

Hujus igitur generis ludi omnes, Alearum, scilicèt, vel Chartarum, Tabularumque propter Taxillos, vel Talorum, sive Taxillorum vetiti leguntur, quippè qui tot vitia, & horrenda mala parturiunt, quatenùs majori ex parte, & quasi omninò in sorte, aut fortunâ versantur: cujusmodi non est Latrunculorum ludus, vulgò *Scacchi* vocitati, qui quatenùs magnam industriam, magnamque ingenii vim postulant, honesti dicuntur, & licitè ab omnibus non solùm Laicis, verùm etiam ab omnibus Clericis, ac Religiosis, & Monachis animi recreandi gratiâ interdum exerceri possunt. De his autem ad hujusce Commentarii calcem plura dicemus.

Tabulæ dicuntur etiam Orbiculi. Tesseræ, Cubi, Taxilli, & Tali idem sunt qui vulgò dicuntur Dadi.

Latrunculi sunt, qui vulgò dicuntur Scacchi.

Quod autem Alearum præsertim ludus non nisi sortem, aut fortunam admittat, ex eo constat, quod vox ipsa Alea a probatissimis Auctoribus pro fortuna, & eventu sumi consuevit. Hinc Cicero à Plinio prædicatur extrà omnem ingentii Aleam positus, idest, extra omnem sortem, & eventum ingenii. Apulejus item *in libro 4. Metamorphoseon* hoc scriptum reliquit: *Ancipitis* (inquit) *machinæ subit Aleam, hoc est fortunam, & dubium eventum*. Alearum igitur ludus, & id genus alii ob sortem, aut fortunam in eis omninò dominantem ob turpe lucrum, ob infamiam, necnon propter blasphemiarum, & perjuriorum pericula, honestæ ac sanctæ vitæ adversantia, atque abhorrendissimos eventus, & ob certa denique damna, quæ indè proveniunt, tam Civilibus, quàm Canonicis Legibus, non solùm apud Christicolas, verùm etiam apud Ethnicos vetiti undequàque inveniuntur, ad Aleatorum insaniam, & calamitatem propulsandam.

Plinius in Præfatione suæ hist. naturalis.

Apulejus lib. 4. Metamorphoseon.

De Insania, & Calamitate Aleatorum.

INsania profectò admiranda, & penè incredibilis, de quibusdam Alearum lusoribus in Germania esse narratur. Dicti enim Lusores postquàm omnia sua in Alearum ludo amiserunt, suam vendunt libertatem, immò seipsos, ut in Libello *de moribus Germaniæ* Cornelius Tacitus affirmat hisce verbis: *Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent, tantâ lucrandi, perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo, ac noviſſimo jactu de libertate, & de corpore contendant. Victus, voluntariam servitutem adit. Quamvis junior, quamvis robustior alligari, ac vænire patitur.* Hęc de postrema Aleatorum calamitate, omnium miseriarum maximâ.

Cornelius Tacitus.

Vænire, idest vendi.

Sanctus Ambrosius *in cap. Tobiæ 11.* diabolicum Aleæ studium Hunnis Pannoniæ Populis [quos nunc fortasse paucis immutatis literis, *Hungaros* vocitamus] adscribit. Hic enim sanctus Doctor, postquàm usuram ab Aleatoribus extortam, & inviolabilem Aleæ legem, cui subiiciuntur etiam ferocissimi homines, descripsit, & mirum in modum detestatus est, dictosque Hunnos absque legibus viventes, Aleæ solius legibus obedire narravit, insaniam eorumdem (qui per vnum jactum libertatem, immò vitam denique suam potestati Aleatoris vincentis addicere solent (ostendit hisce verbis: *Frequenter* (post multa inquit) *tanto ardore rapitur Aleator, ut cum ea (quæ sola magni æstimant) victus arma tradiderit, ad unum Aleæ jactum, suam vitam potestati, vel victoris, vel fœneratoris addicat. Denique constitit, quòd quidam eorum, & Imperatori Romano cognitus, in fide pretium servitutis, quam sibi tali sorte superatus intulerat, suppliciis impe-*

S. Ambrosius in c. 11. Tobiæ tom. 2.

Hungarorum insania.

S. Ambr. ubi supra.

Addicere est vendere plus offerenti.

Addicat: Nam addicere est vendere plus offerenti.

imperatæ mortis exolverit. Hæc Sanctus Doctor Ambrosius de hujus generis Aleatorum Hungariæ olim infamia.

Hisce igitur de causis enarratis, pernicioſum, infamem, ac mortiferum, diabolicum, atque deteſtandum Alearum ludum cum aliis omnibus ludis in eo comprehenſis, in quibus fortuna cum tot enarratis malis dominatur, tàm Civilibus, quam Canonicis Legibus: non ſolùm à Chriſtifidelibus in ſacroſantis Conciliis, verùm etiam ab Ethnicis, & jure quidèm vetitum eſſe conſtat.

Vide de ludo ab Ethnicis vetito.

Nunc autem reliquum eſt, ut duo quæſita ad Ludos vetitos pertinentia explicemus.

Primò, ſcilicet, *an ludus Alearis*, quem alii peſtem, alii verò diabolicum Ludum appellant, *ſit peccatum mortale*. Secundò *quomodo, & quando lucrum, in Ludo tali factum, reſtitui debeat*.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quonam modo Ludus Alearis ſit mortale peccatum.

ALearum, ſive Chartarum Ludus, & id genus alii, in quibus magis fortuna, quàm induſtria dominatur, ob ingentem multitudinem malorum, & peccatorum, quæ ex illis naſcuntur, tàm Civilibus, quàm Canonicis Legibus, & Conciliis, tàm ab Ethnicis, quàm à Chriſtifidelibus vetiti ſub pœnis fuerunt, ſicut ex iis, quæ hucusque in medium allata ſunt, ſatis conſtat. Propterea dictus Alearum, vel Chartarum Ludus, necnon Tabulæ, vel Orbiculi, Teſſeræ, vel Taxilli, ac Tali, vulgò *Dadi* vocitati, in quibus magis fortuna, quàm induſtria dominatur, ſine peccato mortali, ut ait Gregorius Sayrus, exerceri non poſſunt, dum verâ, & notabili lucrandi aviditate, ex qua oriuntur tot mala jam enarrata, luditur, ut infrà oſtendetur rationibus, & inſigniorum Auctorum ſcriptis.

Alearum nomina.

Greg. Sayrus lib. 11. cap. 12. num. 4.

Gabriel Biel Theologus, & egregiè doctus *in 4. Sententiarum libro diſt. 15. quæſt. 13. art. 2. concluſ. 3.* iſtucipſum confirmat dicens: *Ex cupiditate ludens Aleâ, peccat mortaliter, quia Ludit contrà Legem Divinam, Naturalem, & Poſitivam. Contrà Legem Divinam, quia eſt contrà charitatem proximi concupiſcere bona proximi cum damno ejus; & eſt contrà decimum præceptum, quo prohibetur concupiſcentia rei alienæ cum damno proximi. Eſt contrà Legem Naturæ: facit enim alteri, quod ſibi nollet fieri; Eſt etiam contrà Legem poſitivam, ut patet ex dictis.* Hæc Gabriel Biel, qui, cum ludus Aleæ fiat ex tali cupiditate lucrandi, contrà Legem Divinam, Humanam, & Poſitivam mortale peccatum eſſe concludit; dummodò tamen aliqua ex malis circumſtantiis jam relatis interſit.

Gabriel Biel in 4. ſent. diſt. 15. qu. 3. art. 2. Concl. 3.

Aleæ ludus eſt mortale peccatum, quatenus eſt contra Legem divinam naturalem, & poſitivam.

Mortale peccatum.

Sanctus item *Cyprianus*, ut ſuperiùs oſtenſum fuit, Alearum Ludum crimen eſſe mortale affirmat poſt multa mala de ipſo Ludo enarrata.

Sanctus item *Raymundus de Peniafort* Ordinis Prædicatorum, Vir in Divinis Scripturis eruditus, Juris item Canonici notitiâ inſignis, & in Theologia morali ſatis clarus, *in ſecundo ſuæ ſummæ libro*, dum de negotiis ſæcularibus loquitur, & utrum de illicitè acquiſitis eleemoſyna fieri poſſit, ſermonem habet, Aleæ ludum mortale peccatum, & quidem grave poſt multa concludit, dicens: *De ludo Aleæ teneas, quòd illi, qui ludunt ad Aleas, vel Taxillos, vel qui ludo interſunt, vel ſunt participes, vel inſpectores ludi, peccant, & maximè, ſi ſunt Clerici*. Hæc S. Raymundus, ex cujus verbis colligimus, Alearum, vel Taxillorum ludum eſſe peccatum. Deindè propter novem in ipſis ludis conſideranda, magnum peccatum eſſe ait in hæc verba: *Quàm magnum peccatum ſit, patet inter alia ex novem, quæ in talibus ludis attenduntur, ut infrà videre licet*.

S. Raym. lib. 2. §. de illicitè acquiſitis, & Aleatoribus. Clem. VIII canonizatus Anno Domini 1601.

ff. de Aleat. Auth. de Sanct. Epiſc. §. Interdicimus Extr. de Vita, & hon. Cleric. Conſtit. Clerici.

Magnum peccatum.

S. Raym. ut ſupra.

Notanda novem, ex quibus mortale peccatum, & grave quidèm eſſe concluditur à S. Raymundo.

Hæc novem notanda recitantur ab Alexandro de Aleſ. in 4. ſent. qu. 33. membr. 2. art. 5.

1 PRimum eſt, *deſiderium lucrandi*, ecce *cupiditas*, quæ ex Epiſtola S. Pauli prima ad Timotheum cap. 6. eſt radix omnium malorum.

1. Timoth. 6.

2 Secundum eſt, *voluntas ſpoliandi proximum*, ecce *rapina*.

3 Tertium eſt, *uſura maxima*, ſcilicèt, undecim pro duodecim, non ſolùm in anno, vel menſe, ſed in eadem die.

Extr. de exceſſ. Prælat. inter dilectos

4 Quartum eſt, *mendacia multiplicata, & verba otioſa, & vana*.

5 Quintum eſt, *blaſphemia*; ecce hæreſis.

6 Sextum eſt, *corrutio multiplex proximorum*, qui ad ludum inſpiciendum de conſuetudine pravâ conveniunt.

7 Septimum eſt *ſcandalum bonorum*.

8 Octavum eſt, *contemptus prohibitionis* Sanctæ Matris Eccleſiæ.

9 Nonum eſt, *ommiſſio temporis, & bonorum*, quæ in illo tempore tenentur facere.

Hæ novem S. Raymundi conſiderationes, vel hæc notanda recitantur etiam ab Alexandro de Aleſ. *in 4. Sententiarum libro, quæſt. 35. art. 5.* necnon à Guidone de Baypho, vel Bayſio, ſive Bayſo Archidiacono Bononienſi *in prima Decretorum parte diſtinct. 35. cap. Epiſcopus*. Sanctus autem Raymundus, ut ut ait Joannes Trithemius in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, floruit anno Domini 1230. Alexander de Ales 1240. & Guido de Bayphò 1290. Ex his ergò novem conſiderationibus colligimus Alearum, ſive Taxillorum ludum eſſe peccatum. Quòd autem hoc peccatum ſit mortale, S. Raymundus ex verbis Canonum Apoſtolorum demonſtrare ſtudet, dum ex iis colligit prohibitionem eorumdem ludorum, & pœnas contrà ludentes.

Alexand. de Ales, & Guido.

Decret. par. 3. Diſt. 35.

Apoſtolorum Canones, quos S. Raymundus in medium affert, & ſuperiùs item videre eſt, ſunt, qui infrà leguntur.

S. Raym. libr. 2. Summæ §. 11. de illicitè acquiſitis, & Aleatoribus.

EPiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, Aleæ, aut ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor, ſimilia faciens, aut deſinat,

Damnetur, ideſt deponatur ab officio, vel Beneficio, vel ſuſpendatur ab uſu Ordinis ſacri.

finat, aut Communione privetur; similiter, & Laicus.

Canone Apostolorum in medium allato, S. Raymundus ait:

S. Raym. libr. 2. §. de illicitè acquisitis, & Alcatoribus.

ITem nota quatuor verba posita in prædicto Canone, scilicet:

1 2
DESERVIENS, DESINAT,
3 4
DAMNETUR, COMMUNIONE PRIVETUR,

Ex primo, scilicet, DESERVIENS [inquit S. Raymundus] *collige, quòd si non ducit in consuetudinem, non sustinebit pœnam prædictam. Nam verbum deservire hoc in loco,* ut sententiam Sancti Raymundi explicemus, *significat ludentem, dominio ludi, & peccati esse detentum, eique subjectum, ob magnum lucrandi ardorem.*

Ex secundo, scilicet, DESINAT, *colligitur, quòd etiam si duxerit in consuetudinem, debet admoneri, & si admonitus vult cessare, evitabit pœnam prædictam; debet tamen in utroque casu agere pœnitentiam de peccato.*

Ex duobus ultimis, quæ sunt, DAMNETUR, *&* COMMUNIONE PRIVETUR, *colligo quòd tale peccatum sit mortale, & grave, cum tales pœnæ non sint imponendæ pro levi crimine.* 11. *q.* 3. *Nemo, & Nullus.* Hæc Sanctus Raymundus, qui ex pœnis, quas incurrunt Aleatores, eorum peccatum mortale, & grave quidem esse concludit. Nam dicto in Canone per verbum, *Damnetur*, intelligitur pœna Ecclesiasticis viris imposita, quæ est *depositio ab Officio, vel Beneficio.* Per privationem Communionis intelligitur pœna Laicis imposita, quæ est *excommunicatio.* Quod quamvis ita sit; Decreti tamen Glossatori, quem Angelus de Clavasio, & Silvester de Prierio in Summis ajunt esse Hugonem quemdam, assentiendum non videtur dicenti, *Alearum ludum, & alios id genus ludos semper esse mortale peccatum.* Nam, ut superiùs dictum fuit ex Navarri doctrinâ, ludus prædictus non est semper mortale peccatum, præsertim verò, ut idem Navarrus inquit, *dum potiùs honestæ recreationis causâ, quàm lucri, & parvo quidèm tempore luditur; quando, scilicèt, à prandio, vel à cœna luditur causâ solatii, nullius rei pecuniariæ lucro proposito; vel solùm alicujus esculenti, & poculenti, quod bis lucrifactum semel solvatur; vel spirituali lucro precum aliquarum pro vincente à victo dicendarum.* Hæc ex Navarro, qui tamen in eodem *capite* 19. *num.* 3. ait: *Ludus non fit mortalis ex sola circumstantia animi principaliter lucrandi aliquid, etiàm notabile ab eo, qui donare potest, ut probat Cajetanus* in 2. 2. quæst. 168. art. 3., & in verbo, *Ludus*; *Neque etiam ex nimio, & ardenti ludendi appetitu, nisi cùm extenditur ad alicujus Legis* [*quæ obligat ad mortale*] *violationem*; *Qualis est eorum, qui noctes in dies, & dies in noctes vertentes; Missus præceptas omittunt, aut subeunt periculum amissionis bonorum, sine quibus nequeunt substentare uxorem, liberos; ac reliquam Familiam substentandam de præcepto, aut debita statuto tempore solvere &c.* Hæc dicto in loco Navarrus, cujus verba de lucro in Alearum ludis pensitanda sunt, & memoriæ mandanda, quæ priùs recitata fuerunt, quatenùs ejus doctrinæ, ac sententiæ magis consona judicantur. Immò, si inter ludentes aliquod lucrum proponatur, unusquisque memor sit concessionis Justiniani Imperatoris, qui Alearum ludo vetito, permittens quinque genera ludorum, industriâ, & arte magis, quàm fortunâ nitentium, vetat quoque ne præmium magis, quàm unius Solidi, hoc est, Aurei, proponatur vincenti, etiam si multum dives sit. Ecce quomodo ludus Alearum vetitus mortale peccatum esse possit, & quidèm grave, & quomodo sine peccato exerceri queat, præsertim verò ab Ecclesiasticis viris, quibus multò magis, quàm Laicis vetitus esse censetur ob Ecclesiastica præsertim bona, quibus ipsi potiuntur: nam per ludum vetitum, reditus in usum pium dicatos, in prophanum, & vetitum usum convertunt.

Peccatum mortale, & grave ex 11. qu. 3. Nemo, & Nullus.

Damnetur.

Communionis privatio est excommunicatio.

Hugonis opinio confutatur.

Navarrus ubi sup. c. 19. num. 6.

Navarrus cap. 19. n. 3. in Manuale Cõfess.

Cajetan. 2. 2. qu. 168. art. 3.

Quomodo Alearum ludus peccatum mortale possit esse.

Navarrus pag. 12.

Justin. Imperatoris decretum.

Præmium in ludo vincentis est unius tantum Solidi, idest Aurei.

QUÆSITUM SECUNDUM,

Quomodo, & quando Lucrum in Alearum ludo factum, restitui debeat,

JUxtà Doctrinam S. Thomæ Doctoris Angelici, necnon aliorum Doctorum; quando, & quomodo lucrum restituendum sit, scire oportet, Distinctionibus ad hanc rem pertinentibus diligenter consideratis. Nam Sanctus Thomas *in* 2. 2. tribus in Casibus acquisitum, sive lucrum in Alearum ludo factum restituendum esse affirmat.

S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. ad secundum.

1 Primò quando ludens lucratus est, idest suscepit lucrum à victo, qui rem suam alienare non poterat, cujusmodi sunt filiifamilias, qui adhuc sunt in potestate Patris; necnon qui sunt minores viginti quinque annis; Conjux item, Furiosi, & prodigi, & alii consimiles sub Tutoribus existentes. Hoc item intelligendum est de Religiosis, deque Monachis, & Monialibus. Hujus autem generis lucrum acquisitum restitui debet Patribus, Maritis, vel Tutoribus eorumdem, vel eorum Superioribus. De hoc enim lucro eleemosyna fieri non debet, ut ait S. Thomas cum aliis Doctoribus.

Navarr. c. 19. num. 12.

Iodocus Lorichius in Thesauro m. 5. Ludi.

S. Th. ubi sup.

2 Secundò restituendum est lucrum in Alearum ludo factum, quando quis cum aliqua lucratus est fraude: lucrum enim hoc modo factum nuncupatur furtum. De hoc autem lucro, ut ait S. Thomas, eleemosyna fieri non potest, sed ei, qui victus fuit, & amisit, est omninò restituendum.

S. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 7.

3 Tertiò restituendum est lucrum in Alearum ludo factum ab eo, qui ex aviditate lucri, & nimiâ, ut ita dicam, importunitate traxit aliquem nolentem ad ludendum. Hoc autem lucrum restituendum est ei, qui ad ludendum compulsus fuit, vel in principio, vel

in

in medio ludi. De hoc enim lucro eleemosyna fieri non potest. Si autem qui impulit alium ad ludendum, amisit, ei repetitio lucri non competit; & qui compulsus lusit, lucratus est, restituere non tenetur: quia ille, qui amisit, accipere non est dignus; propterea de hoc lucro facto in ludo vetito eleemosyna fieri debet, ut ait S. Thomas *in 2.2. & in 4. Sententiarum dist.15. de eleemosyna art.4. quæst.3.* Istuc ipsum Joannes Azor. *in tertia parte Institutionum moralium*, S. Raymundus, & alii Doctores affirmant.

S. Thom. 2.2. & 4. sentent.

Jo: Azor p. 3. libr 5. cap.24. S. Raym. lib. 3 ubi sup.

An verò acquisita per ludum Lege, vel Statuto prohibitum, restituenda sint, diversi diversa dicunt. Quidam enim affirmant, qui sunt S. Bonaventura *in 4. libro Sententiarum dist.15. quæst.2. art.4.* Paludanus *in eodem libro dist.15. quæst. 3. art. 7. ad secundum*, Beatus Antoninus *part.2. tit.1. cap.23. §.3.* Nicolaus Abbas Panorm. Guido Archidiac. Bononiensis; Raynerius *in Summa Theologiæ tom.1. cap.2. de eleemosyna*; Henricus Cardinalis Ostiensis *in Summa*, Jo: de Salas *in Tractatu de Legibus, quæst.96. dist.15. sect.8.* & Glossa *in lib.3. Decretalium tit.1. cap.15. Clerici de Vita, & honestate Clericorum*; & alii Scriptores à Joanne Azorio in medium allati *in tertia parte Institutionum Moralium lib.5, cap.24.*

S. Bonav. libr. 4. sent. Institutionũ Moralium.

Antoninus.

Panormit. Guido. Raynerius. Henric. Card. Ostiensis, & Jo: de Salas de Legibus. Glossa in lib. 3. Decretal.

Joannes Maria Verratus Carmelita, Theologus clarissimus, qui Catonis Carmina illustravit Commentariis, dum illud Catonis dictum, sive præceptum, *Aleas fuge*, declarat, Alearum, ac Taxillorum ludum diabolicum à Diabolo inventum fuisse ostendit, ac tandem ait: *Meritò igitur universalis Ecclesia sanctè, & justè decrevit, & voluit hujusmodi ludum esse omninò prohibitum ratione multorum malorum, quæ ex eo sequuntur, infamiæ scilicèt, omissionis temporis, furti, avaritiæ, luxuriæ, superbiæ, blasphemiæ, & aliorum id genus malorũ.* Deinde lucrum in hujus generis ludo, quatenùs prohibito, factum, restituendũ esse concludit. De nonnullis autem aliis personis ita loquitur: *Filii Familias, Servi, Ancillæ, Uxores, Religiosi, Beneficiati, etiam ludentes ludo non prohibito sine fraude, & dolo acquisita per ludum tenentur restituere, quia nullum jus habent super his bonis.* Hæc ad verbum Verratus.

Verratus in Carmina Catonis.

Ricardus verò *in 4. lib. Sent. dist.15. art.5. quæst.8.* ait de ludo Alearum communiorem, & securiorem esse hanc opinionem de lucro restituendo affirmativam: alia enim opinio asserit restitui non debere antè condemnationem Judicis, neque Pauperibus, neque ei, qui perdidit in ipso ludo.

Ricardi opinio securior & communior.

Alexander autem de Ales (ut Joannes Azorius ait) sibi constare non videtur, dum primùm ait, acquisita per ludum non esse restituenda ex obligatione; deindè acquisita per ludum, in quo est turpitudo contrà jus naturale, & contrà jura humana, restituenda esse affirmat.

Alex. tom. 4. senten. qu. 33. Membro 2. art. 5.

Hanc de lucro facto in Alearum ludo quæstionem satis diffusè scribit Didacus Covarruvias, & præsertim Joannes Azorius, qui utriusque opinionis Auctores recitat, & ad opinionem utramque declarandam. Notanda quædam, atque octo Quæsita ad hanc rem pertinentia in medium affert, multaque alia scitu digna de vetito Alearum ludo quatuor capitibus comprehensa eruditè declarat in quarto Quæsito hisce verbis: *Restitutionis obligatio ex jure naturali non est, quia quisque voluntate suâ potest rerum dominium in alium transferre. Nec item ex jure Civili, quia jus Civile solùm concedit, ut possit repeti officio Judicis, quod est per ludum, lege prohibitum, acquisitum; non autem Jus Civile constituit, ut acquisita per ludum Aleæ in conscientia restituantur.* Hæc ibi Azorius, cujus sententia inter Theologos communior est, magisque recepta.

Didacus Covarr. 2. part. Relectionis 4. tom. 2. Joan. Azorius ubi sup. par. 3. Instituț. Moralium lib. 5. cap. 24. c. 24. 25. 26. 27.

Azorius 3. p. Institut. Moral.

Ecclesiæ autem Ministri perpeadant illud, quod S. Bernardus in Sermone super Cantica de Clericis, & Ministris Ecclesiæ, ita inquit: *Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minimè contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impiè, sacrilegèque sibi retineant, & in usus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur; duplici profectò iniquitate peccantes, quòd & aliena diripiunt, & sacris, in suis vanitatibus, & turpitudinibus, abutuntur.*

S. Bern. Serm. 23. Tom. 1.

Sanctus denique Bernardus in Epistola ad Fulconem puerum, postea Ligonensem Archidiaconum, de ipso tamquam Ecclesiæ Ministro in hanc loquitur verborum formam: *Conceditur ergò tibi, ut si benè servis, de Altario vivas, non autem de Altario superbias, ut indè compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, grisèaque pellicea, à collo, & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altario retines, tuum non est, rapina est, Sacrilegium est.*

S. Bern. Ep. 2. Tom. 2.

Notandum.

Hæc ad verbum S. Bernardus, qui quamvis dum de malo bonorum Ecclesiasticorum usu loquitur, nullam faciat mentionem de iis, qui in Alearum ludo à Lege Canonica, & Civili vetito, & non solùm à sanctis Doctoribus, & ab aliis Christifidelibus, sed etiam ab Ethnicis tantoperè damnato, dicta bona consumunt; hoc tamen subintelligendum omninò censetur: quia si omne superfluum, quod à Clericis, & Ministris Ecclesiæ de bonis Ecclesiasticis, præter necessarium victum, & simplicem vestitum retinetur, & non in pauperum victum, sed in usum vanum consumitur, rapina, & sacrilegium à S. Bernardo nuncupatur, multò magis istuc ipsum affirmandum est de eo, quod in hujus generis ludo tàm detestando consumi solet. Ludentes igitur tali ludo Ecclesiastici Viri, verba S. Bernardi perpendant. Omnes item, quicumque illi sint, ad Alearum ludos proni, aut proclives, ad memoriam excitent, & frequenter quidèm dictum illud Catonianum perpulchrum, & divulgatissimum:

Catonis dictum: Trocho lude Aleas fuge.

Trocho lude, Aleas fuge.

Trochus est vox Græca, &, ut inquit Acron turbo est, qui à ludentibus pueris scutica agitatur, & rotatur: Est enim instrumentum ligneum figuræ pyramidalis funiculo à pueris agitari consuetum. De hoc Trochi ludo loquitur etiam Martialis *lib.* 14. & Horatius *de Arte*, *& in libro Carminum*, ut jam diximus; Trochus autem ab Italis vocitatur *Trocolo*, & *Trotola*; *Pirla*, e *Pirlo*, e *Moscola*; ab Hispanis *Trompo*, à Gallis *Sabat*, à Germanis *Eintopff*; quoniam verò Trochus est puerorum ludus; Latrunculos, quos vulgò *Scacchos* vocant, Viris animi recreandi, vel otium præsertim fugiendi gratiâ, propono, loco tamen licito, ac tempore decenti servato; ut infrà, & fusiùs quidèm dicemus.

Acron Grammaticus, & Horatii interpres. Martialis lib. 14.

Hor. in Arte Poetica, & libr. 3. Carm. Ode 24.

De licito Latrunculorum ludo artiquitùs invento Alearum loco, & de inventore ipsius ludi.

ALearum loco ludus Latrunculorum, qui vulgò *Scacchi* vocitantur, antiquitùs pro militibus in longa obsidione detentis, otium consumandi gratiâ inventus, exerceri potest interdùm, ut infrà ostendemus.

De Latrunculorum ludo sub Calculorum nomine Alexander ab Alexandro Jurisperitus, & Vir, ut ajunt, exquisitè doctus, loquitur *in tertio Genialium dierum libro*, in quo dictum ludum præcipuum apud antiquos fuisse ait, & cur Calculos, aut Latrunculos, Latrones dictos olim fuisse declarat in hæc verba: *Ludus Calculorum, veteribus præcipuus fuisse traditur, qui & Latrones dicti: hi enim in duas divisi Turmas erant colore diversi, quorum alii Milites, alii Hostes: Horum lusus erat, ut Turmis instructis, velut qui congredi acie parant, hinc indè sub Hostium imagine procederent à præscripto fine, quoad quisque progredi debeat; ita cavere oportebat, ut dum Hostem quisque invadere nititur, alterius non pateat incursibus, qui etiam ex gemma fuere, Viris, & Mulieribus frequens, à melioribus, & summis honoribus, vel maximè cultus, & celebratus, quem Palamedes, Nauplii Eubœæ Regis Filius, vir ingeniosus, & aliarum rerum inventor* (ut in libro nostro, qui *Bibliotheca Vaticana* inscribitur, diffusè probavimus) *inveniisse proditur ad comprimendas otiosi exercitus seditiones*. Hæc Alexander, (parenthesi exceptâ) ex cujus verbis confirmamus illud ipsum, quod nuper diximus; ludum, scilicèt, Latrunculorum antiquitùs pro Militibus in longa obsidione detentis otium consumandi gratiâ fuisse inventum. Cur autem dicti Calculi, (quos vulgò *Scacchos* appellamus) Latrones, & diminutivè Latrunculi vocitentur, explicare necesse est. *Latro* namque (Festo Pompejo Auctore) vocitari solebat ille, qui conductus militabat quasi λατρεύων, idest, serviens: est enim λατρεία, servitus. Propterèa Plautinus miles dixit: *Latrones, quos conduxi*, hoc est, Milites. Et in Pœnulo usus est verbo, *Latrocinari*, pro stipendio præsente militari. In Trinummo item dixit: *Latrocinatum ire*, idest, ad militandum. In Curculione pro mercede militari dixit: *Latrocinatus annos decem, mercedem accipio*. Hæc Plautus dictis in locis. Verùm, quia (ut Joannes Fungerus ait) hos milites mercede conductos Imperator, & Principes circà se habere, & primos ad omne discrimen mittere solebant, Milites dicti fuerunt, ut Varroni placet, *Latrones*, quasi *Laterones*, quippe, qui tamquàm satellites vocati Imperatoris, vel Principis alicujus latera tuebantur. Nunc autem permutatâ vocabuli significatione, ait Festus Pompejus, viarum obsessores appellantur Latrones, quod à latere (inquit Fungerus cum Festo Pompejo) adoriantur, vel latenter insidientur, aut denique lateant, ut alios opprimere improvisò queant. Utcumque verò sit, Latrones, & Latrunculi, quasi *Latrones*, *& Laterunculi* dicuntur illi Calculi, qui dicto in ludo instar Militum concertantium adhibentur.

Alexand. lib. 3. Genial. dierum c. 21.

Palamedes Inventor Latrunculorum

Biblior. Vaticana.

Andr. Tiraq. in lib. Gen.

Fest. Pomp. de Verbor. signific.

Plaut. in Milite.

In Pœnulo in Trinum., & in Curculione.

Io. Funger. in Etymologico trilingui.

Varro de verborum signif. lib. 6.

Festus Pomp. de verb. sign. Io. Fung. in Etymol. trilingui.

Hujus generis ludus circiter annum orbis conditi ter millesimum 685. à quodam viro sapiente, nomine Xerxe inventus fuit, sicut Polydorus Virgilius in secundo de rerum Inventoribus libro scriptum reliquit, ut illius Tyranni, qui tunc temporis regnabat, sævitiam coerceret per ludum illum Schacchorum, in quo per calculos ligneos repræsentatur certamen instar prælii; In hoc enim ludo per calculos illos ligneos Reges, & Reginæ, Equites, & Pedites, necnon Castra, sive Arces, hoc est, loca munita Civitatum repræsentantur, atque instar concertantium præliantes in Fritillis, aut Alveolis, hoc est, in Tabulis lusoriis de Casula in Casulam moventur. Hunc autem Latrunculorum, sive Scacchorum ludum, Xerxes excogitavit, quippè qui ob sævitiæ metum non audebat apertè monere officii sui Tyrannum, sed Scacchorum ludo, sive certamine, illum tacitè monuit, Majestatem Regiam sine hominum viribus, & adminiculis, nec valere, nec tutam fore, Regemque ipsum facilè oppressum iri, nisi invigilaret, & à suis defenderetur. Quæ sanè omnia in illo Scacchorum ludo, sive certamine, instar prelii excogitato, facilè demonstrantur. Nunc reliquum est, ut explicemus, undè dicatur hoc nomen, *Scaccho*, idest, quænam sit vox.

Latrunculorum invent.

Polyd. libr. 3. cap. 2.

Xerxes Latrunculorum Inventor ex Polydoro Virgilio.

Scacchorum vox quænam sit.

S*Cacchi* non à *scandendo*, ut Polydorus Virgilius opinatur, dicuntur; sed, ut ait Petrus Gregorius Tholosanus, *in Syntagmate Juris Universi*, est vox Hebraica, Hebræorumque inventum ipsius ludi esse videtur, sicut hæ voces, *Scacchi*, & *Mathi*, quibus ipse Scacchorum ludus perficitur, ostendunt. Nam in ludo illo quando Rex ita vallatur, vel obsidetur, ut à sede sua egredi cogatur, *Scach*, dici solet, quia, *Scach*, Hebræis est, *vallavit*, vel *sepivit*. Sed quia *Math*, vel *Moth*, apud Hebræos dicitur *mortuus*; quando Rex in eodem ludo est omninò obsessus, & immobilis redditur; ut mortuus, dicitur, *Scach Math*; Italicè autem, & corruptè quidem *Scacco Matto*; & ita ludus finitur. Hęc ex Gregorio Tholosano.

Greg. Tholos. p. 3. lib. 39. c. 4. pag. 464.

Scach vox Hebraica.

Moth, vel Math vox Hebraica.

Quam-

Quamvis autem Latrunculorum, sive Scaccorum ludus ab Hebræis inventus dicatur, usus tamen illius perantiquus Romæ censetur.

Mart. libr.14. Epigr.20.

De hoc enim ludo sub nomine Latronum facit mentionem Martialis in hęc verba:

Insidiosorum si ludis bella Latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Mecænas, & Q. Galba, insignes, & eruditi Viri, Latronum, ideſt, Latrunculorum, sive Schacchorum collusores esse nonnunquàm solebant, ut Gilbertus cognatus *in Sylva Narrationum* refert. Nam in ipso ludo & quidèm ingenuo, non sors, aut fortuna dominatur, sed ingenium. De hoc eodem ludo sub nomine Calculorum loquitur Plinius Junior *in epistola 24. libri septimi*, eumque pro animo recreando exerceri solere ait. De hoc item ludo mentionem sub nomine Latrunculorum facit Seneca in libro de Animi tranquillitate *cap.14. In libro de brevitate Vitæ cap.13. in epistola 106. & in epistola 117.* sed in *epistola 106.* ita inquit: *Latrunculis ludimus, & in supervacuis subtilitas teritur*, quasi dixerit: Frustrà laboramus, dum ingenia nostra exercemus. In hoc enim ludo, utì sæpe jam diximus, non fortuna, sed ingenium dominatur.

Gilber.libr.3. in Sylva Narrationum.

Plin.libr.7. Ep.24.

De Latrunculorum, sive Schacchorum ludo non vetito, animi recreandi, vel otium fugiendi gratiâ, interdùm exercendo juxtà insignium Scriptorum Sententias.

Abbas Panormit.in 3. Decretal.cap.15. tom.6.

ABbas Panormitanus in tertio libro Decretalium post multa inquit: *Ex his, & ex textu infertur, ludum Scacchorum Clericis non esse prohibitum, & fortiùs nec Laicis: quia hic ludus consistit in ingenio.* Hæc Abbas. Latrunculorum itaque, sive Scacchorum ludo non vetito unusquisque uti potest animi recreandi, vel otium præsertim fugiendi gratiâ, loco tamen licito, ac tempore decenti servato. In hoc enim ludo non sors, vel fortuna, sed ingenii vis, vel industria dominatur, malis omnibus, quæ nuper fuerant enarrata, exclusis. Quamvis autem hæc sese habeant; Petrus tamèn Damianus Ordinis S. Benedicti, Episcopus Ostiensis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis; Vir in divinis Scripturis studiosus, & eruditus, & secularium literarum non ignarus, non minusque sanctitate, quàm eruditione clarus, in Epistola ad Alexandrum II. Pontificem, & Hildebrandum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem conscripta, Scacchorum ludum sub nomine Alearum comprehendi opinatur, dum quemdam Florentinum reprehendit Episcopum, quem cum turba commeantium resedisse, ludoque Scacchorum præfuisse, audivit. Petrus namque Damianus in reprehensione illa inter alia Episcopo dixit: *Rectè ne, tuique erat Officii, Vespere in Schacchorum vanitate colludere, & manum Dominici corporis oblatricem, linguam inter DEUM, & Populum mediatricem, sacrilegi ludibrij contaminatione fœdare? Præsertìm cum Canonica decernat Auctoritas, ut Aleatores Episcopi deponantur. Et quid prodesi ei, quem efficaciter auctoritas damnat, etiam si judicium extrinsecùs non accedat?* Hæc Damianus, cui Episcopus respondit, aliud esse *Schacchum*, aliud *Aleam*. *Aleas ergò* [subjungens ait] *Auctoritas illa prohibuit, Scacchos verò tacendo concessit*. Hæc Episcopus defendendo sese, dixit. Contrà cujus responsum Petrus Damianus ita inquit: *Scacchum Scriptura non ponit, sed utriusque Ludi genus, Aleæ nomine comprehendit. Quàpropter, dum Alea prohibetur, & nominatìm de Scaccho nihil dicitur, constat proculdubio utrumque genus uno vocabulo comprehensum, unius sententiæ Auctoritate damnatum*. Hæc Petrus Damianus, qui sub Alearum nomine Schacchorum etiam ludum comprehensum esse omninò affirmat, magno Christianæ Religionis, & Episcopalis dignitatis zelo commotus, quippè qui dictum Episcopum cum turba commeantium resedisse, Scacchorum ludo præfuisse audivit. Quod profectò Episcopi cum turba publicè factum, si pensitetur, talem merebatur reprehensionem. Episcopi namque manum, quæ, ut rectè ait Damianus, est Dominici Corporis oblatrix, & lingua inter Deum, & Populum mediatrix; talia in loco præsertìm publico, quem turba illa repræsentabat, facere non decebat: *Episcopus enim* [ut S. Paulus *in Epistola ad Titum* scripta inquit] *in integritate exemplum bonorum operum, in doctrina, in gravitate seipsum in omnibus præbere debet*. Episcopus itaque reprehensionem meruit ob ea, quæ in medium attulimus, quamvis ludus ipse Latrunculorum, seu Scacchorum sub Alearum nomine prohibitus nullo modo censeatur, ut Abbas Panormitanus ex communi Scriptorum sententiâ *in tertio Decretalium libro de Vita, Honestate Clericorum cap.15.* affirmat dicens: *Ex his, & ex Textu infertur, ludum Scacchorum Clericis non esse prohibitum, & fortiùs nec Laicis; & communiter hoc tenetur*. Idem videtur sentire Innocentius Quartus Pontifex Maximus *in Quintum Decretalium Librum de homicidio voluntario, & casuali cap.9.* ubi Scacchorum ludum noxium non esse affirmat. Guido item Archidiaconus in *prima parte Decretorum distinctione 35.* inquit: *Ludus autem Scacchorum non prohibetur; quia ibi potiùs humanum ingenium exercetur*. Istuc ipsum affirmatur à Gregorio Sayro. Glossator quoque *in primo Codicis Libro, Titulo sexto de Episcopis* ait, *Scacchorum ludum Clericis prohibitum non esse, quia ludus ipse in ingenio naturali consistit*. Auctor etiam *Summæ Armillæ* inquit: *Licèt ludi plures sint Clericis prohibiti, ut Alearum, Taxillorum, ac Tabularum cum Taxillis; ludus tamen Scacchorum non est prohibitus, licèt quidam teneant contrarium, & malè.* Martinus autem Navarrus *in Manuale Confessariorum* postquàm dixit, Clericum, & Monachum absque veniali peccato interdùm etiam Talis, & Chartis lusoriis ludere posse ob honestam causam ad excitandum, & recreandum animum, addit, *Scacchorum ludum, qui ingenium exercet, non esse prohibitum*. Quæ omnia ita sunt, ut dicta sunt.

Petrus Dam. lib.Epist.1. ep.10.

Petri Dam. laudes.

Petrus Dam. libr.1. Ep.10. ad Alex. Pap. & Hildebran. Card.

Epiſc.à Petro Dam. ano reprehenſus.

Epiſcopi rei prehenſi reſponſio.

Petrus Dam. contra Epiſc. reſponſum.

Petri Damiani reprehenſio excuſatur, & aliqua ex parte probatur.

Epiſt. ad Titum c.2.

Abbas Panor. cap.Clerici c.15.tom.6.

Scacchorum ludus Clericis vetitus non cenſetur.

Innoc.4. libr. 5.Decretal. tit.12.c.9.

Archidiac. par.1. Decretorum Diſt. 35.Epiſcopus.

Gregor. Sayrus libr.11. c. 12.num.4.

Lib.1.Codicis tit 6. Interdicimus.

Summa Armilla Tit.ludus num.5.

Navar.c.19. n.3.circa fin.

creandum ſocium ægrotum, eâ re indigentem, dummodò non frangatur lex ulla obligans ad peccatum mortale, de Scacchorum ludo ita loquitur: *Et ita contrà vulgi opinionem omnium ineptiſſimus eſt ludus Latrunculorum, quem Itali* Scacchorum, *Hiſpani verò* Axedrez, *& Galli* Eſchez *vocant; quia is minus, quàm alii, animum relaxat, quamvis magis liceat, quàm aliquot alii, qui lege prohibentur.* Hæc Navarrus, ex cujus verbis colligimus, Latrunculorum, ſive Scacchorum ludum eſſe licitum, ſed omnium ludorum ineptiſſimum ad animum relaxandum, quia dictus ludus non in ſorte, aut fortunâ, ſed in ingenio conſiſtit.

Scacchorum, ſive Latrunculorum ludus ineptiſſimus pro animo relaxando, ſed licitus

Huc ſpectat illud, quod Petrus Andreas Canonherius Philoſophiæ, Medicinæ, & Sacræ Theologiæ Doctor *in ſecundo libro de Curioſa doctrina* ſcriptum reliquit in hanc verborum formam: *Qui hoc ludo Latrunculorum omittunt, eorum perturbatio non aliundè exoritur, quàm ex amniſſione, quæ cum præcipuè, ac totaliter fundamentum habeat in noſtro intellectu, ac mente, animum triſtitiâ quadam permoleſtâ vehementer afficit: Hic enim cognoſcitur, quinam acutiori intellectu polleat; quod de nulla alia re certò ſciri poteſt: omnes enim alii ludi, vel fortunâ, vel aliquo judicio, vel mixti ſunt; ſed iſte totum hominis judicium exigit.* Hæc Canonherius, qui Navarri ſententiam, quantùm ad animi relaxationem in Latrunculorum ludo, comprobare videtur.

Canonherius lib. 2. c. 2.

Hæc de Alearum, & Latrunculorum ludis. Nunc reliquum eſt, ut eorum omnium, quæ dicta ſunt, in hoc Libello conficiamus Epilogum, ex quo eorumdem Summa, ſive Concluſio faciliùs memoriæ mandari poterit.

Epilogus, & Concluſio dictarum præſertìm rerum, quæ in duobus Quæſitis jam explicatis comprehenduntur.

HÆC de Alearum ludo juxtà leges Canonicas, & Civiles tàm ab Ethnicis, quàm à Chriſtifidelibus, ſacrorumque Conciliorum Decreta vetito; necnon juxtà ſanctorum Patrum ſententias, & aliorum Auctorum inſignium ſcripta mihi dicenda viſa ſunt.

Quoniam verò hujus generis ludus etiã ſub pœnis vetitus, ut ſuperiùs dictum eſt, mortale peccatum non ſemper eſſe cenſetur, & lucrum in eo factum non ſemper, neque cuilibet reſtituendum eſſe judicatur: Duo illa Quæſita, ad mortale peccatum, & lucrum reſtituendum pertinentia, jam in medium allata, & diffusè quidèm explicata, hoc loco ſummatim, ac breviſſimè ſunt complectenda, ut dictarum rerum Summa, tamquàm Concluſio faciliùs memoriæ mandari queat.

De peccato in ipſis ludis facto Concluſio.

QVamvìs Alearum ludus ſecundum ſe non cenſeatur malus, ex adjunctis tamen malis circumſtantiis malus reddi poteſt; quia ex quavis malâ circumſtantiâ, aut defectu, actus humanus redditur malus, ut Sanctus Thomas Doctor Angelicus cum Dionyſio inquit. Quamvìs item dictus ludus ad Eutrapeliæ virtutem reduci poſſit, frequentiùs tamen, & ferè ſemper lucri aviditate fieri ſolet; hìnc Eutrapelia ipſa exerceri non poteſt: Nam Eutrapelia, quæ apud Græcos, & Latinos *urbanitatem, leporem, jucunditatem, feſtivitatem, comitatem, & facetiam honeſtam* ſignificat, non fit ſeriò, ſed jocosè, præſertìm verò in verbis, aut factis ludicris, ut ait Sanctus Thomas Doctor Angelicus: in Alearum autem ludo, dum pecuniarii lucri, & præſertìm magni aviditate, non jocosè, ſed ſeriò luditur, Eutrapeliæ virtus exerceri non poteſt; immò Ariſtoteles *in quarto Ethicorum libro capite primo*, Alearum ludum ait eſſe turpem, & lucri acceptionem illiberalem appellat; Aleatores verò inter fures, ac latrones connumerat ob peccata illa maxima, quæ in eo fiunt, uti ſuperiùs demonſtratum fuit. Quarè Ariſtoteles in eodem *libro cap.* 4. Alearum ludum ad Eutrapeliæ virtutem reduci non poſſe, intelligere videtur. Quando item Sanctus Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 168. *Art.* 2. ex Ariſtotelis verbis, Eutrapeliæ virtutem circà etiam ludos poſitam fuiſſe ait, hoc nonniſi de ludicris verbis, aut factis, quæ non ſeriò, ſed jocosè fiunt, intellexiſſe judicatur: & ita Ariſtotelis verba intelligenda ſunt; adhibitis conditionibus aliis, quas Sanctus Thomas *in Articulo* 2., *&* 3. docet, debere concurrere ad Eutrapeliæ virtutem; ſin ſecùs, ipſe Philoſophus in primo capite quarti libri Ethicorum ſibi metipſi refragaretur, ſive contradiceret, dum Alearum ludum turpem eſſe inquit, Aleatoreſque ipſos inter fures, & latrones connumerat, & lucri acceptionem illiberalem appellat. Eutrapeliæ itaque virtus in Alearum ludo eſſe vix poteſt, dum lucri pecuniarii, & præſertìm magni luditur aviditate, ob quam, utì jam diximus, multa interdum oriuntur mala, & quidèm magna. Propterèa S. Cyprianus Aleæ ludum Chriſtiano homine minimè dignum, quatenus Diaboli cum idololatria inſtitutum, & alveum mali, & mortale crimen eſſe affirmat. Sanctus item Raymundus multis rationibus Alearum ludum mortale peccatũ, & quidèm grave eſſe oſtendit, ut ſuperiùs ex doctrina eorumdem Sanctorum, & ita eſſe, concluſum fuit. Attamen, ut ait Navarrus, non eſt ſemper mortale peccatum, præſertìm verò, ut ipſe inquit, dum potiùs honeſtæ recreationis cauſâ, quàm lucri, & parvo quidèm tempore luditur, nullius rei pecuniariæ lucro propoſito, vel ſolùm alicujus eſculenti, vel poculenti, quod bis lucri factum ſemel ſolvatur; vel ſpirituali lucro precum aliquarum pro vincente à victo dicendarum. Quamvìs verò hujus generis ludorum prohibitiones in deſuetudinem abiiſſe videantur; Tridentina tamen Synodus dum loquitur de Aleis, & ſecularibus negotiis fugiendis ab Eccleſiaſticis Viris, decernit, ut ſub iiſdem, & majoribus etiam pœnis ab Ordinario dictæ Sacrorum Conciliorum, & Summorum Pontificum prohibitiones

S. Th. 2. 2. qu. 18. art. 4. ad 3. Dionyſ. c. 4. de divinis nominibus.

Eutrapelia quid ſit.

S. Th. 2. 2. qu. 168. art. 2.

Ariſtoteles Ethic. vel Nicomach. Moral. lib. 4. c. 1.

S. Thom. in 2. 2. qu. 168. art. 2.

S. Thomas.

S. Cypr. to. 3. pag. 492. in Argumento Tractatus.

Navar. c. 19. n. 3. Manual. confeſſ.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. de reform.

Decreta deſuetæ in uſũ revocanda.

nes

nes in usum revocentur, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, sicut superiùs diffusè dictum fuit. Propterea dicta revocatio ab omnibus Ecclesiasticis cujuscumque status, vel conditionis hominibus diligenter considerandа, & memoriæ mandanda censetur.

CONCLUSIO.

De lucro facto in Alearum ludo.

LUcrum in Alearum ludo factum restituendum censetur non solùm quando quis fraudulenter lucratus est, ut ait S. Thomas *in* 2. 2. verùm etiam quando ludens lucrum suscepit à victo, qui rem suam alienare non poterat, cujusmodi sunt FiliiFamilias; necnon Religiosi, & Moniales. Cuinam verò hujus generis lucrum restitui debeat; Quando item de tali lucro eleemosyna fieri debeat, jam suo loco satis diffusè declaratum fuit. Hæc ex Doctore Angelico, & ex aliis Doctoribus, quos in duobus illis Quæsitis in medium attulimus.

S. Th. qu. 32. art. 7. ad 2.

Lucrum igitur in vetito Alearum ludo factum restituendum est, Distinctionibus, quas juxtà doctrinam Thelogorum, & Sanctorum Doctorum in medium attulimus, pensitatis, & observatis.

Denique juxtà Theologorum doctrinam ludentes cum FiliisFamilias, cum Servis, Ancillis, & Vxoribus, cum Religiosis, & Monialibus, & Beneficiatis lucrum, quod ab eis in ludo acceperunt, restituere debent Patribus, & Maritis, vel Tutoribus eorumdem, necnon Superioribus Personarum Ecclesiasticarum: Tales enim Personæ super illis bonis nullum jus habent, ut ait Verratus in Catonem. Hæc autem sunt perpendenda ab Ecclesiasticis Viris, qui bonis Ecclesiasticis potiuntur: Talia enim bona non in prophanum, sed in usum honestum suum, necnon in sanctum, & pium usum converti debent, servatis servandis.

Io: Verratus.

Præterea ex jure naturæ juxtà Canones, ac Theologorum doctrinam decretum esse censetur, ut ille, qui lucratur ab eis, qui dominium, & administrationem rerum non habent, vero domino, aut administratori restituere debeat, quod lucratum est.

Servi in bello capti, qui mitiùs tractandi sunt, sibi acquirunt quidquid eis donatum est aut legatum, aut licitè ludendo lucrantur. Sed servi empti, hoc est, qui seipsos vendiderunt, non item: hi enim, teste Ludovico Lopez, quidquid sunt, ipsius domini esse dicuntur. Ideò quidquid acquirunt, vel lucrantur, ipsi domino acquirere, ac lucrari cẽsentur:

Lopez part. 2. Instit. Const. c. 33.

Conclusio de Alearum Ludis detestandis, & evitandis.

UT denique tot pericula, tot damna, tot mala, tot peccata, tot blasphemiæ, totque nefanda scelera ex Alearum præsertim ludis nasci consueta, evitentur, Aleas detestandas, & sub pœnis vetitas à sacrosanctis Conciliis, necnon à Canonica Lege, ac Civili tàm Theologorum, quàm Sanctorum doctrinâ illustratis, & celebratis, quicumque ille sit Laicus, omninò fugiat, ac detestetur, præcipuè verò Vir Ecclesiasticus, quilibet etiam dignitate insignitus, cui non solùm Aleis ludere, verùm etiam hujusmodi Ludo interesse, sive hujus generis Lusores inspicere, vetitum esse censetur juxtà Innocentii III. Pont. Max. sententiam, in tertio Decretalium Libro dicentis: *Ad Aleas, & Taxillos Clerici non ludant, nec hujusmodi Ludis intersint.* Hæc Innocetius dicto in loco.

Innoc. III. Sententia.

Conclusio de Ludo Scacchorum, sive Latrunculorum.

SCacchorum denique Ludo, nec Lege Canonicâ, nec Civili, nec à Sacrosanctis Conciliis unquàm vetito, unusquisque uti potest animi recreandi, vel otium præsertim fugiendi gratiâ, loco tamen licito, ac tempore decenti servato. In hoc enim ludo, uti non semel diximus, non fors, vel fortuna, sed ingenii vis, vel industria dominatur, malis omnibus, quæ ex Taxillis, & Chartis lusoriis evenire solent, exclusis.

Nunc denique, ut finem dicendi faciamus, præscriptam Innocentii III. Pontificis Maximi sententiam, tamquàm sigillum huic nostro Commentario, ad Omnipotentis DEI, ac Deiparæ Mariæ semper Virginis gloriam, & Sanctorum omnium honorem, necnon ad Universi Christiani Orbis, præsertim verò Ecclesiasticarum Personarum beneficium conscripto, censui apponendum, & ita pro fine appositum esse volo cum aliis Doctorum Sanctorum sententiis diffuse superiùs enarratis, hìc autem brevissime, ut faciliùs memoriæ mandentur.

Sententia Innocentii III. Pont. Max.

AD Aleas, & Taxillos Clerici non ludant, nec hujusmodi Ludis intersint.

Sententia Sancti Cypriani inter alia superiùs enarrata.

ALea, Diabolicum cum Idololatria institutum, Alveus mali, & supplantatio amici. Aleâ ne luseris, ubi lusus nocivus est, & crimen mortale; ubi dementia, sine consideratione; ubi nulla veritas, sed mendaciorum mandra.

Sententia S. Raymundi inter alia multa superiùs enarrata.

DE Ludo Aleæ teneas, quòd illi, qui ludunt ad Aleas, vel Taxillos, vel qui Ludo intersunt, vel sunt participes, vel inspectores Ludi, peccant, & maximè si sunt Clerici *Et infra*: Collige, quod tale peccatum sit mortale, & grave cum tales pœnæ non sint imponendæ pro levi crimine.

Sententia S. Bernardi ad Ecclesiæ Ministrum post multa superiùs enarrata.

DEnique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altario retines, tuum non est, rapina est, Sacrilegium est.

AUCTO-

AUCTORES
IN COMMENTARIO
SUPRADICTO CITATI.

A

Abbas Panormitanus Canoniſta.
Acron Grammaticus.
Alexander de Ales Theologus.
Alexander ab Alexandro Juriſperitus.
S.Ambroſius Eccleſiæ Doctor.
Andreas Bleeatus Juriſconſultus.
Andreas Tiraquellus Juriſconſultus.
Angelus de Clavaſio Auctor Angelicæ ſummæ.
B.Antoniuus Epiſcopus Florentinus.
L.Apulejus Philoſophus Platonicus.

B

Barnabas Briſſonius Juriſta.
Bartholomæus Fumus, Auctor Summæ Armillæ.
S.Baſilius Magnus, Theologus, & Epiſcopus.
S.Beda, Venerabilis nuncupatus.
Benedictus Auctor veteris cæremonialis.
S.Bernardus, Abbas Clarevallenſis.
S.Bonaventura, Epiſcopus, Cardinalis Albanenſis, & Eccleſiæ Doctor.

C

Concilia contra Ludum Alearum.
Generalia.
Concilium Conſtantinopolitanum.
Concilium Lateranenſe.
Concilium Tridentinum.
Provincialia.
Concilium Aquilejenſe.
Concilium Elibertinum.
Concilium Mediolanenſe.
M.P.Cato Stoicus Philoſophus Vticenſis.
Cæſarius Heiſterbachcenſis.
M.T.Cicero Orator inſignis.
Cornelius Tacitus Hiſtoricus inſignis.
S.Cyprianus Epiſcopus, & Martyr.

D

Didacus Covarruvias.
S. Dionyſius Areopagita.

F

Feſtus Pompejus Grammaticus.

G

Gabriel Biel Theologus.
Gaſpar Vaſerus.
Gentianus Htrvettus Orator.
Gregorius Sayrus.
Gregorius Tholoſanus J.V.D.
Guido Archidiaconus Bononienſis.
Guido de Baypho, vel Bayſio.

H

Henricus Cardinalis Oſtienſis.
Herodotus Alicarnaſſeus.
S.Hieronymus Eccleſiæ Doctor.
Horatius Poeta.

I

Jacobus Spiegelius.
Innocentius III. Pont.Max.
Joannes Antonius Summontus.
Joannes Azorius.
Joannes Fungerus.
Joannes Maria Verratus.
Joannes de Salas.
Joannes Saresberienſis.
Joannes Tritthemius, Scriptor inſignis.
Jodocus Clictoveus, & Lorichius.
S.Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis.
Juſtinianus Imperator.
Juvenalis Poeta.

L

Livius Hiſtoricus inſignis.
Ludovicus Lopez.

M

Martialis Poeta.
Martinus Doctor Navarrus Canoniſta.
B. Maximus.
M. P. Cato.
M. Terrentius Varro.
M. Tullius Cicero.

N

Nicolaus Abbas Panormitanus Canoniſta.

O

Onuphrius Oſtecutus Epiſcopus Florentinus.
Ovidius Poeta.

P

Petrus Andreas Canonherius.
Petrus Damianus S.R.E.Cardinalis.
Petrus Gregorius Tholoſanus J.V.D.
Petrus Paludanus Theologus.
Plato Philoſophus Athenienſis.
Philoſtratus Sophiſta.
Plinius Junior.
Polydorus Virgilius.

R

S. Raymundus Canoniſta inſignis.
Raynerius Piſanus Theologus.
Renerus Budelius.
Ricardus de Media Villa Theologus.

S

Seneca Philoſophus Academicus.
Silvanus Razzius.
Silveſter de Prierio.
Svetonius Tranquillus.

T

Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus.
Titus Livius Hiſtoricus inſignis.
S.Thomas Doctor Angelicus.
Thomas Cajetanus.
Thomas Cantipratanus.

V

Varro. M.Terentius Varro.

AN CARNISPRIVII MALA CONSUETUDO

Ab Ethnicorum Lupercalium ſuperſtitione originem trahat?

Cur penitùs aboleri non potuerit?

Arnisprivii malam conſuetudinem ab Ethnicorum Lupercalibus originem traxiſſe dicas oportet, ſi Lupercalia ipſa diligenter ſpectentur. Lupercalia enim apud Ethnicos Romanos, erant ſolemnia quædam ſacra, quæ xv. Kalendas Martias, hoc eſt xv. menſis Februarii die, ut Ovidius *in ſecundo Faſtorum libro* teſtatur, in honorem Panos Paſtorum Dei, à Lupercis nudis Sacerdotibus fieri ſolebant. Cur autem ludi in illa ſolemnitate celebrati, Lupercales dicerentur, & quinam eſſent: cur item Sacrificia ipſa Lupercalia, & Sacerdotes denique Luperci vocitarentur, hique nudi forent, ſcitu digna videntur, antequàm rem à nobis propoſitam aggrediamur; Quæ omnia, ſi Pan, cui Lupercalia celebrabantur, & quantùm ad ipſius nomen, & naturam, ab antiquis creditam, rectè dignoſcatur, ſtatim ſciri queunt.

Pan itaque ut ab ipſo falſo Numine exordium ſumamus, à Poetis Deus Paſtorum, qui Ἐπίσκοπος, ideſt *Pecudum, & Armentorum ſpeculator* dicebatur, Deusque naturæ, univerſæque ſubſtantiæ materialis dominator eſſe fingebatur, teſte Macrobio; Undè etiam à Græca dictione Πᾶν, quod idem ſignificat, quod *Totum*, vel *Omne* nomen accepit; ipſi enim uno naturæ nomine univerſam Mundi machinam, ut Pierius *in Hieroglyphicis* ait, complecti arbitrabantur. Id quod ex Picturâ item ipſa repræſentare ſtuduerunt: Nam hunc Deum ita pinxerunt, ut nihil ex toto Univerſo in eo videretur prætermiſſum. Hinc Simulacrum ipſius caprinâ effingebatur facie, rubro colore, hirtis cornibus, pectore ſyderibus radiante, infimâ ſui parte hiſpido, & caprino pede, altera manu fiſtulam tenens, alterâ pedum incurvum. Habebat faciem quaſi hominis ad naturam humanam repræſentandam. Habebat autem cornua in radiorum Solis, & cornuum Lunæ ſimilitudinem. Facies ejus ad Ætheris imitationem rubebat. In pectore verò Nebridem ſtellatam ad ſtellarum Imaginem habebat; pars ejus inferior hiſpida erat, propter arbores, virgulta, & feras. Caprinos autem pedes habebat ad terræ ſoliditatem oſtendendam. Fiſtulam imparibus ſeptem calamis ſimul conjunctis habebat, ad harmoniam Cœli per ſeptem vocum diſcrimina innuendam. Pedum, ideſt, virgam, ſive baculum recurvum habebat ad annum, qui in ſe vertitur, indicandum. Hæc ex Phurnuto *in libro de Diis Gentium*, in quo Pana Univerſi Deum appellatum eſſe teſtatur.

Pan item à Latinis *Inuus*, teſte Livio, & Macrobio, vocitatur; cur autem hic Paſtorum Deus ſub nomine Panos ab Ethnicis coleretur, Probus hiſce verbis explicat dicens: *Sed creditur propter duo argumenta, ſub ejus nomine, & vocabulo Jupiter coli, ideſt Mundus; quorum unum eſt, quod* Πᾶν *Græcè ſignificat omne, ideſt univerſam naturam; alterum quòd hinuli pellis, qua tegitur, varietas maculis imitetur Stellas.* Hæc Probus. Ego verò ſi meam mihi Sententiam inter probatiſſimos Auctores pronunciare licet, univerſæ ſubſtantiæ nomine Paſtorum Deum, Pana, ſcilicèt, nuncupatum opinor, quia omne apud antiquos patrimonium, peculium, à pecudibus dicebatur, in quibus univerſa ipſorum ſubſtantia conſtabat. Hinc dives, qui nunc *pecunioſus*, olim *pecuarius* appellabatur, & Iſidorus *in 6. originum cap.* 12. teſtatur; Pecudum enim cura, quæ nunc à rudioribus, vilioribusque hominibus exercetur, antiquitùs apud Reges erat in pretio; Utcumque autem ſit, Pan fuit Paſtorum Deus, Ovium que Cuſtos à Virgilio *Buccolicis, & libro primo Georgicorum* dictus eſt, in naturæ ſimilitudinem formatus, ſubſtantiam univerſam repræſentans: Quem Arcades colebant. Hinc Rex Evander ex Arcadia profugus Romæ, Fauni Regis temporibus, in Palatini Montis radicibus Templum ipſi Pani Paſtorum Deo, conſtituit, ibique Sacra, Lupercalia, ſcilicèt, primùm agere cœpit, ut Juſtino ex Trogo placet, dicenti: *Poſt hunc tertio loco regnaſſe Faunum ferunt, ſub quo Evander ab Arcadiæ Urbe Palanteo in Italia cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus, & agros, & Montem, quem ille poſtea Palatinum,* (à Palanteo

Evan-

Evandri proavo, ut ait Virgilius *lib.8. Æneid.* vel à Palanteo oppido, ut alii volunt, dictum) *appellavit, benignè assignavit. In hujus radicibus Templum Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit; ipsum Dei Simulacrum nudum Caprinâ pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur.* Hæc parentheſi exceptâ, Juſtinus *lib. 43. ſub initium.*

Pro hujus Hiſtoriographi Sententia explicandâ videbimus quid Lycæus, quid Lupercus, quid item Lupercalia ſibi velint: & cur denique ſimulacrum ejus nudum, pelleque caprinâ amictum dicatur: Quibus rebus breviter explicatis, rem primo loco à nobis propoſitam facilè quis intelliget.

Pan itaque Lycæus, vel à Lycæo Arcadiæ Monte, vel Luperçus à Lupo dicebatur, quia oves à Luporum inſidiis tueri, Lupoſque ab ovili arcere credebatur: Hinc Sacra ei præſtita *Lupercalia*, ſive *Lycea*; ludique in ejus honorem celebrati, *Lupercales*, ejuſque Sacerdotes *Luperci*, vocitabantur. Lupus enim Animal rapax nulli non notum Græce Λύκος nuncupatur: Ob id Pan ipſe Lycæus Græcè, & Lupercus latinè appellari ſolebat. Sunt, qui velint hunc Paſtorum Deum, Lycæum, aut Lupercum vocitatum, ejuſque Sacrificia Lupercalia nominata, ludoſque Lupercules dictos fuiſſe, à Monte Palatino, qui primitùs *Lupercal* appellabatur. Hujus opinionis fuit Livius *lib.5. ab Urbe conditâ dicens: Jam tunc in Palatino Monte Lupercal, hoc fuiſſe Ludicrum* (ideſt rem luſoriam, & jocularem) *ferunt, & à Palanteo Urbe Arcadicâ, Palanteum, deindè Palatinum Montem appellatum.* Hæc Livius, parentheſi exceptâ. Ovidius verò *lib.2. faſtorum* Lupa Romuli Nutrice videtur ſentire, quod ille Mons hoc nomen acceperit, dùm cecinit,

Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercis,
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Horum Lupercalium varia fertur inſtitutio, ut Plutarchus in Romulo teſtatur dicens. *Ac videtur id ſolemne pervetuſtum, Evandrum ex Arcadia allatum inſtituiſſe. Hoc vulgatior fama tenet. Poteſt etiam nomen à Lupa dictum videri. Etenim videmus Lupercos indè curſum incipere, ubi Romulum expoſitum ferunt.* Hæc Plutarchus, qui curſum Lupercorum in Monte Palatino, qui *Lupercal* dictus fuit, incipere ait: Luperci enim Ludos Lupercules exercentes nudi, ſolis tamen Subligaculis ad partes pudendas tegendas præcincti, ac perſonati, larvis, videlicèt, obtecti per Civitatem excurſitabant, ut infrà fuſiùs dicemus. Verùm denique, ut eſt, Lupercalia ipſa Deo Pani fiebant, eiq; ut ut Plutarchus *in quæſtionibus Romanis, problemate 68.* narrat, Canis, Animal Lupo inimicum, immolabatur expiationis causâ menſe Februario, cui ab expiando hoc eſt purgando, nomen eſt, cum Februatio purgamentum ſignificet, eodem Plutarcho Teſte, qui omnes ferè Græcos in piaculis Cane uſos fuiſſe teſtatur: atque hujuſce Superſtitionis rationem ibidem explicat hunc in modum: *Canis ergò, Animal Lupo inimicum, Lycæis immolatur. Aut quia Lupercos per Urbem diſcurrentes allatrant, & vexant Canes; Aut quia Pani iſta ſunt Sacra, cui canis gratus eſt, ob caprarum cuſtodiam.* Hæc Plutarchus, qui in Romulo non Canis modò, ſed Caprarum item immolationem in Lupercalibus fieri ſolitam affirmat, poſt dictorum Lupercalium cauſam aſſignatam; præſcriptumque tempus dicens: *Jugulant in Lupercalibus Capras, dum duos ex genere adoleſcentes eo ſiſtunt, quorum alii frontes, cultro Sanguine perfuſo, tingunt: Alii ſtatim lanam lacte madentem admoventes abſtergunt. Oportet enim abſterſos adoleſcentes ridere, deindè inceſis in corrigias Caprarum pellibus, diſcurrunt: Et ſi qui obſtant, ſcuticis cedunt; Mulieres adultâ ætate ultrò ſe ad verbera offerunt, ratæ eam rem ad fœcunditatem conducere. Proprium ac ſuum ejus celebritatis eſt, ut Luperci Canem immolent.* Hæc Plutarchus, qui quamvis immolationem Canis in ea Lupercalium celebritate propriam fuiſſe dicat, Caprarum tamen jugulationem, ad mulierum fœcunditatem ab Ethnicis ex ea ſuperſtitione creditam, explicandam expreſſit. Id quod Ovidius *lib. Faſtorum 2.* innuere videtur hiſce verbis,

Excipe fœcundę patienter verbera dextræ
Jam Socer optati nomen habebit avi.

Sunt etiam qui velint fœminas Æthnicorum ultrò ob viam Lupercis prodiiſſe, ſolitas ad verbera ſuſcipienda, quòd ex eo verbere, non ſolùm fœcunditatem, ſed etiam facilem ſibi partum ſperarent.

Hæc de Lupercalium Lupercorumque nominibus; Cur hi nudi per Civitatem diſcurſarent, larvis obtecti, Serviùs *lib.8. Æneidos*, explicans quinam eſſent nudi Luperci à Virgilio decantati, hunc in modum ex Ovidio *lib.2. Faſtorum* ait: *Cum in honorem Panos Lupercalium ſolemnitas celebraretur, Pecora Romanorum ſubitò à Latronibus rapta ſunt; Illi projectis veſtibus perſecuti ſunt Latrones; quibus oppreſſis, & receptis Animalibus, propter rem à nudis proſperè geſtam conſuetudo permanſit, ut nudi Lupercalia celebrarent.* Hæc Servius. Hinc factum eſt, ut impoſterùm Lupercalium die, nudi per Urbem curſitarent, mulierumque manum Caprinâ pelle ferirent: quarè, & fœcunditatem, & facilem partum fieri putabant. Diù verò hæc Superſtitio Romæ duravit: de qua Cicero *ad Q. Fratr. lib.2.* ait; *Hodierni diei res geſtas Lupercalibus habebis.* Idem *in 2. Philippica* inſectatur M. Antonium, quod in Lupercalibus, in quibus ſedebat Julius Cæſar amictus togâ purpureâ in Sella aurea coronatus, ſe Lupercum exhibuerit: Id quod etiam narrat Plutarchus in Antonio in hanc verborum formam. *Sed illis quidèm* [Caſſio, ſcilicet, atque Bruto conjuratis] *Cæſaris necandi pulcherrimam cauſam præbuit Antonius. Erat ſolemnis Lupercalium dies: Cæſar autem triumphali veſte amictus, pro Roſtris ſedebat, currentes Lupercos, inſpecturus. Currunt*

runt enim, & Nobilium Juvenum, & eorum qui Magistratum gerunt, complures nudi, atque cuncti, loris albis obvios ferientes. In his cum esset Antonius contrà consuetudinem, moremque ejus ludi ad sellam, in qua Cæsar sedebat, cucurrit, diadema annexum laureâ Coronâ ostentans, Sublatusque ab iis, qui secuti erant, capiti Cæsaris diadema imposuit. Declinavit caput Cæsar, rejecitque diadema cum maximo totius P. R. plausu. Rursus diadema imponere conantem, rursus rejecit Cæsar cum summa spectantium lætitia; Atque hoc idem sæpius Antonio conante, Cæsare verò reiiciente plebs ingentem plausum dedit. Hæc Plutarchus ad verbum, parenthesi exceptâ.

Ex hac longa verborum serie, quam pro, rei à nobis primo loco propositæ declaratione recitare, nos non piguit; facilè quis à Lupercalibus hisce ludis, malam, ac diabolicam Carnisprivii consuetudinem ad nos manasse intelligit; quid enim per solemnem Lupercalium diem, vel per Ludos Lupercales, nisi pessimam Carnisprivii consuetudinem intelligere possumus, cum Livius, ut dictum est Lupercal illud ludicrum, rem, scilicèt, lusoriam, & jocularem appellet? Quid item per Lupercos de more in risum effusos, & Caprarum tergora in lora incidentes, nudos, atque unctos, Caprinâque pelle amictos, vultuque hilari usque ad ineptias, & larvis interdùm obtectos, necnon per Civitatem Scuticis Caprarum cursitantes, obviamque turbam eisdem loris impetentes, nisi quosdam nostri seculi, Juvenes præsertìm, qui ut lasciviant, petulantiamque sub ignotis vultibus effrænatò promant, personis induti, varioque hominum status repræsentantes, ac temerè agentes contrà illud Dei præceptum quod *in Deutoronomii cap.* 22. legitur: *Non induetur Mulier veste virili, nec vir utetur veste Fœmineâ: abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc eo anni tempore insanire solent?* Sicut autem nobiles adolescentes Ludos Lupercales, larvati nonnunquàm, ut dictum est, agebant, ita etiam ætate nostrâ in Carnisprivii malâ consuetudine, ab hoc hominum genere, & cujusvis sortis, ac status hominibus fieri solet; dum ludicra per vicos, & plateas celebrantur. Id quod etiam à Romulo, ac Remo, eorundemque Sociis factum esse nonnulli ajunt. Hi enim, ut aliqui volunt, Numitore occiso, in condenda Urbe, hujus generes Ludos instituerunt: qui epulis, vinoque capti, pellibus bestiarum incincti, per luxum, & lasciviam, hàc illàc larvati discursabant. Hinc hujus generis insania ad Nos manavit, & ad hanc usque diem permansit: Nam dicto anni tempore, gulæ plus nimio indulgetur; Ludicra, Lupercalium ferè ludorum instar, hinc indè celebrantur; voluptas censore caret, libidoque viget: honestas proscribitur, gravitasque ablegatur: Balatronum denique, & Ambubajarum, & Parasitorum, Ganeonum, Gerronum, & Helluonum, Chorearum ductorum, Equitantiumque Collegia passim videntur: Atque hunc in modum per duorum ferè mensium spatium anteaquàm Sacrosanctum jejunium inchoetur, non modò Lupercalium, sed Quinquatria item Agonalia, Megalensia, Bacchanalia, & alia Ludorum genera eodem anni tempore coacervata celebrantur, dum homines hàc illàc oberrantes, & cursitantes, in facie gestant larvam, quæ ab Italis Græco vocabulo, sed corrupto, vel Syncopato *Maschara* vocitatur, quasi Maniaschara hoc est *Insaniæ, & Stultitiæ gaudium*, sive furoris lætitia, & rectè quidem ita nominatur. Insania enim, seù stultitia μανία ας Græcè dicitur, gaudium verò χαρὰ vocitatur Hinc Maniaschara insaniæ, seù stultitiæ gaudium interpretatur.

Quinquatria festa Palladi Sacra a quinque diebus dicti.

Megalensia festa Deæ Matri Magnæ Deorum dicata.

Hanc insaniam ab Ethnicis ortum trahentem primitivæ, ac præsentis Ecclesiæ Patres radicitùs evellere non potuerunt; sed Lupercalibus Sacrificiis penitùs amotis, Lupercaliumque Ludorum superstitione depositâ, quamdam ipsorum ludicrorum umbram tolerandam permiserunt, & in hanc usque diem permittunt, ne pejora à Juventute in luxum, dissolutamque vitam facillimè prolabente, perpetrentur.

Sed utinam hæc mera vanitatis, & levitatis monstra, idque genus alia à Diabolo inventa in Carnisprivii mala consuetudine celebrari solita, radicitùs fuissent evulsa: Nam Sanctus Cyprianus *tom.* 3. *de Spectaculis ad plebem scribens*, idololatriam omnium ludorum Matrem esse affirmat, dum ex iis tot peccatorum genera, præsertìm verò mentito sub vultu suboriri considerat. Quarè Angli hac in re saltèm una præ cæteris Nationibus Sapientiores judicantur, qui hujus generis belluas personatas numquam in sua regione videre voluerunt: Sed si quis personas indueret, eum capitis pœnâ mulctandum sanxerunt: Illud forsan [*Ne accipias faciem adversus faciem tuam Eccl.* 4.] in homines larvatos dictum esse putantes. Hinc olim apud Gallos, à Regibus nonnullis sub capitis pœnâ, bonorumque confiscatione, non semel cautum fuit, ut ne quis, nec larvas indueret, nec uspiam quis venum proponeret. Sed hęc Carnisprivii detestanda consuetudo ita invaluit, ut ad id usque tempus vim hìnc indè retineat. Nec Lupercalium Ludorum loco, aliquid ab Ecclesiæ Sanctæ Patribus introduci potuit, sicut in multis Ethnicorum superstitionibus abolendis ab eisdem factum esse constat: Nam hujus generis ludi nihil in se continebant, quod cultui Divino, superstitione sublatâ, adaptari aliquâ ex parte posset: Nisi Lupercorum loco, qui nudi, & sanguine perfusi, pellibus caprinis amicti; loraque gestantes, iisque obviam turbam, fœminarumque dextram percutientes per Civitatem discursabant, homines seminudos, saccis à capitis vertice ad talos usque indutos, flagellaque ex funiculorum fasciculo, confecta manu portantes, iisdemque nudas sibi scapulas, ad sanguinis effusionem vsque ferientes, & sub iisdem saccis quasi larvatos, per Ecclesias, perque vicos, & plateas, jejuniorum, & abstinentiæ tempore incedentes

pro delictorum expiatione, sivè purgatione impetrandâ, piè, ac sanctè introductos fuisse dicamus.

Card. Baron. Quamvis autem Scriptor quidam ætate nostrâ insignis, in rerum Ethnicarum, & Ecclesiasticarum historiis insigniter versatus; Vir quidèm eruditus, ac diligens, *in adnotatione in Martyrologium Romanum die secunda Februarii de Lupercalibus, & de Purificationis Beatæ Mariæ festivitate* loquens, dicat: *Jure itaque opinamur, abrogatis Lupercalibus* [*sicut in multis accidit*] *ejusmodi solemnitatem fuisse introductam*; Dictum tamen ejus hunc potest habere sensum, non quòd Lupercalium loco, sed post Lupercalia abrogata, & celebrari desita, ipsa Purificationis solemnitas fuerit introducta. Quæ sanè interpretatio, si verborum structuræ vis accuratè perpendatur, rei non satis quadrare, nec satis adaptari posse videtur: Eo enim sensu à nobis in medium allato, idipsum de universis Ludorum, aut superstitionum generibus, antè introductam Purificationis festivitatem abrogatis, dici posset; Utcumque vero sit; dictam solemnitatem Rabanus *de Institutione Clericorum lib.2, cap.33, de Hypanti*, loco purgationum vel lustrationum, quæ Februario mense, ineunte fieri solebant, institutam fuisse ait, Innocentius autem III. *in sermone de Purificatione*, loco Amburbialis eam introductam fuisse narrat. Quod quidèm festum Amburbiale, scilicèt, ab Urbis ambitu dictum, per lustrationem processioni quodammodo respondentem, ac per faces accensas fiebat, Februario item ineunte celebrabatur. Lupercalia verò: quæ nec lustratione nec facibus accensis, sed furenti excursione ac loris constabant, nonnisi quintadecimâ Februarii mensis die repræsentabantur, ut Ovidius *lib.2. Fastorum* testatur in hanc verborum formam:

Tertia post idus nudos aurora Lupercos
Aspicit: Et Fauni Sacra bicornis erunt.

Idem refert Alexander ab Alexandro *lib.4. Genialium dierum*, Festella, vel quivis alius pro Festella *lib.1. cap.1.* Gregorius Gyraldus *de Diis Gentium Syntag. 17. cap. De Celebritatibus, & Festis*, necnon Kalendarium Maffæjorum quod est Kalendarium Romanum vetus. Ut autem id magis planum fiat in medium afferam, quod refert Innocentius III. in Sermone de Purificatione. Hic enim post multa inquit:

In principio mensis Februarii Proserpina rapta fuerat à Plutone; quam quia Mater Ceres facibus accensis in Ætnâ totâ nocte per Siciliam quæsisse credebatur, ipsi, ad commemorationem ipsius, facibus accensis in principio mensis Urbem de Nocte lustrabant. Undè festum istud appellabatur Amburbiale [ideſt lustratio, vel processio, ab Urbis ambitu Amburbiale dictum] *Cum autem Sancti Patres consuetudinem istam non possent penitùs extirpare, constituerunt, ut in honorem Beatæ Mariæ Virginis cereos portarent accensos. Et sic, quod priùs fiebat ad honorem Cereris, modò fit ad honorem Virginis; Et quod priùs fiebat ad honorem Proserpinæ, modò fit ad laudem Mariæ.* Hæc Innocentius, parentesi exceptâ: Ex cujus sanè verbis Festum Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis, non Lupercalium, sed Amburbialium loco, si processio, & cerei accensi diligenter spectentur, pro Ethnicorum superstitione abolendâ, & penitùs evellendâ, institutum esse luce clarius cernitur. Lupercalia enim cum Amburbiali [quod Ethnicorum superstitione radicitùs evulsâ, pio sanctoque ritu in Christianam processionem vel lustrationem, cereorumque accensorum gestationem permutatum est, fine tamen, quo unumquodque ab alio distinguitur, diverso] nullam proportionem vel convenientiam nullumve Symbolum habent: Dictum autem Purificationis Festum ex Amburbiali, & processionem, atque cereos retinet accensos, ritu tamen, ac fine, ut dictum est, omninò diverso; Ex Lupercalibus nihil prorsùs.

De Amburbialis in ipsum Purificationis Beatæ Mariæ Festum permutatione [quod ad processionem, cereorumque accensorum gestationem pertinet] non solùm Innocentius Papa hujus nominis Tertius, sed Guillelmus item *Durandus lib.7. cap. 7.* necnon Jacobus de Voragine *in libro* qui *Legenda Sanctorum* inscribitur, sermonem habent. De Februis, hoc est purgationibus in principio Februarii mensis antiquitùs fieri solitis, sed à primitivæ Ecclesiæ Patribns, in eamdem Purificationis festivitatem permutatis, Beda *de temporibus*, Rabanus *de Institutione Clericorum lib.2. cap.33.* Alcuinus *de Divinis Officiis*, Amalarius Fortunatus *lib.3. de Eccles. Officiis cap.43.* Petrus de Natalibus *in Catalogo Sanctorum*, Jacobus item de Voragine *in libro nuper citato*, & alii loquuntur, hoc ipsum sentientes. Quòd autem Lupercalium loco dicta Purificationis Deiparæ Mariæ solemnitas fuerit introducta, nemo, quòd sciam, scribit.

Ut rem itaque primo loco propositam, multis probatissimorum Scriptorum Sententiis pensitatam, & veluti trutinâ quadam examinatam concludam, malam Carnisprivii consuetudinem à Lupercalibus ludis originem traxisse, & ob causam nuper assignatam penitùs aboleri non potuisse, affirmare non vereor, salvo tamen meliori judicio, cui me semper subesse fateor atque etiam profiteor.

COM-

COMMENTARIUS

DE NUCE

STEMMA GENTILICIUM

INNOCENTII IX. P. O. M.

MYSTICE REPRÆSENTANTE,

HOC EST,

Optimum Regimen, Longævam, Felicemque vitam indicante.

NUX, generale nomen est, omnibus, scilicèt, commune fructibus, qui duriori teguntur operimento, ut sunt Castaneæ, quas Nuces castaneas vocat Virgilius: Et Amygdalæ, quas Nuces longas a nonnullis, Græcas verò a Catone appellatas fuisse compertum est, ut etiam Columellæ placet in lib. de Arboribus: Et Avellanæ, quæ Coryli a Virgilio dicuntur, olim Abellinæ, ut narrat Plinius, patrio nomine vocitatæ, ab Avellino, sive Abellino, eodem Plinio teste, Campaniæ Oppido, in cujus agro abundant, teste Isidoro. Hæ autem, Avellanæ, scilicèt, a Græcis, ut Plin., & Macrob., & alii Scriptores testantur, Ponticæ Nuces antiquitùs fuerunt nuncupatæ, eò quod circà mare Ponticum abundarent, ut Dioscorides ait: & a Latinis ob eandem causam Prænestinæ item dictæ sunt: a Columella verò Tarentinæ. Quamvis autem Castaneæ Amygdalæ, Avellanæ, Glandes item, & Conus, qui est Nux Picea, ac Pistacium, Nucis item species, Nux Indica, Nux Myristica, sive Moschata, & id genus alii fructus Nucis nomine vocitentur, propriè tamen, absque alio additamento, Nux per antonomasiam appellatur fructus ille, qui in Italia est in frequenti usu, & inter Nuces primum obtinet locum: cujus sanè fructus rotundus est, duos habens cortices, quorum primus, ad lanas tingendas idoneus, teste Plinio, satis crassus est, ac fragilis, viridis, atque amarus instar foliorum, Hinc ob nativam amaritudinem foliorum, & corticis, gravemque nidorem nullæ aves in hujus generis Arbore nidulantur, sicut Scriptores ajunt, & experientia ipsa docet, quamvis Ovidius id improbitati viatorum, saxorumque densitati tribuat, ut locum daret fabulæ, dicens:

Quid tamen hoc prodest, mediâ si luce, palamque
Verberor? & tutam non licet esse Nucem?
Ergò nec nidos foliis hærere, nec ullam
Sedibus in nostris stare videtis avem.

Alter verò cortex durus, & ligneus, intra quem Nucleus tenuissimo tegmine, aut putamine circumseptus jacet, quadripartitus, ligneâ intercursante membranâ, &, ut ita dixerim, sulculis, sive loculis quibusdam hinc indè perbellè a natura insignitus, ac suavitate plenus, & oleaginosus, præsertim vetus, ut Matthæolus ait. Hinc creditum a priscis illis Gentibus, hoc Nucis genus Iovi sacrum fuisse, eo quod hæc Arbor inter omnes Nuces suavissimum ferat fructum. Sed, quoniam ante frumenti usum, saltem in Italia a Cerere inventum, ut ait Plinius, aliique Scriptores permulti, homines olim vescebantur glande, cujus appellatione, ut sentit Ulpianus, omnes eam ob rem fructus continebantur (Nam apud Hebræos, & Ægyptios frumenti usus, teste Josepho, ante Cererem, & Saturnum erat) factum fuit, ut Nux, quæ apud nos in frequenti est usu, ob suam ipsius suavitatem, & excellentiam, JVGLANS diceretur, quasi JOVIS GLANS. Constat enim, antequàm mortales ad delicias, frumento nondùm invento, se converterent, apud antiquissimos maximo in honore fuisse Glandem, quippè quæ sola simplici vitæ, atque innocuæ alimenta præbebat. Rerum naturam primùm homines glandibus aluisse non solùm Plinius, Diodorus, Justinus, & alii Scriptores testantur, verùm Ovidius hunc in modum.

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaq; & in duris hærentia mora rubetis,
Et quę deciderant patula Jovis arbore glandes.

Post cibum glandium, in Attica, Sicilia, & Italia frumenti usum repertum esse ait Plin.

Virg. Ecl. 2. Plin. libr. 15. c. 22.

Colum. lib. de arb. cap. 22. Vir. Geor. 2. Plin. lib. 3. c. 5.

Isid. lib. 17. c. 7. Etym. Macr. lib. 3. Sat. cir. fin.

Dioscor. libr. 1. c. 142. Colum. libr. de arb. c. 22.

Matthæolus lib. 1. Dioscor. c. 142.

Nucis descriptio.

Plin. lib. 15. c. 22.

Ovid. Eleg. de Nuce.

Matthæol. lib. 1. Dioscor. C. Bas. libr. de sign. verb. Plin. proœm. lib. 16. & lib. 7. c. 56. Diod. lib. 6. Virg. Georgic. 1. Ovid. Metamorph. 1. Vlp. libr. 7. ad Edict. in ff. lib. 43. Tit. 28. & alibi. Joseph. libr. 2. antiq. Ex Gen. c. 42. & seq.

Plin. & Diodor. ubi sup. Iust. libr. 2. Epit. Ovid. 1. Metamorph.

Plin. libr. 7. cap. 56. Virgilius 1. Georg.

Hinc Virg. in hanc verborum formam.

——— cum jam glandes, atque arbuta sacræ
Deficerent syluæ, & victum Dodona negaret,
Mox, & frumenti labor additus.

Virg. ibid.

Idem Virgil. de Vino, Frumentoque a Libero, & Cerere inventis.

Liber, & alma Ceres, vestro si munere Tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloja miscuit uvis.

Ovid. 5. Metamorph. Plin. libr. 7. Virg. 1. Georg.

Et Ovidius de Cerere, quam etiam Isidem appellat Plinius.

Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.

Et Virgilius item de usu frumenti ait hunc in modum.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit. ———

Diod. lib. 1.

Quamvis autem alii Osiri, qui, & Dionysius dicitur, alii verò Triptolemo, alii denique Saturno frumenti usum, agrique colendi inventum tribuerint; Cicero tamen omnium primam Cererem agriculturam docuisse testatur: quæ sanè a gerendis frugibus, ut ipse ait, Ceres, quasi Geres dicta est: Mortales enim antiquitùs in Europa Glandibus vescebantur, ut dictum est.

Ovid. 4. Fast. Cic. libr. 2. de Nat. Deor.

Macrob. lib. 3. Satur. non procul a fi. Io: Ruel. lib. 1. c. 20. nat. stirp.

Cum itaque hunc fructum, scilicèt, Nucem, veteres illi egregium existimarent, decorare eum dignâ appellatione cupientes, JUGLANDEM, quasi Jovis glandem, sive cibum, vocitavere, ut Macrobius ait, quo teste, Cloatius hunc fructum, DIUGLANDEM, primùm nuncupatum fuisse scribit, Græce verò ΔΙΟΝ ΒΑΛΑΝΟΝ, hoc est bonam, generosam, aut divinam Glandem [nam Διὸς apud Græcos sonat id, quod apud Latinos dicitur Generosus, aut divus: Βάλανος idem, quod Glans] postea detractione primæ literæ, JUGLANDEM dictam esse scribit, quasi JOVIS GLANDEM, eâ compositionis formâ, qua Juppiter compositus esse dicitur, hoc est, a nominativo antiquo, Iovis, & Pater, quasi Juvans Pater. Hanc deindè Nucem non modò JOVIS GLANDEM, sed ob suam ipsius excellentiam, voce Græcâ, Basilicam, id est, Regiam, Græci vocitarunt, ut narrat Plinius in Historia naturali. Hæc igitur Nux, fructus, scilicèt, regius, & Jovis cibus, a veteribus nuncupata, quamvis BAPYON a Græcis vocetur, quasi a gravedine capitis, (KAPA enim caput significat) & a Nocendo, ut in proverbio est, videatur dicta, eo quòd linguæ noceat, & capiti dolorem inferat, utpotè difficilis concoctu, ac tussienti inimica, præsertim vetus, tanquàm constringendi proprietatem habens, non recens, ut medicæ artis professores affirmant. Vel quia segetibus umbra ejus nocere dicitur: qua de causa eam in parte agri neglectâ locum sibi sortiri ait Ovidius, sicut Nux apud eundem Poetam de se loquitur per figuram prosopopœjam in hanc verborum formam;

Cloat. Verrius in lib. tractorum a Græcis ex Macrob. lib. 3. Saturn.

C. Bassus, & Theophrast. ex Macrob. lib. 3. Saturn. Plin. libr. 15. cap. 22.

Sponte meâ facilis contempto nascor in agro:
Parsque loci, quo sto, publica penè via est.
Me, fata ne lædam, quoniam fata lædere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet.

Ovid. Eleg. de Nuce.

Ego tamen inficias ire non possum, quin asseveranter dicam, hanc Nucem, per antiphrasim a Nocendo nuncupatam, quasi minimè nocentem. Nam, sicut Parcæ, quas vitæ hominum præesse fingunt, a verbo, *Parco*, per contrarium, quòd *nemini parcant*; & Bellum, quasi *minimè bonum*, ut Prisciano placet; & Lucus a lucendo, id est, *non lucens*, teste Servio, dicuntur: ita Nux per contrarium sensum, non a *Nocendo*, sed a *Juvando*, per figuram antiphrasim dicta videtur. Et fortasse Nux potiùs nuncupatur a *noxa*, id est, *pœna*, quam patitur, quam a noxia, hoc est culpa, quam inferre dicitur: Arbor enim Nucis suo modo noxam sustinet quandam, dum saxis percutitur, aut perticis quatitur: & hanc ob rem in annũ sequentem uberiorem fructuum copiam afferre solet, quam cum colliguntur manu, atque alias semper arbores præstat fertilitate. Id quod Ovidius innuere videtur, dum Nucem non peccasse scribit, nisi peccat qui juvat. Hinc Nux per eundem Poetam de se loquitur argumento ficto, ac ludicro, dicens:

Voces a contrario sensu dictæ.

Nux a Iuvando.

Ovid. Eleg. de Nuce.

Nil ego peccavi; nisi si peccare videtur,
Annua cultori poma referre suo.
At priùs arboribus, tunc cũ meliora fuerunt
Tempora, certamen fertilitatis erat.

Quibus sanè verbis a Juvando potiùs, quàm a Nocendo, Nucem dictam esse, Symbolumque Innocentiæ sumi posse judico: quæ quidem Innocentia quantò magis deprimitur, tantò deindè altiùs assurgit, ac splendidiùs florescit, uberioresque fructus emittit. *Innocens enim, sive Justus*, teste Gregorio Magno, *verè est, qui bonus inter aduersa perseverat*: & florescit instar palmæ, quæ, si suprà ipsam magnum pondus imponas, ut ait Plutarchus, nec deorsum cedit, nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, sursùm nititur, & recurvatur: atque instar Cedri recipit incrementum juxtà illud Scripturæ sacræ dictum: *Justus ut Palma florebit, & sicut Cedrus Libani multiplicabitur.*

Greg. lib. 2. Moral. cap. 5.

Plutarch. libr. 7. Symp. Gel. lib. 3. c. 6

Psal. 91.

Quòd autem Nux a *Juvando*, non a *Nocendo* dicatur, illud denique nobis argumento esse potest, quòd Nux Jovi, qui a Juvando ab antiquis Gentibus lumine tamen supernaturali carentibus dicebatur, fuerit ab iisdem dicata, ob tacitam, occultamque Juvandi significationem: quam ipsa præfert. Id quod mihi facillimè persuadent, quæ ab antiquis Scriptoribus de Nuce dicta sunt. Nux enim, cum arbor sit, & fructus, atque semen, triplici tamen tegmine munita, crasso primùm putamine, ut dictum est, deindè cortice ligneo, postremò autem tenuissimâ quadam membrana, intrà quam est fructus, quem Nucleum appellamus,

Iuppiter a Iuvando.

Nucis descriptio.

lamus, perfectionem quandam habere dicitur, ut Philoni Judæo, disciplinis omnibus erudito, & in nostra, Græcorumque Philosophia primas obtinenti, nec non Platonis eloquentiæ insigni æmulatori, & fortasse assecutori placet: qui per Nucem, perfectam quandam virtutem nobis demonstrari posse affirmat. Ut enim in qualibet virtute idem est principium, & finis: Principium, quatenùs Virtus non aliundè quàm ex se ipsa oritur: Finis, quia vita ad ipsam Virtutem suaptè naturâ tendit: ita dicendum videtur ut ipse ait, de Nuce, in qua Nucleus tamquàm semen, est principium: quatenùs autem fructus, & finis. Nux igitur est arbor, & fructus: utrumque verò in unam speciem confusum comeditur. Semen est, quatenùs instar seminis intùs clauditur: quatenus autem comeditur, fructus est. Id quod de oliva, uva, ac malis, idque genus aliis fructibus dici haud quaquam potest: in quibus semen intus est, atque foris esca, sive fructus, qui comeditur. In Nuce autem intus est semen, & cibus. Ad cujus Nucis similitudinem Philo Judæus virtutem descripsit: ob quâ, scilicèt, similitudinè, Moyses divino consilio, sive jussu monitus, ad electionem Pontificis fratris sui Aaron incorruptam, sinceremque electionem declarandam, duodecim Virgas, Tribuum numero pares in Tabernaculo fœderis nominibus Phylarchorum inscriptas, ut ait Philo: tertiam decimam verò Virgam, Aaron nomine insignitam erexit: ut Scriptura sacra testatur. Posterâ autem die divino item Oraculo Moyses edoctus, coram Populo universo Virgas deprompsit nihil omnino immutatas, Virgâ Aaron exceptâ, quæ, ut Vulgata editio narrat, inventa est mirificè protulisse flores, qui foliis dilatatis, in Amygdalas formati sunt: quamvis Philo, & Augustinus lectionem septuaginta Interpretum secuti, Virgam illam Aaron flores, ac frondes, fructusque Nucis edidisse dicant. Nam Græca lectio habet KAPYA Carya, hoc est Nuces: Græci enim hanc Nucem communem KAPYA ΒΑΣΙΛΙΚΑ, id est. Nuces Regias, vel Juglandes appellant. Quo sanè novo, & admirabili portento, sive miraculo, Virtutem perfectam Philo demonstravit, ut in lib. de Moysis vitâ legitur. Hinc ex eo Nucis miraculo S. August. miraculum aliud undequàque venerandum, imaginem, scilicet, Dominici corporis in utero Virginis demonstratam, declaravit, ut infrà videre licet. Philo autem ex hac consideratione Virtutem perfectam descripsit. Nam, sicut labor Virtutis durus est, atque difficilis, cum Virtus (ait Hesiodus) non nisi sudore comparari queat, cujus quidèm radices amaræ sunt, fructus autem dulces, sicut Isocrates, & alii Sapientes dixerunt; ita in Nuce extremum putamen est amarum, interior autem cortex ligneus est, durus, ac solidus: fructus autem, Nucleus, scilicèt, dulcis est, ac suavis. Ex his igitur rationibus, per Nucem, Juvamen potiùs quoddam, quàm Nocendi proprietatem, haberi posse, quodam modo dicas oportet, cùm Virtus perfecta, cui Nux ingeniosè, ac doctè quidèm a Philone assimilatur, nocere nemini jure dici possit. Huic rationi adsimile est illud, quòd scriptum reliquit Magnus ille Gregorius, hujus nominis primus, atque sanctissimus, qui locum illum Canticorum, *Descendi in hortum Nucum*, expoluit de perfectis viris, ac Sanctis, quos per Nuces accepit. *Perfecti enim*, ut ipse ait, *Nuces dici possunt: qui dum divinam sapientiam intrà sua corpora retinent, dulcedinem, instar Nucum, intus ferunt: exteriùs verò, vilitatem, & amaritudinem habent*. Adde etiam, quòd Nuci CHRISTUS Salvator noster comparatur, ut sentit Sanctus Pater Augustinus. *Nux enim* (inquit) *trinam habet in suo corpore substantiæ unionem, corium, testam, & nucleum: In corio, caro: in testa, ossa: in nucleo, interior anima comparatur. In corio Nucis, carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem, vel amaritudinem passionis. In Nucleo interiorem declarat dulcedinem Deitatis: In Testa, lignum Crucis interserens, quod non discrevit, id quod foris, & intus fuit; sed quæ terrena, & cælestia fuerunt, mediatoris Ligni interpositio sociavit, dicente Apostolo: Quia ipse per sanguinem Crucis suæ pacificavit omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terris*. Hæc Augustinus. Per Nucem denique Sanctus Ambrosius CHRISTI Sacerdotium significari ait ob rationes superiùs assignatas. Beatus autem Hieronymus Virgam illam vigilantem a Hieremia Propheta visam, Nuceam fuisse juxtà septuaginta Interpretum translationem affirmat, & per eam CHRISTUM, & Pastoris vigilantiam intelligendam esse interpretatur. Nam שָׁקֵד *Sciached*, Nux dicitur, ut ipse ait: Vigilia autem, vel vigil, sive vigilare appellatur etiam שָׁקַד, *Sciached*. Quæ sanè omnia ad Pastorem quemlibet, & supremum præsertìm pertinere judicantur. Vigilat enim virga, idest Pastor, cuncta populi peccata considerans, ut percutiat, & corripiat delinquentes. Quid? quòd Nuci ipsa Virtus, immò ipsa Veritas, quæ est CHRISTUS Dominus, Salvator noster, & verè JUVANS, & SALVANS assimilatur.

Tantum igitur abest, ut Nux, de qua loquimur, a Nocendo dicta sit, ut nihil hujus generis sententiæ magis contrarium esse videatur. Quam ob rem INNOCENTIUS hujus nominis IX. Pont. Max., Nucem, cujus Nucleus quadripartitus, ligneâ illâ membranâ intercursante, quandam Crucis imaginem repræsentat: pro Stemmate Gentilicio non immeritò habet, tamquàm Crucis cultor, & Christianæ Virtutis amator, & Summus Sacerdos, ideſt CHRISTI Vicarius, cujus vicem hisce in terris Divinâ providentiâ, ad juvandam Rempublicam Christianam, & sublevandam propè jam collapsa literarum studia suscepit, & eandem ob rem INNOCENTII IX. nomen, quasi Nocendi expers, vel non Nocens, Divinâ ope adjutus, suo quodam jure sibi adscivit. Hinc ex huiusce Nucis adventu, seu potiùs, ut sic dixerim, apparitione, ac fertilitate, Annonam, hoc est, omnium fructuum, & præsertìm frumenti ubertatem

Philo lib. 3. de vita Moysis.

Nux perfectionem significat.

Principium, & finis idem sunt in virtute.

Nux est semen, & fructus.

Philo lib. 3. de vita Moysis.

Num. 17.

Philo lib. 3. de vita Moysis.

Hesiod. in lib. qui inscribitur Opera, & dies. Et Cicer. lib. 6. Epist. fam. ep. 18.

Isocrates.

Philo ubi supra.

S. Greg. cap. 6. in Cant.

S. August. de temp. Dom. prox. ante Nat. in fine tom. 10.

Tria de Nuce considerata Christum repræsentant.

Coloss. 1.

Amb. libr. 2. ep. 18. & lib. 1. ep. 25. tom. 5.

Hieron. in c. 1. Hier. tom. 4

Virga vigilans quid significet.

Stemma gentilicium Innoc. IX. quid indicet.

Crucis imago in Nuce.

Horat. libr. 1. Epist. ad Iccium.

Vrbi, & Italiæ adventuram, judicandum videtur, cum ex Nucum ubertate, communi quidèm ſententiâ, maxima omnium frugum copia ſperari ſoleat. Quarè illud Horatii carmen poterit decantari;

—— Aurea fruges
Italiæ pleno diffudit Copia cornu

Horat. in carmine ſac. Itemq; illud alterum ab eodem Poeta decantatum:

Apparet pleno beata Copia cornu.

Adde etiam, quòd ex ejuſdem Nucis ſublimitate, aut altitudine, in quam hujus generis Arbor, aſſurgere ſolet, cuncta ſanè ſublimia, cunctaque laudis plena, expectanda ſunt. Quæ omnia eum facturum omnes profectò ſperant, & pro compertò habent. Nocendi verò artem ſuæ ipſius genuinæ proprietati, ejuſque Nomini, Nuciſque naturæ adverſantem nonniſi in improbos, perditiſſimoſque homines, hoc eſt, in vitiorum virus, præſertim verò in peſtiferum, mortiferumque hæreticorum venenum, præſtiturum credendum eſt: atque hac in re ſeſe habebit inſtar Nucis, quæ tantam vim habet, ut immiſſa inter ſuſpectos herbarum, vel fungorum cibos, ſicut Viri eruditi narrant, quidquid in iis virulentum eſt, exſudet, rapiat, atque extinguat: &, ut Plinius ait, canis, hominiſque morſui aduerſetur, & carbunculis medeatur. Quin, ſicut etiam Nucis umbra, ob caloris Solis privationem a maxima foliorum denſitate, ac frigiditate naſcentem, & cuique ſegetum generationi impedimentum præbentem, ut experienti ipſa docet, & Ariſtoteles, aliique Scriptores fatentur, vel eorundem foliorum ſtillicidium proximis hinc indè ſitis arboribus, tamquàm in eam ipſam Nucem inſurgentibus nocere ſolet, ita inſtar Nucis INNOCENTIUS, bonis non Nocens, ſceleſtis hominibus, vel a Catholica fide alienis, & juſtitiæ Sole, id eſt, CHRISTO, Salvatore noſtro carentibus, vel in eam ipſam inſurgentibus, quaſi Nux patula, ſummâ Poteſtate ſibi cælitus commiſsâ, tamquàm Umbra latè patenti univerſum terrarum Orbem complectens, Innocenter Nocebit. Immò ſicut Nucis umbra viatoribus repentinam, ſive improviſam pluviam, Soliſque caloris, caniculâ regnante, fugientibus auxilium præbet, experientiâ ipſa docente, ac teſte Ovidio, apud quem Nux ipſa de ſe loquitur hunc in modum;

Dioſc. lib. 1. de art. medic. c. 142. Et Iſid. lib. 17. Etym. c. 7. Plin. lib 23. de nat. hiſt. c. 8.

Gal. libr. 2. de alim. facult. cap. 23.

Sap. 5. & Malach. 4.

Ovid. Eleg. de Nuce.

Quid, ſi non aptas Solem fugientibus umbras,
Finditur Icario cum cane terra, darem?
Quid niſi ſuffugium nimbos vitantibus eſſem,
Non expectatâ cum venit imber aquâ?

Iſa. 4. & 25. Iuven. ſat. 2. ita hujus generis umbra bonos omnes a turbine, & ab æſtu iniquorum hominum, præſertim verò Eccleſiam Catholicam ab hoſtibus tutabitur, & in pace conſervabit. Quod ut eveniat, atque etiam ut numquàm non juvet, & numquam non Innocenter Noceat, ei, ſcilicet INNOCENTIO IX. tamquàm Nuci annoſę, & cariem non facile ſentienti, longævam ætatem, ac felicitatem perpetuam exoptant, ſperant, Divinamque opem hac in re omnes imprecantur.

AUCTORES,

Quorum doctrina adhibita eſt in hoc de Nuce Commentario.

Ambroſius,)
Auguſtinus,)
Gregorius, &) Eccleſiæ Doctores,
Hieronymus)

Ariſtoteles.	*Iſocrates.*
Cato de re ruſt.	*Juſtinus in Epit.*
Cicero.	*Juvenalis.*
Columella.	*Macrobius.*
Diodorus Siculus.	*Matthæolus.*
Dioſcorides.	*Ovidius.*
Galenus.	*Philo Judæus.*
Gellius.	*Plinius.*
Heſiodus.	*Priſcianus.*
Horatius.	*Servius.*
Joannes Ruellius	*Theophraſtus.*
Joſephus.	*Virgilius.*
Iſidorus Hiſpal.	*Ulpianus.*

DISCORSO
INTORNO ALLA VIRTÙ
DELLA PATIENZA.

CONOSCO veramente, & non credo in ciò ingannarmi punto, che l'eccellente, & meravigliosa virtù della Patienza è di tanta utilità, & necessità al Mondo tutto, che non solamente il Christiano fondato nella vera fede, & dottrina Evangelica, non può salvarsi senz'essa: la cui necessità mostra S. Paolo così scrivendo à gli Hebrei: *Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissionem*; mà ne anco l'huomo instrutto nella sola prudenza humana, & fede politica, può arrivare à dovuti, & desiati termini di gloria conforme allo stato suo; Et si come allo stato Christiano, & politico, la Patienza non è meno utile, che necessaria, così anco da pochi è conosciuta, & apprezzata, ancorche ogn'uno vedendo'l suo amico, ò conoscente in qualche travaglio, ò in qualche tribolatione, ò dispiacere, lo inanimisca alla patienza con celebrarla à più potere, facendo à guisa degl'Infermi, i quali ritrovandosi privi di sanità, altro non gustano, ne d'altro mai si curano di parlare, che de'beni, & delle lodi di essa sanità, come dice Tertulliano. Et questi tali consultori della Patienza, mi sia lecito dir così, possono essere à punto rassimigliati alle campane, che chiamano le persone alle Sacre predicationi, & à divini officii, & esse non entrano già mai in Chiesa: & si compiacciono d'imitare quella pietra, che dà il taglio à ferri, & essa già mai non taglia, come molto bene ne scrive Horatio in un'altro suo proposito così dicendo:

Heb. 10.

Tertull. lib. de Pat.

—— Ergo fungar vice cotis acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Horat. de arte poet.

Et se bene ancor' Io sarò un di questi, sommi posto nondimeno à discorrere intorno alla virtù della Patienza, & per giovare ad altri, non essendo noi nati solamente per noi, & per giovar'anco à me stesso: perche quando per mezzo di questo Discorso conoscerò di non esser tale, qual devo, haverò fatto almeno acquisto di conoscer meglio, qual'Io mi sia, conforme al detto di Apollo Pithio, nel cui Tempio era scolpita questa sentenza: *Nosce te ipsum*: Et forzerommi all'hora d'acquistarne qualche grado, per farmene poi un giorno per bontà, & ajuto di Dio, possessore, come si deve: & se non potrò farne quell' acquisto, che si desidera, spererò almeno di far qualche benefitio ad altri nel confortare i patienti, & nell'essortare gl'impatienti: quelli à perseverare, questi à cominciare: quelli à meritare, & questi à sperare: quelli à godere i frutti, & questi à conoscerli per goderli al tempo loro. Vediamo adunque patientemente, che cosa sia Patienza: chi sia stato il vero Auttore di essa co'suoi imitatori: quali siano le sue gran lodi, & li suoi frutti: & il modo di poterla acquistare. Et per dar principio à quanto s'è promesso, prego chiunque haverà in mano questo mio Discorso di Patienza per leggerlo, che con patienza lo legga: poiche in esso d'altro non si ragiona, che di patienza, per mezo della quale può anco sperare con l'ajuto del Signore, di prenderne al fine consolatione, & conforto.

Cic. lib. 1. de offic.

Cic. 1. Tusc. quæst. Et Mar sil. lic. 2. Alcib.

La Patienza dell'huomo, che è retta, & lodevole, & degna del nome di virtù (per cominciare dalla sua diffinitione, conforme al precetto di Tullio) è quella qualità di mente, con la quale toleramo senza disturbo alcuno dell'animo le cose dispiacevoli, & con buona intentione desideriamo i beni, per mezo de'quali speramo di pervenire alle cose migliori, come piace al mio Padre Sant'Agostino, il quale nel trattato di Patienza così dice: *Patientia hominis, quæ recta est, atque laudabilis, & vocabulo digna virtutis, ea perhibetur esse, qua æquo animo mala toleramus, nec animo iniquo bona desideramus, per quæ ad meliora perveniamus*. Et se bene nel principio di detto libro la nomina Virtù dell'animo, egli non dimeno in questa diffinitione la chiama degna di tal nome, forse per mostrare, che 'l nome di virtù le conviene in somma eccellenza, si come molto bene lo vollero mostrare gli Antichi, i quali non davano il nome di virtuoso ad alcuno, che non seme fosse mostrato degno per mezo della Patienza. O vero diciamo, che à Sant'Agostino piacque di chiamarla non solamente virtù, mà anco degna di tal nome, à maggior chiarezza di coloro, che ne havessero dubitato per quello, che esso lasciò scritto nel libro della Trinità, nel qual disse, che le virtù sono perfettissime in Cielo, dove, per tal parole, pare, che non possa essere la Patienza, non essendoci gli oggetti suoi, che sono travagli, dispiaceri, fame, sete, sonno, caldo, & freddo, & altre cose dispiacevoli da tolerarsi con patienza: mà bene ci è la vera felicità da fruirsi, & da godersi. Ne per questo si deve credere, che nella

Patientiæ dif finitio. Tull. 1. off.

Lib. de patic. tom. 4.

Aug. lib. 14. c. 9. to. 3.

Apo. 21.

Pa-

Patria celeste non sia la virtù della Patienza, la quale non è in soffrire, & tolerare i dispiaceri, che non ci sono; mà come dice l'istesso nel libro della Città di Dio, in godere quel sommo bene eterno, al quale s'ariva per mezo della Patienza, Et ancorche da S. Paolo sia stata locata trà frutti, quanto alla dilettatione, che si cava da essi, & dalle operationi virtuose, dilettevoli per se stesse; non dimeno quanto all'habito, come dicono i Filosofi, & Teologi, ò vero qualità dell'animo acquistata con molte attioni, ò con una molto veemente, & intensa, è talmente Virtù, che da S. Gregorio la Patienza è chiamata radice, & custode di tutte le virtù, non in cagionarle, mà solamente, come dice S. Tomaso, nel rimovere gl'impedimenti di esse: perciòche dalle cose dispiacevoli nasce la malinconia, dalla malinconia l'ira, dall'ira l'odio, dall'odio l'inginstitia. La malinconia è temperata dalla patienza, l'ira dalla mansuetudine, l'odio è corretto dalla carità, l'ingiustitia dalla giustitia, & conseguentemente tutti i contrarii da' suoi contrarii. Et perche la patienza rimuove il principio degl'impedimenti delle virtù, però San Giacomo dice: *Patientia opus perfectum habet*, quasi dir volesse, che la Patienza è la perfettione delle altre virtù, in quel modo, che è stato detto. Anzi ogni virtù è chiamata nuda senza la Patienza, come dice un Savio con questo verso.

Aug. de Civit. l. 14. c. 9. to. 5. Gal. 5.

Aristot. 2. Eth. cap. 1. Greg. Homil. 35. in Evang. S. Thom. 2. 2. q. 136. art. 2.

Iac. cap. 1.

Nuda illa est virtus, quam non patientia vestit.

La Patienza dunque è virtù, & dall'istesso Padre S. Agostino è detta retta, & laudabile. Retta, perche la virtù, come dice Seneca, è una retta ragione di vivere: & come scrive il mio Padre S. Agostino, è una buona qualità di mente, con la quale si vive bene. Retta, perche come virtù consiste nel mezo, lontano da gli estremi vitiosi; anzi accostandosi â questo, ò à quello estremo, non sarebbe retta, essendo vero quello, che dice Horatio:

Seneca. Aug. de Civit. lib. 4. cap. 21. com. 5.

Hor. in arte poet.

Est modus in rebus: sunt certi denique fines: Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

Se adunque la rettitudine consiste nella mediocrità lontana da gli estremi, uno per eccesso, & l'altro per diffetto: retta è la Patienza, poiche stà nel mezo trà la soverchia allegrezza, & soverchia malinconia: trà l'insolenza, & la disperatione: soverchia allegrezza, & insolenza nelle prosperità: soverchia malinconia, & disperatione nelle avversità: & senza accostarsi ne à questa, ne à quella, si sostenta con la viva speranza, & con la ferma perseveranza di ben'oprare. Et se è retta, come è veramente, deve anchora chiamarsi laudabile, poiche ogni cosa retta è degna di lode: & come virtù, che hà per suo oggetto la cosa difficoltosa, merita pur lode: perche quanto più un fatto è difficile, tanto più è degno di lode, come scrive Tullio, il qual dice: *Quò difficilius, hoc præclarius*. Et se la Patienza, come dice altrove l'istesso S. Agostino, è una buona qualità di mente, si come è retta, & lodevole, così anco di buon' animo tolera le cose, che per se stesse sono dispiacevoli: perche l'huomo patiente più tosto sopporta qualsivoglia sorte di dispiacere; che commetta quello, che non deve, per non perdere il ben'eterno per un poco di piacere apparente, & momentaneo, cagione di farli chiudere le porte del Cielo, & di farli aprire il Baratro Infernale. Et perche la Patienza hà per sua compagna la Speranza, però nella Diffinitione recitata di sopra, s'è detto, che con essa toleriamo le avversità, le miserie, & qualsivoglia cosa dispiacevole: & aspettiamo, per dir così, doppo le tenebre, la luce, doppo la pioggia, il Ciel sereno: doppo il travaglio, il riposo: & finalmente doppo il male, il bene: per mezo del quale possiamo pervenire alle cose migliori. Mà qui è d'avertire, come dice Sant'Agostino nella detta Diffinitione latina, che non dovemo desiderare, ne aspettare i beni con animo iniquo, & perverso, cioè con pensiero di servircene malamente, proponendoci da noi stessi uno scopo, & un fine maligno, & scelerato, come sarebbe à dire, se uno nato povero, ò impoverito per qualsivoglia accidente occorso: ò vero ritrovandosi senza dignità, & honori; non deve, tolerando i suoi bisogni, & il suo basso stato, desiderare ne gli honori, ne le dignità, ne le ricchezze per servirsene malamente, con volersi cavar le sue voglie, & i suoi sfrenati appetiti con quelle: perche all'hora quella toleranza di animo, & di corpo non è meritevole in modo alcuno di lode, ne d'altro premio, ma com'è peccato, così anco merita pena. Vedesi giornalmente, quante fatiche, & quanti stenti si sopportino da molti per le cose, che vitiosamente amano: & quanto più felici pensano di farsi con quelle, tanto più infelicemente le desiderano. Et questi tali per acquistar le false ricchezze, & i vani honori del mondo, non stimano ne'l freddo, ne'l caldo, ne qualsivoglia dura servitù: non prezzano le pioggie, ne i venti, non le nevi, ne i ghiacci: patiscono meravigliosamente la fame, la sete, e'l sonno: & per gravi, & manifesti, che si siano i pericoli della vita, che gli si incontrino, li stimano poco, ò niente. Tutte queste cose sono vanità, & pazzie estreme introdotte al Mondo dall'avaritia, & dall'ambitione ò per suggestione diabolica, ò per nostra propria malitia, & si sono fatte domestiche di maniera, che pajono in un certo modo pazzie honeste, & lecite: anzi, che mescolate alle volte con qualche fraude, ò malignità, & scelleratezza vietata dalle leggi humane, & divine, sono alle volte attribuite à saviezza, quando però vi sia qualche scusa, ò colore di honesta pretensione, che à ciò fare lo spinga: & in questo modo sono lodati ancora i pensieri de' peccatori, conforme al detto del Salmo: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ*; perciòche la forza degli sfrenati appetiti cagiona in questi tali la toleranza delle fatiche, & de' dolori, & affanni, si dell'

Aug. lib. de pat. to. 4.

Aug. ibid.

Aug. ibid.

Aug. ibid.

Aristot. 2. Eth. cap. 3.

Cic. lib. 1. de offic.

Ne ciò deve apportare meraviglia, cioè, che in questo modo i Filosofi antichi si potessero salvare: perche la legge Mosaica era data à gli Hebrei, & questi erano obligati à osservarla: ne mai fù chiusa la porta della salute humana. Mà hora nessuno si può salvare senza la legge Evangelica data à tutto il genere humano. Et quando anco questi dui Filosofi, con gli altri antichi non habbino havuto tal mezo per potersi salvare, nondimeno col lume naturale, & anco per rivelatione, come dice Egidio Romano, hanno scritto molte cose à benefitio di noi altri fedeli, & di Santa Chiesa fuori però della loro intentione, dandoci le armi loro per convincerli con quelle istesse: & è succesSo à loro, come avviene alla candela, che dà il lume ad altri consumando se stessa. Così hanno fatto con le loro scritture, & essempi intorno alle virtù heroiche, le quali senza il fine sopradetto erano imperfette, perche da essi erano conosciute come perfezzioni delle potenze dell'anima, non come ordinate all'ultimo, & ottimo fine, Iddio. Però da Sant'Agostino queste virtù senza la divina gratia, & non ordinate in questa maniera santa, & christiana, sono state chiamate più tosto vitii, che virtù. Et se bene facevano alcune buone opere, le quali erano in se buone, come è il dare la limosina per pietà naturale, & vestir'il nudo, & altre cose somiglianti, con tutto ciò non erano ben fatte, perche deviavano dal vero fine, Iddio, & miravano in molte cose, ò la fama solamente, & la gloria del Mondo,

Mar. 16.

Candela exemplum.

Lib. 8. de Civ. Dei c. 25. to. 5.

ò la

ò la compassion naturale, per lo mancamento già detto. Et si come, secondo la dottrina d'Aristotele nell'Ethica, l'huomo non può esser giusto, ancorche faccia cose giuste, non facendole giustamente; così essi per questa istessa ragione, non erano buoni, ne giusti per acquistar la Patria celeste, poiche facevano le cose giuste, & buone, non però bene, ne giustamente: il che è molto conforme al precetto di Dio dato à Mosè, con queste parole: *Juste, quod justum est, persequeris*. Però S. Bonaventura dice, che questi Filosofi hanno le penne di Struzzo, il quale, ancorche habbia le ali, non però si può sollevar da terra: così essi con le loro virtù non si potevano sollevar da terra per haver'il premio del Cielo, non essendo illustrate dalla fede, non sostentate dalla speranza, non informate dalla charità Christiana.

Lib. 2. Moral. Nichomac. c. 4.

Deut. 16. In Hexaem. ser. 9. tom. 1.

Hor se tanti Filosofi antichi, chiamati nel libro della Patienza da Tertulliano, Animali di Sapienza: da Lattantio Firmiano, Schiavi di gloria: & da San Girolamo, Patriarchi de gli heretici, hanno fatto tanta stima della Patienza, virtù di tanta necessità all'huomo Christiano, che dovemo far noi altri? Et se essi, ancorche nelle scienze fossero si varii, & diversi d'opinioni, particolarmente in materia del sommo bene, tanti erano i pareri, quante si fossero le Sette; nondimeno nella sola virtù della Patienza tutti furono d'accordo, & tutti d'un'istesso parere. In questa sola con affettation di virtù studiavano: in questa ogni ostentatione di sapienza scuoprivano: questa lodavano, questa ammiravano, questa seguitavano, & con ogni studio abbracciavano: lodavano co'scritti, ammiravano con l'animo, seguitavano co'fatti. Se questi tali adunque nello stato loro tanto imperfetto sì meravigliosamente professavano la Patienza, che dovemo far noi altri, che siamo in questo stato di gratia, & di perfezzione? La Patienza loro era mera vanità, aperta sciocchezza: patienza di niun valore, patienza di niun merito per acquistar la vita eterna. La Patienza Christiana è vera Patienza, sapienza ascosa, tesoro non veduto, tesoro non conosciuto. E vera Patienza, perche è meritoria del Paradiso, il quale non s'acquista senza la carità, la quale è patiente: & chi hà la charità, come dice San Giovanni, si ritrova con Dio, & Dio con esso patiente, & tribolato, come dice David.

Tertul. lib. de patient. Lact. Firm. lib. 5. c. 3. Hier. ep. 26; & 34. tom. 1; & ad Ctesiphon tem tom. 2.

Varro lib. de philosoph. Aug. lib. 19. de Civit. Dei c. 1. tom. 5.

Chi adunque sarà tanto privo d'intelletto, tanto fuori di se stesso, tanto dispregiatore della salute, anzi tanto amico della morte, amico dell'inferno, & inimico del Cielo, che segua l'impatienza, fuggendo la Patienza, che deriva da Dio, & è dono di Dio? Con quella l'huomo si dispera, con questa si consola: con quella li s'apre l'inferno, con questa il Paradiso: di questa fù Auttore Iddio, di quella il Lucifero, il quale havendo per rivelatione, che Dio si dovea incarnare, & che l'humanità di Christo dovea essere essaltata sopra gli Angioli, & che tutte le cose create sotto 'l Cielo doveano essere sottoposte all'huomo, creato ad imagine del suo Cretore, invidiò, & invidiando si dolse, & dolendosi impatientemente tolerò: invidiato non haurebbe se non si fosse doluto, ne si sarebbe doluto, se prima patientemente havesse tolerato. L'impatienza adunque deriva dal male, deriva da Lucifero, che è l'istessa malitia.

La Patienza deriva dal bene, anzi da Dio, che è l'istessa bontà, & l'istessa Patienza, la quale, come dice Tertulliano, risiede nel trono di colui, che è spirito humilissimo, & mansuetissimo, & con questa ammanta il mondo tutto, non altrimente, che facci col manto del sole, il quale fa nascere indifferentemente sopra i buoni, & cattivi, si come anco piove con la sua gratia sopra i giusti, & ingiusti, & con l'istessa sua patienza hà sopportato per tanti lustri, & secoli le vanità, & pazzie de gl'Idolatri, la malitia, & ostinatione de'Giudei; la cecità, & malignità de gli heretici; & gli errori di tanti peccatori, che giornalmente l'offendono con tanti, & così gravi peccati, & havendo in se piena potestà di vendetta, & di castigo, tutti con Patienza tolera, & tutti patientemente aspetta à penitenza. Con l'istessa patienza comportò di nascere nel ventre Virginale della Madre santissima, madre, figliuola, & sposa. Con l'istessa patienza tolerò tanti disagi, & stenti, tante malignità, & ingiurie, tanti scorni, & scherni, si nelle parole, come anco ne'fatti: & con l'istessa patienza finalmente sopportò la più vituperosa, & horrenda morte, che si potesse dare per dar la vita a noi con la sua morte, con la quale morendo destrusse la morte, & resuscitando ci rese la vita: poiche tutto il genere humano era morto nel primo peccato del Padre Adamo, il quale per la sua impatienza, imitando l'Auttore di essa, gustò del pomo vietatoli. Per l'impatienza Cain ammazzò il suo fratello Abel. Esaù per impatienza vendè la sua primogenitura per un poco di lente. Il popolo Hebreo per impatienza commise l'Idolatria, & per l'istessa impatienza congiurò nel sangue de'Profeti, & de' giusti, & finalmante nella morte del Messia, Christo Salvator nostro.

Psal. 61. 7.

Tertul. lib. de patient.

Matth. 5.

Impatientiæ fructus.

La impatienza è quella, che fa gli heretici, & è quella finalmente, che rovina, & distrugge tutto quel bene, che a gloria di Dio, & a salute dell'anime nasce dalla Patienza, la quale fù abbracciata dal primo Vergine, Sacerdote, & Martire del testamento vecchio Abel, nel quale cominciò la Chiesa. Patiente fù Abramo fondatore della fede, tentato a voler sacrificare il suo figlio Isac. Patiente fù Isac offerendosi al sacrificio. Patiente fù Giacob tolerando la fuga datali dal fratello a partirsi dalla Patria. Patiente fù Gioseffo venduto da'fratelli. Patiente fù Mosè nelle mormorationi, & ne'furori del popolo Hebreo perfido, & ingrato. Patiente fù Tobia tentato nella privatione della luce de gli occhi. Patiente fù Giob essempio d'ogni patienza. Patiente fù S. Stefano primo Martire del testamento nuovo, ritrovandosi

Aug. lib. de mirab. script. sacræ c. 3; & in psal. 128; & Greg. hom. 19 in Evang.

tra

t. Io; 4.

Psal. 90.

Augst. libr. e patient. om. 4.

atientiæ uctor. mpatientiæ rigo. ertull. libr. e patient.

tra la durezza delle pietre, & de' cuori indurati de'Giudei. Patiente fù San Lorenzo arrostito sopra la craticola. Patienti furono tanti altri Martiri, Santi, & Sante del testamento nuovo, & vecchio, che per brevità mi convien lasciare, per finire hormai questo ragionamento.

Patientiæ fructus.

Et per dar fine al Discorso, vengo a' frutti della Patienza, la quale ci raccomanda a Dio, & ajuta a conservarci in gratia sua, perche la Patienza tempera l'ira, raffrena la lingua, governa la mente, custodisce la pace, & regge la disciplina. La patienza rompe l'impeto della libidine, reprime la gonfiezza della superbia, smorza l' incendio dell'odio, rattiene la potenza de'ricchi, nutrisce il bisogno de' poveri, difende la integrità nelle Vergini, la castità nelle Vedove, & la charità ne'Maritati. La patienza fa le persone humili nelle cose prospere, le fa forti nell' adverse, le rende piacevoli nelle ingiurie, & constanti nelle persecutioni: vince le tentationi, & consuma le passioni.

Hom.3. in Evang. in fin; & hom.35. circa med.

La patienza finalmente fa il Martirio, ancorche non ne segua la morte, come dice S. Gregorio, il quale pone due sorti di Martirii: uno, che consiste nella volontà: l'altro nella volontà, & nel corpo insieme. Di quel Martirio senza morte, furono Martiri, come dice San Cipriano, quei trè giovani gittati nella fornace ardente, & Daniele gittato in preda a'Leoni. Di quell'istesso Martirio senza morte, come dice San Gregorio, fù Martire San Gio: Vangelista gittato nel vaso d'olio bollente. Et se bene Giovanni, & Giacomo, fratelli, dalla bocca della verità, Christo, intesero queste parole: *Calicem meum bibetis*, cioè, che doveano bere il Calice del Martirio; nondimeno Giacomo il minore, & primo Mârtire tra gli Apostoli, lo provò con la volontà, & col ferro, per mezo della morte, & Giovanni solamente con la volontà, & con la prontezza dell'animo, non havendo finita la sua vita col Martirio corporale: & le passioni, che non sentì nel corpo, le provò, come dice San Gregorio, nella mente, cioè colla prontezza dell'animo suo: perche, come dice Tertulliano, uscito libero da quel vaso d'olio bollente, fù rilegato nell'Isola di Pathmos: & sessant'otto anni dopo la passione del nostro Signore, al tempo di Trajano, come dice San Girolamo, ritornò in Effeso, & quivi finì la sua vita.

Cypr. ep. 58.

Greg. hom. 35 in Evang.

Matth. 20. Act. 12.

Greg. ibid.

Tertull. de præscr.

De Script. Eccl. tom. 1.

Et per lasciar da banda l'opinione di coloro, i quali dicono, che San Giovanni carico d'anni si fece metter vivo dentro una sepoltura, & indi subito disparve; & che vivendo fin'al giorno d'hoggi per far testimonianza della nostra resurrettione in questo tempo di gratia, come per quest'istesso nel tempo della legge di Natura rimase vivo Enoch, & nel tempo della legge scritta Elia, morirà di morte violenta, come dice S. Gio: Chrisostomo, & che insieme, come dicono, morirà con Enoch, & Elia, nell'ultima persecutione, che sarà nel tempo di Antichristo; diciamo pure con San Cipriano, & con San Gregorio, che senza patimento di morte può essere il Martirio, quanto alla prontezza dell' animo, come anco piace à San Girolamo, il quale sponendo quel detto di S. Luca: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, chiamò la Beata Vergine, Martire, & più che Martire, in quanto che nell'anima spiritualmente, & atrocemente provò il coltello della passione di Christo suo figliuolo, & più d'ogni altro: perche si come in amarlo non hebbe paro, così più d'ogni altro si dolse, & più d'ogni altro ne sentì passione: & tanto più, come dice l'istesso San Girolamo, havendolo provato in quella parte, cioè nell'anima, nella quale gli altri Santi, che patirono per Christo nella carne, non patirono tanto dolore, come è scritto di San Lorenzo, di San Vincenzo, & d'altri, che gioivano ne'tormenti: perche erano consolati dal fervore dell'amor gratuito, come dice Alberto Magno, il qual'anco mostra con ragioni, che alla beata Vergine si deve l'Aureola del Martirio. Anzi S. Ambrogio vuole, che si come molte sono le persecutioni, così anco molti sono i Martirii. Però dice: Se sei tentato di fornicatione, & non hai assentito, sei Martire di Christo. Se sei tentato d'avaritia, & non hai dato il tuo assenso, sei Martire di Christo: & così se ne và discorrendo per gli altri peccati, conchiudendo finalmente, che quel tale è Martire di Christo, che confessa Christo, osservando i suoi precetti; si come per lo contrario, chi ascolta i suoi precetti, ò vero li confessa con la bocca, & non co'fatti, nega Christo.

Hieron. ad Paulam, & Eustoch. tom. 3. ep. 10. post med.

Ibid.

Alb. super Missus est, c. 116; & 119.

In Psal. 118. oct. 20. tom. 2.

Vero è nondimeno, che li Scholastici, & altri moderni ancora, conchiudono, che non può essere il Martirio senza morte: il quale è detto battesmo di sangue: perche il fine del Martirio è il fine della vita della carne, che è posta nel sangue, ancorche non sempre ne segua lo spargimento del sangue. Et se bene molti Santi hanno scampato la morte ne gli altri tormenti, & pene, niente di manco non l'hanno scampata nella pena del coltello: perche come dice San Bonaventura, questa sorte di pena del coltello, ò altra simile violenza, pende immediatamente dalla prava volontà dell'huomo, che col suo libero arbitrio fà resistenza à Dio: mà le altre sorti, come è l'acqua, & il fuoco, & altre somiglianti pene, che oprano secondo la natura loro, sono obedienti à Dio, & senza resistenza alcuna, sospendono la loro proprietà, come è l'acqua nell'affogare, & il fuoco nell'abrusciare, al volere del suo Creatore in segno, & testimonianza della divina bontà, & della sua virtù, & della obedienza di esso Martire, che stà obediente à Dio con prontezza d'animo in sopportare ogni tormento per Christo. Però il Martirio senza morte può essere in quel modo, che s'è detto, cioè quanto alla viva prontezza, & desiderio di patire per Christo: il qual Martirio da San Tomaso è chiamato tale, quanto à una somiglianza del Martirio, che si prova nel corpo per mezo della morte. Per tanto l'istesso San Gregorio dice, che quella santa Donna, per nome, Felicità, fù Mar-

Levit. 17.

Lib. 4. d. 4. p. 2. art. 1. q. 3.

S. Thom. 2. 2. qu. 124. art. 4.

Hom. 3. in Evang.

Hom. 66. in Matth; & ad Heb. 27. hom.

Martire, & più che Martire, anzi otto volte Martire: poiche nella morte di quei sette suoi figliuoli, condotti al Martirio, sette volte provò le passioni del Martirio nell'animo suo, mentre li confortava à tolerare, & li vedeva morire: & l'ottava volta le provò patientemente nel suo proprio corpo. Questi, & altri meravigliosi frutti produce la Patienza: & per dirla in somma, produce ogni bene, si come la impatienza distrugge tutto quel bene, che può mai produrre la vera Patienza.

Per acquistarla, quattro mezi, tra gli altri sono efficacissimi. Il primo è nel considerare spesso le tribolationi, & l'ignominiosa morte di Cristo, che per noi altri peccatori volse patire in questo mondo. Il secondo è la lettura frequente de' sacri libri, & particolarmente il Leggendario de' Santi, che tratta le tribolationi, & le morti di tanti Martiri. Il terzo è la oratione continova nel pregar'Iddio, che ne' travagli, & affanni nostri si degni di darci la Patienza, & il conforto insieme: perchè come dice Theofilatto, Iddio è chiamato da San Paolo, Dio della Patienza, & della consolatione, come datore di questi dui beni. Il quarto è la continova meditatione della morte nostra: la cui consideratione fa sprezzare facilmente tutte le cose presenti, ò prospere, ò adverse, che si siano, come vuol San Girolamo, il qual dice: *Qui recordatur quotidie, se esse morituru, omnia præsentia contemnit, & ad futura festinat.* Et a questa consideratione aggiungasi la meditatione, & un discorso frequente intorno al detto dell'Ecclesiaste, il qual dice: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et questi veramente sono mezi potentissimi a farci tolerare qualsivoglia piacere, & dispiacere: & a questi bisogna ricorrere, & bene spesso, per fare della Patienza quell'acquisto Christiano, che si deve.

In cap. 13. ad Rom.

Hieron. ad Cyp. ep. 139. tom. 3.

Eccl. 1.

Et per condimento di quanto s' è detto a consolatione de'patienti, & a eccitatione di quei, che non son tali, non lascierò di dire, che non fù patienza gia mai, che al fine non fosse rimunerata, come afferma il Maestro della verità per bocca del Profeta, il quale sicuramente dice: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Et quali sono questi poveri, se non quelli, de'quali dice San Matteo: *Beati pauperes spiritu*, cioè gli humili, & patienti, che sono veramente poveri di spirito di superbia, di spirito d'ambitione, ma ricchi dello Spirito di Dio: poveri, che non confidano nelle proprie forze: poveri, che non si gloriano de' proprii meriti: poveri volontarii per opra dello Spirito santo, contenti in ogni cosa di quanto li basta per vivere, & per servire a chi li dà il tutto: poveri finalmente di favore, & ajuto mondano: poveri anco di consolatione, & di conforto nelle loro tribolationi, & necessità, & come derelitti, & abandonati patientemente sopportano quanto gli s'attraversa di male. Et per farsi ricchi di quello, che si può desiderare, osservano il precetto di Seneca, sminuendo il desiderio della cosa desiderata senza accrescimento di essa.

Psal. 9.

Matth. 5.

Hor questi tali poveri patienti non resteranno al fine senza il debito premio, ma bene arricchiti della felicità eterna: & quanto più saranno travagliati, & pareranno depressi, & conculcati, tanto più al fine saranno inalzati, & fioriranno a guisa di palma, la quale, come dicono i Naturali, quanto maggior peso tiene de'frutti, tanto più senza ceder punto risorge verso di esso, come anco si vede giornalmente ne' suoi rami, che mentre sono carichi di frutti, tanto più dritti si veggono verso il Cielo. Et si come la Palma non fa frutti per molti anni dopo, che è piantata, così anco la Patienza non produce il premio, se non dopo una lunga tolleranza: & al fine non ne è punto defraudata, anzi a mille doppi rimunerata, & consolata. Et per consolatione de'patienti, quì piacemi far fine a questo mio Discorso, chiuso, & sigillato con questo fermo, & saldo sigillo: *Patientia pauperum non peribit in finem. Amen.*

Palmæ natura. Arist. 7. probl. Plutar. in 7. Sympos. Aul. Gell. lib. 9. c. 6.

Psal. 9.

ORATIO S. AUGUSTINI

Dum Hypponenses belli calamitatibus premerentur.

Pro Tribulatis, & Afflictis.

ANte oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus:
Et plagas, quas accepimus conferimus.
Si pensamus malum, quod fecimus.
Minus est, quod patimur, majus est, quod meremur,
Gravius est, quod commisimus, levius est, quod toleramus.
Peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus.
In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, & iniquitas non mutatur.
Mens ægra torquetur, & cervix non flectitur.
Vita in dolore suspirat, & in opere non se emendat.
Si expectas, non corripimur: si vindicas, non duramus.
Confitemur in correctione, quod egimus.
Obliviscimur post visitationem, quod flevimus.
Si extenderis manum, facienda promittimus:
Si suspenderis gladium, promissa non solvimus:
Si ferias, clamamus, ut parcas:
Si peperceris, iterum provocamus, ut ferias.
Habes, Domine, confitentes reos.
Novimus, quòd, nisi dimittas, rectè nos perimas.
Præsta Pater omnipotens, sine merito, quod rogamus,
Qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent,
Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia

Alia Oratio pro Tribulatis.

NE despicias, omnipotens Deus, famulos tuos in afflictione clamantes: sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad Patientiam postulandam.

DEus, qui Unigeniti tui Patientiâ antiqui hostis contrivisti superbiam, da nobis, quæsumus, quæ idem piè pro nobis pertulit, dignè recolere: sicque exemplo ejus, nobis adversantia æquanimiter tolerare. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

* * *

AUCTORES CITATI.

Ambrosius
Augustinus
Albertus Magnus
Aristoteles
Basilius
Bonaventura
Cyprianus
Donatus
Ægidius Rom.
Euripides
Eusebius
Gregorius Magnus
Gellius
Hieronymus
Horatius
Joan. Chrysostom.
Lactantius Firm.
Lucanus
Lud. Ari.
Macrobius
Marsilius Ficinus
Ovidius Naso
Pythagoras
Plato
Plinius
Publ. Mim.
Sallustius
Seneca
Stobæus
Svetonius
Tertullianus
Theophilactus
Thomas Aquinas
Tullius
Valer. Max.
Varro
Virgilius

SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRUM SEX. POMPEJUS S.P.F. COL. MUSSIANUS QUINQUENNALIS DECUR. BIDENTALIS DONUM DEDIT.

Hæc Inscriptio marmoreæ Basi incisa in Insulâ Tyberinâ inter duos pontes effossa, superioribus annis reperta fuit: nùnc verò extat propè Sancti Bartholomæi Ædem, & indicat *Herculi*, non *Simoni Mago* statuam fuisse olim dicatam; sicùt Justinus Martyr putavit, qui in secundâ Apologiâ pro Christianis reprehendit Romanos, quippè qui ut ipse opinabatur, statuam erexerint Simoni Mago, ipsumque tamquam Deum fuisse in Urbe veneratum. Nam Hercules cognomina tria habebat, quæ sunt, *Sancus*, *Fidius*, & *Semo*: quæ Simon Magus non habuit: Semones Deos dici voluerunt Ethnici, ut Fulgentius de abstrusis sermonibus Antiquorum, vel de prisco sermone ad Chalcidium scribit, quos nec cœlo dignos putabant ob meriti paupertatem, nec terrenos eos reputare volebant propter gratiæ venerationem, quales erant *Vertumnus*, *Hippona*, *Priapus*, & alii consimiles, qui *Semones* dicti sunt, quasi Hemihomines, vel Semihomines, hoc est, *Semidei*. Id quod & Lipsio *lib. 2. Antiquar. lectionum cap. 18.* placet, necnon ipsi Joanni Fungero in Etymologico suo.

Alii Dei vocabantur *Selecti*, quasi præcipui, & summates, quippè qui habebant ampliorem potestatem, quique celebriores, & in majori habebantur cultu, ac veneratione. Hinc Sanctus Pater Augustinus *in lib. 7. cap. 2. de Civit. Dei* ex Varrone hujus generis Deos apud Ethnicos viginti fuisse scribit, duodecim, videlicèt, mares, & octo fœminas hisce sub nominibus, quæ sunt, *Janus*, *Jappiter*, *Saturnus*, *Genius*, *Mercurius*, *Apollo*, *Mars*, *Vulcanus*, *Neptunus*, *Sol*, *Orcus*, *Liber Pater*; *Tellus*, *Ceres*, *Juno*, *Luna*, *Diana*, *Minerva*, *Venus*, *Vesta*. Alii verò Dii *consentes*, in consilium, scilicèt, Jovis adhibiti, quasi *consentientes* in eo, quod gerendum est, dicti sunt. Aug. lib. 4. cap. 23.

Nonnulli præterea *Magni*, hoc est, Cœlum, & Terra vocati sunt; Aliqui deniquè *Ignoti*, & *incerti Dii* nuncupati, ut in *cap. Actuum Apostolorum 17.* videre est, ubi legitur, Athenis fuisse Templum Deo ignoto dicatum. Hæc dicta sunt, ut per Deum Semonem Deorum diversitatem ostendamus. Hercules igitùr *Semo-Deus* vocitabatur, quippè qui ob meriti paupertatem nec Cœlo dignus, nec Terrenus omninò propter gratiæ venerationem censebatur. Quod autèm in hac Inscriptione per Semonem, Hercules intelligi debeat, vox illa *Fidius* indicat. Festus enim Pompejus, dum adverbium illud *Medius Fidius*, quo jurare solebant antiqui, explicat, dictam vocem compositam esse, ac Jovis Filium, ideſt Herculem significare, necnon *Fidium* pro *Filio* usurpari solere ait juxtà morem antiquorum, qui pro literâ *L* frequentèr literâ *D* utebantur. Adverbium autèm illud ex tribus compositum idem putabatur significare, quod *Mehercule*: quasi dicas: Ità me Jovis filius amet; nam Δία Græci dicunt, quem nos *Jovem* appellamus. Cùm igitùr Fidius in Inscriptione positus, sit cognomen Herculi datum, Semonem pro Hercule, non pro Simone Mago intelligi debere, necesse est.

Aug. lib. 7. cap. 2.

Quod autèm hiſce cognominibus vocitetur *Hercules*, Ovidius in libro Faſtorum teſtatur hunc in modum.

Quærebam nonas Sanco, Fidio ne referrem,
An tibi Semipater; tùne mihi Sancus ait.
Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo.
Nomina terna fero, ſic voluere cures.
Hunc igitùr veteres donarunt Ædè Sabini,
Inque Quirinali conſtituere jugo.

Hæc Ovidii carmina juxtà Lilii Gregorii Giraldi in Hiſtoriis Deorum ſyntagmate primo, ac decimo ſententiam de Hercule ſcripta ſunt. Per Semonem itaquè nonniſi Hercules, qui *Sancus*, vel etiam *Sanctus*, ut alibì de eo legitur, quaſi propitius, & *Fidius* ab antiquis vocitabatur, intelligi debet. Hercules enìm proptèr meriti paupertatem Semo, quaſi *Semihomo*, non *Deus* omninò, ſed *Semideus*, quaſi non omninò Cœlo dignus, nec omninò Terrenus ob gratiæ veneration-nem vocitabatur. Inſcriptio igitùr non ad Simonem Magum, ſed ad Herculem pertinet, quidquid dicant alii, qui talia Herculis cognomina fortaſsè haud noverant, aut non animadverterant, è quorum numero ſunt, Juſtinus Martyr hoc in loco, Irenæus *lib.* 1. *cap.* 20. *contrà hæreſes*, Tertulianus *Apologiâ primâ cap.* 13., Euſebius *lib.* 1. *cap.* 12., Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 14.

De hac Inſcriptione, deque aliâ conſimili Lapide inſculptâ, & in Monte Qurinal-propè Eccleſiam Sancti Silveſtri ſuperioribus annis repertâ, Cardinalis Baronius mentionem fecit, eaſque Inſcriptiones Herculi dicatas eſſe juxtà Scriptorum opinionem oſtendit *in Tomo primo Annalium pag.* 318., *&* 319.; Dictam Baſim marmoream, in qua legitur dicta Inſcriptio, cujus initium hoc in loco declaratum eſt, ego non ſemel vidi, dictamque Inſcriptionem perlegi, ac totam ad verbum deſcripſi, ut legitur hoc in loco. Nùnc autèm an dicta Baſis ibidèm extet, ignoro. Vide Juſtini locum *Apologiâ* 2. *pro Chriſtianis pag.* 162. *in Tomo veteri*, & *in recentiorî pag.* 54.

De dictione illâ, PALEA, in Decretis Pontificiis passìm repertâ,

Præsertìm verò in primâ Decreti parte dist. 5. c. 1., dist. 31. c. 5., dist. 96. c. 13. & 14., *sed perperàm scriptâ, & pronunciatâ, & malè interpretatâ.*

DICTIO illa, *Palea*, ità in Decretis Pontificiis passìm reperta, perperàm scripta invenitur, & pronunciatur: media enìm syllaba cum diphthongo scribenda, & producenda hoc modo: PALÆA, omninò censetur. Id quod rationibus, & auctoritatibus Græcam linguam callentium comprobatur; E' quorum numero est Joannes Fungerus, qui in suo Etymologico de hac dictione in hanc loquitur verborum formam: *Cùm legitur in Pontificum Decretis*, Palea, *sciendum, quod insigne ibi erratum committitur, cùm sit legendum*, PALÆA. *Nàm παλαιὸς Græcis est vetus. Itaquè passìm ubi occurrit hoc nomen, vetus habetur Canon, ut quilibet observare poterit ditigenti lectione.* Hæc Fungerus; cujus opinio, ac sententia per multos Canones, & quidèm antiquos comprobari potest, præsertìm verò, ut cæteros brevitatis causâ silentio prætermittam, per duos Canones perantiquos in primâ Decreti parte conscriptos *dist. 96. cap. 13. & 14.* Constantinus. Ea enìm ex Edicto Constantini Magni Imperatoris de donatione Silvestro Papæ ab eodem Imperatore circà Annum Dñi 315. præstitâ, desumpta evidentèr cernuntur. Illo enìm tempore persecutionum procellæ, quibus per 300. ferè annos Christiana Ecclesia cùm in Oriente, tùm in Occidente à plerisque Romanis Imperatoribus vexata reperitur, sublatæ fuerunt; Tùncque Majestas Pontificia, Constantino Ecclesiæ Romanæ multa, & ingentia quidèm donante, vel potiùs restituente, maximè aucta, vires suas recipere cœpit. Hìnc dicti duo Canones, tamquàm antiqui, sub *Paleæ* titulo mendoso, ut infrà demonstrabo, conscripti leguntur. Idem quoque de cæteris Canonibus sub *Paleæ* titulo ad antiquitatem indicandam inscriptis, affirmare necesse est, ut cuique patebit, quolibet Canone ità inscripto, diligentèr expenso, aut examinato. Istùc ferè ipsum Jacobus Spiegelius de *Paleæ* significatu scriptum reliquit hisce verbis: *Paleæ sine diphthongo in penultimâ, cui titulus in Decretis Pontificiis haud rarò adscriptus legitur in quibusdam capitibus. Hæc indè velùt* Paleas *inanes, & irritas interpretantur; cùm potiùs, Volzio adnotante, scribendum sit* PALÆA *per diphthongum. Nàm παλαιὸς Græcis est, quod Latinis* vetus. *Itaquè sciendum, ubi* Paleæ *vocabulum, vel titulum offenderis, ibidèm veterem esse Canonem. Sanè* Paleæ *vocabulo non propriè culmi, sed folliculæ ipsa granorum comprehenduntur.* Hæc Spiegelius. Eademque ferè, sed breviùs quidèm in Pardulpho Pratejo, & in aliis videre licet. Hoc igitùr nomen PALÆA cum diphthongo in mediâ syllabâ productâ, scribendum omninò est. Quamvis autem sicut ex horum Auctorum verbis colligitur, dictio ipsa PALÆA, Nominativus singularis numeri esse videatur; re tamèn ipsâ Nominativus pluralis numeri est, & esse debet, atquè ità per casus pluralis numeri *τὰ παλαιὰ τῶν παλαιῶν*, hoc est, *hæc Palæa, horum Palæorum*, ut *Biblia Bibliorum*, non *Biblia Bibliæ*, ut inerudìti scribunt; & ut *Arma Armorum*, atquè alia id genus innumera declinandum omninò censetur. Cùm enìm PALÆA dictio Græca sit, talem in singulari numero desinentiam non habet, sed in plurali. Propterèà quandò in Decretis dictio *Palea* invenitur, subintelliguntur, Scripta, vel Monumenta, hoc est, Monumenta, vel Scripta antiqua, Canones videlicèt antiqui, vel de rebus antiquis conscripti.

Fungerus.

Volzius.

Pratejus.

Spiegelius.

Dictio itaquè PALÆA, media syllaba producta, & per diphthongum scribenda, nonnisi Nominativus pluralis numeri est, Monumentaque antiqua, vel Canonem veterem, aut antiquum, vel de rebus antiquis conscriptum significat. Aliæ autèm opiniones de significatu, atquè orthographiâ vocis hujusce, PALÆA, vel ut corruptè scribunt, *Paleà*, non minùs vanæ, quàm falsæ sunt. Id quod hac in primis ratione demonstratur. Dictio enìm *Palea*, ità perperàm scripta, & pronunciata, vel est Latina, vel Græca. Si dicatur esse Latina, tùnc *Palea*, non propriè frumenti culmum, sed follicula illa, quibus grana teguntur [aliis significationibus *Paleæ*

Opinio prima, ejusque confutatio.

ad rem propoſitam non facientibus, prætermiſſis] propriè ſignificat, ut Latini omnes fatentur. Hinc nonnulli hac voce, *Paleæ*, in Decretis depravatè ſcriptâ decepti, Canones illi, quorum tituli ſub hoc nomine, *Palea*, ſcripti leguntur, nonniſi res vanas, quaſi paleas, & nullius momenti eſſe falsò, & ineptè putarunt. Quoniàm per Canones illos, nonniſi res graviſſimæ, & maximi momenti dictis in locis comprehenduntur, cujuſmodi eſt donatio illa, ſeù reſtitutio potiùs Conſtantini, & id genus alia, quæ in Canonibus ipſis videre licet. Si autèm vox illa, PALÆA, per diphthongum in mediâ ſyllabâ conſcriptam, dicatur eſſe Græca, ut reverâ eſt, nonniſi vetuſtatem, & antiquitatem ſignificat. Nàm *Palea* ſinè diphthongo nullam habet ſignificationem apud Græcos, cùm apud eos dictio talis nullibì reperiatur.

Opinio ſecunda, ejuſq; confutatio.

Nec itèm hoc nomen *Palea* ab adverbio Græco πάλιν, quod eſt rurſum apud Latinos derivari credendum eſt, ut alii volunt: nàm hujus generis derivatio, aut formatio eſſet pravè detorta, & nimiùm puerilis, ac ridicula; Immò ſi dictio illa ab adverbio πάλιν derivaretur, non *Palea*, ſed *Palia*; quæ ſanè vox nihil in Græcâ, & Latinâ linguâ ſignificat. Jota enim ι, cùm vox aliqua è Græco fonte in Latinam linguam transfertur, nunquàm in *e*, convertitur, ſicùt Ita Græcum H, in *E* longum convertitur à Latinis.

Opinio tertia, ejuſque confutatio.

Falſa itèm opinio eſt illorum, qui Canones titulo *Paleæ* inſcriptos, *Paleas* vocant, quaſi additiones poſt primam Canonum collectionem à Gratiano præſtitam. Hi profectò non parùm hallucinantur, immò totâ errant viâ, dum Canones vocant *Paleas*, & ſub nomine *Palearum*, *Additiones* eſſe imaginantur; non enim video cur per *Paleas*, *Additiones* intelligi debeant. Nàm ſi Canones illi poſt primam collectionem fuiſſent additi, ad ipſam additionem indicandam vox Latina illa, *Additio*, vel *Additamentum*, vel vox Græca προσθήκη, quæ Latinè *Additamentum* interpretatur, iis in locis legeretur, non PALÆA, quæ cum diphthongo antiquitatem, nec *Palea*, quæ ſinè diphthongo conſcripta, frumenti granorum, ut jam diximus, follicula ſignificat.

Opinio quarta, ejuſq; confutatio.

Falſa deniquè, aut imaginaria eſt opinio illorum, qui illorum Canonum, quibus *Palea* inſcribitur, auctorem eſſe Protopaleam quemdam opinantur. Quarè ego non parùm admiror, hujus opinionis fuiſſe Joannem Andream Juriſconſultum, & Canoniſtam celeberrimum, quem hac in re ſequuti ſunt Imola, Alexandrinus, & Jaſon, Juriſconſulti etiam inſignes. Jaſon verò hunc Protopaleam, Cardinalem fuiſſe ait. Valdè itaquè admiror hujus generis viros in hanc deveniſſe opinionem tàm inanem. Si enim dictorum Canonum auctor fuiſſet Protopalea, cur non integrum nomen, aut cognomen, ſed diminutum, hoc eſt, *Palea*, pars videlicèt nominis in Canonum fronte nominatur. Adde etiam, quod Protopalea nequè intèr Scriptores, nequè intèr Cardinales recenſetur. Nemò enim ex iis, qui omnium tàm Scriptorum, quàm Cardinalium vitas, vel eorundem ſaltèm nomina, & cognomina conſcripſerunt, mentionem ullam de tali viro feciſſe invenitur, diligenti præſtitâ inquiſitione.

Nomen fictũ.

Concluſio.

Dictio igitùr, *Palea*, (ut rem initio propoſitam, & examinatam, cæteris jam opinionibus confutatis, tandèm aliquandò concludamus) cum diphthongo in mediâ ſyllabâ ſcribenda eſt, quippè quæ in Pontificiis Decretis ad capitum frontem reperta, nonniſi Canones antiquiores, vel Monumenta, ſivè Scripta antiquiora oſtendit, ac declarat.

Supplementum ad Tractatum

CHRONHISTORIÆ DE APOSTOLICO SACRARIO.

☞ *Quæ hìc apponuntur ſequi deberent* in fol. 354.

Forma præſentandi Clericos Cappellæ Pontificiæ.

Frater N. N. Apoſtolici Sacrarii Præfectus Dilecto nobis in Chriſto N. N. familiari noſtro,

CUm contingat Clerici Cappellæ Pontificiæ vacare locum, quem N. N. exercebat, cùmque dictæ Cappellæ Clericorum præſentatio ad nos pertineat; nos de hujus generis officio providere volentes, ne Cappella Clerici munere careat, te N. N. ad dictum officium duximus præſentandum. Harum itaque ſerie literarum, & noſtri muneris debito, te N. N. pro dicto officio exercendo, præſentamus, nominamus, & quatenus ad nos attinet, deputamus. In cujus rei fidem, &c. Dat. Romæ in Sacrario Apoſtolico, Anno Domini . . . . . Die . . . Menſis . . . . . .

In Diplomate Pontificio, quòd à Sacriſta præſentatum ad Clericatum admittit, hæc præſertim verba ad Sacriſtatus juriſdictionem pertinentia inſeruntur: *Cùm alter ex Clericatibus Cappellæ noſtræ vacet ad præſens, & dilectus filius N. N. Ordinis Sancti Auguſtini Fratrum Eremitarum profeſſor, & Sacriſta noſter, ad quem vacatione dictorum Clericatuum pro tempore occurrente, præſentatio perſonæ idoneæ ad illos exercendos ſpectare dignoſcitur, te N. N. ad dictum Clericatum, ſic vacantem, nobis præſentandum duxerit, & præſentaverit; Nos te ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, &c. te ad dictum Clericatum ſubſtituimus, ſurrogamus, ac deputamus; Decernentes*; & cetera, juxta clauſulas in Diplomate ſcribi conſuetas, quæ in Clericatus favorem apponuntur. Hunc ſemper in modum Cappellæ Pontificiæ Clerici à Sacriſta eligi ſolent, ut videre eſt in Diplomatibus Clericorum, qui præſens in tempus Clericatum exercent, hoc eſt, Pyrrhus Criſcus, ac Tiburtius Jovinianus, quorum alter per obitum Franciſci Amadei, alter verò per reſignationem, ipſi Sacriſtæ factam à Prædeceſſore meo, ad Clericatum Cappellæ fuerunt aſſumpti.

Subclericus Cappellæ à Sacriſta eligitur, & per literas patentes ad officium abſolutè admitti ſolet, nullâ aliâ facultate requiſitâ, ut ex Decreto, quod infrà legitur, conſtat.

Die Martis tertiâ Auguſti 1593.

Decretum de Subclericatu Cappellæ Pontificiæ in hanc verborum formam manu Notarii, aut Secretarii Viſitationis, ſeù Reformationis conſcriptum legitur, hoc eſt:

IN cauſa inter R. P. D. Sacriſtam, & Cappellæ Pontificiæ Cantorum Collegium, Admodum R. P. D. Bernardinus Morra, Judex ſpecialiter deputatus in cauſa hujuſmodi, facto prius per Reverendiſſimos Dominos, Archiepiſcopum Montiſregalis, & Epiſcopum Caſſanenſem Viſitatores, verbo cum Sanctiſſimo D. N. Clemente PP. VIII. eodemque Sanctiſſimo D. de omnibus ab utraque parte deductis, & allegatis, ut iidem Domini in Congregatione dixerunt, informato, de voto item, & conſenſu eorundem Dominorum, ac de ordine ſpeciali, & mandato prælibati Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ ad tollendam omnem controverſiam inter R. P. D. Sacriſtam, & Collegium Cantorum Cappellæ Pontificiæ, ſuper electione perſonæ, quæ officium, & munus Cuſtodis librorum ejuſdem Cappellæ Pontificiæ, & Subclerici, ſeù famuli Clericorum dictæ Cappellæ Pontificiæ exercere conſueverat, ut faciliùs debita obſequia præſtentur, decrevit, & decernit, quòd in poſterum deligantur duo Miniſtri, quorum unus Cuſtos librorum appelletur, alter verò Subclericus, ſeù famulus nominetur, qui in ſubſidium Clericorum ſervitia præſtari ſolita exhibeat, licèt hactenus unica tantùm portio à Sacro Palatio pro omnibus memoratis ſervitiis, & obſequiis exigeretur. Deinceps tàm duplex præſtetur, ità ut cuilibet eorum una integra portio à Sacro Palatio præſtetur. Cętera verò emolumenta, & obventiones omnes æqualiter inter ipſos ambos dividantur; Eo excepto quòd Subclericus, ſeù Clericorum famulus potiatur ſolito cubiculo ad hoc deſi-

gnato

gnato, quia est propè Sacristiam, ubi servire tenetur, mandavitque etiàm, & mandat admittendos nunc esse, & admitti debere ad prædicta munera, & officia nominatum à R. P. D. Sacrista ad officium Subclerici, seù famuli Clericorum; & nominatum à Collegio Cantorum ad officium Custodis librorum prædictæ Cappellæ Pontificiæ, intèr quos pro tempore, quo hactenùs inservierint, dividantur æqualitèr tam dicta portio, quàm reliqua omnia emolumenta, & obventiones ordinariæ, & extraordinariæ exactæ, & exigendæ, & ità decrevit, & decernit, ac mandavit, & mandat omni meliori modo, &c. Præsentibus, &c.

Decretum hoc videre licet in Officio Illustrissimi, ac Reverendissimi Vicarii Sanctissimi D. N. Papæ; in officio scilicèt Mazziotti olim nuncupato, in Registro Secretarii, sive in Libro actorum Visitationis, aut Reformationis.

Decretum de Parafrænariis à Sacristia eligendis.

IN Dei nomine, Amen. Nos Antonius miseratione divina Episcopus Portuen. Cardinalis de Monte, Cognitor, & Judex à Sanctissimo Domino Nostro Clemente VII. Pont. Max. deputatus, *& cetera, quæ sequuntur.*

Post longam propositæ rei narrationem hæc in Decreto leguntur, ut infrà:

Christi nomine repetito, dicimus, declaramus, decernimus, & ordinamus per hanc nostram pronunciationem, & sententiam, omni meliori modo, &c. Quòd Rev. P. D. Sacrista in posterum teneatur, & debeat ad dictum exercitium ducendi Parafrænum album, seù Achineam Sacramenti principalitèr eligere, & deputare unum ex Parafrænariis SS. D. N. qui pro tempore erit, sufficientem, habilem, & idoneum ad dictum exercitium, & ministerium, qui sibi videbitur magis idoneus, & idem servetur per alios Successores suos, cui pro majori veneratione, & commoditate, ac sedulitate, quæ requiritur in tanti Sacramenti portatione, & custodiâ, possit, & debeat R. D. Sacrista in societate deputare unum alium ex suis familiaribus propriis habilem, qui dicto Parafrænario Pontificis ad dictæ Achineæ traductionem deputato adjunctus sit, & ipsi in eo officio assistat, & servitii socius, & adjutor continuus sit; Ità quòd semper dicta Achinea pariter ducatur per Ministrum alterum, ex eis pedestrem continuè pro reverentia tanti Sacramenti (nisi ad modicum tempus, & loci necessitas aliud exigeret) Qui deputatus per dictum Sacristam sit & familiaris Papæ, habeatque expensas in Tinello Pontificis, & gaudeat prærogativis familiaritatis, quoad beneficia, & prærogativas, & quoad participationem emolumentorum, &c.

Ita pronunciamus, & declaramus Nos A. Portuen. Episcopus manu propria. Dat. Romæ in Urbe Veteri, die Lunæ quartâ Maii MDXXVIII. præsentibus Dominis Federico Clavario Auditore, & Petro Pinario Cubiculario ipsius Reverendissimi D. Cardinalis.

Federicus Agathonus Notarius pro nota subscripsit.

Et quia Ego Genesius Bulsheri Archivi Rom. Curiæ Scriptor, ad instan. R. P. D. Joannis Jacobi Barbæ Neapolitani, Sanctissimi D. N. Papæ Sacristæ, Originale supradictæ sententiæ sufficientèr recognitum, in dicto officio libro primo Diversorum à direptione Urbis, fol. 177. registravi. Ideò hìc me subscripsi in fidem præmissorum rogatus.

Locus † Signi.

Hæc vide etiàm ad calcem libri Cæremonialis veteris, quod in Apostolico Sacrario asservatur: ibi enim authenticum extat Decretum manu & signo Notarii munitum.

Forma præsentandi Parafrænarios.

Frater N. N. Apostolici Sacrarii Præfectus. Dilecto nobis in Christo, &c.

NOstra intèrest omni vigilantiâ, & diligentiâ incumbere, ne ea, quæ Sanctissimi Sacramenti Corporis Domini nostri Jesu Christi decori, & ornamento, ac illius, & etiàm suæ Sanctitatis obsequio necessaria sunt, ullo pacto temporibus congruis desint. Cùm itaquè officium, & exercitium ducendi Equum (quem *Achineam* vulgò vocant) quandò Sanctissimum Sacramentum defertur antè Pontificem, iter facientem, vel per Urbem incedentem, vacet, ac cesset per obitum alteriùs Parafrænariorum: Nos, ad quos, & ad Sacristam pro tempore existentem, dicti officii concessio, & Parafrænarii Sanctissimi Sacramenti præsentatio jure pertinet, in locum illius defuncti, te Parafrænarium Sanctissimi Sacramenti juxtà conditiones in libro Apostolici Sacrarii conscriptas, & ab aliis hujus generis Parafrænariis observatas instituimus, creamus, & deputamus, dantes tibi liberam facultatem literas in forma Brevis consuetas expediendi, quarum literarum expeditioni ex nunc libere consentimus, & consensum præstamus. In quorum fidem & testimonium præsentes literas manu nostrâ subscriptas, sigillo nostro muniendas mandavimus. Dat. Romæ Anno Domini . . . . . die . . .

Locus † Sigilli.

Ità est. N. N. Apostolici Sacrarii Præfectus, manu propriâ.

CLE-

CLEMENS PAPA VIII.

De Parafrænario præſentato.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm à dilecto filio Fratre Angelo Rocca, Apoſtolici Palatii noſtri Sacriſta, & familiari noſtro [ad quem ratione dicti officii Sacriſtæ hujuſmodi præſentatio pertinere dignoſcitur] in alterum ex Parafrænariis Sanctiſſimi Sacramenti, quòd Nobis, & Romanis Pontificibus, pro tempore exiſtentibus, itinerantibus ſummâ cum veneratione, & honore præferri ſolet, præſentatus fueris; Nos te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, *& cetera juxtà formam conſuetam*; Te in alterum ex Parafrænariis Sanctiſſimi Sacramenti hujuſmodi, cum honoribus, oneribus, proviſione, portione, ac emolumentis ſolitis, & conſuetis, ac juxtà conditiones à cæteris hujus generis Parafrænariis obſervatas, & in libro Sacriſtiæ Apoſtolicæ conſcriptas admittimus, & admiſſum per præſentes facimus, & deputamus, Mandantes Dilectis filiis eidem moderno, & pro tempore exiſtenti Sacriſtæ Cappellæ noſtræ Pontificiæ, necnon Palatii, & Domus noſtræ Præfecto, cæteriſque, ad quos ſpectat, ut te ad hujuſmodi officium, ejuſque liberum exercitium recipiant, & admittant; Tibique in præmiſſis faveant, & aſſiſtant, ac de proviſione, portione, & emolumentis hujuſmodi debito tempore cum effectu reſponderi curent, & faciant; In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Ferrariæ ſub Annulo Piſcatoris, die xvij. Novembris MDXCVIII. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

Marcellus Veſtrius Barbianus.

Hæc de Parafrænariis à Sacriſta eligendis ob oculos ponenda videbantur; quæ ſanè omnia ad Sacriſtatus juriſdictionis jacturam præcavendam hoc loco apponere viſum eſt: quià, cùm hujus generis res de rarò fit contingentibus, ſicut talis juriſdictionis memoria facilè deperire poteſt; ità non facilè ipſa juriſdictio, dùm occaſio ſeſe offert, comprobatur. Id quòd non ſinè officii læſione mihi eveniſſe conſtat in celeberrima Sanctiſſimi D. N. Clementis VIII. Ferrariam uſque profectione. Propterea in diſceſſu ab Urbe, tali juriſdictione ob Decretum ignoratum non ſatis perſpectâ, rem hanc Romæ tentatam, nonniſi Ferrariæ perfeci, ut ex ipſa, quæ ſuperiùs legitur, expeditione videre licet.

PAULI TERTII

Decretum in creatione DD. Cardinalium obſervari conſuetum.

Motu proprio, &c. Cùm (ſicùt accepimus) ab antiqua, laudabili, & hactenus obſervatâ conſuetudine, quilibet ex S. R. E. Cardinalibus in ejus in Cardinalem creatione noſtris, & pro tempore exiſtentibus Romani Pontificis Officialibus, domeſticis, ac etiàm Sacriſtæ, pro jocunda creatione hujuſmodi certam pecuniæ quantitatem (quæ *Regalia* vocant) Officialibus, videlicèt, determinatis, Sacriſtæ verò ad beneplacitum, ſolvere conſueverit, & ſuper beneplacito hujuſmodi ſæpius diſſenſiones, & controverſiæ oriri contingant, cùm quandoque plus, quandoque minùs eidem Sacriſtæ perſolvatur; Nos volentes omnem diſſenſionis, & controverſiæ materiam de medio ſubmovere, ac Venerabilis Fratris noſtri Alphonſi de Oliva Epiſcopi Bovinenſis moderni, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis indemnitati, in præmiſſis providere; Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, maturâque deliberatione noſtrâ ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus quilibet ex eiſdem S. R. E. Cardinalibus in ejus in Cardinalem creatione eidem moderno, & pro tempore exiſtenti Sacriſtæ, pro ſuis juribus, & regalibus ſummam vigintiquinque ducatorum auri de Camera realiter, & cum effectu ſolvere debeat, & omninò teneatur; Quòdque ſic per quoſcumque Judices, &c. etiàm S. R. E. Cardinales ſublat. &c. judicari debeat, irritumque &c. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque, præſentis Motus proprii ſolam ſignaturam ubique fidem facere, clauſulâ contrariâ non obſtante, decernen. Placet, A.

Et quia, Ego Geneſius Bultheri Archivi Rom. Curiæ Scriptor, ad inſtantiam R. P. D. Joannis Jacobi Barbæ Neapolitan. Diœceſis, Originale ſupradicti Motus proprii, ſufficienter recognitum, in dicto officio lib. primo Diverſorum à direptione Urbis fol. 177. regiſtravi. Ideò hìc me ſubſcripſi in fidem præmiſſorum rogatus.

Locus † Signi.

Vide pro hac re Librum Diverſorum ab Urbis direptione, pag. 177. Regiſtri A. & in principio Cæremonialis veteris, quod in Apoſtolico Sacrario aſſervatur: ibi enim authenticum extat Decretum manu, & ſigno Notarii munitum.

FINIS.

3948

2 vol. ctt

IS
51 ol

43

(1454)

2 vol. OM